SC.15.Pl.6.

ARA 261

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS, SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iuſſu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum ſelectiſſimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI, obſervatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in ſua ſingulæ capita tributæ: nec non ſelecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratiſſimi.

TOMUS VIGESIMUS SEPTIMUS

complectens EPIST. B. PAULI APOST. ad THESSALONICENSES, ad TIMOTHEUM, ad PHILEMONEM, ad HEBRAEOS: EPIST. CATH. B. IACOBI APOST. B. PETRI APOST. B. IOANNIS APOST. & EPIST. CATHOL. B. IUDAE APOSTOLI.



VENETIIS
MDCCLVII.

Excuderunt {MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS ſub ſigno Providentiæ:

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIMA.

HAEc Epiſtola ſcripta eſt Corinthi, anno ut videtur 552. eaque inter Pauli Epiſtolas, ſi ratio temporis habeatur, prima eſt. Theſſalonica urbs erat Macedoniæ primaria; nunc Salonica appellatur. Paulus Philippis eiectus Theſſalonicam venit, ubi complures ad fidem Chriſti convertit: ſed Judæorum perſecutioni cedere coactus, Athenas profectus eſt, inde Corinthum, ubi Theſſalonicæ fideles ab idololatris, cum alia multa, tum bonorum direptionem paſſos accepit. Eo miſit Timotheum, qui illos conſolaretur. Hic conſtantiam eorum in fide, & patientiam Apoſtolo renuntiavit, qui hanc ad eos ſcripſit Epiſtolam conſolatoriam, præclaris adhortationibus plenam, & præceptis, quæ ad mores pertinent.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Theſſalonicenſes commendat, actis Deo gratiis, quod ſuſceptam ſemel fidem ſervaverint, Pauli, immo ipſius Domini imitatores effecti, ac forma reliquis credentibus, palam oſtendentes, quem apud ipſos fructum, Pauli prædicatio habuerit.

1. PAULUS, & Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſa-
lonicenſium, in Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.
2. * Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo ſem-
per pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in
orationibus noſtris ſine intermiſſione, 3. memores ope-
ris fidei veſtræ, & laboris, & caritatis, & ſuſtinen-
tiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deum & pa-
trem noſtrum: 4. ſcientes fratres, dilecti a Deo, electionem veſtram: 5.
quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum,* ſed & in
virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales
fuerimus in vobis propter vos. 6. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, &
Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus
ſancti: 7. ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia, &
in Achaia. 8. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in
Macedonia, & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad
Deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quidquam loqui. 9. Ipſi
enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos: & quo-
modo converſi eſtis ad Deum a ſimulacris, ſervire Deo vivo, & vero,
10. & expectare Filium eius de cælis (quem ſuſcitavit ex mortuis) Ieſum,
qui eripuit nos ab ira ventura.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. Gratia vobis & pax. Non addas, *a Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.*

Verſ. 5. Sed & in virtute. Non omittas medium *&*, ſicut nec ubi ſequitur verſ. 8. *Sed & in omni loco.*

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. GRATIA VOBIS ET PAX. Gr. addunt, *a Deo patre noſtro & Domino Ieſu Chriſto.*

V. 3. MEMORES OPERIS FIDEI VESTRAE. Græca ſcholia exponunt opus fidei, conſtantiam in fide, quæ eſt egregium fidei opus, quia nihil, inquiunt, declinare vos a fide fecit; hoc eſt enim fidei opus: ſecundo modo exponunt opus fidei, quia non verbis modo, ſed operibus fidem

ſuam

ſuam oſtenderint: gratias ergo agimus memores operis fidei veſtræ, id eſt operoſæ & actuoſæ fidei veſtræ, quæ non modo verbis ſeſe, ſed operibus promit, & memores LABORIS ET CARITATIS, vel ut Græci habent, *laboris caritatis veſtræ*; quaſi dicat, Memores conſtantiæ veſtræ in fide & laboris, quando pro evangelio caritas veſtra laboravit. ET SUSTINENTIAE SPEI DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI. Græce, ὑπομονῆς, id eſt patientiæ vel perſeverantiæ, quam ob ſpem Domini noſtri Ieſu Chriſti hactenus ſervaſtis. ANTE DEUM, &c. Græce, ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ, id eſt in conſpectu Dei. Græci hanc particulam referunt varie: primo modo ad *τὸ memores*, ut ſit ſenſus, gratias agimus memores ante Deum & in conſpectu eius, operoſæ fidei veſtræ: ſecundo ad *τὸ operis fidei veſtræ*, ut ſit ſenſus, memores operis fidei veſtræ, & laboris, & ſuſtinentiæ quæ ſunt ante Deum; quaſi dicat: Quæcumque agitis videt omnia Deus, nec eum quidquam latet eorum quæ agitis, tertio referri poteſt ad *τὸ gratias agimus*, ſcilicet gratias agimus ante Deum, &c.

V. 4. 5. 6. & 7. SCIENTES FRATRES DILECTI: *τὸ ſcientes* refertur ad id quod præceſſit, gratias agimus pro vobis ſcientes fratres dilecti, &c. Græci autem ad ſequentia aſſerunt poſſe iungi multipliciter, gratias agimus ſcientes ELECTIONEM VESTRAM, id eſt vos a Deo electos eſſe; & ſcientes quia, vel quod evangelium noſtrum NON FUIT AD VOS IN SERMONE TANTUM, SED IN VIRTUTE, id eſt ut Græci explicant, quia evangelium noſtrum non tantum verbo prædicatum eſt vobis, ſed etiam in virtute, id eſt virtute & miraculis ac ſignis confirmatum, ET IN SPIRITU SANCTO, id eſt prædicatum eſt non in ceremoniis carnalibus, ſed in ſpiritu ſancto, & in virtute ipſius, vel in ſpiritu ſancto, id eſt in largitione & infuſione ſpiritus ſancti, quem apoſtoli in primitiva eccleſia credentibus largiebantur, ET IN PLENITUDINE. Græce ἐν πληροφορίᾳ, cum plena & certa Evangelii cognitione & intelligentia. Gratias ergo agimus ſcientes veſtram electionem, & certi qualiter vobis evangelium prædicavimus in virtute & ſpiritu ſancto, & certitudine indubitata, SICUT SCITIS QUALES FUERIMUS IN VOBIS PROPTER VOS; id eſt, quemadmodum intelligitis qualiter nos apud vos veſtra gratia geſſimus: hæc omnia igitur ſcientes gratias agimus. Mihi etiam videtur *τὸ ſcientes* referri poſſe ad Theſſalonicenſes, & ita ordinanda lectio: gratias agimus, &c. uſque ante Deum & patrem noſtrum, ut ibi finis ſit ſententiæ, deinde nova ſententia incipiat, *ſcientes*, &c. id eſt Quum enim compertum haberetis de electione veſtra, ex eo quod evangelium noſtrum non tantum verbo a vobis exceptum & acceptum eſt, ſed etiam cum virtute & ſpiritu ſancto, & plenitudine multa, id eſt quia una cum evangelio virtutem & conſtantiam in perſecutionibus & Spiritum ſanctum, id eſt illius gratiam ac diverſa dona accepiſtis, *& plenitudinem*, Græce πληροφορίας, id eſt certiſſimam Dei evangeliique cognitionem: vos ergo ex Spiritus ſancti donis & effectis, certi electionis veſtræ, ſicut ſcitis, id eſt ſicut compertum habetis quales fuerimus in vobis, id eſt inter vos, hoc eſt quam fideles & quam conſtantes, & vos etiam noſtri & Domini ſancti eſtis imitatores. EXCIPIENTES, Græce δεξάμενοι, id eſt dum excepiſtis verbum evangelii cum multa tribulatione & gaudio Spiritus ſancti, ITA UT FACTI SITIS FORMA; id eſt, adeo ut exemplum præſtiteritis & occaſionem omnibus fidelibus in Macedonia & Achaia credendi, & pro evangelio patiendi.

V. 8. DIFFAMATUS EST SERMO. Græce, ἐξήχηται, id eſt perſonuit & divulgatus eſt, id eſt ex veſtra tolerantia evangelium, non ſolum in reliqua Macedonia & Achaia publicatum eſt, ſed fides veſtra in Deum per omnem circumquaque regionem profecta eſt & pervenit, ita ut ad imitationem veſtri converſis pene omnibus, iam non ſit mihi neceſſe loqui quicquam, id eſt non ſit nobis opus in vicinis regionibus prædicare, vel ut non ſit nobis opus fidem veſtram & conſtantiam aliis prædicare & commendare.

V. 9. IPSI ENIM; id eſt, nam recitare ipſi norunt, qualis fuerit ad vos acceſſus noſter, id eſt quam efficax, quoque pacto me omnibus odioſum etiam cum vitæ veſtræ periculo ſuſcepiſtis, & quam celeriter a ſimulacris ad Deum converſi eſtis, ita ut confeſtim illis relictis Deum vivum colere inceperitis, & redemptorem noſtrum eius filium Ieſum (quem ille ſuſcitavit) expectare.

SA.

S A.

AD THESSALONICENSES. Macedones ſunt. Commendat illorum fidem, hortatur ad perſeverantiam, mores inſtituit, tractat & quædam de reſurrectione, dieque iudicii.

V. 1. SILVANUS: legendum *Silas*: Hieron. ep. CXLIII. IN DEO, ſcilicet congregatæ; vel, Deum colenti.

V. 2. MEMORIAM, id eſt mentionem; quaſi dicat, Memores veſtri, vel commendantes vos Deo.

V. 3. SUSTINENTIAE; pro, tolerantis, ſeu perſeverantis. DOMINI; pro, in Dominum. ANTE DEUM, id eſt coram Deo.

V. 4. SCIENTES. Syr. *ſiquidem novimus* A DEO. Iungi poteſt cum *dilecti*, & cum *electionem*.

V. 5. EVANGELIUM, id eſt prædicatio Evangelii. VIRTUTE, id eſt miraculis. SPIRITU SANCTO, id eſt Spiritus ſancti gratiis. PLENITUDINE, ſcilicet certitudinis: nam Græc. πληροφορία. IN VOBIS, id eſt inter, ſeu apud vos.

V. 7. FORMA, id eſt exemplum.

V. 8. DIFFAMATUS, id eſt divulgatus. PROFECTA EST, id eſt pervenit, ſcilicet fama, ſeu rumore.

V. 9. IPSI, ſcilicet qui audierunt. SERVIRE, id eſt ad ſerviendum.

V. 10. ERIPUIT. Græc. *eripit*, ſeu eripientem.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. ET SILVANUS. De hoc fit mentio II. ad Corinth. 1. 19. A quibuſdam creditur eſſe *Silas*, de quo in Actis Apoſtolorum ſæpe. ECCLESIAE THESSALONICENSIUM. *Theſſalonica* Macedoniæ urbs primaria, hoc etiam tempore frequens & nobilis commercio *Salonica* vocatur.

V. 2. GRATIA VOBIS, ET PAX. Græce additur, *a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto*, ſed ſuperfluit. Syr. non eſt, & Veleſius obelo id notat. Gratias agimus Deo, memores

V. 3. OPERIS FIDEI VESTRAE, id eſt conſtantiæ in fide. Aut *fidei*, quæ in opus prodit, alioqui inanis eſt. Aut potius *operis & fidei*, ut coniunctio ſuppleatur, ut mox. LABORIS ET CARITATIS. Græce deeſt coniunctio *&*, ſed ſuppleatur, ſic enim planior ſententia manet. Sicut proximis verbis. ET SUSTINENTIAE SPEI. Gotth. *& ſuſtinentiæ & ſpei*. Quæ lectio placet, ne opus ſit exquirere, quæ ſit *ſuſtinentia*, ſeu *tolerantia ſpei*. DOMINI NOSTRI; pro, ſpei in Domino noſtro. ANTE DEUM, ſeu *coram Deo*. Quod iungatur aut cum *memores*, ſcilicet ſumus coram Deo, aut cum *fidei veſtræ*, aut cum *gratias agimus*.

V. 4. SCIENTES, ſcilicet nos gratias agimus. DILECTI, A DEO ELECTIONEM VESTRAM: ſic diſtingue. Nempe ſigna erant, quæ monſtrarent, a Deo illos eſſe electos.

V. 5. SED ET IN VIRTUTE fuit noſtra prædicatio, id eſt miraculis. ET IN PLENITUDINE: ἐν πληροφορίᾳ, *certitudine*, plena cognitione prædicatio fuit.

V. 6. IMITATORES NOSTRI FACTI ESTIS. In quo? in tolerantia perſecutionum propter Evangelium. IN TRIBULATIONE MULTA, id eſt perſecutione, quæ propterea excitata eſt.

V. 8. DIFFAMATUS EST: ἐξήχηται, *divulgatus eſt* ſermo, id eſt hæc fama veſtræ fidei & conſtantiæ. UT NON SIT NOBIS NECESSE eam illis nuntiare.

V. 9. DE NOBIS ANNUNTIANT, ſcilicet quam efficax fuerit noſter adventus ad vos, ſcilicet ex veſtro de nobis teſtimonio, veſtraque fama.

M E N O C H I I.

Verſ. 1. PAULUS, ET SILVANUS, ET TIMOTHEUS. Vide dicta ad Philipp. 1. 1. SILVANUS: eſt idem cum Sila, qui poſt diſceſſum Barnabæ aſſumptus a Paulo eſt ſocius Evangelicæ prædicationis. ECCLESIAE THESSALONICENSIUM: ſubaudi, ſcribunt, aut epiſtolam hanc mittunt. IN DEO PATRE, &c. quæ in Deo Patre, & Ieſu Chriſto collecta eſt, ad diſtinctionem Iudaicarum Synagogarum. Vel intellige, ſalutem dicunt, & gratiam precantur a Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, ut nectantur hæc verba cum ſequentibus, *Gratia vobis & pax*. GRATIA VOBIS ET PAX. *Primo gratiam dicit, deinde pacem nominat, quia ſine gratia ad pacem reconciliationis pervenire non poſſumus, immo nihil pacificum ſine gratia eius habere poſſumus*, inquit Anſelmus.

V. 2. GRATIAS AGIMUS DEO SEMPER PRO OMNIBUS VOBIS; id eſt, pro beneficiis in vos collatis, quæ nimirum poſtea enumerat, fidem, caritatem, ſuſtinentiam.

V. 3.

V. 3. Operis fidei veſtrae: fidei veſtræ non inertis, ſed bonorum operum effactricis. Et laboris, et caritatis. In Græco eſt, *laboris*, *caritatis*, id eſt laborum, & moleſtiarum, quas ſuſcepiſtis, & paſſi eſtis amore Chriſti, & ſtudio retinendæ fidei. Suſtinentiae spei. Suſtinentia ſpei eſt omnium ærumnarum in perſecutione toleranda, ob ſpem ſalutis æternæ. Domini nostri Iesu Christi: qui genitivi a genitivis fidei, ſpei, & caritatis qui præceſſerunt reguntur. Vocat ergo fidem, ſpem, & caritatem Ieſu Chriſti, ſive quia hæ virtutes dantur a Chriſto, & per Chriſti merita, ſive quia feruntur in Chriſtum, qua Deus eſt, & homo, quaſi in obiectum ſuum, & labor earum ſuſcipitur propter Chriſtum, & Chriſti amore, ſpe, ac deſiderio. Ante Deum, et Patrem nostrum: vel refertur ad *Memores*, vel ad, *fidei*, *ſpei*, & *caritatis*; quaſi dicat, Memor ſum veſtræ patientiæ, & laboris, quem ſuſtinetis pro fide, ſpe, & caritate Chriſti, non ficte, & ſimulate, ſed *ante Deum*, id eſt ſine fuco, vere, ſincere, coram Deo.

V. 4. Scientes electionem vestram; quaſi dicat: Ex ſignis, & coniecturis, ex fide, conſtantia, & patientia veſtra probabiliter colligo *veſtram electionem*, id eſt vos electos eſſe ad gratiam, & amicitiam Dei, & ſi in ea perſeveretis ad gloriam.

V. 5. Sedet in virtute, id eſt, potentia, & efficacia miraculorum confirmatum fuit. Et in spiritu sancto. *In ſpiritu ſanctitatis*, ut vertit Syrus; Sanctitas enim Evangelizantis doctrinam plurimum commendat, & credibilem facit. Vel ſenſus eſt, in largitione Spiritus ſancti, & donorum eius, quæ Apoſtoli in primitiva Eccleſia etiam viſibiliter largiebantur, facientes ut credentes loquerentur peregrinis linguis, prophetarent, &c. Et in plenitudine multa; ſcilicet certitudinis, nam in Græco eſt πληροφορία. Quales fuerimus in vobis; id eſt, quomodo inter vos fuerimus converſati. Propter vos: ut vobis nonnullam utilitatem afferre poſſemus.

V. 6. Et vos imitatores, &c. quaſi dicat, Nec eſt quod laboris nos pœniteat, nam fructus operi noſtro reſpondit. Imitatores nostri facti estis, et Domini. Laudat Theſſalonicenſes quod patientiam, & animi magnitudinem Apoſtolorum, & Chriſti Domini imitati ſint. Excipientes verbum in tribulatione multa, &c. In eo ſe Theſſalonicenſes Apoſtolorum, & Chriſti imitatores oſtenderunt, quod cum Chriſti fidem percepiſſent, continuo magna alacritate, vexationes, & moleſtias eius cauſa ſuſceperunt.

V. 7. Ita ut facti sitis forma: typi, & exemplaria.

V. 8. A vobis enim: a veſtra fide, & patientia, conſtantia, & zelo. Diffamatus: divulgatus. Sermo Domini: fama prædicationis Evangelicæ, & Chriſtianiſmi. Fides vestra: fama fidei, ac ſanctitatis veſtræ. Ad Deum, id eſt in Deum, erga Deum. Profecta est: ſparſa eſt. Ita ut non sit vobis necesse quidquam loqui: ad celebrandam fidem, & conſtantiam veſtram, cum iam ſatis nota ſit.

V. 9. Ipsi enim; ſcilicet qui audierunt. Qualem introitum habuerimus ad vos: quomodo apud vos cœperimus Evangelium prædicare, & quomodo dum iſthic fuimus, ſimus converſati.

V. 10. Et expectare filium eius de caelis, &c. id eſt, & ut filium eius Ieſum, quem a morte ſuſcitavit, ſpe certa expectaretis de cælo venturum, ſcilicet fidei veſtræ remuneratorem; qui vos etiam ad eamdem ſecum gloriam aſſumet. Qui eripuit nos ab ira ventura; id eſt, qui eripit, qui nos liberat a pœna damnationis æternæ, quæ ſuperventura eſt impiis, & infidelibus.

TIRINI.

Verſ. 1. Silvanus. Latinum nomen eſt eius qui hebraice vocabatur *Silas*, ſocius & comes peregrinationis Pauli poſt diſceſſum Barnabæ *a*. De fanatico Manichæo poſt 600. annos Silvani huius perſonam induente, ſed a diſcipulo ſuo ſaxis occiſo in Armenia, vide ex Theophane Baronium.

V. 3. Memores operis fidei vestrae, nempe, fidei non inertis, non otioſæ, ſed efficacis & ſtudioſæ, & plurimorum bonorum operum effectricis: et sustinentiae spei; id eſt patientiæ & generoſæ adverſitatum tolerantiæ, ex ſpe, ſeu propter ſpem præmii cæleſtis: ita S. Anſelmus Ex quibus tamquam probabilibus ſignis, & moraliter certis coniecturis colligimus, &

V. 4. Scientes ſumus vestram electionem, id eſt vos a Deo electos eſſe ad gratiam & amicitiam, ipſius, & , ſi in ea per-

Digitized by Google

perſeveretis, etiam ad gloriam & fruitionem eiuſdem, inquit Theophyl. Nam Apoſtolum proprie & immediate non loqui de electione ad gloriam, ſed ad gratiam, patet ex ſequentibus.

V. 5. & 6. QUIA EVANGELIUM NOSTRUM, id eſt promulgatio doctrinæ Evangelicæ, APUD VOS NON FUIT IN SERMONE TANTUM, ſeu verbali explicatione & inculcatione, SED ET IN VIRTUTE, *δυνάμει*, id eſt *potentia:* nempe comprobavimus doctrinam noſtram multis ſtupendiſque miraculis quæ vidiſtis, ET SPIRITU SANCTO, cuius copioſiſſima dona etiam viſibiliter (ut tunc fiebat *i*,) accepiſtis, loquentes peregrinis linguis, prophetantes, dæmones & morbos pellentes, &c. In, ſeu cum, PLENITUDINE MULTA; Græce, *πληροφορία*, id eſt *plena certificatione d*; quaſi dicat: Nihil omnino defuit ad plenam Evangelio meo apud vos fidem conciliandam: ita Theophyl. & a Lapide. PROPTER vos, id eſt veſtri cauſa, ut vobis veſtræque ſaluti conſuleremus. Nec infelici ſucceſſu: nam inſigni pietate veſtra FACTI ESTIS

V. 7. FORMA, id eſt typus & exemplar, quod merito imitentur non modo reliqui veſtri *Macedones* & vicini *Achæi*, ſed & reliquus orbis univerſus.

V. 8. A VOBIS ENIM, veſtraque eximia virtute, conſtantia & zelo, DIFFAMATUS *e*, id eſt divulgatus, EST ubique SERMO DOMINI, id eſt fama Evangelicæ prædicationis & Chriſtianiſmi.

V. 9. IPSI ENIM, qui veſtras virtutes audierunt, eo iis ANNUNTIANT & iudicant DE NOBIS, QUALEM INTROITUM, ſeu acceſſum, HABUERIMUS AD VOS, quam fructuoſam, quam utilem operam poſuerimus apud vos, tam egregia nunc fide, patientia & conſtantia.

V. 10. *Exſpectantes* FILIUM Dei *Ieſum* iudicem DE CAELIS adventurum, QUI ſua morte ERIPUIT NOS AB IRA VENTURA, liberans nos a pœna damnationis æternæ impiis & infidelibus ſuperventura: & in iudicio nos plene liberaturus ab omni miſeria, perſecutione & afflictione, quando corona æternæ gloriæ nos donabit.

(a) Actor. xv. 40.
(b) Baron. anno Chriſti 653.
(c) Act. x. 44.
(d) Rom. xiv. 5.
(e) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. Canon. 34. & Matt. ix. 31.

GORDONI.

Verſ. 1. 2. & 3. SIlvanus iſte eſt ille Sila q ſecum duxit Paulus, Act. xv. 40. in illo digreſſu a Barnaba. Vide Theſſal. II. cap. 1. 1. Orditur hic verſ. 2. a congratulatione, præmiſſa ſalutatione, & actione gratiarum Deo pro collatis beneficiis in Theſſalonicenſes. Recte verſ. 3. vocat opus fidei: nam iuſtorum fides eſt operatrix: non eſt otioſa fiducia Novatorum. *Suſtinentia* SPEI eſt tolerantia moleſtiarum & perſecutionis ob ſpem vitæ æternæ. At quo ſenſu caritas, labor & ſpes dicuntur Domini noſtri Ieſu Chriſti? Certe quia ab eo ſunt per eius gratiam: vel quia ſunt in eius gloriam.

V. 4. SCIENTES. Ut de fide & conſtantia tota epiſtola, ita hic ſpeciatim de electione gratulatur; quaſi diceret: Quando tales extitiſtis, ex tanta fide operatrice, ſpe & tolerantia (quæ ſunt divini favoris ſigna peculiaria) optime colligi poteſt vos ſpeciali favore eſſe electos ad gratiam iuſtificantem: ſunt enim hæc externa internæ gratiæ ſigna, ad quam ſi ſequatur perſeverantia, non poterit deeſſe electio ad gloriam. At quid illud *τὸ ſcientes?* id eſt, Ego Paulus ago gratias Deo, qui memor laboris & ſuſtinentiæ veſtræ, inde videor colligere veſtram electionem & iuſtitiam: immo ideo etiam vel magis hoc colligo de vobis, quod videam Deum ſpeciali modo gratiæ & miraculis adſuiſſe mihi annuncianti vobis fidem. Quod autem, ait Paulus, ſe ſcire electionem; non certe certa ſcientia, non Phyſica evidentia, non fide: ſed ſignis multum probabilibus, ut dictum eſt. Nihil dico de revelatione.

V. 6. ET VOS IMITATORES. Alia etiam ratio eſt ab effectu, qui in vobis bene reſpondebat meo conatui, & tam feliciter, ut facti ſitis exemplo ad meliorem vitam aliis per Græciam, cum quadam *πληροφορία*, ut eſt in Græco.

V. 8. & 9. A VOBIS ENIM. Explicat magis quod dixit verſ. 5. & 6. In tanta plenitudine, ut iam notiſſima ſit fides veſtra & conſtantia. Ipſi enim (verſ. 9.) qui audierunt, annunciant, qualem introitum, progreſſum & exitum habuerim apud vos; & demum quam laudabilis ſit veſtra converſio.

CA.

Digitized by Google

CAPUT II.

Oſtendit quam ſincerum ſe exhibuerit in prædicando ipſis Evangelio, gratias Deo agens quod ſuſceptum Dei verbum ſedulo ſervaverint, paſſi multa a contribulibus ſicut eccleſiæ Iudææ a Iudæis, qui una cum Chriſto etiam pios omnes perſequuntur: declarat etiam quam ardentem gerat erga ipſos affectum.

1. NAm ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit: 2. Sed ante paſſi, & (*a*) contumeliis affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa ſolicitudine. 3. Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo, 4. ſed ſicut probati ſumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium: ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. 5. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neque in occaſione avaritiæ: Deus teſtis eſt: 6. nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. 7. * Cum poſſemus vobis oneri eſſe ut Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos. 8. Ita deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam cariſſimi nobis facti eſtis. 9. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri, & fatigationis: (*b*) nocte ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. 10. Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte, & iuſte, & ſine querela, vobis, qui credidiſtis, fuimus: 11. ſicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrum (ſicut pater filios ſuos) 12. deprecantes vos & conſolantes: teſtificati ſumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam. 13. Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui crediſtis: 14. vos enim imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Iudæis: 15. qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur, 16. prohibentes nos Gentibus loqui ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: * pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem. 17. Nos autem fratres deſolati a vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundantius feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio: 18. quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum, ſed impedivit nos ſatanas. 19. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum

Digitized by Google

Ieſum Chriſtum eſtis in adventu eius? 20. vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

(a) Act. xvi. 19. (b) Act. xx. 34. I. Cor. iv. 12. I. Theſſ. iii. 8.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 7. Cum poſſemus vobis oneri eſſe. Nec auferendum eſt pronomen *vobis*, nec neutrum nomen *oneri* facile commutandum cum maſculino *honori*.

Ibidem. *Sed facti ſumus parvuli*. Interpres vertit *parvuli*, quod alii *lenes*.

Verſ. 16. Pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem. Correctores prætulerunt *pervenit*, τῷ *prævenit*, quod eſt, ante venit.

Notationes.

Verſ. 7. C*Um poſſemus oneri vobis* (MS. q.] *eſſe*, *ut* [*&* o. :) *Chriſti Apoſtoli*; *ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum*, *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos*. Græci, & Syriaci codices omittunt quod in initio huius verſus legitur pronomen *vobis*. Conſentit Latinus commentarius, qui Ambroſii nomine exſtat, conſonantque quatuor noſtra Latina ſcripta, Mal. ma. So. la. T. L. antiqua illa admodum, ſed non perinde noſtræ editionis ſtudioſa. Scriptum G. littera inſignitum pro eo quod ſequitur *oneri*, atque eſt in pleriſque Latinis libris, tractaturque ab Enarratoribus Hieronymiaſtro, Primaſio, Auctore Gloſſæ, Lombardo, Anſelmo, Thoma, Carenſi, Lyrano, Gorrano, Brunone, diſerte ſcribit *honori*. Multa ſic habent *oneri*, ut facile una mutata litterula poſſit eſſe *honori*; nempe cum adſpiratione ſcribunt *honeri*. Ambroſiaſter *honori* expreſſe legit. Dionyſius Richelius poſt *oneri* explicat, prius *honori* vel legit, vel ſane intelligit. Græce eſt *δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι*: id quod tam in hunc, quam in alterum ſenſum verti poſſe, cum verſiones ac ſcholia Latinorum plurimorum, tum Græcorum commentaria docent. *Cum poſſemus in auctoritate eſſe* vertit præter alios Pagninus. Syra habent eundem ſenſum. Exiſtimant autem hunc intelligendi modum quadrare aptius tum propter id quod proxime antecedit: *Nec quærentes ab hominibus gloriam*, *neque a vobis*, *neque ab aliis*; tum propter id quod ſubſequitur: *Sed facti ſumus parvuli in medio veſtrum*, *tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos*. Malint vero hic *lenes* legi, *mites* aut *placidi* quam *parvuli* præſertim propter ſubiunctam nutricis comparationem. Duo Pariſienſium Latina ſcripta Ge. o. l. *lenes* legunt conformiter Græcis pleriſque codicibus, qui ἤπιοι habent. Omnia porro noſtra Latina exemplaria, Latinis enarratoribus adſtipulantibus, *parvuli* ſcribunt, quarto & nono Pariſienſium exemplaribus quæ νήπιοι legunt, ſimiliter ut omittam quod & ἤπιοι *parvuli* reddi poſſit; ſitque parvula nutrix parvulo; ut egregie explicant, quæ apud Hieronymum ſunt ſcholia, dum ſe parvulo coæquat, illiuſque moribus adſimilat. Inter Græcos Tractatores Chryſoſtomus ἤπιοι; Oecumenius νήπιοι habet, Theophylactus utrumque attingit. Varietati occaſionem dedit affinitas dictionum ἤπιοι, & νήπιοι maxime præcedente verbo in ν deſinente ἐγενήθημεν, quod eſt *facti ſumus*. Syri tranſtulerunt *humiles*.

V. 16. Prævenit enim (*autem* 9. MS. O.) *ira Dei* (G.) *ſuper illos uſque in finem*. Hentenius, & Zegerus *prævenit* caſtigarunt: ea eſt enim multorum, & quidem antiquorum codicum lectio; itaque vetus Ambroſiaſter, atque inter poſteriores Anſelmus legit. Alii codices *pervenit* habent; id quod Hieronymus Scholiaſtes ſecutus videtur. Haymo, Auctor Gloſſæ, Lombardus, Carenſis, & Gorranus utrumque ediſſerunt; Græca vox ἔφθασε utrovis modo vertatur recte. Syri *pervenit*, alii *prævenit* tranſtulerunt.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. INANIS, id eſt inefficax & ſine fructu.

V. 2. FIDUCIAM HABUIMUS: ἐπαῤῥησιασάμεθα, intrepide auſi ſumus etiam ſic miſere Philippis affecti, apud vos evangelium prædicare in multa ſolicitudine, Gr. ἀγῶνι, id eſt cum multo periculo & multa anxietate & ſolicitudine, nam ἀγῶν ἀντὶ τῆς ἀγωνίας ſumitur, id eſt pro agonia, hoc eſt, anxietate & ſolicitudine.

V. 3. EXHORTATIO, id eſt prædicatio NOSTRA NON *erat* DE ERRORE, id eſt falſa doctrina, aut per impoſturam, quaſi vos per eam fallere vellemus, NEQUE DE IMMUNDITIA, id eſt de immunda veneficorum & maleficorum doctrina, NEQUE IN DOLO, id eſt doloſa, ſed ſicut probati ſumus a Deo, id eſt ſicut ille nos approbavit, & dignos duxit quibus evangelica prædicatio crederetur & committeretur; ita ſecundum eum prædicamus, non ut hominibus, ſed illi qui corda noſtra & mentem novit, placeamus.

V. 5. IN SERMONE ADULATIONIS, id eſt vobis adulatoriis verbis uſi non ſumus, ipſi ſcitis, NEQUE IN OCCASIONE AVARITIAE, id eſt neque prædicando avaritiam ullam prætendimus aut prætexuimus, & quia animum Deus unus novit, ſubdit, Deus teſtis eſt.

V. 7. CUM POSSEMUS VOBIS ONERI ESSE. Græce, ἐν βάρει εἶναι; id eſt, vel quum poſſemus gravitatem inter vos, & auctoritatem vendicare tamquam Chriſti Apoſtoli, vel quum poſſemus oneri vobis eſſe in accipiendis ſumptibus & alimentis. Utroque enim modo graeci explicant, ſed præſtat prima expoſitio, vel intelligamus noluiſſe imperioſum dominium illos exercere, ob id quod ſequitur: SED FACTI SUMUS, &c. quidam græci codices habent νήπιοι, id eſt *parvuli*: quidam, & Hiſpanica biblia ἤπιοι, id eſt *mites* ac manſueti; & quum præcedat, ἐγενήθημεν, factum puto ut illud μ, finale iunctum ſit τῷ ἤπιοι; quamquam non admodum refert, quoad ſenſum, modo intelligamus parvulos, mites & manſuetos, quales eſſe ſolent pueri, licet propter metaphoram nutricis minus quadrat verbum parvulorum, quum ſe hic nutricem faciat, ut ſit ſenſus: Quum vendicare auctoritatem inter vos poſſemus & imperioſos agere, noluimus, ſed ἤπιοι, id eſt blandi ac benevoli facti ſumus: quomodo ſolet eſſe erga filios ſuos quos alit ac fovet.

DESIDERANTES, ὁμειρόμενοι, id eſt deſiderio flagrantes veſtri, vel ἱμειρόμενοι, id eſt vobis coniunctiſſimi, ut legit codex Dionyſianus.

V. 12. TESTIFICATI SUMUS, id eſt obteſtati ſumus unumquemque veſtrum, ut ambularetis digne Deo, id eſt ut Dei filios par eſt. *Auditus Dei*, id eſt fidei.

V. 14. CONTRIBULIBUS, id eſt affinibus veſtris.

UT SALVI FIANT, ſcilicet gentiles, id eſt inhibentes evangelii prædicationem, ne ſalvæ fiant gentes.

V. 16. UT IMPLEANT PECCATA SUA SEMPER, id eſt ut peccata ſua ſemper augeant & gravius ac gravius delinquant ſicut Chriſtus illis dicit Matth. XXIII. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*; id eſt, & hoc quoque quod cogitatis, ſcilicet necem meam adiicite ad patrum veſtrorum peccata: nunc Paulus ait, *ut impleant peccata*, id eſt ut ſeipſis evadant ſemper deteriores. Oecumenius interpretatur, ut peccata ſua augeant, quaſi ipſi peccare inſtituerint ſemper, & hunc ſibi ſcopum præſtituerint. Si enim, inquit, utile eſt ad fidem gentes accedere, cur non & ipſi accedunt? ſin momenti nullius eſſe putant, cur accedentibus invident? vides ergo quo pacto voluntarie ac de induſtria peccant, ac nihil non faciunt ut peccata ſua impleant, hoc eſt ea gratia, ne quando a peccatis recedant: & propter hoc inquit, *pervenit in illos ira Dei uſque in finem*.

V. 17. DESOLATI: ἀπορφανισθέντες, id eſt orbati vobis, ut ſequatur metaphoram patris, de quo prædixit, ſicut pater filios. Nam orbus pater & mater dicuntur qui liberis carent. Nos ergo, inquit, ad modicum tempus (hoc enim ſignificat tempus horæ, ſcilicet vel ad unius horæ tempus) vobis orbi, id eſt quum vel breve

tempus abeſſemus a vobis, ac vobis ipſo aſpectu ac præſentia non corde orbi eſſemus, ſtuduimus vos inviſere, ſed impedivit nos ſatanas; vos enim ſpes noſtra eſtis & corona gloriæ noſtræ, quia ob egregias veſtras virtutes glorioſe coronari ſperamus, & gaudium noſtrum in die adventus Domini.

S A.

Verſ. 1. INANIS, id eſt inutilis, ſeu fructu vacuus.

V. 2. IN MULTA, pro, cum multa. SOLICITUDINE, id eſt cura, ſeu diligentia. Græc. *certamine*, ſeu *labore*.

V. 3. ERRORE, id eſt rebus falſis.

V. 4. PROBATI, id eſt approbati. PROBAT, id eſt explorat.

V. 7. ONERI, ſcilicet ſumptuum. PARVULI. Græc. ἤπιοι, id eſt *lenes*, placidi, mites: videtur legiſſe νήπιοι, quamquam & ἤπιος *parvulum* etiam ſignificat.

V. 10. SINE QUERELA, id eſt irreprehenſibiliter. VOBIS, id eſt apud vos.

V. 12. DEPRECANTES. Verti poterat, *exhortantes*. TESTIFICATI; pro teſtati, vel obteſtati.

V. 13. AUDITUS DEI, id eſt prædicationis de Deo.

V. 14. IN CHRISTO, id eſt Chriſtianæ.

V. 16. UT IMPLEANT; quaſi dicat, Per gentes implere. USQUE IN FINEM, id eſt perpetuo; quaſi dicat, Sunt enim e numero reproborum.

V. 17. DESOLATI A VOBIS, id eſt orbati vobis. HORAE, id eſt breve. ABUNDANTIUS FESTINAVIMUS, id eſt vehementius ſtuduimus.

V. 18. QUONIAM; pro, nam.

V. 19. SPES, id eſt materia ſpei. IN ADVENTU EIUS, id eſt cum venerit ad iudicium.

V. 20. GLORIA, id eſt materia gloriæ, ſeu gloriationis.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. NON INANIS, id eſt inefficax & ſine fructu fuit noſter ad vos introitus.

V. 2. FIDUCIAM HABUIMUS. Græc. *intrepide auſi ſumus*. Sic quamvis Philippis male habiti, vobis evangelizare. IN MULTA SOLICITUDINE. Ἀγῶνι pro ἀγωνίᾳ, quæ vox *ſolicitudinem* ſignificat & *anxietatem*.

V. 3. EXHORTATIO noſtra, id eſt prædicatio. NON DE ERRORE, id eſt falſa doctrina. NEQUE DE IMMUNDITIA, id eſt re turpi, qua alliciuntur homines. NEQUE IN DOLO, id eſt doloſa, ſed ſincera fuit.

V. 5. NEQUE IN OCCASIONE AVARITIAE. Non captavimus lucrum. Et quoniam interna Deus novit, addit: DEUS TESTIS EST.

V. 7. ONERI ESSE: ἐν βάρει. Ambroſius, *cum poſſemus honori eſſe*, id eſt graves nos oſtendere: βάρος utrumque ſignificat. Sed cum poſſemus eſſe oneri, alimenta exigendo; aut honorem captare, graves nos oſtendentes; FACTI SUMUS PARVULI. Gr. ἤπιοι, id eſt *lenes*, ut multi Latini codices legunt. Sed & Robertus & Veleſius codices Græcos afferunt, qui νήπιοι habent, id eſt *parvuli*, id eſt humiles, lenes. TAMQUAM; pro, *& tamquam ſi nutrix*, ut ſuppler Syr. & ſit nova comparatio: alioqui quid *nutrici* cum *parvulo*, niſi *lenes* legamus, qualis eſt nutrix erga ſuos infantes.

V. 8. ITA DESIDERANTES VOS, id eſt ob amorem veſtri.

V. 12. TESTIFICATI SUMUS, id eſt obteſtati ſumus. UT AMBULARETIS DIGNE DEO, id eſt ut decet Dei filios.

V. 13. VERBUM AUDITUS DEI, id eſt fidei. ACCEPISTIS ILLUD. Græce non eſt *illud*, nec Gotth. & ſine illo conſtat ſententia. VERBUM DEI, prout verbum Dei QUI OPERATUR IN VOBIS, qui Deus fructificat in vobis. Syr. *quod* (ſcilicet verbum) *perficitur in vobis*. Quam interpretationem Græca admittunt.

V. 14. A CONTRIBULIBUS VESTRIS, id eſt cognatis & gente veſtra eadem paſſi eſtis, quæ a Iudæis alii.

V. 15. QUI ET DOMINUM OCCIDERUNT IESUM. Iudæi Chriſtum occiderunt. ET OMNIBUS HOMINIBUS ADVERSANTUR, ſcilicet fidelibus, aut Gentibus, propter id quod mox ſequitur. PROHIBENTES gentes docere,

V. 16. UT IMPLEANT PECCATA, id eſt menſuram, quam Deus præfixit ſuæ patientiæ. Aut menſuram patrum ſuorum. Matth. XXIII. 32. ſint ſimiles eis. PERVENIT ENIM IRA DEI: ſic lege, non *prævenit*, ut multi codices habent. USQUE

IN-

Digitized by Google

IN FINEM, id eſt perpetuo, vel *uſque ad ſummum*, ut Syr. & iram Dei vocat excæcationem, aut excidium Ieruſalem, quod inſtabat. Nos autem

V. 17. DESOLATI. Græc. *orbati vobis*. AD TEMPUS HORAE, id eſt breve tempus. Quæ eſt noſtra

V. 19. CORONA GLORIAE? quaſi dicat, Non magis veſtri oblivisci poſſum, quam meæ gloriæ.

V. 20. GLORIA NOSTRA VOS, ob veſtras virtutes, in die iudicii gloriabor ſimul & gaudebo.

MENOCHII.

Verſ. 1. INTROITUM NOSTRUM AD VOS: noſtrum adventum ad vos. INANIS: ſine fructu.

V. 2. PASSI, id eſt malis afflicti; alludit ad hiſtoriam quam habemus Act. XVI. 12. & ſequentibus. FIDUCIAM HABUIMUS: dicendi libertate uſi ſumus; hoc enim eſt παῤῥησιάζειν. IN DEO NOSTRO: Deo confidentes. LOQUI AD VOS: auſi ſumus vobis annunciare, & prædicare Evangelium Chriſti. IN MULTA SOLICITUDINE: ἐν πολλῷ ἀγῶνι, id eſt in multo agone, lucta, certamine, & conſequenter ſolicitudine.

V. 3. EXHORTATIO NOSTRA: prædicatio noſtra. NON DE ERRORE: non fuit errorea, non prædicavi vobis falſa dogmata, ut faciunt Philoſophi, & Gentium doctores. NEQUE DE IMMUNDITIA: non docui doctrinas carnis deſideriis faventes, & immunditus impuritatique luxuriæ, ſed eloquia Domini, eloquia caſta. NEQUE IN DOLO: cum hypocriſi, aut mea lucra captando, & vos falſis dogmatibus circumveniendo.

V. 4. SED SICUT PROBATI SUMUS A DEO: non tradidi vobis falſas doctrinas, nec vos ullo modo decepi, ſed ita me geſſi, ut decet Apoſtolum a Deo electum, & probatum, ut ſit Evangelii prædicator. ITA UT LOQUIMUR: ſcilicet cum omni fide, ſinceritate & integritate Evangelium prædicamus. PLACENTES, id eſt placere cupientes. QUI PROBAT CORDA NOSTRA, id eſt expendit, & explorat intentionem, deſideria, & quicquid in animo noſtro latet.

V. 5. NEQUE ENIM ALIQUANDO FUIMUS IN SERMONE ADULATIONIS; id eſt, numquam ſtudium nobis fuit vobis aſſentari, non ſumus vobis locuti placentia, ſed utilia.

V. 6. NEQUE IN OCCASIONE AVARITIAE: non ſum uſus ad avaritiam prædicatione Evangelii.

V. 7. ONERI ESSE: a vobis ſumptus exigendo, & alimenta. In Græco eſt, ἐν βάρει εἶναι; quaſi dicat, *In pondere*, & auctoritate eſſe. Italice reſpondet phraſi, *Metterſi in gravità*. SED, id eſt tamen. FACTI SUMUS PARVULI: ἤπιοι, lenes, placidi, humani, minime faſtuoſi. Vulgatus legit νήπιοι, ſed utraque lectio eundem ſenſum exhibere poteſt: Factus ſum mitis, & lenis, quaſi parvulus. TAMQUAM SI NUTRIX FOVEAT FILIOS SUOS, id eſt more matris prolem nutrientis, blandiens, non imperans.

V. 8. ITA DESIDERANTES VOS: adeo affectu in vos propenſi. ANIMAS NOSTRAS: vitam noſtram.

V. 9. LABORIS NOSTRI, ET FATIGATIONIS: laborem manuum intelligit victus quærendi gratia, ut patet ex ſequentibus. FATIGATIONIS. In Græco eſt, μόχθο, quæ vox laborem cum difficultate coniunctum ſignificat, ex quo apparet Paulum omnem adhibuiſſe conatum, ut ſuo ſumptu viveret, nec ullis eſſet gravis.

V. 10. ET DEUS; immo & Deum ipſum teſtem advoco. FUIMUS, id eſt verſati ſumus vobiſcum.

V. 12. TESTIFICATI SUMUS: teſtificari ſignificat ſerio ac firmis rationibus probare, ſemota aſſentatione, & verborum elegantia. DIGNE DEO: ut decet cultores, ac ſervos Dei. IN SUUM REGNUM: vocavit nos ad Eccleſiam ſuam, ut etiam adducat ad regnum cælorum.

V. 13. VERBUM AUDITUS DEI, id eſt prædicationis de Deo. QUI. *Quod verbum*. Latinus interpres dixit, *Qui*, quia λόγος, *verbum*, in Græco eſt maſculini generis. Vel etiam putavit referendum ad vocem Dei. OPERATUR IN VOBIS QUI CREDIDISTIS: velut ſemen quoddam fructiferum omne genus producit piarum actionum.

V. 14. QUAE SUNT IN IUDAEA IN CHRISTO IESU, id eſt quæ in Iudæa Chriſto nomen dederunt.

V. 15. QUI; ſcilicet. Iudæi. ET DEO NON PLACENT: immo maxime diſplicent: eſt mioſis, minus enim dicitur, quam

quam ſignificatur. OMNIBUS HOMINIBUS ADVERSANTUR, id eſt omnium ſaluti.

V. 16. GENTIBUS LOQUI, id eſt Evangelium prædicare. UT IMPLEANT PECCATA SUA SEMPER: ex quo fit ut impleant peccata ſua, id eſt ut cumulo ſcelerum propriorum, & parentum etiam ſuorum hoc adiiciant. USQUE IN FINEM, id eſt uſque in æternum permanſura.

V. 17. DESOLATI A VOBIS: vobis orbati. AD TEMPUS HORAE: ad breve tempus. ASPECTU, NON CORDE: præſentia veſtra corporis carentes, animo tamen, & affectu vobis proximi. ABUNDANTIUS FESTINAVIMUS, &c. ſedulo operam dedimus, ut ad vos redire poſſemus.

V. 18. IMPEDIVIT NOS SATANAS: quia mali homines inſtigante Satana progreſſum Evangelii impediebant, vel etiam Apoſtolo inſidiabantur.

V. 19. QUAE EST ENIM NOSTRA SPES, &c. Ordo & ſenſus eſt huiuſmodi: Nonne vos eſtis ſpes noſtra, & gaudium noſtrum, & corona gloriæ, coram Domino noſtro Ieſu Chriſto, cum advenerit redditurus unicuique ſecundum opera ſua? CORONA GLORIAE, id eſt decus, & ornamentum noſtrum.

V. 20. VOS ENIM ESTIS GLORIA NOSTRA, ET GAUDIUM: de vobis gloriari poſſum, & lætari.

T I R I N I.

Verſ. 2. CONTUMELIIS AFFECTI, immo flagellis cæſi, PHILIPPIS *a*, FIDUCIAM HABUIMUS; græce, ἐπαῤῥησιασάμεθα, id eſt *libertatem* & audaciam inde *hauſimus*, *loquendi* AD VOS EVANGELIUM, etſi cum MULTA SOLICITUDINE; græc. ἀγῶνι, id eſt lucta, certamine *b*.

V. 3. EXHORTATIO, ſeu doctrina, NOSTRA NON fuit DE ERRORE aliquo vel falſitate, ut ſunt multa dogmata Philoſophorum: NEQUE DE IMMUNDITIA aut ſordibus carnalibus, ut ſunt dogmata Simonis Magi, Cerinthi & ſimilium tenebrionum *c*: NEQUE IN DOLO, id eſt cum fraude; hypocriſi, ſimulatione, ut faciunt pſeudo-Apoſtoli, non vos, ſed veſtra venantes.

V. 4. SED ſic in omnibus nos geſſimus, SICUT PROBATI SUMUS A DEO, id eſt ut decet Evangelii præcones a Deo ad id munus electos, probatos, miſſos, QUI PROBAT, id eſt explorat & intime perſpecta habet, CORDA NOSTRA; noſtrumque ſcopum, intentionem, & quidquid animo latet.

V. 5. NEQUE FUIMUS IN OCCASIONE AVARITIAE; id eſt, ex prædicatione Evangelii non captavimus occaſionem nos avare ditandi: ita Theophylactus.

V. 7. CUM iure POSSEMUS VOBIS ONERI ESSE, alimenta & ſumptus neceſſarios exigendo, UT exigunt alii APOSTOLI. Sed noluimus noſtro iure & auctoritate uti, SED FACTI SUMUS PARVULI. Græce ἤπιοι, id eſt lenes, placidi, demiſſi tam quam parvuli, non imperantes more herili, ſed inſtar matris proles ſuas blandiſſime foventis.

V. 12. TESTIFICATI feriis ac firmis rationibus, itemque obteſtati (ita Theophylactus) UT AMBULARETIS DIGNE DEO, ſeu ut decet cultores & ſervos Dei, QUI VOCAVIT vos opera noſtra IN SUUM REGNUM ET GLORIAM, id eſt in regnum *d* ſuum glorioſum, puta Eccleſiam.

V. 13. ACCEPISTIS VERBUM AUDITUS DEI *e*, ſeu prædicationis de Deo quam audiſtis: QUI Deus OPERATUR & perficit IN VOBIS gratias & beneficia ſua *quæ* per Evangelium, ſeu per Chriſtum, CREDIDISTIS obventura vobis: Anſelmus.

V. 15. OMNIBUS HOMINIBUS, id eſt omnium hominum ſaluti, ADVERSANTUR Iudæi, dum Chriſto ſalvatori, eiuſque Evangelio: & Evangelii præconibus obſtinatiſſime ſeſe opponunt.

V. 16. UT IMPLEANT SEMPER PECCATA SUA, id eſt menſuram peccatorum ſuorum: nam peccatis ſuis antiquis (perſecutioni & occiſioni Prophetarum, adeoque & ipſius Chriſti) nova ſemper peccata (quam hereditaria impietate) accumulant, quod impleverint menſuram peccatorum, quam Deus, antequam puniat, ſtatuit exſpectare, ut tum ſimul omnia & plene puniat; de quo alibi *f*. PERVENIT ENIM IRA DEI in ILLOS USQUE IN FINEM, SUPER eos manſura, id eſt perpetua & implacabilis ira ac vindicta divina iamiam ipſis imminet, deſtinatis certiſſimo decreto Dei vicinæ & æternum *g* duraturæ exciſioni per Veſpaſianum & Titum: Anſelmus & S. Thomas.

V. 17. NOS AUTEM DESOLATI A VOBIS AD TEMPUS HORAE, id eſt brevisſimo tempore

pore orbati veſtro conſpectu, ſed non affectu, ABUNDANTIUS ac ſtudioſius FESTINAVIMUS *vos reviſere:*

V. 18. SED IMPEDIVIT NOS SATANAS, per emiſſarios ſuos nobis inſidiantes, & nos præpedientes.

V. 19. NONNE VOS ESTIS SPES NOSTRA *h*, ET GAUDIUM, ET CORONA GLORIAE *i*; id eſt, glorioſum decus atque ornamentum noſtrum coram Chriſto, maxime cum ad iudicium redierit redditurus unicuique iuxta opera ſua?

(a) Act. xvi. 22.
(b) II. Cor. xi. 23.
(c) Phil. iii. 2.
(d) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 41.
(e) Ibid. n. 46. & Rom. x. 16.
(f) Gen. xv. 16. & Mat. xxiii. 32.
(g) Proleg. ſup. n. 27.
(h) Ibid. n. 46.
(i) Iſaiæ lxii. 3. & Philipp. iv. 1.

GORDONI.

Verſ. 1. PRæfatur ergo introitum ſuum & adventum non fuiſſe ſine fructu. De his contumelioſis Philippenſibus vide Act. cap. xvi. & xvii. Nihil tamen horum certaminum deterruit Paulum a novo iſto agone.

V. 3. & 4. EXHORTATIO NOSTRA: Sanæ quidam doctrinæ. Optimum ſignum eſt vitæ integritas in prædicatore verbi: immo nec dolum, nec immunditiam vidiſtis: SED SICUT PROBATI SUMUS A DEO, & digni æſtimati ad hoc munus; ita ex Deo loquimur, non placentes hominibus, ſed Deo, qui corda videt & probat. Et ſimilia uſque ad verſum 7.

V. 7. Aliud argumentum eſt, quo commendat modum per quem ſunt ad Deum converſi. Potui oneri eſſe exigendo ſumptus, ut faciunt alii Apoſtoli; ſed nec hoc quæſivi; nec auctoritatem ambivi, factus inter vos ſimplicitate ut parvulus; affectu ut mater vel nutrix. Paratus etiam vitam pro veſtra ſalute exponere periculo. De martyrio pro grege ſubeundo alibi.

V. 9. MEMORES. Pergit reliqua referre de modo quo laboravit cum Deo pro eorum ſalute. Meminiſtis, inquit, laboris manuum mearum ad victum quærendum, ne ulli gravis eſſem; & hoc ſine quærela: nunc obteſtans, nunc conſolans tamquam pater, tantum ut in vocatione veſtra placeretis Deo.

V. 13. IDEO ET NOS. Miſcet gratiarum actionem Deo pro inſigni illa vocatione qua effecit ut avide & omni reverentia reciperetis initio verbum Dei, tamquam a Deo miſſum, qui per fidem huius verbi operatur bona in vobis iam credentibus. VERBUM DEI QUI OPERATUR. Aliqui ex Græco (ubi eſt λόγος) referunt τὸ *qui* ad verbum, pro *quod* verbum. Verum noſter interpres recte habet *qui*, & refert Deum, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate. ACCEPISTIS deſignat formale obiectum fidei, eſſe Deum revelantem. Credo enim non quia Angelus dicit, non quia Paulus aut Eccleſia, ſed quia revelat prima veritas, ut ſuo loco docent Theologi.

V. 14. VOS AUTEM; quaſi diceret, Scitis quæ paſſus ſim in hac Dei cauſa, & quid etiam toleraverint aliæ Eccleſiæ. Hoc vos ſolari debet, & animum addere, quod iam imitatores evaſeritis mei & aliarum Eccleſiarum, præſertim in Iudæa pro Chriſto. Quos enim non ſunt in Iudæa perſecuti Chriſtianos, illi qui Deo non placent, prohibentes nos loqui gentibus (verſ. 15.) ut ſalutem conſequantur, ſed quos Dei ira expectat. Reliquum huius capitis eſt de Pauli deſiderio agendi coram cum his ſuis dilectis diſcipulis, erga quos ſingularem caritatis affectum demonſtrat verſ. 19. & quanti eos æſtimet.

V. 17. & 19. NOS AUTEM. Eſt hic aliqua verborum traiectio. Nos (inquit) Ego & Timotheus, orbati veſtro aſpectu, & abſentes non corde, ſed corpore (& proinde deſolati) optavimus ad vos venire. Nec tamen quod ſequitur verſu 19. ſignificat converſionem Theſſalonicenſium, aut ipſos Theſſalonicenſes eſſe obiectum gaudii, quod in cælo expectabat, ut ſciunt Theologi; ſed deſignat ſe per labores ſuos erga Theſſalonicenſes ſperare eſſentialem beatitudinem.

Digitized by Google

C A P U T III.

Metuens ne propter ſuas afflictiones a fide moverentur, miſit ad eos Timotheum, qui ipſos roboraret; illo autem reverſo gratias Deo agit, quod in fide ac dilectione firmi permanſerint; oſtendens quantum cupiat illos inviſere, ut ſuppleat quod deeſt fidei ipſorum.

1. PRopter quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis re-
manere Athenis, ſolis: 2. (*a*) & miſimus Timotheum
fratrem noſtrum, & miniſtrum Dei in Evangelio Chri-
ſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide ve-
ſtra: 3. ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi
enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus. 4. Nam & cum
apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tri-
bulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis. 5. Propterea & ego amplius non
ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram: ne forte tentaverit vos is
qui tentat, & inanis fiat labor noſter. 6. Nunc autem veniente Timotheo
ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem & caritatem veſtram, & quia
memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſiderantes vos videre, ſicut &
nos quoque vos: 7. ideo conſolati ſumus fratres in vobis, in omni neceſ-
ſitate & tribulatione noſtra, per fidem veſtram, 8. quoniam nunc vivimus,
ſi vos ſtatis in Domino. 9. Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo
retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante
Deum noſtrum, 10. nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem
veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ? 11. Ipſe autem Deus
& Pater noſter, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, dirigat viam noſtram
ad vos. 12: Vos autem Dominus multiplicet, * & abundare faciat carita-
tem veſtram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis: 13.
ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate, ante Deum & Pa-
trem noſtrum, in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis
eius. Amen.

(a) Actor. xvi. 1.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 12. *Et abundare faciat caritatem veſtram in invicem*. Non omittas pronomen veſtram.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. PROPTER QUOD. Ad evitandum ſolœciſmum quem commiſit interpres vertendo NON SUSTINENTES, PLACUIT, quum Græca habeant διὸ μηκέτι στέγοντες εὐδοκήσαμεν verti poſſunt: *Quapropter non ferentes amplius* (ſcilicet veſtri deſiderium) *decrevimus remanere Athenis*, *ſoli*; id eſt, quapropter quum ingens veſtri deſiderium amplius ferre non valeremus, placuit nobis remanere Athenis ſolis, & miſimus ad vos Timotheum ad confirmandos vos & exhortandos vel conſolandos: utrumque enim ſignificat Græcum παρακαλέσαι.

V. 3. IN HOC POSITI SUMUS, id eſt ad ferendas afflictiones deſtinati ſumus.

V. 7. CONSOLATI SUMUS; paſſive, id eſt conſolationem habuimus.

V. 8. VIVIMUS SI STATIS IN DOMINO, id eſt nulla tam gravis eſt afflictio, etiam ſi mortis proxima, quam non vitæ loco ducamus, modo conſtanter in fide Domini permaneatis.

V. 12. QUEMADMODUM ET NOS IN VOBIS: per parentheſim legendum, & ſupplendum, *caritate abundavimus*. Eſt enim ſenſus, exuberare vos faciat Dominus mutua caritate in omnes, quemadmodum noſtra erga vos exuberavit caritas, ut confirmentur corda veſtra SINE QUERELA, id eſt irreprehenſibilia in ſanctitate.

S A.

Verſ. 1. SUSTINENTES, id eſt expectantes, vel ferentes, ſcilicet deſiderium ſciendi, quo in ſtatu res veſtræ eſſent: ſic infra.

V. 2. PRO FIDE. *Syr. ſuper fide*, id eſt de fide, vel in fide.

V. 3. IN HOC, id eſt ad patiendum pro Chriſto.

V. 5. INANIS, id eſt irritus.

V. 7. IN VOBIS, id eſt de vobis. PER, id eſt propter.

V. 10. DESUNT, ſcilicet poterant proficere in fide.

V. 12. IN VOBIS, id eſt erga vos, ſcilicet affecti ſumus caritate.

V. 13. AD CONFIRMANDA; pro, & confirmet. AMEN: non eſt Græc. nec Syr.

MARIANAE.

Verſ. 1. NON SUSTINENTES; pro, cum non ſuſtineremus, id eſt non ferremus veſtri deſiderium, placuit nobis.

V. 2. PRO FIDE VESTRA, περὶ, *circa*, ſuper fide veſtra, ut ſcilicet conſtantes ſitis, miſimus Timotheum.

V. 3. IN HOC POSITI SUMUS. Ea lege vivimus, ut pro fide patiamur.

V. 5. INANIS FIAT LABOR NOSTER. Gotth. *veſter*, ſed falſo. Ergo, ne inanis fiat, ſi vos diabolus vicerit, labor in evangelizando vobis; ideo illum miſimus.

V. 7. CONSOLATI SUMUS: paſſive, id eſt conſolationem accepimus. PER FIDEM VESTRAM, id eſt *ob fidem veſtram*: ut Syr. Ea eſt cauſa conſolationis.

V. 8. NUNC VIVIMUS. Vitæ inſtar conſtantia veſtra nobis eſt.

V. 9. ANTE DEUM NOSTRUM, id eſt vere, ſine fictione. Qui abundare faciat

V. 12. CARITATEM VESTRAM. Sic Gotth. & Syr. In Græco deeſt *veſtram*. QUEMADMODUM ET NOS IN VOBIS; pro, *in vos*, ut eſt Græc. ſcilicet affecti ſumus, vos diligentes.

V. 13. AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA. Iunge cum verbis *multiplicet*, & *abundare faciat*.

MENOCHII.

Verſ. 1. NON SUSTINENTES AMPLIUS; id eſt, non amplius ferentes deſiderium cognoſcendi res veſtras, & vobiſcum agendi, miſimus hac de cauſa Timotheum ad vos.

V. 2. MINISTRUM DEI IN EVANGELIO CHRISTI: cuius eſt prædicator. PRO FIDE VESTRA, id eſt in fide veſtra: ut vos in fide confirmaret, & exhortaretur ad perſeverantiam.

Digitized by Google

V. 3. NEMO MOVEATUR: conturbetur, aut inſtabilis fiat. IN TRIBULATIONIBUS ISTIS: perſecutionibus ſcilicet Iudæorum, & Gentium. IN HOC POSITI SUMUS. Syrus, *ad hoc deſtinati ſumus*, nimirum ad ſuſtinendas paſſiones, & tribulationes.

V. 4. ET SCITIS: partim experientia, partim fama, & relatu aliorum.

V. 5. AMPLIUS NON SUSTINENS; ſcilicet deſiderium agnoſcendi fidem, & res veſtras. MISI: Timotheum. IS QUI TENTAT; ſcilicet diabolus. LABOR NOSTER: quem in vobis inſtituendis inſumpſi.

V. 6. VENIENTE TIMOTHEO, &c. id eſt ad nos redeunte. MEMORIAM BONAM: iugem, perpetuam, & cum affectu, & caritate coniunctam.

V. 7. CONSOLATI SUMUS IN VOBIS, &c. tam læta de vobis audientes, ac præſertim conſtantiam in fide, mirifice in tribulationibus quas ſuſtinuimus recreati ſumus.

V. 8. QUONIAM NUNC VIVIMUS, SI VOS STATIS IN DOMINO; quaſi dicat: Licet ad mortem uſque affligamur, tamen dum audivimus veſtram conſtantiam, & fidem quam habetis in Domino, quaſi reviviſcimus, & a mortuis excitamur.

V. 9. QUAM ENIM GRATIARUM ACTIONEM, &c. quaſi dicat: Nullas ſatis dignas, ac tanto beneficio pares gratias Deo reddere poſſumus. PRO VOBIS: qui in fide perſtitiſtis. IN OMNI GAUDIO &c. pro eo præſertim gaudio, quo perfuſi ſumus, dum ea de vobis auribus perciperemus, quæ mente, & animo concepta, aſſidue vobis a Deo precabamur.

V. 10. ABUNDANTER: *ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ*, ad verbum, *ſuper ex abundanti*, eximie, & ſupra modum. ET COMPLEAMUS EA QUAE DESUNT FIDEI VESTRAE: ut ſcilicet vos plenius inſtruamus in fide.

V. 11. DEUS ET PATER NOSTER: Deus, qui pater noſter eſt. DIRIGAT VIAM NOSTRAM AD VOS: nobis tribuat ut proſpere ad vos venire poſſimus.

V. 12. MULTIPLICET: augendo fidelium numerum. QUEMADMODUM ET NOS IN VOBIS: quemadmodum ego caritate abundo erga vos omnes, ut qui etiam paratus ſum mori pro veſtra ſalute.

V. 13. AD CONFIRMANDA CORDA VESTRA; quaſi dicat: Deus abundare faciat caritatem in vobis ad hoc, ut confirmet corda veſtra. SINE QUERELA IN SANCTITATE, ut ſcilicet ita in ſanctitate confirmata ſint, ut nemo habeat quod in vobis obiiciat, aut de quo conqueratur. ANTE DEUM, ET PATREM NOSTRUM: & tales vere ſitis in Dei conſpectu, quem nihil poteſt latere. IN ADVENTU DOMINI NOSTRI, &c. quamdiu expectamus adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum omnibus ſanctitas non ad breve tempus duret, ſed uſque ad extremum ſpiritum. AMEN: ita fiat.

T I R I N I.

Verſ. 1. NON AMPLIUS SUSTINENTES carere diutius certis nos nuntiis de ſtatu veſtro, vos autem deſtitui præſenti auxilio ſpirituali,

V. 2. MISIMUS TIMOTHEUM Athenis a AD VOS EXHORTANDOS PRO FIDE VESTRA conſtanter retinenda, & in opus deducenda: ita Theophylactus.

V. 3. IN HOC, id eſt ad afflictiones & tribulationes exhauriendas POSITI ac deſtinati SUMUS a *Deo*: ita Hieronymus. Sed licet ad mortem uſque affligamur, abunde tamen

V. 8. VIVIMUS, SI VOS STATIS IN DOMINO; id eſt, ſi vos cariſſimi nobis filii in ſuſcepta fide ac virtute conſtanter perſeveratis. Et vero

V. 9. & 10. QUAM GRATIARUM ACTIONEM ſat dignam, ac tanto beneficio parem POSSUMUS DEO *reddere* PRO VOBIS qui iam generoſe in bene cœptis hucuſque perſiſtitis? ac præſertim pro OMNI GAUDIO, QUO perfuſi ſumus occaſione veſtri, comperto, quod quæ optabamus, & aſſidue vobis a Deo depoſcebamus UT adventu noſtro ad vos complerentur EA QUAE deerant FIDEI & inſtructioni VESTRAE, per Timotheum iam in vobis perfecte ſint completa.

V. 12. NOS IN VOBIS, id eſt erga vos, *caritate abundamus*, ſimili modo optamus, CARITATEM VESTRAM erga vos INVICEM ABUNDARE,

V. 13. AD CONFIRMANDA, ſeu ut hac confirmentur, roborentur, ſtabiliantur magis ac magis, CORDA VESTRA IN omni virtute ac SANCTITATE, SINE QUERELA; id eſt,

Digitized by Google

eſt, ut nemo habeat quod de vobis queri poſſit, non ſolum coram hominibus, ſed & ANTE DEUM, ſeu in conſpectu Dei, quem nihil poteſt latere. *Sanctitate*, inquam, non brevi, non momentanea, non caduca; ſed ſolida, ſtabili, firma, quæque duret inconcuſſa uſque ad extremum ſpiritum, ſeu uſque ad CHRISTI *adventum* CUM OMNIBUS SANCTIS EIUS ad extremum iudicium: ita S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Anſelmus.

(a) Actor. XVII. 15.

GORDONI.

Verſ. 1. NArrat cauſam ſubſtituti ad hanc legationem Timothei, ne ſcilicet audita in Paulum perſecutione minus ferventes redderentur in fide. Quando, inquit (quod prædixi vobis) in hoc poſiti ſumus ad ſuſtinendas tribulationes, ideo amplius non diſtuli (verſ. 5.) deſiderium cognoſcendi aliquid de veſtra in fide conſtantia. Hæc de miſſo Athenis Timotheo, reditu eius Corinthum ad Paulum, & de hac mox ſcripta epiſtola, inciderunt fere in annum Chriſti 52.

V. 7. 9. & 10. Narrat quam abundantem acceperit conſolationem, audiens de Theſſalonicenſium fide, adeo ut ex vi tribulationum pene mortuus; ex hoc gaudio, inquit, reviviſcam. Ad hæc addit verſ. 10. deſiderium iterum eos videndi, ut perficiat quæ fidei illorum deſunt; hoc eſt, ut magis eos perficiat, & plenius doceat. Non ergo fide carebant, ſed inſtructione pleniore circa materialia fidei obiecta, ut loquuntur Theologi.

V. 11. &c. Concludens precatur a Deo ſuum ad Theſſalonicenſes reditum; ut augeat numerum fidelium; ut abundent in caritate, & firmentur ſic eorum corda in ſanctitate, ſine querela coram Deo, & in adventu Chriſti ſecundo. Sic paucis memorat, quæ bene percepta magnam habent vim exhortationis ad ſanctitatem.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Hortatur ut tradita ſibi præcepta obſervent, abſtinentes a fornicatione, ac ſe mutuo diligentes, manibuſque operantes, quo nullius quidquam deſiderare cogantur: docet modum noſtræ reſurrectionis, ne inordinata triſtitia ſe crucient propter eos qui moriuntur.

1. DE cetero ergo fratres, rogamus vos, & obſecramus in
Domino Ieſu, ut quemadmodum accepiſtis a nobis,
quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, *
ſic & ambuletis, ut abundetis magis. 2. Scitis enim
quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. 3.
(a) Hæc eſt enim voluntas Dei: ſanctificatio veſtra:
ut abſtineatis vos a fornicatione, 4. ut ſciat unuſquiſ-
que veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, 5. non in
paſſione deſiderii, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum: 6. & nequis ſuper-
grediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex
eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus:
7. non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.
8. * Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam
dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. 9. De caritate autem fraternitatis
non neceſſe habemus ſcribere vobis: (b) ipſi enim vos a Deo didiciſtis
ut diligatis invicem. 10. Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa
Macedonia. Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis, 11. & operam
detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus
veſtris, ſicut præcepimus vobis: & ut honeſte ambuletis ad eos qui foris
ſunt: & nullius aliquid deſideretis. 12. Nolumus autem vos ignorare fra-
tres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non
habent. 13. Si enim credimus quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita
& Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. 14. Hoc enim
vobis dicimus in verbo Domini, (c) quia nos, qui vivimus, * qui reſidui
ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. 15.
Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Arcangeli, & in tuba Dei de-
ſcendet de cælo: & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. 16. De-
inde nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nu-
bibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. 17. Ita-
que conſolamini invicem in verbis iſtis.

(a) Rom. xii. 2. (b) Ioan. xiii. 34. & xv. 17. Ioan. ii. 10. & iv. 13. (c) I. Cor. xv. 23.

BRU.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Sic & ambuletis*. Alii ſcribunt *ſicut & ambulatis*.

Verſ. 8. *Itaque qui hæc ſpernit*. Non eſt omittendum pronomen *hæc*.

Verſ. 14. *Qui reſidui ſumus in adventum Domini*. Non eſt mutandus accuſativus in ablativum *adventu*.

NOTATIO.

Verſ. 1. O*Bſecramus in Domino Ieſu, ut quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſicut & ambulatis, ut* (*&* 3. MS.) *abundetis magis*. Multi codices *ſic & ambuletis* legunt cum Auctore Gloſſæ, Carenſi, Thoma, & Gorran, alii atque inter eos præſtantiores *ſicut & ambulatis* cum Haymone, & Brunone Carthuſiano (*a*) (quamquam hoc pacto ſuperfluat id quod priori loco Græce non eſt, *ut* alterum) quomodo & Græcum Pariſienſium exemplar, ϰ, ſcribit: καθὼς ϰ περιπατεῖτε. Atqui particula iſta in pleriſque omnibus Græcis exemplaribus, Græcis Interpretibus, Syriſque ſuffragantibus omnino non invenitur. Quamobrem explicandæ ſententiæ gratia quidam olim adiectam putant.

(*a*) Lombardus, & Anſelmus utramque explicant lectionem.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 5. IN PASSIONE DESIDERII, id eſt affectionibus concupiſcentiarum.

V. 6. NE QUIS SUPERGREDIATUR. Gr. μὴ, ὑπερβαίνειν, id eſt ne ſuppediter, vi ac violentia opprimat, NEQUE CIRCUMVENIAT: Græc. μὴ πλεονεκτεῖν, id eſt fraude aliquid ab illo extorqueat.

V. 11. AD EOS QUI FORIS SUNT, id eſt inter fideles. NULLIUS ALIQUID DESIDERETIS. Græci habent, μηδὲν μηδενὸς χρείαν ἔχητε; id eſt, facite ut rei nullius indigcatis, nec ſtipem petere neceſſe habeatis.

V. 12. DE DORMIENTIBUS, id eſt mortuis; nam & dormio, & κοιμάομαι Græce pro mori ſumuntur, unde κοιμητήριον ad verbum *dormitorium*, locus in quo corpora mortuorum ſepulta ſunt, Latini in ſuam prope familiam aſciverunt, cœmeterium appellantes.

V. 14. IN VERBO DOMINI; quaſi diceret: Non noſtra hæc eſt quam dicturi nunc ſumus, ſed Dei ſententia. NON PRAEVENIEMUS EOS: ſcilicet translatione ad gloriam: quoniam & qui antea mortui ſunt & ſi qui tunc vivi reperientur, una obviam Chriſto prodibunt gloriandi.

V. 15. IN TUBA DEI. Tuba Dei Photius tropice interpretatur angelicas virtutes inferiores, quarum miniſterio uſurus eſt in reſurrectione Chriſtus, etſi per ſe id poteſt.

MORTUI QUI IN CHRISTO SUNT; id eſt, qui olim in Chriſto mortui ſunt, primi reſurgent, non tempore, ſed dignitate & merito, reſpectu damnatorum. Deinde nos qui vivimus (in perſona eorum loquitur qui tunc vivent) una cum olim iam mortuis rapiemur in nubibus obviam Domino, & ſic ſemper cum Domino erimus. Contentio hoc loco eſt inter doctores ſanctos, quibuſdam dicentibus quod ſine morte tranſibunt ad gloriam: aliis, quod in ipſo raptu ſubitanea morte morientur, a qua ſine ulla corporis corruptione tranſibunt ad gloriam, cui etiam opinioni Græci quidam accedunt, ut videbis I. ad Corinth. XV. 21.

S A.

Verſ. 1. OBSECRAMUS. Verti poterat, *hortamur*. IN DOMINO, id eſt Domini nomine.

V. 2. PRO DOMINUM, id eſt loco Domini.

V. 4. VAS, id eſt corpus: Auguſt. III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

cont. 2. ep. Pelag. uxorem intelligit. Honore, id eſt honeſtate.

V. 5. Passione desiderii, id eſt concupiſcentia libidinoſa.

V. 6. Supergrediatur, id eſt opprimat, vel lædat. Negotio, ſcilicet aliquo, vel eo de quo proxime; quaſi dicat; Ut eius thorum violet.

V. 8. In nobis; pro, nobis.

V. 9 Fraternitatis, id eſt fraterna. Habemus. Græc. *habetis*. Scribere, id eſt ut ſcribamus.

V. 11. Vestrum, &c. id eſt res proprias cureiis. Foris, id eſt extra Eccleſiam. Nullius, ſcilicet infidelium. Desideretis. Græce, *opus habeatis*; quaſi dicat, Providete vobis ſic, ne illorum ſubſidio egeatis.

V. 12. Dormientibus, id eſt morientibus. Ceteri. Auguſtinus: *Non prohibet contriſtari, ſed more infidelium contriſtari.*

V. 13. Per Iesum, id eſt in fide Ieſu, & caritate. Adducet, ſcilicet ſuſcitans.

V. 14. In verbo, id eſt per verbum; quaſi dicat, Ex parte, ſeu nomine Domini. Vivimus; pro, vivemus, ſcilicet tunc. Sumus; pro, erimus. Praeveniemus, ſcilicet prius aſſumpti ad gloriam.

V. 15. In iussu, id eſt cum imperio. In Christo, id eſt fideles.

V. 16. Rapiemur, ſcilicet ſine morte facti immortales, ſecundum Hieron. epiſt. cxlviii. Iuſtin. q. cix. & Aug. ut videtur q. iii. ad Dulcit. Idem tamen XX. Civit. cap. xx. ait in aere morituros. Res plane difficilis intellectu. Vide etiam II. ad Timoth. iv.

MARIANAE.

Verſ. 1. Sic et ambuletis, ut a nobis accepiſtis. Lovan. & Haimo, *ſicut & ambulatis.* Neutrum eſt Græce nec Syr. hoc ſolum, *placere Deo*, *ut abundetis magis*: ſic Expoſitores. Græci. Scitis quæ præcepta dederim.

V. 2. Per Dominum Iesum, id eſt ex eius auctoritate. Syr. & Goth. habent: *quæ præcepta dederim vobis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Voluntas Dei eſt

V. 3. Sanctificatio vestra, id eſt ut ſitis ſancti & mundi. Bernardus Serm. XXII. in Cant. quod *ſanctificatio* hic ſignificat *temperantiam*. Ut quiſque habeat

V. 4. Vas suum, id eſt corpus ſuum, ne polluatur.

V. 5. Non in passione, id eſt concupiſcentiam ne ſequatur.

V. 6. Et ne quis supergrediatur, id eſt vi opprimat, ὑπερβαίνειν. Neque circumveniat, ſeu fraude extorqueat aliquid, πλεονεκτεῖν, contra Deum, qui dedit

V. 8. Spiritum suum sanctum in nobis. Gotth. *in vobis*. Syr. *in vos*. Noſtra magis lectio cohæret.

V. 10. Ut abundetis magis, id eſt proficiatis amplius in caritate.

V. 11. Et operemini manibus vestris, propter otium, & ne aliis oneri ſitis ob inopiam & confiſi aliorum caritate. Ad eos qui foris sunt, id eſt infideles, cum iis caute agite. Et nullius aliquid desideretis. Græc. *ut rei nullius indigeatis*, ne ſcilicet oneri ſitis. *Deſiderare* hic pro *egere*, quod Latine ſolet ſignificare. Vide Græc.

V. 12. De dormientibus. Κοιμάω Gr. & *dormio* pro *mori* ſumuntur. Inde κοιμητήριον, id eſt *dormitorium*.

V. 13. Qui dormierunt per Iesum, id eſt in Ieſu, illi fide & caritate iuncti. Hoc dico,

V. 14. Qui vivimus. Loquitur in perſona eorum qui tunc viveni. Non praeveniemus eos, quo ad acceptionem gloriæ.

V. 15. Et in tuba. Vox ipſa Angeli ſic vocatur: deſcendet Dominus. Resurgent primi, non tempore, ſed dignitate, mortui in Chriſto.

V. 16. Qui vivimus, qui relinquimur. Græc. *qui vivi*, *qui reliqui*, ſcilicet erimus. An illi morientur, I. ad Corinth. xv. 51. dictum eſt. Porro reprobi etiam reſurgent; verum eorum non meminit, quoniam ex iis Theſſalonicenſes conſolari non poterat, quod erat propoſitum.

ME-

MENOCHII.

Verſ. 1. IN DOMINO IESU, id eſt per Dominum Ieſum. UT QUEMADMODUM, &c. id eſt, ut præſcriptam a nobis tum credendi, tum vivendi formam retineatis, ut placere Deo poſſitis. UT ABUNDETIS MAGIS: ut in eo quod dixi magis, magiſque proficiatis.

V. 2. PER DOMINUM IESUM: Domini noſtri Ieſu Chriſti auctoritate.

V. 3. SANCTIFICATIO VESTRA; ut ſcilicet ſanctitati ſtudeatis.

V. 4. VAS SUUM, id eſt corpus ſuum. POSSIDERE: conſervare, & cuſtodire. IN SANCTIFICATIONE, id eſt in puritate, & caſtitate. ET HONORE: ut ſcilicet non dehoneſtetis illud turpitudine luxuriæ.

V. 5. NON IN PASSIONE DESIDERII, id eſt non in affectu libidinis.

V. 6. NE QUIS SUPERGREDIATUR, &c. Non agit Apoſtolus de avaritia, iniuſtitia in pecuniis, negotiis, & contractibus, ſed de adulterio, quod *ſupergreſſionem* appellat, & *circumventionem*, id eſt oppreſſionem, & prævaricationem, quas quis ſuperſcandendo thorum proximi ſui facit illi iniuriam. CIRCUMVENIAT. In Græco eſt πλεονεκτεῖν, quod verbum etiam alibi uſurpat Apoſtolus pro immodica venereorum cupiditate, ut ad Epheſ. cap. IV. 19. IN NEGOTIO: ſcilicet de quo proxime actum eſt, ut nimirum uxorem alienam vitiet. TESTIFICATI SUMUS: vide dicta ſupra cap. II. 2.

V. 7. IN IMMUNDITIAM: ut libidini ſerviremus.

IN SANCTIFICATIONEM: ut puri, ſancti, & caſti eſſemus.

V. 8. SED DEUM: qui horum præceptorum auctor eſt. QUI ETIAM DEDIT SPIRITUM SANCTUM IN NOBIS; id eſt, qui per Spiritum ſanctum, quem nobis impertivit, fecit nos verbi ſui miniſtros, ac poteſtatem dedit, ut hæc præciperemus.

V. 9. DE CARITATE FRATERNITATIS: de caritate fraterna. A DEO DIDICISTIS: Deo inſpirante, & per legem Evangelicam didiciſtis.

V. 10. ETENIM ILLUD; ſcilicet diligere, & amoris fraterni ſigna exhibere. IN OMNES: erga omnes. UT ABUNDETIS MAGIS: ut in hac fraterna caritate proficere ſtudeatis.

V. 11. VESTRUM NEGOTIUM AGATIS: ut ſcilicet unuſquiſque ſuæ vocationi, & operi intendat, alienis rebus ſe non ingerendo, nec cuiquam moleſtiam exhibendo. HONESTE AMBULETIS AD EOS QUI FORIS SUNT: ita decenter, compoſite, & prudenter vos geratis, ut moribus veſtris Gentiles non offendantur, nec a Chriſtiana religione ſuſcipienda alienentur, tamquam ab hominibus inertibus, otioſis, & rerum ſuarum negligentibus, & alienarum concupiſcentibus, aut raptoribus. ET NULLIUS ALIQUID DESIDERETIS; καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε; quaſi dicat: Ne inopia, quæ ex otio ſequi ſolet, cogamini aliena deſiderare, aut ſurripere. ADDUCET CUM EO: hos Deus e ſepulcris evocatos ad vitam novam, & glorioſam adducet, in qua regnabunt cum Chriſto.

V. 14. IN VERBO DOMINI, id eſt per verbum; quaſi dicat, Ex parte, ſeu nomine Domini. NOS QUI VIVIMUS, id eſt quicumque ex nobis, aut poſteris noſtris vivet tunc. QUI RESIDUI SUMUS, id eſt qui veniente Domino ad iudicium ſuperſtites erimus. NON PRAEVENIEMUS EOS QUI DORMIERUNT: ſed utique iam recenter, quam longe prius tempore mortui, reſurgent.

V. 15. IPSE DOMINUS, id eſt Chriſtus iudex. IN IUSSU, id eſt cum imperio. ET IN VOCE ARCHANGELI: cum clamore Archangeli, qui clamor erit tuba Dei. QUI IN CHRISTO SUNT: qui in fide, & gratia Chriſti mortui ſunt. RESURGENT PRIMI: πρῶτοι, id eſt *primum*, nimirum antequam rapiantur obviam Chriſto in aera. SIMUL RAPIEMUR, &c. rapiemur tum ab Angelis, tum a virtute Chriſti in aera, ut ibi in nube, quaſi throno conſidenter Chriſto iudici aſſiſtamus. ET SIC SEMPER: videlicet, iam in iudicio, quam in cælo, ad quod mox aſcendemus.

V. 17. CONSOLAMINI INVICEM IN VERBIS ISTIS: nimirum eorum mutua commemoratione, fidem, & ſpem veſtram excitando.

TI-

Digitized by Google

TIRINI.

Verſ. 1. UT ABUNDETIS MAGIS, magiſque excellatis in virtute & ſanctitate, ſecundum verſ. 2. PRAECEPTA & inſtructiones, QUAE VOBIS *a me datæ* ſunt PER DOMINUM IESUM, id eſt auctoritate Ieſu Chriſti, cuius locum teneo.

V. 2. HAEC EST ENIM VOLUNTAS DEI, eiuſque extremum votum, deſiderium, immo præceptum, & ſumma omnium præceptorum, nempe SANCTIFICATIO VESTRA, qua ſtudeatis perfectæ corporis & animi puritati, ab omni inquinatione liberæ & incontaminatæ, ut loquitur S. Dionyſ.

V. 4. & 5. UT QUISQUE SCIAT & ſtudioſe curet VAS SUUM, id eſt proprium corpus (ut Chryſoſt. cum ſuis, Ambroſius, Theodor. & reliqui Patres exponunt, uno dempto Auguſtino, qui per *vas* vult uxorem intelligi,) POSSIDERE IN SANCTIFICATIONE ET HONORE, id eſt ſancte, honorifice, & ut decet uti: NON IN PASSIONE DESIDERII, ſeu ex mero affectu libidinis: Anſelmus. Nempe, fœditate luxuriæ dehoneſtatur corpus *a*.

V. 6. NE QUIS SUPERGREDIATUR, id ſt ene opprimat vel vim faciat proximo, ſupra ipſum ſcandendo, vel ſupra torum eius: Theodor. Theophylactus.

V. 8. Deus DEDIT IN NOBIS non immundum ſpiritum mundi vel domonis, ſed SPIRITUM SUUM SANCTUM, omnis ſanctitatis & caſtitatis fontem & auctorem.

V. 11. QUIETI & pacifici SITIS, ET NEGOTIUM non alienum, ſed VESTRUM proprium AGATIS, nemo alterius negotio, niſi rogatus aut coactus ſeſe immiſceat. HONESTE AMBULETIS AD EOS QUI FORIS SUNT, id eſt cum Gentilibus ita decenter, circumſpecte ac prudenter vos geratis, ut non offendantur, ſed potius ad vos imitandos alliciantur. ET NULLIUS ALIQUID DESIDERETIS, Græce, μηδενὸς χρείαν ἔχητε, id eſt *nullius opus habeatis*. Cavete ne per otium, inertiam, ſegnitiem inopes facti cogamini aliena expetere vel emendicare: Theophyl.

V. 12. *Dormientes* vocat *mortuos*, ob certam ſpem reſurrectionis, qua infallibiliter & celerrime evigilabunt, & e ſepulcris ſuis quaſi e ſtratis excitabuntur. QUI SPEM NON HABENT, beatæ reſurrectionis, ſunt Gentiles & athei & multi politici.

V. 13. EOS QUI DORMIERUNT PER IESUM; id eſt, qui extremum vitæ ſpiritum emittunt in fide & caritate Ieſu, hos DEUS a ſepulcris evocatos ADDUCET ad novam & glorioſam vitam, in qua æternum CUM Chriſto regnabunt.

V. 14. IN VERBO, ſeu nomine, & ex parte DOMINI certo vobis denuntiamus, quod NOS QUI VIVIMUS, id eſt quotquot circa diem iudicii vivemus, NON PRAEVENIEMUS, id eſt non prius immortalitate vel gloria corporis donabimur, quam alii qui pridem mortui computruerunt: ita S. Auguſtinus *b* Thophyl. & alii Patres.

V. 15. DOMINUS IPSE Chriſtus iudex relicto CAELO *c*, cum omnibus angelis *d* & Sanctis ſuis DESCENDET verſus vallem Ioſaphat *e*, IN IUSSU, id eſt cum imperio; græce, ἐν κελεύσματι, id eſt *cum hortamine* & communi conclamatione, quale ſolet eſſe nautarum, ut uno veluti concentu, & conatu remos adducant. Hinc Theodor. Theophyl. & Anſelmus putant eum VOCE ET TUBA, id eſt clamore tubali *f*, ſonoro & valido ARCHANGELI *Michaelis* (vult S. Thomas) præſidis totius Eccleſiæ *g*, vel (ut quidam alii) *Gabrielis*, (qui ut primum Chriſti adventum prænuntiavit *h* forte etiam ſecundum prænuntiabit:) conclamaturos quoque alios angelos ſuis ſingulos vocibus tubalibus, ut omnes ubique mortui ſimul reſurgant, iuxta illud Matth. XXIV. 31. *Mittet angelos ſuos cum tuba*. Vocatur hæc *tuba Dei*, id eſt maxima, maximeque ſonora, ut toto mundo reboet: ſic vocantur *cedri Dei*, *montes Dei*, id eſt maximi, altiſſimi *i*. S. Anſelmus k docet veras, reales & materiales futuras tubas, ex argento vel ære, inquit Franciſcus Suarez *l*. Inclamabunt autem, *Surgite mortui*, *venite ad iudicium*, inquit Chryſoſt. Theophyl. & Soto *m*. Simulatque vox prima inſonabit, eodem momento omnes ſimul reſurgent: ita ut auribus reſumpti corporis ſui (teſte eodem Suarez) adhuc audituri ſint etiam illam ipſam primam vocem, (*& qui audierint vivent*, ut eſt apud S. Ioannem *n*:) ſicut initium vocis, ſeu imperii (quo, ut iuſſi erant, revixerunt) audierant

rant auribus animi. Erunt enim hæ voces inſtrumentum ſaltem morale reſurrectionis, per quod Chriſtus mortuos in vitam reducet: ſicut verba conſecrationis *o* ſunt inſtrumentum tranſubſtantiationis. Erunt eædem voces quaſi præcones, nomine & iuſſu Chriſti (unde etiam vocantur *p vox filii Dei*) citantes omnes ad iudicium: electis etiam erunt inſtar claſſici militaris, excitantis eos ad bellum ultimum contra reprobos perficiendum, & glorioſiſſimum de devictis omnibus hoſtibus triumphum peragendum, inquit S. Anſelmus. ET MORTUI QUI IN CHRISTO SUNT, id eſt qui fide & gratia iuſtificante inſiti Chriſto e vivis ſive olim, ſive tunc recens exceſſerunt, RESURGENT PRIMI id eſt *primum*, (ut eſt in Græco) nempe antequam vel illi, vel alii rapiantur obviam Chriſto in aera: ita Anſelmus & S. Thomas. Quotquot enim ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt mortales, ſimul unico momento reviviſcent.

V. 16. DEINDE peracta reſurrectione, tam NOS QUI ſub illud tempus *vivemus*, quam alii Sancti olim mortui, ſed iam una nobiſcum redivivi, SIMUL, ſeu iunctim, RAPIEMUR OBVIAM CHRISTO.

Petes, An qui ſub illud tempus vivent, ſine morte fient immortales? Senſit ita Iuſtinus & aliquando S. Auguſt. *q* & Caiet. Sed Auguſtinus id poſtea *r* retractavit. Unde Reſp. negative: nam ante raptum omnes omnino morientur, ſive igne conflagrationis, (in eorum ſententia, qui ignem hunc putant immittendum ante iudicium;) ſive ſubtracto concurſu Dei, in Franciſci Suarez & quorumdam aliorum ſententia, ſive alio modo, diſſoluta ad breve tempus coniunctione corporis cum anima. Quia tamen ſub idem illud tempus vivi reperientur, & breviſſimo tempore mortui manebunt, (forte nullo mortalium advertente vel ſentiente illorum mortem: nam mox cum omnibus aliis redivivi comparebunt *ſ:*) hinc merito vocantur *viventes*: & ſic Chriſtus dicitur iudicaturus *vivos & mortuos*, inquit Ambroſ. Oecumenius, S. Thomas & alii paſſim. Si enim *filiam t Iairi*, etſi vere mortuam, ob hoc ſolum quod brevi reſuſcitanda eſſet, Chriſtus dicebat, *non eſſe mortuam*, *ſed dormire*. Si Lazarum *u*, &c. quanto potiori iure hi qui longe breviori ſpatio mortui manebunt, dici poterunt non mortui, ſed vivi?

Ubi ergo omnes Sancti ſimul revixerint, *rapientur obviam*, Græc. *in occurſum*, *Chriſto in aera*, ut ibi in præparatis cuique thronis ſuo ſinguli ordine, gradu & loco conſideant forma amphitheatri a dextris iudicis, reprobis humi ad ſiniſtram relictis. Rapientur autem tum angelorum miniſterio, tum propria agilitatis virtute, ſeu dote, qua ut & reliquis glorioſis dotibus, ipſo reſurrectionis inſtanti donabuntur. Quæ omnia fuſius pertractata vide apud Suarez.

(a) I. Cor. vi. 18.
(b) Aug. Lib. II. de Civit. cap. xx.
(c) Actor. 1. 11.
(d) Matt. xxv. 31.
(e) Ioel. iii. 2.
(f) Proleg. de Idiotiſmi. Heb. n. 48.
(g) Dan. xii. 2.
(h) Lucæ 2. 26.
(i) Iſaiæ lix. 19.
(k) Anſelm. in Elucidario.
(l) Suarez iii. p. q. lv. a. 1.
(m) D. Soto in 4. diſt. xliii. q. 2. a. iv.
(n) Ioan. v. 28.
(o) Matt. xxvi. 26.
(p) Ioa. v. ſup.
(q) Iuſtinus q. cix. Auguſt. Lib. II. de Peccator. meritis cap. xxxi.
(r) Auguſt. Lib. XX. de Civit. cap. xx.
(ſ) I. Cor. xv. 22. 25. 30. & 51.
(t) Marci v. 39.
(u) Ioan. xi. 11.

GORDONI.

Verſ. 1. 2. DE CETERO. Traditam illis credendi & vivendi formam commendat, ut eam ſequantur, ut ſic proficiant, & magis & magis Deo placeant; quod eſt ſtudere ſanctitati, quæ nempe opponitur peccato, & trahit ſecum completionem virtutum. Hinc infert verſ. 3 & 4. ut abſtineant a peccatis, quæ maxime repugnare videntur ſanctitati; qualia ſunt fornicatio & omnis beſtialis immunditia. Et cur abſtinere ſic debeant, dat ſpecialem rationem verſu 7. petitam a vocatione ad Chriſtianiſmum, quæ eſt avocatio a Gentilium impuritate fœda ad ſtatum puritatis quaſi Angelicum, & ut ſit Chriſtianus templum Spiritus ſancti.

Quæſitum eſt a pleriſque, quid verſ. 4. per vas intelligat Paulus. Sane viri ſancti ſunt templum Spiritus ſancti, & vaſa in quibus conſervari debet gratia Spiritus ſancti: ſunt enim hominum corpora velut de-

ſignata vaſa, quibus retinetur liquor divinæ gratiæ. Sic Chryſoſtomus per vas corpus intelligit. Sic etiam Ambroſius, Anſelmus & Theodoretus: vel corpus vas eſt & inſtrumentum. Sic Plato corpus vas animæ vocat; & Paulus dictus eſt vas & inſtrumentum electionis. Sic iubet Paulus vas in honore coram Deo poſſidere.

V. 6. Et ne quis. Quidam hic avaritiam proprie dictam intelligunt: vel iniuſtitiam in contractibus & negotiis: a quo ſenſu non abeſt Vaſquez, & favet noſter interpres, dum vertit τὸ πλεονεκτεῖν; tamen ut ſtet connexio in verſibus, plures intelligunt hic non quidem avaritiam, ſed πλεονεξίαν per adulterium, ubi quidem eſt iniuſtitia, & ardor habendi. Et Paulus Epheſ. IV. 19. utitur voce hac πλεονεκτεῖν, eodem ſenſu. Et hinc recte infert verſ. 7. Non enim in immunditiam vocati ſumus. Duos ſenſus litterales ſi ſtat ſolidum fundamentum, non reiicio.

V. 8. Itaque qui. Qui hæc ſpernit præcepta, in Deum peccat, qui horum auctor eſt: & qui Spiritum ſanctum nobis dedit, faciens nos verbi ſui miniſtros, deditque poteſtatem, ut hæc præciperemus. Obligant ſane præcepta Eccleſiæ; & Spiritu Dei aguntur, dum præcipiunt quæ faciunt ad bonum Eccleſiæ. Non eſt hic ſpiritus Novatorum, qui ſine legitima miſſione vaſtant ex privato ſpiritu omnia.

V. 9. 10. 11. Hortatio eſt ad caritatem fraternam, quam docet lex Evangelica. Item verſu 10. ut quiſque ſibi attendat, ſuiſque rebus, atque operi ſuo, non exhibendo aliis moleſtiam. Immo honeſte & cum bono exemplo eum his qui foris ſunt & gentibus. Nullius aliquid desideretis, verſ. 11. Ex Græco, ita facite, ut non ſit neceſſe aliena appetere.

V. 12. Nolumus. Hic & verſu 14. de myſterio reſurrectionis. Mortuos vocat dormientes ob ſpem reſurrectionis, quando reſurgent mortui Dei virtute, velut ex lecto evocati poſt ſomnum. Lege caput XV. Epiſt. I. ad Corinthios, ubi prolixe de hoc reſurrectionis myſterio. Sic vero in præſentia Paulus; ſi, inquit, (verſ. 13.) credimus Chriſtum reſurrexiſſe, idem etiam credere debemus de fidelibus ſanctis ſuſcitandis in vitam æternam quos adducet Chriſtus. Docet quidem Paulus Epiſt. ad Corinthios, fore ut omnes reſurgant: hic vero ubi conſolari vult Theſſalonicenſes, applicat ſermonem ad reſurrectionem iuſtorum. Et ex his, inquit, reſurgent tum qui prius & ante nos mortui ſunt, tum qui nunc vivunt. Nec prius hi reſurgent (verſ. 14.] quam illi qui antea mortui ſunt. Verum quia in textu 16. & 17. ſunt voces *primum*, & *deinde*, aliqui ibi intelligunt anteceſſionem temporis; alii ordinem ſaltem dignitatis notari putant. Verius tamen eſt neutrum eſſe, nec aliud hic deſignari, niſi ordinem narrationis, dum unum narratur ante alterum.

CA.

CAPUT V.

Diem iudicii dicit inſperatum adſuturum, qui tamen ipſos non poteſt incautos opprimere, cum ſemper ad illum ſe præparent, ad quod illos etiam hortatur: monet quoque de obedientia erga ſuos præfectos, & quomodo erga invicem & erga Deum ſe habere debeant: orat pro ipſis, utque pro ſe orent precatur.

1. DE temporibus autem, & momentis, fratres non indigetis ut ſcribamus vobis. 2. (*a*) Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet: 3. cum enim dixerint pax, & ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, * ſicut dolor in utero habenti, & non effugient. 4. Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat: 5. omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum. 6. Igitur non dormiamus ſicut & ceteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus. 7. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. 8. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, (*b*) induti loricam fidei & caritatis, & galeam ſpem ſalutis: 9. quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, 10. qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus. 11. Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis. 12. Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, 13. ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum: pacem habete cum eis. 14. Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. 15. (*c*) Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: * ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes. 16. Semper gaudete. 17. (*d*) Sine intermiſſione orate. 18. In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu, in omnibus vobis. 19. Spiritum nolite extinguere. 20. Prophetias nolite ſpernere. 21. Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete. 22. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 23. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervetur. 24. (*e*) Fidelis eſt, qui vocavit vos: qui etiam faciet. 25. Fratres orate pro nobis. 26. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. 27. Adiuro vos per Dominum, ut legatur epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus. 28. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum. Amen.

(a) II. Pet. III. Apoc. III. 3. & XVI. 15. (b) Iſaiæ LIX. 17. Epheſ. VI. cap. 17.
(c) Prov. XVII. 13. & XX. 22. Rom. XII. 17. I. Pet. III. 9. Eccli. XXVIII. 22. (d) Luc. XVIII. I. Coloſſ. IV. 2. (e) I. Cor. I. 9.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 3. *Sicut dolor in utero habenti.* Dativus non eſt mutandus in genitivum *habentis.*

Verſ. 15. *Sed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem & in omnes.* Non eſt omittendum prius *in.*

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 2. SICUT FUR IN NOCTE, id eſt clanculum & imprudentibus nobis.

V. 3. IN UTERO HABENTIS, id eſt parturientis.

V. 4. IN TENEBRIS, id eſt in peccatis.

V. 6. NON DORMIAMUS: ſomnum ſcilicet peccati. Nam dormire pro in peccatis eſſe ponitur.

V. 8. SOBRII SIMUS: non tantum a vino, ſed ab omnibus pravis affectionibus quæ rationem conturbant abſtinentes. Quum ergo filii lucis ſimus, id eſt gratiæ, non noctis & tenebrarum, hoc eſt peccati; ſomnium inertiæ, & affectionum ebrietatem filiis tenebrarum & noctis relinquere debemus.

V. 9. QUONIAM NON POSUIT NOS, &c. id eſt, neque enim nos vocavit IN IRAM, id eſt vindictam; hoc eſt, ut in nos æterna morte animadverteret, SED IN ACQUISITIONEM SALUTIS, ſed ut nos ſibi per Chriſtum acquireret & poſſideret: qui quidem propter nos eſt mortuus, ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, id eſt ſive vivimus, ſive morimur, tandem cum illo æternum vivamus.

V. 13. HABEATIS IN CARITATE, id eſt diligatis.

V. 14. CORRIPITE INQUIETOS, id eſt turbulentos, qui pacem communem turbant. Græce *ἀτάκτως*, de quo, vide II. ad Theſſal. III. 4.

V. 19. SPIRITUM NOLITE EXTINGUERE, id eſt Spiritus ſancti gratias & dona.

V. 20. PROPHETIAS NOLITE SPERNERE; ſcilicet gratiam futura prædicendi, vel ſcripturas interpretandi.

V. 23. UT INTEGER SPIRITUS VESTER ET ANIMA. Gregor. Niſſen. per hæc, tres vitæ facultates intelligit: per ſpiritum, rationabilem: per animam, ſenſitivam: per corpus, vegetativam. Theophylactus interpretatur *ſpiritum*, gratiam Spiritus ſancti nobis infuſam, quam precatur illis Paulus integram conſervari: *corpus* autem & *animam* totum hominem, quem precatur ſine querela, id eſt irreprehenſibilem permanere.

V. 24. QUIN ETIAM FACIET, ſub. id quod precamur, id eſt ſanctificabit vos per omnia.

S A.

Verſ. 1. MOMENTIS, id eſt temporum articulis, ſeu opportunitatibus.

V. 2. DILIGENTER, id eſt exacte. ITA, ſcilicet occulte, ſeu, cum nemo putabit.

V. 3. PAX, &c. id eſt tuta eſſe omnia. DOLOR, ſcilicet partus.

V. 5. ET FILII DIEI. Repetitio præcedentis, more Scripturæ.

V. 6. DORMIAMUS, ſcilicet negligentia, ſeu peccando.

V. 7. NOCTE, ſcilicet peccati.

V. 8. DIEI SUMUS, id eſt lucis, ſcilicet filii, ſeu luce præditi. Vide ſup. ET CARITATIS, ſcilicet fides non ſufficit SALUTIS, ſcilicet æternæ.

V. 9. IRAM, id eſt condemnationem, ſeu punitionem.

V. 10. VIGILEMUS, &c. id eſt vivamus, vel moriamur.

V. 12. NOVERITIS, id eſt rationem habeatis, vulgo, *recognoſcatis*. IN DOMINO, id eſt vice Domini.

V. 13. HABEATIS &c. id eſt vehementius ametis, & honoretis.

V. 13. INQUIETOS. Gr. *incompoſitos*. SUSCIPITE, id eſt ſublevate.

V. 18.

Digitized by Google

V. 18. IN OMNIBUS; pro, de omnibus.

V. 19. SPIRITUM, id eſt gratiam, ſeu dona ſpiritualia.

V. 21. PROBATE, id eſt expendite.

V. 22. SPECIE MALA, id eſt re quæ apparet mala.

V. 23. PER OMNIA: ſtatim id explicat. SPIRITUS VESTER, id eſt gratia Spiritus ſancti in vobis: Iren. Lib. V. Hieron. ep. CL. quæſt. XII. Quidam tamen per *ſpiritum* mentem intelligunt, per *animam* vero, ſenſitivam animam.

V. 14. FACIET, ſcilicet quod dico, ſeu opto vobis.

V. 17. ADIURO, id eſt interpoſita Dei auctoritate præcipio ſeu per Deum peto: utrumque enim verbum id ſignificat. AMEN. Græc. additur, *Scripta ex Athenis*. Syr. vero etiam id, *miſſa per Timotheum*: ſed id non credo. Iam enim is ab illis redierat. Quidam putant e Corintho miſſam.

MARIANAE.

Verſ. 2. SICUT FUR IN NOCTE, id eſt improviſo & clam venit dies iudicii.

V. 3. SICUT DOLOR. Goti. *ſicut dolor partus*; id ὠδὶν ſignificat; ſed ſine eo ſententia conſtat. IN UTERO HABENTI, ſeu *habentis*. Variant Græca & Latina exemplaria. Ergo ſicut ille dolor repente venit, ſic dies ille.

V. 4. NON ESTIS IN TENEBRIS, id eſt peccatis, non eſtis filii tenebrarum, ut dies ille, qui venit ut fur nocturnus, vos improviſo comprehendat.

V. 6. NON DORMIAMUS: ſomno ſcilicet peccati, aut non ſimus ſegnes, ut infideles.

V. 8. QUI DIEI SUMUS, ſcilicet filii.

V. 9. NON POSUIT NOS DEUS IN IRAM, id eſt damnationem. SED IN ACQUISITIONEM SALUTIS, ſeu *poſſeſſionem ſalutis*, ut ſalutem teneamus.

V. 11. CONSOLAMINI INVICEM, ſeu *mutuo*, alii alios.

V. 14. CORRIPITE INQUIETOS: ἀτάκτους, *inordinatos*, turbidos, dyſcolos.

V. 15. SECTAMINI IN INVICEM. Gott. *& in invicem*, id eſt tum inter vos, tum erga omnes bonum ſectamini, omnibus benefacite.

V. 17. IN OMNIBUS GRATIAS AGITE: ἐν παντὶ, *in omni*, ſcilicet tempore, ſemper.

V. 19. SPIRITUM, id eſt Spiritus ſancti dona ne extinguatis, abuſu ſcilicet aut inertia.

V. 20. PROPHETIAS. Gratiam futura prædicendi, ſeu explicandi Scripturam, ne ſpernatis. Deus

V. 23. SANCTIFICET VOS PER OMNIA, id eſt perfecte; ut Goth. & Syr. ὁλοτελεῖς. UT INTEGER SPIRITUS, id eſt gratia SPIRITUS, id eſt gratia Spiritus ſancti. IN ADVENTU, ut ſcilicet *ſine culpa ſitis in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti*: ſic Syr. Goth. *in adventum*. Sed alii codices refragantur.

V. 24. QUI ETIAM FACIET: quid? ſcilicet quod promiſit. Aut ut aliqui Græci codices habent, *faciet ſpem veſtram ſtabilem*, id eſt certam.

MENOCHII.

Verſ. 1. DE TEMPORIBUS AUTEM, ET MOMENTIS, &c. quo ſcilicet tempore, & momento Chriſtus venturus ſit ad iudicium.

V. 2. DILIGENTER: ἀκριβῶς, *exacte*. SICUT FUR; ſcilicet inopinato, & inexpectatus.

V. 3. CUM DIXERINT, PAX, ET SECURITAS, &c. cum tuta omnia mortales eſſe crediderint. SICUT DOLOR IN UTERO HABENTI: ſuperveniet illis repentinum exitium, quemadmodum repente prægnantes mulieres doloribus partus corripiuntur.

V. 4. NON ESTIS IN TENEBRIS: infidelitatis, ſed lumine fidei prævidetis, & expectatis extremum hunc diem. COMPREHENDAT: opprimat, ac perdat.

V. 5. FILII LUCIS, ET FILII DIEI: in luce verſamini Evangelii, quod vobis lucet ut meridies. NON SUMUS NOCTIS, ATQUE TENEBRARUM: ſcilicet filii, diſpulimus enim luce fidei tenebras infidelitatis.

V. 6. NON DORMIAMUS: ſomno peccatorum. SICUT ET CETERI: infideles, & peccatores.

V. 7. QUI ENIM DORMIUNT, NOCTE DORMIUNT, &c. Sententia eſt, verſamur in luce, & die, ergo par non eſt, ut dormiamus, aut ebrietati ſtudeamus, hæc enim opera, ut ab hominibus de nocte fiunt,

Digitized by Google

fiunt, ita etiam moraliter ſunt opera tenebrarum, a quibus abſtinere debemus. Loquitur de ſomno negligentiæ, deſidiæ, ignorantiæ, ac præſertim peccatorum. NOCTE EBRII SUNT: ſolebant enim veteres veſpertino tempore convivia agitare, & mero indulgentes ad multam noctem producere.

V. 8. INDUTI LORICAM FIDEI, ET CARITATIS. Hanc loricam in Epiſtola ad Epheſios VI. 14. appellavit loricam iuſtitiæ; vera namque, & Chriſtiana iuſtitia, fide potiſſimum, & caritate conſtat, & quemadmodum iuſtitia eſt omnium complexio virtutum, ita caritas, ut idem Apoſtolus tradit, *patiens eſt*, *benigna eſt*, &c. omuiumque virtutum officia complectitur, & perficit. Vide dicta loco cit. ad Epheſ. ET GALEAM SPEM SALUTIS: vide dicta cap. VI. ad Epheſ. 17.

V. 9. QUONIAM NON POSUIT NOS DEUS IN IRAM; id eſt, Deus non ordinavit nos ad iram, ſeu vindictam, id eſt non prædeſtinavit nos ad æternam damnationem. SED IN ACQUISITIONEM SALUTIS, &c ſed ad æternam ſalutem efficaciter acquirendam Chriſti beneficio, qui pro nobis paſſus eſt.

V. 10. SIVE VIGILEMUS, id eſt vivamus. SIVE DORMIAMUS, id eſt moriamur. SIMUL CUM ILLO VIVAMUS: nimirum hic in gratia, poſt mortem vero in gloria.

V. 11. PROPTER QUOD CONSOLAMINI INVICEM; ſcilicet per ea quæ de reſurrectione mortuorum, & vita perpetuo cum Chriſto agenda, iam ex me audiſtis. ET AEDIFICATE ALTERUTRUM; id eſt mutuam ſalutem promovete piis ſermonibus, quibus ad ſpem beatæ reſurrectionis, & vitæ æternæ animi veſtri excitentur.

V. 12. NOVERITIS: notetis, & rationem eorum habeatis. EOS QUI LABORANT: in prædicando Evangelio, & re Chriſtiana procuranda, ac provehenda. IN DOMINO, id eſt in Chriſti familia. ET MONENT VOS: quæ ſequi, quæ fugere debeatis.

V. 13. UT HABEATIS ILLOS ABUNDANTIUS IN CARITATE: ut eos impenſius ametis, & obſervetis, quaſi filii parentes veſtros ſpirituales. PROPTER OPUS ILLORUM: propter laborem, & diligentiam quam in vobis gubernandis, & inſtituendis impendunt. PACEM HABETE CUM EIS: pacifice, & obedienter cum illis vos gerite.

V. 14. ROGAMUS AUTEM VOS FRATRES. Hic iam eos alloquitur qui præſunt, & partes quaſdam officii eorum attingit. CORRIPITE INQUIETOS: qui pacem, & tranquillitatem publicam turbant, malis, & diſſolutis moribus. CONSOLAMINI PUSILLANIMES: ne in adverſis animum deſpondeant. SUSCIPITE INFIRMOS: *ἀντέχεσθε ἀσθενῶν*, eſt autem *ἀντέχεσθαι*, nitentem, & conantem, ſed ſat virium non habentem adiuvare. Infirmos vocat eos, qui fide ſunt infirmi, & qui in via Dei facile ſcandalizantur.

V. 15. SEMPER QUOD BONUM EST SECTAMINI IN INVICEM, ET IN OMNIBUS, id eſt benefacite invicem, & omnibus.

V. 16. SEMPER GAUDETE: gaudio ſpirituali, etiam inter preſſuras, & ærumnas huius vitæ.

V. 17. SINE INTERMISSIONE ORATE: prædicandi ſtudium ne intermittite, ſed ſemper ſuis temporibus orate.

V. 18. IN OMNIBUS ORATIAS AGITE; ſcilicet tam proſperis, quam adverſis. HAEC EST ENIM VOLUNTAS DEI, id eſt hæc faciendo placebitis Deo. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum, ſcilicet per Chriſti doctrinam, legem, & gratiam hæc præſtare, ut ſcilicet ſemper gaudeamus, ſemper oremus, &c. IN OMNIBUS VOBIS: *εἰς ὑμᾶς*, *erga vos*.

V. 19. SPIRITUM NOLITE EXTINGUERE: dona, gratias, lumina, afflatus, impulſus ſpiritus vos ad bonum excitantis, & promoventis.

V. 20. PROPHETIAS NOLITE SPERNERE: erant enim tunc inter Chriſtianos multi ſpiritu prophetico præditi, quorum prædictiones magnifieri vult Apoſtolus.

V. 31. OMNIA AUTEM PROBATE, QUOD BONUM EST TENETE; id eſt, date operam ut omnia quidem diligenter exploretis, & quod ex omnibus optimum viſum fuerit conſtanter retineatis.

V. 22. AB OMNI SPECIE MALA, &c. id eſt, cavete quidquid mali, aut peccati ſpeciem habet, licet per ſe malum non ſit.

V. 23. DEUS PACIS: auctor, & amator. SANCTIFICET VOS PER OMNIA: ſanctitatem addat, ut perfecti ſitis in omnibus. UT INTEGER SPIRITUS VESTER: ut ſitis mente, & animo integri, & innocentes, & tales inveniamini in adventu Domini cum veniens ad iudicium reddet unicuique ſecundum opera ſua.

V. 24.

Digitized by Google

V. 24. Fidelis est: et conſtans in ſervandis promiſſis, & promovendis bonis inceptis ſua inſpiratione inchoatis. Faciet: ut ad æternæ felicitatis portum perveniatis.

V. 16. In osculo sancto: vide dicta ad Rom. xvi. 16.

V. 27. Adiuro, id eſt interpoſita Dei auctoritate præcipio, ſive per Deum peto. Omnibus sanctis fratribus, id eſt omnibus Chriſtianis; qui ſcilicet apud vos ſunt.

V. 28. Gratia Domini, &c. conſueta formula claudendi Epiſtolas. Nomine gratiæ omne genus beneficiorum quæ nobis a Deo per Chriſtum donantur, comprehendit.

TIRINI.

Verſ. 1. De temporibus et momentis in quæ incidet dies iudicii, nil opus ſcribere, cum conſtet, nos omni momento debere paratos eſſe: & *de die illa a vel hora* certum ſit neminem ſcire, ne quidem angelos qui ſunt *in cælo*.

V. 2. Veniet autem sicut fur in nocte *b*, id eſt ex improviſo, inopinato, inexſpectato, hominibus nec præſcientibus, nec timentibus. Cauſas cur ita ex improviſo veniet recenſent Chryſoſt. Theophyl. Hieron. & Auguſtinus *c*.

V. 3. Cum dixerint, pax et securitas; id eſt, cum tuta omnia mortales eſſe crediderint *d*, cum læti epulabuntur *e*, & ſympoſiis, & nuptiis aliiſque delitiis vacabunt, tunc repentinus eis superveniet interitus, univerſis, *ſole* mox *f* obſcurante, & elementis omnibus horrendum concuſſis, &c.

V. 4. Vos non estis in tenebris infidelitatis, ignorantiæ, parvarum cupiditatum, peccatorum, &c. Sed

V. 5. Filii lucis et diei *g*, id eſt inſtar altæ diei, lucidi & ſplendentes fide, caritate, ſancta vita, & piis operibus, quibus vos tempeſtive comparatis ad fatalem illum diem a longe & diu ante præviſum ac præexſpectatum: Chryſoſtomus & Anſelmus.

V. 6. Non dormiamus ſomno negligentiæ, ſocordiæ, deſidiæ, ac præſertim peccatorum.

V. 9. Qui enim sic dormiunt, nocte dormiunt, id eſt in alta nocte & ſpiſſis tenebris verſantur ignorantiæ, malitiæ & impietatis, expoſiti mille periculis furum & latronum. Contra quos armemur tempori & vigilemus aſſidue,

V. 8. Induti loricam fidei et caritatis, ſeu, ut alibi *h* (ubi univerſam Chriſtiani hominis panopliam exponit) *loricam iuſtitiæ*, quæ ex fide, caritate, aliiſque virtutibus conflatur.

V. 9. Non ut impios hoſtes ſuos, ita etiam nos filios ſuos posuit Deus in iram, deſtinando nos æternis pœnis ac damnationi, ſed ut æternam *ſalutem* & gloriam merito mortis Chriſti *acquiramus*.

V. 10. Ut sive vigilemus *i*, id eſt vivamus corpore; sive dormiamus, id eſt moriamur; ſemper simul cum Chriſto vivamus ſpiritu, hic per gratiam, in futuro etiam per gloriam. Nec tamen ſolis vobis vivere ac vigilare debetis, etiam

V. 11. Aedificate, excitate, perficite alterutrum, & mutuam ſalutem ſtrenue promovete.

V. 19. Spiritum, id eſt ſpiritualia dona, gratias illuſtrationes & impulſus Spiritus ſancti (quibus quaſi lampadibus illuminamini in caliginoſa nocte huius ſæculi,) nolite peccatis, deſidia, aut nimiis curis & occupationibus terrenis, quaſi iniecta aqua, exstinguere: Chryſoſt. & Ambroſius.

V. 21. Omnia, ſcilicet dubia & incerta (ut erant privatæ illæ prophetiæ, de quibus præceſſit k) probate, explorate, diiudicate, ſcilicet per eos qui etiam dono prophetiæ præditi ſunt. Unde nihil hic pro examine Conciliorum vel librorum prohibitorum, ut volunt hæretici: quia hæc non ſunt dubia, ſed publico Eccleſiæ iudicio pridem diiudicata.

V. 23. Integer servetur spiritus et corpus sine querela in adventu Domini, id eſt ſitis incontaminati & irreprehenſibiles tam quoad interna, quam quoad externa, ut in die iudicii condignis præmiis condecoremini.

V. 24. Fidelis est Deus, qui ad id vos vocavit: nam etiam faciet quid-

quid

Digitized by Google

quid dixit: nempe conferet vobis hic neceſſaria auxilia & gratias, in futuro præmium cæleſtis gloriæ.

(a) Marci XIII. 31.
(b) Matth. XXV. 6.
(c) Hieron. ad Heliodorum. Aug. Lib. de Diſciplina Chriſtiana, & Lib. II. de Doctrina Chriſtiana.
(d) Dan. XII. 12. & Ezech. XXXIX. 9.
(e) Matt. XXIV. 38.
(f) Lucæ XXI. 25. &c.
(g) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. XI.
(h) Epheſ. IV. 14. &c.
(i) Proleg. ſup. 29.
(k) Verſ. 20. & I. Cor. XIV. 29.

GORDONI.

Verſ. 1. DE TEMPORIBUS. Qualis ſit dies Domini declarat, quam plenus periculi his qui ſunt in tenebris infidelitatis; quam repentinus, ut dolor parturientis; & quam felix his, qui ambulant in Luce Evangelii. Quod cum ita ſit (verſ. 6.) canere oportet, ne dormiant ſomno peccatorum; quaſi diceret, Tenebris ſomnus convenit, non luci. Hinc opponit operibus lucis opera tenebrarum. Illa ſunt fides, ſpes, caritas, per quæ opera præparatur homo ad diem iudicii. Ita ſunt ſocordia, ebrietas, & ſomnus peccatorum; qualia ſunt ob quæ homines deſtinantur ad iram & damnationem. Non ſic populus acquiſitionis, quem Deus prædeſtinat ad ſalutem; & quorum vitam vult eſſe vigiliam.

V. 11. PROPTER QUOD CONSOLAMINI. Reliquum capitis habet exhortationem ad bona opera. AEDIFICATE ALTERUTRUM; promovete mutuam ſalutem pio ſermone & exemplo. GAUDETE, (verſ. 16.) gaudio ſpirituali, etiam in tribulatione. Ideo additur, *τὸ ſemper*. ORATE SINE INTERMISSIONE, [verſ. 17.) ſuo tempore. SPIRITUM NOLITE EXTINGUERE, (19.) ut faciunt, qui repellunt ſanctum motum Spiritus Sancti, dum ad cor pulſat, & incitat per dona ſua ad bonum. PROPHETIAS, [20.) accipio a veris Prophetis; aut etiam interpretationes verbi nolite contemnere. OMNIA PROBATE, (verſ. 21.) explorate prudenter in his quæ occurrunt, an inſit aliquid mali, & inhærete bono. ADIURO (verſ. 27.) Quidam interpretantur hic eſſe præceptum, invocato Dei nomine. Pacis oſculum Theophylactus intelligit non doloſum. Vide tamen Rom. XVI. 16. & II. Cor. XIII. 12.

EPI-

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES SECUNDA.

HANC ſecundam Epiſtolam non multo poſt priorem Corinthi ſcripſit Apoſtolus. Hæc ſcribendi fuit occaſio, quod cum Paulus in ſuperiori Epiſtola de futura reſurrectione egiſſet, ut eos de morte parentum, vel amicorum ſolaretur, illi aut mente Apoſtoli non bene intellecta, aut a falſis doctoribus decepti, extremum inſtare iudicium ſibi perſuaſerant. Paulus vero ab eo errore illos deducit, & docet prius adfuturum Antichriſtum, cuius mores & exitium redarguit, omnes ad patientiam cohortatur: neque illud abhorret a vero quamdam a falſis doctoribus ſuppoſitam fuiſſe illius Epiſtolam, in qua extremum iudicium inſtare prædicebat. Apoſtolus, ne deinceps in errorem eo nomine inducerentur, hac utitur cautione: Salutatio, mea manu Pauli; quod eſt ſignum in omni Epiſtola: ita ſcribo.

C A P U T   P R I M U M.

Gratias Deo agit pro fide ac tolerantia Theſſalonicenſium in perſecutionibus, propter quas dicit illos gloriam, adverſarios vero ultionem in die iudicii recepturos; orans ut digni habeantur vocatione Dei.

1. PAULUS, & Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſa-
lonicenſium, in Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu
Chriſto. 2. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro,
& Domino Ieſu Chriſto. 3. Gratias agere debemus ſem-
per Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quo-
niam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat caritas uni-
uſcuiuſque veſtrum in invicem: 4. ita ut & nos ipſi in
vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, pro patientia veſtra, & fide, & in om-
nibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis 5. in exem-
plum iuſti iudicii Dei, † ut digni habeamini in regno Dei, pro quo &
patimini: 6. ſi tamen iuſtum eſt apud Deum, * retribuere tribulationem iis
qui vos tribulant: 7. & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in re-
velatione Domini Ieſu de cælo cum angelis virtutis eius, 8. in flamma
ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt
Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti: 9. qui pœnas dabunt in interitu
æternas à facie Domini, & gloria virtutis eius: 10. cum venerit glorifica-
ri in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia cre-
ditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo. 11. In quo etiam
oramus ſemper pro vobis: ut dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, &
impleat * omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, 12. ut cla-
rificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecun-
dum gratiam Dei noſtri, & Domini Ieſu Chriſti.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 6. Retribuere tribulationem. Non eſt mutanda vox *tribulationem*, quæ pœnam ſignificat in *retributionem*, quæ mercedem.

Verſ. 11. Omnem voluntatem bonitatis. Non addas pronomen *ſuæ*.

LECTIONUM VARIETAS

Verſ. 5. *UT digni habeamini in regno Dei*. Plurimi libri omittunt præpoſitionem *in* Græco conſentanee.

COM-

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 5. QUAS SUSTINETIS IN EXEMPLUM, &c. Græce ἔνδειγμα, documentum ſive manifeſtationem. Eſt autem idem ſenſus, quod preſſuras & afflictiones ad iuſtum Dei iudicium manifeſtandum ſuſtinent, quum in iudicio videbunt impii quos afflixerunt, præmio; ſe autem afflictores, ſupplicio affectos. UT DIGNI HABEAMINI: εἰς τὸ καταξιωθῆναι; id eſt, adeo ut digni habiti ſitis, & ille vos dignos duxerit regno ſuo (nam Græce deeſt, in) ob afflictiones veſtras. Ille enim dignatus eſt eos in afflictionibus confirmare, ſicut Philipp. I. *vobis*, inquit, *donatum eſt pro Chriſto, non ſolum, ut in eum credatis, ſed & pro illo patiamini*.

V. 6. SI TAMEN IUSTUM. Quidam Græc. habent εἴπερ; id eſt, ſiquidem, vel quandoquidem iuſtum eſt Deum reddere retributionem, vel ut Græci habent θλίψιν, id eſt tribulationem iis, qui vos tribulant. Chryſoſtomus legit, *Si tamen*, ſed ſic ut τὸ *ſi* non dubitantis ſit particula, ſed affirmantis, quod aliquoties uſu venit.

V. 7. IN REVELATIONE DOMINI IESU; id eſt, quum revelabitur, veneritque ad iudicium angelis ſuis comitatus: ſicut Matth. XVI. ſcribitur. Quod autem in igne venturus ſit, docet David Pſal. XCVI. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*; cui ſimiliter Paulus ait *in flammæ ignis*, aut, ut Græci habent ἐν πυρὶ φλογὸς, id eſt in igne flammæ, dantis vindictam; ubi τὸ dantis, non refertur ad τὸ flammæ ignis, quum pro eo Græce ſit nomen generis feminini, διδόντος autem ſit maſculini, & ideo refertur ad id quod præceſſit *in revelatione Domini dantis vindictam*.

V. 9. QUI POENAS DABUNT, &c. Græce deeſt, *in*, ὄλεθρον αἰώνιον, id eſt pœnas dabunt & pendent, ſcilicet interitum æternum, ut pœnæ illæ non temporariæ, ſed æternæ ſint. A FACIE DOMINI, id eſt a præſentia Domini, inquit Chryſoſt. adeo ut non multum ſit negotium ad perdendos ipſos quos ſola peſſundabit Domini præſentia, vel a facie, id eſt a furore: nam *Phaniam* pluraliter faciem ſignificat Hebræis, & quia in facie cognoſcitur ira & indignatio hominis, ideo vultus & facies Hebræis quandoque furorem ſignificat & iram, ut Pſal. *Pone illos ut clibanum ignis in tempore vultus tui*; pro vultus, *phaneque* eſt Hebraice, id eſt furoris tui, & Pſal L. *Averte faciem tuam a peccatis meis*, id eſt indignationem & furorem, *phanequa*, pro quo Chaldæus habet *apheque*, id eſt furorem.

V. 10. QUIA CREDITUM EST, &c. Quia teſtificanti mihi de iis, quæ in die illo futura ſunt præmiis & ſuppliciis credidiſtis.

V. 11. OPUS FIDEI IN VIRTUTE: in confeſſionem fidei, quæ excellens eſt opus fidei compleat in vobis & perficiat, cum potentia animique conſtantia.

S A.

LAudat illos, confirmat, exhortaturque, addens quædam de die iudicii & Antichriſto.

V. 1. SILVANUS: vide ſup. cap. I. IN DEO, ſcilicet congregatæ, ſeu Deum colenti.

V. 3. DIGNUM, id eſt æquum.

V. 4. IN VOBIS; pro, de vobis.

V. 5. EXEMPLUM. Græc. ἔνδειγμα, id eſt *oſtenſionem*. Syr. *demonſtrationem*.

V. 6. SI TAMEN; pro, quandoquidem.

V. 7. REVELATIONE, id eſt apparitione, ſcilicet in iudicio. VIRTUTIS, id eſt exercitus.

V. 8. DANTIS; pro, daturi.

V. 9. IN INTERITU, id eſt ſupplicio, ſeu exitio. A FACIE, &c. id eſt in conſpectu Domini, & gloriæ, &c. VIRTUTIS, id eſt potentiæ.

V. 10. QUIA CREDITUM. Iunge cum ſuperioribus, *& vobis*, &c. TESTIMONIUM, ſcilicet de Chriſto, id eſt prædicatio. SUPER vos, id eſt a vobis. DIE ILLO: iunge *cum venerit*.

V. 11. IN QUO, id eſt ad quod; vel, de quo. DIGNETUR, id eſt dignos faciat. IMPLEAT, ſcilicet in vobis. VOLUNTATEM. Græc. εὐδοκίας, id eſt *beneplacitum*. IN VIRTUTE, id eſt potenter.

V. 12. Clarificetur, id eſt glorificetur.

MARIANAE.

Verſ. 1. Ecclesiae Thessalonicenſium, in Deo Patre noſtro; pro, Eccleſiæ, quæ eſt in Deo, id eſt Dei Patris. Aut potius *in Deo Patre noſtro ſalutem*, ſupple, Gratias ago Deo, quoniam.

V. 3. Uniuscuiusque vestrum abundat caritas. Goth. *unuſquiſque omnium veſtrum*: ſic Græc. & Syr. Sed vox *omnium* redundat, ideo ſublata eſt. Patientia veſtra eſt

V. 5. In exemplum: ἔνδειγμα, *demonſtrationem, iuſti iudicii Dei*, cum ſcilicet puniet in die iudicii eos qui vos affligunt, vos præmio afficiet. Gregorius V. Moral. cap. IX. *Quia ex pœna iuſtorum colligitur, quomodo puniturus ſit in iuſto iudicio malos, qui in miſericordia ſic bonos affligit.* Ut digni habeamini in regno Dei, ſcilicet *præmio*, ſic Gotth. alii *regno Dei* ſine *in*: ſic Lovan. & Regia: ſic Græc. & Syr. ſed parum refert.

V. 6. Si tamen iustum est: εἴπερ, *ſiquidem*: ſic Syr. Non dubitat, ſed affirmat; ſic in *ſi tamen* ſumi debet *tamen* pro *quidem*. Retribuere tribulationem, id eſt vindictam. Goth. & alii, *retributionem*, ſed Græc. θλῖψιν, id eſt *tribulationem*.

V. 7. In revelatione, id eſt die iudicii, cum venerit Angelis comitatus: Matth. XXVI. 27.

V. 8. Dantis vindictam iis: iunge cum *Domini Ieſu*, non cum *flamma ignis* propter voces Græcas, & earum genera φλογὸς femininum, & διδόντος maſculinum.

V. 9. A facie Domini. *Facies* pro furore, & ira. Pſal. L. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis*. Et gloria virtutis eius, ſcilicet a maieſtate potentiæ eius ſcilicet punientur.

V. 10. Cum venerit, ſcilicet in die iudicii. Glorificari in iis qui crediderunt. Quia creditum est, ſcilicet mihi teſtificanti de die illo, ea fides digna eſt quæ præmio muneretur. In die illo. Iunge cum illis verbis, *admirabilis fieri*. Illud, *quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos*, lege per parentheſim, ut eſt in Græco cod. Roberti. Porro super vos, pro, in vobis.

V. 11. In quo. Græc. *in quod*, id eſt propterea oramus: ſic Syr. Voluntatem bonitatis, id eſt voluntatem bonam. Et opus fidei, id eſt confeſſionem fidei cum virtute & conſtantia perficiat in vobis.

MENOCHII.

Verſ. 1. Paulus, et Sylvanus, &c. Vide dicta ſuperiori Epiſtola cap. I. 1.

V. 3. Supercrescit fides vestra: magnum accipitis incrementum, multum in fide proficit. Abundat: creſcit.

V. 4. In vobis gloriemur: de vobis gloriemur apud alias Eccleſias Dei, veſtro exemplo reliquos fideles incitantes. Pro patientia vestra, et fide: patientiæ fidem adiungit, quia fide, & ſpe futurorum bonorum ad ferenda adverſa roboramur.

V. 5. In exemplum iusti iudicii Dei: ἔνδειγμα, *demonſtrationem, oſtenſionem*. Significat Apoſtolus Theſſalonicenſium patientiam, ac tolerantiam, eſſe demonſtrationem, & oſtenſionem iuſti iudicii Dei, quo aliquando Regno Dei digni cenſendi ſint.

V. 6. Si tamen iustum est, &c. εἴπερ, quod poſitum eſt, pro ἐπειδήπερ, *quandoquidem*; ſenſus autem eſt: Si quidem dignum eſt divinam providentiam viciſſim iis qui vos vexant, iuſtam malorum retributionem rependere.

V. 7. Requiem: laxamentum, & ſolatium. In revelatione Domini Iesu de caelo: cum Chriſtus apparebit iudex in die iudicii. Cum angelis virtutis eius: divinæ ſuæ potentiæ adminiſtris. Vel *exercitus eius*; δύναμις enim exercitum etiam ſignificat.

V. 9. In flamma ignis dantis vindictam, &c. quaſi dicat; Dominus Ieſus per flammam ignis vindictam ſumet de impiis. Dantis: διδόντος, non refertur, *ad flammam ignis*, ſed ad *Domini Ieſu*, ut patet ex Græco, nam ſi referret, ad flammam diceretur διδούσης in feminino, non διδόντος in maſculino.

V. 9. In interitu aeternas: damnationem æternam incurrentes. A facie Domini,

MINI, id eſt a præſentia, vel ab ore, & ſententia Chriſti iudicis. ET A GLORIA VIRTUTIS EIUS: & a maieſtate glorioſa exercitus angelorum, & ſanctorum omnium.

V. 10. CUM VENERIT GLORIFICARI IN SANCTIS SUIS: cum venerit Dominus ut glorificetur, id eſt glorioſus appareat in ſanctis ſuis, quod nimirum fiet dum eos ad gloriæ ſuæ ſimilitudinem evehet, & membra capiti, hoc eſt ſibi ipſi, reddet conformia. ADMIRABILIS FIERI, &c. gloriam plane admirabilem ſanctis ſuis, qui in eum crediderunt conferendo. QUIA CREDITUM EST TESTIMONIUM NOSTRUM SUPER VOS IN DIE ILLO; quaſi dicat, Quandoquidem hoc in dubium apud vos revocari non poteſt, qui noſtris ſermonibus fidem habuiſtis. Itaque *creditum eſt ſuper vos*, idem eſt ac, *creditum a vobis*; &, *in die illo*, idem ac, *de die illo*.

V. 11. IN QUO, id eſt ad quam rem, ſcilicet, ut etiam in vobis Chriſtus, cum venerit, glorificetur, & admirabilis fiat. UT DIGNETUR VOS VOCATIONE SUA DEUS NOSTER: ut Deus gratiam vocantem, qua vos ad Chriſti fidem, ſalutem, & Chriſtianiſmum vocavit, conſervet, augeat, perficiat, &c. ET IMPLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS: & ut compleat æternum beneplacitum bonitatis ſuæ, qua vos elegit ad conſortium gloriæ Chriſti. ET OPUS FIDEI IN VIRTUTE, id eſt fortiter, ac potenter. *Opus fidei* vocat patientiam in adverſis, per quam maxime fidei virtus elucet.

V. 12. CLARIFICETUR: glorificetur. ET VOS IN ILLA: nam ſicut ſervorum virtus gloria Domini eſt; ita e diverſo dignitas, & excellentia Domini ſervos efficit glorioſos. SECUNDUM GRATIAM, &c. quaſi dicat, Hoc ipſum quod opera fidei editis, quibus clarificatur Deus in vobis, & vos in Deo, totum hoc eſt opus, & effectus gratiæ Chriſti, totum fit per gratiam Chriſti, non veſtris viribus.

T I R I N I.

Verſ. 3. FIDES VESTRA SUPERCRESCIT, id eſt magnum accipit incrementum, vehementer augetur.

V. 5. IN EXEMPLUM IUSTI IUDICII DEI; Græce, *εἰς ἔνδειγμα*, id eſt *in oſtenſionem*, demonſtrationem, documentum; quaſi dicat: Ut omnibus oſtendatur & manifeſta fiat iuſtitia Dei, qui ex una parte vobis ob afflictiones hic perpeſſas, *requiem*, id eſt relaxationem a malis omnibus, & cæleſtes bonorum omnium theſauros conferet æternum: ex altera parte perſecutoribus veſtris ob ſua ſcelera *tribulationem* & afflictionem gehennalem *retribuit*.

V. 8. FLAMMA IGNIS æterni condignam VINDICTAM, ſeu ultionem, ipſis inflicens.

V. 9. A FACIE DOMINI, id eſt per præſentiam & ſententiam Chriſti iudicis, & per *gloriam* VIRTUTIS, id eſt glorioſam potentiam, EIUS,

V. 10. CUM VENERIT ad extremum iudicium, ut per illud *glorificetur* ET ADMIRABILIS *fiat a*, id eſt admirabiliter glorioſus appareat, non modo in ſeipſo, ſed & in omnibus membris ſuis myſticis: quando nempe Sanctos ſuos omnes ad gloriæ ſuæ participationem evehet, ſibique conformes reddet, iuxta TESTIMONIUM & prædicationem *noſtram* apud vos, cui etiam *creditum eſt* a vobis IN, id eſt de *b*, DIE ILLO extremi iudicii, inquit Anſelm.

V. 11. IN QUO, id eſt pro *c* quo, ſeu ad quam rem, ſcilicet, ut etiam in vobis Chriſtus excellenter glorificetur, continuo ORAMUS: impetraturi haud dubie, UT DIGNETUR VOS DEUS SUA VOCATIONE *d*, id eſt excellenti illa gloria cæleſti ad quam vos vocavit: ita Anſelm. ET ſic IMPLEAT OMNEM VOLUNTATEM BONITATIS; *εὐδοκίαν*, id eſt *beneplacitum* ſuum quo vos ab æterno ad illam gloriam elegit *e*. Item IN, id eſt eum, VIRTUTE, ſeu potentia gratiæ ſuæ divinæ, compleat OPUS FIDEI veſtræ, id eſt ſubſtructionem, ſeu fabricam ſpiritualis ædificii veſtri, a fide inchoatam, ſed cæleſti gloria perficiendam. Compleat, inquam, non ſe ſolo, (ut Beza fingit;) ſed una vobiſcum operando, ut cum diſcipulo operatur magiſter, cum viatore dux viarum, cum trahente ſocius una trahens, ut ex S. Auguſtino & aliis Patribus docet Concil. Tridentinum.

(a) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. xli.
(b) Ibid. n. 1.
(c) Ibid.
(d) Ibid. verſ. 46.
(e) Epheſ. 1. 4. &c.

COR-

GORDONI.

Verſ. 1. PAULUS. De Silvano dixi ad initium prioris epiſtolæ. Scribit Ecelesiæ in Patre & Domino Ieſu, ſcilicet congregatæ, ut diſtinguatur ab Ecclesia gentium: τὸ IN, notat æqualitatem Patris & Filii. Et idem eſt *τὸ per*, quod eſt verſu tertio. SUPERCRESCIT, id eſt augetur, & capit incrementum. IN EXEMPLUM IUSTI IUDICII, verſu 5. Dicit Theſſalonicenſium fidem eſſe quandam oſtenſionem iuſti iudicii Dei futuri: talibus enim in illo iudicio regnum Dei & gloria concedetur. Nam ut habet verſu ſexto, iuſtum eſt retribuere vobis bonis, & impiis perſecutoribus id quod quiſque meretur. SI TAMEN: *εἴπερ ſiquidem*; ac ſi diceres, Quandoquidem. Et hinc progreditur, verſ. 8. & 9. ad decreta huius iudicii declaranda. Ubi τὸ, DANTIS, verſ. 8. (ut conſtat ex Græco) non ad flammam ignis, ſed ad τό, DOMINI IESU refertur.

V. 10. CUM VENERIT. Vere tunc admirabilis erit Dominus in oſtenſione miraculorum & virtutis in utraque profecto forte, in maieſtate iudicis, in gratiæ oſtenſione qua ſuis affuit, & in impiorum cognita fama rebellione, magnitudineque pœnarum. Adde impiorum ſtuporem & confuſionem. QUIA CREDITUM EST. Neque, inquit, hoc amplius in dubium revocari poteſt apud vos Theſſalonicenſes, qui iam his omnibus ſemel crediditis.

V. 11. IN QUO OMNES. Tandem concluditur hoc caput in oratione ad Deum, ut in Theſſalonicenſibus ſtet firma fides, ſed operans & viva, ac perſeverans. Mirum eſt Novatores non videre hic fidem tantum eſſe initium ſalutis, & eam compleri in bonis operibus & perſeverantia, Errant etiam cum non advertunt nos ad actum fidei libere cooperari, Deo concurrente.

CAPUT II.

De die Domini monet ne credant ſeductoribus, oſtendens venturum prius filium perditionis, qui varia edet prodigia fallacia, quibus reprobi ſeducentur: de electione & fide Theſſalonicenſium gratias agit, monens ut ſervent acceptas ab ipſo traditiones, & pro eorum conſolatione ac confirmatione orat.

1. ROgamus autem vos fratres, per adventum Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum: 2.
ut non cito moveamini a veſtro ſenſu, neque terreami-
ni, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque
per Epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet
dies Domini. 3. (*a*) Nequis vos ſeducat ullo modo:
quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fue-
rit homo peccati, filius perditionis, 4. qui adverſatur, & extollitur ſupra
omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat
oſtendens ſe tamquam ſit Deus. 5. Non retinetis quod cum adhuc eſſem
apud vos, hæc dicebam vobis? 6. Et nunc quid detineat ſcitis, ut reve-
letur in ſuo tempore. 7. Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum
ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. 8. Et tunc revelabitur
ille iniquus, (*b*) quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & de-
ſtruet illuſtratione adventus ſui eum: 9. cuius eſt adventus ſecundum ope-

ratio-

rationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, 10.
& in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod caritatem veri-
tatis non receperunt ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem
erroris, ut credant mendacio, 11. ut iudicentur omnes, qui non credide-
runt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. 12. Nos autem debemus gratias
agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Deo, * quod elegerit vos
Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis:
13. * in qua & vocavit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitionem
gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. 14. Itaque fratres ſtate: & tenete tradi-
tiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. 15.
Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus Pater noſter, qui dilexit
nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, 16. exhorte-
tur corda veſtra, & confirmat in omni opere & ſermone bono.

(a) Epheſ. v. 6. (b) Iſaiæ xl. 4.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 12. *Quod elegerit vos Deus*. Non mutes pronomen ſecundæ perſonæ *vos*, in primæ *nos*.

Verſ. 13. *In qua & vocavit vos*. Quidam legunt *in quam*, quidam *ad quod*; ſed male omnino illi qui ſcribunt pronomen primæ perſonæ *nos*.

Notatio.

Verſ. 13. N*Os autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Deo quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus, & fide veritatis*. Multi libri con Lyrano, & Richelio, *quod elegeris vos* ſcribunt; plures & veriores cum Haymone, Auctore Gloſſæ, Anſelmo, Longobardo, Carenſi, Gorrano, & Brunone *nos*. Codices Græci cum Syris ὑμᾶς *vos* conſtanter habent. Montano Theophylactus ἡμᾶς *nos* legiſſe videtur. *Nos* videri poſſit legendum ex eo quod proxime ſequitur: *In* (*ad quod*, *quam*) *qua &* (Mal. ma.) *vocavit vos per evangelium noſtrum*; quaſi dicat Apoſtolus, gratias ſe debere Deo pro ſui electione, non ſui tantum cauſa, verum etiam Theſſalonicenſium, quibus a Deo miſſus eſt veritatis prædicator ſalutiſque miniſter. Quidam libri habent: *In qua & vocavit nos*; male. Porro Græce non inveni & coniunctionem (εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς: *Ad quod* (*Ad hæc enim* Syri) *vocavit vos*) niſi in una Simonis Colinæi editione: εἰς ὃ καὶ ἐκάλεσεν ὑμᾶς. Si *vos* priori loco legatur illic de prædeſtinatione, hic de prædeſtinationis effectu ſermonem eſſe intelligi poteſt. Alii qui *nos* habent: ſimpliciter intelligunt, Apoſtolum ſe Theſſalonicenſibus connumeraſſe.

Notandum eſt hic inſuper pro eo quod Latini *primitias*, Græcos ἀπαρχῆς legere, quod eſt *ab initio*, *a principio*, conſentientibus Syris, & Auctore commentariorum, quæ ſunt inter Ambroſii opera. Habet hic: *Quia aſſumpſit vos Deus a principio ad ſalutem*. Similem ad modum antiquum Malmundarienſe exemplar maius, id quod ſæpius a noſtra editione recedere obſervavimus: *Quia elegit vos Deus ab initio ad ſalvationem*. Interpres noſter ἀπαρχὴν fortaſſe legit, quod *primitias* ſonat. Gagneius habet a quibuſdam exemplaribus Græcis ἀπαρχὰς ſcribi.

COM-

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verſ. 1. NOSTRAE CONGREGATIONIS, quia in adventu Domini congregabuntur omnes ſancti & electi Zach. XIV. *Ecce veniet Dominus meus, omneſque ſancti eius cum eo.*

V. 2. NEQUE PER SPIRITUM, id eſt fa. ctam revelationem, aut ficta ſpiritus ſancti miracula, ſive ut explicant Græc. per ſpiritum nequam, per quem loquebantur pſeudo-apoſtoli.

V. 3. DISCESSIO PRIMUM: *ἀποςασία*, id eſt defectio, vel a Romano Imperio, non quod ſtatim venturus ſit poſt eam, ſed quod non ante: vel defectio, id eſt Antichriſtus, qui deficiet a fide, vel defectio, ab univerſali eccleſia & fide Catholica. Eſt autem ibi eclypſis frequens Paulo: *niſi venerit diſceſſio*, &c. non veniet dominus ad iudicium.

V. 4. SUPRA OMNE QUOD DICITUR DEUS. Græca lectio duplex, *ὑπὲρ πάντα τὸν λεγόμενον*, id eſt ſuper omnem qui dicitur, vel *ὑπὲρ πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα*, id eſt ſuper omnem quod dicitur Deus aut religio, vel cultus. Eſt enim *σέβασμα* religio ac cultus Dei: nos vertere poſſumus numen. Vult autem Paulus quod non tantum verum Dei cultum, ſed & omnem alterius præterquam ſui tollet idololatriam.

V. 5. NON RETINETIS QUOD: *οὐ μνημονεύετε*, non meminiſtis quod minus apud vos hæc dicebam vobis, ſcilicet non venturum Chriſtum, niſi prius veniſſet antichriſtus?

V. 6. QUID DETINEAT: *τὸ κατέχον*, id eſt impediens ſive impedimentum, quo minus veniat: hunc locum & ſequentes plane ſe neſcire quomodo intelligantur, fatetur Auguſt. Lib. de Civit. Dei XX. ſed tantum conicere.

V. 7. NAM MYSTERIUM: quidam hoc myſterium Neronem dicunt Antichriſti figuram, poteſtatem: *τὸ* myſterium recto & accuſativo caſu legi, ut ſcilicet Antichriſtus operetur in ſuis diſcipulis *myſterium iniquitatis*, id eſt adumbratam falſa religione hypocriſim & hæreſim: vel quod ipſe Antichriſtus qui futurus eſt myſterium iniquitatis, iam operatur, & ut Græci dicunt *ἐνεργεῖται*, id eſt vim ſuam profert, & exerit in ſui ſimilibus & præcurſoribus, hæreticis & ſeductoribus; qui etiam intelligi poſſunt eſſe myſterium iniquitatis; dum ſub prætextu præclarorum nominum, Chriſti, fidei, gratiæ, ac ſimilium, atque omnino fictæ religionis & male aptatis ſcripturis, ſuas hæreſes celant, ſed interim tamen patrem ſuum Antichriſtum præſtolantes, fideles clam ſeducendo operantur, vimque & energiam iniquitatis ſuæ proferunt. TANTUM UT QUI TENET TENEAT, DONEC DE MEDIO FIAT: ita Græce *ἐκ μέσου γένηται*; quidam interpretantur de gente Romana, quæ tenet imperium teneat, donec ab ea auferatur; mihi videtur de fide intelligi; quaſi dicat, Etſi iam myſterium iniquitatis, id eſt Antichriſti, præcurſores occulti hæretici vim ſuam proferunt ſeducentes; tantum id ſupereſt, ut qui tenet teneat, id eſt fideles quam habent fidem, retineant, donec de medio fiat: donec de medio eccleſiæ exeant occulti hæretici, & tunc revelabitur ille iniquus. Quum enim eo uſque veſaniæ prodierint hæretici, ut non in conciliabulis, ſed palam & aperte fidem, & eccleſiam oppugnare non erubeſcant, tunc argumentum erit inſtantis Antichriſti.

V. 10. MITTET ILLIS DEUS, &c. id eſt abire ſinet, ut credant mendacio, id eſt atque ita dimiſſi, relicta veritate mendacio credent, & iudicabuntur.

V. 12. PRIMITIAS IN SALUTEM. Quidam Græci codices habent, *ἀπ' ἀρχῆς*, id eſt quod ab initio nos elegerit, alii *ἀπαρχάς*, id eſt primitias: alludit autem ad ritum Iudæorum, qui iubebantur in lege de novis fructibus terræ primos & præcipuos Deo offerre, quos primitias vocabant: ita vocat Paulus Chriſti Apoſtolos, & diſcipulos primitias ſpiritus Chriſti, quos velut primos & præcipuos eccleſiæ fructus Deo patri Chriſtus conſecravit.

V. 13. IN ACQUISITIONE GLORIAE, &c. id eſt ut vos ſibi in gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti acquireret, vel vos gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti in eum credendo

do acquiretis. Græci exponunt, ut gloriam filio ſuo acquireret in ſalvandis per eum fidelibus.

V. 14. SIVE PER SERMONEM. Facit hic locus contra eos, qui nulli rei fidem haberi volunt, quæ non expreſſe caveatur in Scripturis, contra quos hoc loco Chryſoſtomus & Græca ſcholia ϗ γὰρ ϗ ἀγράφως ϗ ἐγγράφως παρέδωκαν οἱ ἀπόστολοι, ϗ ἀξιοφυλακτὰ ϗ ἀμφότερα ἐκ γαρῶν ϗ ἡ ἀγράφως τῆς τοι κλησίας παράδοσις φυλακτέα ἐστί; id eſt, etenim & ſcripta, & non ſcripta præcepta tradiderunt Apoſtoli: & utraque obſervatione digna. Igitur & eccleſiæ quoque, vel non ſcripta traditio ſervanda eſt.

V. 16. EXHORTETUR: παρακαλέσαι, id eſt *conſoletur*.

S A.

Verſ. 1. IN IPSUM; pro, ad ipſum, ſcilicet tunc venturæ, ſeu illi occurſuræ.

V. 2. SENSU, id eſt mente. TERREAMINI. Græc. *turbemini*. SPIRITUM, id eſt alicui factam revelationem. DOMINI. Gr. *Chriſti*.

V. 3. QUONIAM, ſcilicet non veniet Chriſtus. DISCESSIO, id eſt defectio a Romano Imperio, ſcilicet ut omnes Gentes quæ Romano Imperio ſubiacent, recedant ab eo: Hieron. epiſt. CLI. Græc. ἀποστασία, pro, Apoſtata: ſcilicet Antichriſtus, ſic enim quidam intelligunt, ut quod ſequitur, ſit explicatio. PECCATI, id eſt ſceleſtus. PERDITIONIS, id eſt perditus, ſeu perditioni deſtinatus.

V. 4. EXTOLLITUR, &c. id eſt ſe iactat quocumque Deo maiorem. TEMPLO, ſcilicet Ieroſolymitano, vel eo qui nunc eſt Chriſti: vel, ut multi putant, quod ipſe conſtruet, ſed quomodo illud Dei erit? OSTENDENS, id eſt oſtentans ſeu præſeferens.

V. 5. RETINETIS, id eſt meminiſtis.

V. 6. DETINEAT, id eſt impediat quo minus veniat. SCITIS. Sciebant illi quibus Apoſtolus dixerat, nos neſcimus.

V. 7. NAM; pro, alioqui. OPERATUR, ſcilicet in hæreticis, & malis. INIQUITATIS, ſcilicet plenum; quaſi dicat: Quæ hæretici ut myſteria venditant, plane ſunt nequitiæ. UT QUI. Græc. *qui*. TENET, ſcilicet Imperium Romanum. FIAT, id eſt tollatur, ſcilicet Imperium. Indicat non prius venturum Antichriſtum, quam Imperium Romanum deficiat.

V. 8. TUNC, ſcilicet poſt Imperii Romani defectionem. REVELABITUR, id eſt apparebit, ſeu manifeſtabitur. SPIRITU ORIS SUI, id eſt imperio ſuo. ILLUSTRATIONE, id eſt apparitione.

V. 9. CUIUS, ſcilicet Antichriſti. VIRTUTE, id eſt potentia.

V. 10. INIQUITATIS, id eſt iniqua. VERITATIS, id eſt veram.

V. 11. IUDICENTUR, id eſt condemnentur.

V. 12. PRIMITIAS, id eſt velut primitias, ſeu inter primos. Græc. *ab initio*.

V. 13. IN QUA, ſcilicet fide, ſeu veritate. GLORIAE; pro, ad gloriam.

V. 15. AETERNAM, id eſt perpetuo duraturam. IN GRATIA, id eſt per gratiam.

V. 16. EXHORTETUR: verti poterat, *conſoletur*. SERMONE, id eſt doctrina.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. ROGAMUS AUTEM VOS, per Chriſti adventum, & NOSTRAE CONGREGATIONIS IN IPSUM, id eſt per Eccleſiam. Itaque rogat per Chriſti adventum, & per eius Eccleſiam. Alii intelligunt congregationem ſanctorum qui Chriſto occurrent in die iudicii. Recte, ſi hic ageret de eo adventu. Puto enim agi de excidio Ieruſalem, quod iudicii etiam extremi imago fuit.

V. 2. NEQUE PER SPIRITUM terreamini, id eſt revelationem. NEQUE PER SERMONEM. Fingebant Paulum dixiſſe, inſtare adventum Domini. NEQUE PER EPISTOLAM. Evulgaſſe videntur Epiſtolam de eadem re, Pauli nomine. Sic teſte Rufino in Apolog. pro Orig. librum Tertull. de Trinitate male ſentientis, Cypriani nomine Ariani vendidere. Evagrius Lib. III. Neſtorianos ait ſuos libros Athanaſii nomine inſcripſiſſe.

V. 3. NISI VENERIT DISCESSIO PRIMUM, ſcilicet non veniet Dominus. Hæc fuit Vindicis in Neronem rebellio, nota in hiſtoria Romana. Nos etiam attigimus Lib. IV. noſtrorum Annal. Hiſpan. cap. III. Aut *diſceſſio* ſit Iudæorum rebellio, ob ſævitiam Flori Præſidis; de qua Ioſephus Lib. XX. cap. IX. Aut ſit Romani Im-

Imperii ruina: poſtquam Antichriſtus & iudicii dies REVELATUS FUERIT. Hic fuit *Antichriſtus*: fuit etiam *Barcosbam*, id eſt *filius mendacii* notus in Hebr. Hiſtoria, qui ſe Meſſiam finxit, & Iudæos ad rebellionem incitavit. Fecunda eſt ſenſibus divina Scriptura. De excidio Ieruſalem, & fine mundi ſimul agit. Alterum alterius typus & umbra fuit.

V. 5. NON RETINETIS. Græc. *memoramini*, retinetis memoria. Hæc Auguſt. XX. de Civit. cap. XIX. quæ ſequuntur ſe non intelligere fatetur. Quid nos.

V. 6. QUID DETINEAT SCITIS, id eſt moretur adventum Domini. Quid id? imperium Neronis: nam poſt eum, excidium verbis futurum erat.

V. 7. NAM MYSTERIUM; quaſi dicat: Iam inſtat illud ſecretum everſionis Ieruſalem; quod vocat *myſterium iniquitatis*, quia ob Iudæorum iniquitatem eſt everſa. Aut ille falſus Meſſias iam ſe parat, telam orditur. QUI TENET NUNC, ſcilicet imperium, ſcilicet Nero; nam poſt eius mortem continuo everſio eſt ſecuta. Non audet Paulus illum nominare, ne irritaretur amplius: ſic Ierem. cap. XXIII. 26. & cap. LI. 4. pro Rege *Babel*, *Seſac* dixit litteris commutatis per notas arte quadam de qua iis locis dictum eſt, ne ſcilicet eum offenderet.

V. 8. ET TUNC REVELABITUR. Hyperbaton Paulo familiare. Irenæus Lib. III. cap. VII. ſic ordinat: *Et tunc revelabitur iniquus, cuius eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ; in omni virtute, & ſignis, & portentis mendacii, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet præſentia adventus ſui*. Ex quo colligo, pronomen *eum*, quo hic verſus clauditur, redundare. Græce non eſt, neque in Gotth. neque ſententia id requirit. SPIRITU ORIS, id eſt verbo, iuſſu: ſic eſt occiſus ille falſus Meſſias.

V. 9. CUIUS EST ADVENTUS, ſcilicet illius iniqui.

V. 10. IDEO MITTET, id eſt ſinet ut credant mendacio. Multa falſa miracula fecit falſus Meſſias.

V. 11. UT IUDICENTUR, id eſt condemnentur. *Ut* non cauſam, ſed eventum ſignificat; quaſi dicat: Sic fiet ut condemnentur, ſcilicet increduli. Nos gratias Deo agimus.

V. 12. QUOD ELEGERIT VOS. Gotth. *nos*, ſic Theophylactus legiſſe videtur. Eritque ſenſus; Elegit nos, ut vos noſtra opera & prædicatione vocaret PRIMITIAS. Græc. *ἀπ' ἀρχῆς*, ſed noſter *ἀπαρχὰς* legit, id eſt pro *a principio*, *primitias*, quam Græcam lectionem affert Veleſius: ſententia eadem. IN SANCTIFICATIONE SPIRITUS, ſcilicet vocavit nos, ut eſſemus ſancti & in fide vera.

V. 13. IN ACQUISITIONEM GLORIAE; ut ſcilicet data gloria nos ſibi acquireret. Aut nos poſſideremus gloriam.

V. 14. TENETE TRADITIONES. Erant qui ſolis Scripturis credendum dicerent. Scio pleroſque hoc caput de iudicio extremo & vero Antichriſto intelligere: ſed, ut Matth. cap. XXIV. de utraque re agit, excidio Ieruſalem, & die iudicii; ita nil vetat quæ hic dicuntur, de utraque re accipi; nam illud excidium, figura fuit combuſtionis mundi; & falſus Meſſias, ſeu Nero, imago Antichriſti. Divina Scriptura myſteriis & ſignificationibus eſt fecunda. *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Aliud dicitur, aliud latet.

MENOCHII.

Verſ. 1. PER ADVENTUM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, id eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum venturum. ET NOSTRAE CONGREGATIONIS IN IPSUM; ſcilicet, rogo vos per adventum noſtræ congregationis in ipſum, hoc eſt per ſalutem veſtram, & aggregationem ad Chriſtum quam ſperatis, & optatis.

V. 2. UT NON CITO MOVEAMINI A VESTRO SENSU: ut non facile patiamini vos deiici a veſtra ſententia, cui me docente adhæſiſtis. NEQUE PER SPIRITUM: quaſi divinum, aut propheticum. NEQUE PER SERMONEM; ſcilicet noſtrum, vel a nobis profectum: erant enim qui mentiebantur ſe ex ore Pauli audiſſe quod inſtaret dies Domini. NEQUE PER EPISTOLAM: ſi quis epiſtolam aliquam tamquam a nobis ſcriptam proferet. DIES DOMINI: extremum iudicium.

V. 3. NE QUIS VOS SEDUCAT ULLO MODO; ſcilicet perſuadendo Chriſtum ſtatim eſſe venturum. NISI VENERIT DISCESSIO PRIMUM: *ἡ ἀποστασία*, *defectio*, *rebel-*

lio,

lio, ſcilicet populorum a ſuis principibus, & præſertim a Romano Imperio, & a Pontifice Romano. REVELATUS FUERIT: in lucem prodierit. HOMO PECCATI, id eſt homo peccator, & ſceleſtus. Intelligit Antichriſtum. FILIUS PERDITIONIS, id eſt perditus, ſeu perditioni deſtinatus.

V. 4. QUI ADVERSATUR, ET EXTOLLITUR, &c. qui contra Dei maieſtatem ac numen ſuperbe ſe extollet, iactans ſe quocumque Deo eſſe maiorem. ITA UT IN TEMPLO DEI SEDEAT: ipſe enim Antichriſtus ſolus coli volet, & in templo Ieroſolymitano ſolium ſuum collocabit; ſic explicant aliqui. Alii accipiunt de templis Chriſtianorum, cum templum Ieroſolymitanum non extet.

V. 5. NON RETINETIS? non meminiſtis?

V. 6. QUID DETINEAT; ſcilicet, adventum Antichriſti, & diem iudicii. Quidnam ſit hoc quod detinet, explicat verſiculo ſequenti. UT REVELETUR IN SUO TEMPORE: ſcitis quidnam moretur adventum Antichriſti quo minus in lucem prodeat, qui tamen ſuo tempore aderit. NAM MYSTERIUM IAM OPERATUR INIQUITATIS. Hunc locum varii varie explicant. Illos ſequor qui iniquitatis myſterium omnes improbos, omnia mortalium flagitia interpretantur. Sunt enim ſceleſti homines quaſi velites, & præcurſores Antichriſti. Senſus ergo eſt, Antichriſtum tum demum in lucem proditurum, cum ad eum uſque ad gradum hominum ſcelera pervenerint, qui divina providentia præfixus & conſtitutus eſt. Dicitur autem myſterium quia abditum, atque occultum eſt, neque quiſquam præter Deum ſcire poteſt quamdiu ſtatuerit hominum flagitia tolerare. TANTUM UT QUI TENET NUNC TENEAT; quaſi dicat, Interim dum myſterium iniquitatis operatur, qui tenet Chriſtum, & veram eius religionem firmiter retineat. DONEC DE MEDIO FIAT: donec veniat tempus illud, quo peccata, ſcelera & flagitia, quæ tunc multiplicantur, adveniente iudicio, & mundi fine, de medio tollantur.

V. 8. REVELABITUR; prodibit in lucem. ILLE INIQUUS; ſcilicet Antichriſtus. SPIRITUS ORIS SUI: iuſſu, aut nutu ſuo. Vel condemnatoria ſententia illum percellens, & perimens. Hoc eſt, quod de Chriſto vaticinans Iſaias dixit, cap. IV. *Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum interficiet impium*. ILLUSTRATIONE ADVENTUS SUI: ἐπιφανείᾳ, *apparitione* præſentiæ ſuæ; cum ſcilicet iam in proximo aderit tempus quo Chriſtus veniet ad iudicium. Nam ante diem iudicii occidetur Antichriſtus, poſt eius enim mortem, ut nimirum dabuntur hominibus quadraginta quinque dies pœnitentiæ, ex Daniele cap. XII. vide ibi dicta. EUM, abundat, & ſine hac voce ſenſus bene conſtat.

V. 9. CUIUS EST ADVENTUS SECUNDUM OPERATIONEM SATANAE; quaſi dicat, In cuius adventu, vel, per quem advenientem ſatanas operabitur, & exeret omnem ſuam potentiam, omnia ſua ſigna, & prodigia falſa. VIRTUTE, id eſt potentia, δυνάμει.

V. 10. ET IN OMNI SEDUCTIONE INIQUITATIS IIS QUI PEREUNT: ut omni arte, & modo ſeducat homines ad iniquitatem, ut pereant, & damnentur. CARITATEM VERITATIS: caritas veritatis eſt amor veritatis, quam Chriſtus Evangelio ſuo prædicavit, quamque ſi voluiſſent admittere, potuiſſent conſequi ſalutem æternam. MITTET ILLIS DEUS OPERATIONEM ERRORIS: permittet Deus illos ſeduci falſis ſignis, & miraculis Antichriſti, quæ vocat operationem erroris, ἐνέργειαν πλάνης, *efficaciam deceptionis*, quia ſcilicet Antichriſtus illos efficaciter ad ſe trahet. UT CREDANT MENDACIO: impoſturis Antichriſti.

V. 11. UT IUDICENTUR, &c. ex quo fiet ut iuſto Dei iudicio damnentur Iudæi, & quicumque veram fidem non receperunt. SED CONSENSERUNT INIQUITATI: mendacii Antichriſto adhærendo.

V. 12. PRIMITIAS IN SALUTEM: quod inter primos ſive ex Theſſalonicenſibus, ſive ex Gentibus vocati ſitis ad Chriſtianiſmum, & ſalutem, quæ per veram Chriſti fidem obtinetur. IN SANCTIFICATIONE SPIRITUS, id eſt per ſanctificationem ſpiritus, nam in baptiſmo infudit vobis habitum fidei, & gratiam ſanctificantem, qua ſpiritum, id eſt animam veſtram ſanctificavit.

V. 13. IN QUA: ad quam, ſcilicet fidem, & ſanctificationem. PER EVANGELIUM NOSTRUM: per prædicationem noſtram, qua vobis Evangelium annunciamus. IN ACQUISITIONEM GLORIAE, &c. ut efficiatis acquiſitio glorioſa Chriſti, hoc eſt eius poſſeſſio, ſanguine eius acquiſita.

V. 14. STATE*:* conſtantes in fide, & vocatione veſtra. TRADITIONES QUAS DIDICISTIS: traditiones vocat doctrinas, & inſtituta religionis Chriſtianæ verbo tenus tradita, vel per epiſtolas, quarum par eſt auctoritas.

V. 15. ET DEDIT CONSOLATIONEM AETERNAM: in ſpe, & prægustu æternæ gloriæ, & lætitiæ. ET SPEM GLORIAE IN GRATIA, id eſt per gratiam, per quam habemus ſpem vitæ æternæ. EXHORTATUR: *παρακαλέσαι*, *conſoletur*. Vulgatus vertit, *exhortetur*, quia *παρακαλοῦμαι*, utrumque ſignificat, & exhortari, & conſolari. IN OMNI OPERE, ET SERMONE BONO: in omni bona doctrina, atque in omni genere bonorum operum.

T I R I N I.

Verſ. 1. ROGAMUS VOS PER ADVENTUM DOMINI, id eſt per Chriſtum venturum ad iudicium, ET *per adventum* NOSTRAE CONGREGATIONIS IN IPSUM. Vatablus, *per noſtri aggregationem in ipſum*; quando nempe adveniente Chriſto ad iudicium, nos illi obviam veniemus, & ad ipſum aggregabimur *a;* quaſi dicat: Obſecramus & obteſtamur vos per Chriſtum, & per veſtrammet ſalutem, ut quantum reveremini Chriſtum, & veſtram amatis ſalutem, tantum averſemini pſeudodoctores: ita Chryſoſt. & Theophyl.

V. 2. NON cito, nec facile, *dimoveamini* A VESTRO SENSU, ſeu ſententia quam ex me hauſtam hucuſque tenuiſtis de die iudicii, deque aliis myſteriis*:* NEQUE TERREAMINI, QUASI IAMIAM INSTET DIES DOMINI, ut vobis perſuadere conantur pſeudo-doctores, partim PER SPIRITUM propheticum, ſeu per revelationem Spiritus ſancti, ut mentiuntur*:* partim PER SERMONEM, id eſt vivæ vocis oraculum quaſi ex ore noſtro hauſtum: partim *per* ſuppoſititiam EPISTOLAM TAMQUAM PER NOS MISSAM.

V. 3. QUONIAM certum eſt (ut vos docui,) non venturum Chriſtum ad iudicium, NISI prius VENERIT DISCESSIO*;* Græce, *ἀποστασία*, id eſt *defectio*, nempe celebris illa, qua omnes gentes, eo uſque fideles deficient, apoſtatabunt, diſcedent, tum a Chriſto eiuſque Eccleſia, ut Anſelmus & a Lapide; tum a Rom. Imperio, ut Hieronymus, Cyrillus, Lactantius *b*, Ambroſius, Primaſius, Sedulius, & alii paſſim exponunt. Ex horum enim ſententia ſub initium monarchiæ Antichriſti rebellabunt omnes nationes contra Romanum *c* Imperium, & Eccleſiam Chriſti, & utrumque ſtirpitus exſcindere conabuntur. Et hoc primum ſignum eſt prævium extremo iudicio. Alterum, ET REVELATUS FUERIT, id eſt publice comparuerit, & tamquam univerſalis monarcha imperium totum obtinuerit, HOMO PECCATI, id eſt peccator ille ſceleratiſſimus, *filius d* PERDITIONIS, id eſt perditiſſimus & æternæ perditioni deſtinatus.

V. 4. QUI Deo & Chriſto in omnibus ADVERSATUR, ET animo EXTOLLITUR SUPRA OMNE QUOD DICITUR DEUS, id eſt iactat ſe maiorem, ſuperiorem, potentiorem quocumque Deo*:* ITA UT IN TEMPLO DEI Ieroſolymitano, nam unicum illud tempore Pauli proprie vocabatur *templum Dei*: & tempore Antichriſti rurſus inſtaurabitur: quaſi palatium & thronus illius, qui ut Iudæus, & rex ſeu Meſſias Iudæorum, ſolium imperii ſui conſtituet non *Romæ*, exuſtæ tunc *e*, & in cineres redactæ, ſed Ieroſolymis*;* SEDEAT, non ut Papa vel Epiſcopus (quod fingunt hæretici noſtri,) ſed TAMQUAM DEUS, OSTENDENS*;* Græce, *oſtentans*.

V. 6. QUID NUNC DETINEAT, ſeu remoretur adventum Antichriſti, & conſequenter extremum iudicium, SCITIS ex iam a me dictis*;* nempe quia nondum fit *diſceſſio* ſupradicta.

V. 7. NAM alioqui MYSTERIUM, id eſt figura & ſymbolum illius Antichriſtianæ INIQUITATIS, (nempe Simon Magus, eiuſque aſſecla *f*, & Imperator. Rom. Claudius & Nero, aliique illis ſimiles tyranni, infideles, hæretici) IAM, id eſt ex nunc, OPERATUR*:* nam perfidi iſti hoſtes Chriſti, eodem ſpiritu aguntur & feruntur, quo feretur & agetur ſuo tempore verus Antichriſtus, cuius iſti, figuræ, ſymbola & præcurſores ſunt*:* ita S. Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Auguſt. *g* TANTUM ergo *detinet*, ſeu remoratur, Antichriſti proprie dicti adventum Claudius, Nero, Galba & quicumque illis ſucceſſurus eſt Rom. Imperator. Debet enim hoc Imperium, quod eſt ſextæ & ultimæ ætatis mundi *h*, prius everti. Reſtat igitur, UT QUI illud NUNC TE-

TENET, TENEAT & imperet, DONEC illud ipſum DE MEDIO FIAT, id eſt tollatur & penitus evertatur: ita Chryſoſt. Theophyl. & alii Patres, immo etiam Eraſmus & Beza, & plures alii Novantes. Loquitur autem S. Paulus tam obſcuris verbis de Imperio & Imperatore Romano, non ex metu; ſed prudenti conſilio ſine cauſa & fructu tyrannum contra Chriſtianos, quaſi hoſtes Romani Imperii, acrius inflammet, inquit idem Chryſoſt. & Theophyl. Exciſo Romano Imperio.

V. 8. REVELABITUR, id eſt in lucem prodibit, INIQUUS ILLE Antichriſtus, quem poſt tres cum dimidio annos *i*, DOMINUS IESUS INTERFICIET; Græce, ἀναλώσει, id eſt *perdet* & abſumet, non arcu vel gladio, ſed ſolo SPIRITU, ſeu flatu, ORIS SUI, id eſt ſolo iuſſu & nutu ſuo, per Michaelem Archangelum præcipitando illum e ſublimi aere deorſum, unde terra dehiſcente vivus corpore & anima in tartara a dæmonibus abripietur, mortuus tamen antequam eo pertingat, ut olim accidit *Core*, *Dathan*. & *Abiron* k: ita Anſelmus & alii. Atque ita monſtrum hoc ſuperbiæ omniſque impietatis DESTRUET Chriſtus ſola ILLUSTRATIONE ADVENTUS SUI. Græce, ἐπιφανείᾳ, id eſt *apparitione*, ſeu cum primum, inſtar crepuſculi, apparere ſeu eluceſcere incipiet præſentia eius & adventus ad iudicium. Quod ſi radius unus primi crepuſculi ſternit potentiſſimum totius orbis monarcham, quid faciet ardens ſol in meridie iudicii paucis poſt annis ſubſecuturi? Porro

V. 9. ADVENTUS omniſque negotiatio Antichriſti erit SECUNDUM OPERATIONEM; græce, *efficaciam* SATANAE: nam in ipſo, cum ipſo, & per ipſum operabitur ſatanas, & exeret omnem ſuam vim & *virtutem*, ſeu potentiam, per quanta poterit *ſigna ac prodigia*, ſed *mendacia*: neque enim erunt vera miracula, vim naturæ ſuperantia, ſed præſtigiæ diabolicæ, vel certe vi & potentia naturali patrata, inquit Cyrillus & Theodoretus. Interim

V. 10. OMNI SEDUCTIONE INIQUITATIS, id eſt omni arte, fallacia, fraude, ſeducet homines ad iniquitatem & interitum; non tamen quoſvis, ſed QUI PEREUNT, ſeu qui ſpontanee & culpa ſua perire volunt, *nolentes recipere* CARITATEM VERITATIS, id eſt veriſſimam & ipſiſſimam caritatem, puta Chriſtum, qui in tantum omnes amavit, ut ſuum pro omnibus ſanguinem fuderit. IDEO enim DEUS (laxando habenas diabolo & Antichriſto) MITTET incredulis, rebellibus obſtinatis ILLIS OPERATIONEM ERRORIS, id eſt eum qui fallacibus ſignis & præſtigiis ſuis errorem & fucum ipſis faciet. Ex quo conſequetur,

V. 11. UT in divino tribunali perduellionis & læſæ maieſtatis convicti, pro meritis IUDICENTUR, damnentur, & in infernum ablegentur.

V. 12. & 13. Vos ex adverſo *elegit* DEUS ex tota gentilitatis maſſa PRIMITIAS ad SALUTEM, id eſt ad fidem & chriſtianiſmum, quæ ſunt unica via ad veram ſanctitatem, ad iuſtitiam, ad ſalutem, ad ACQUISITIONEM GLORIAE CHRISTI, capitis & principis veſtri.

V. 14. ITAQUE STATE in fide & vocatione veſtra conſtantes, & quidquid æmuli obganniant, firmiter TENETE TRADITIONES, id eſt doctrinam & inſtituta religionis Chriſtianæ, *quas* a me ceteriſque Apoſtolis Chriſti DIDICISTIS, SIVE PER vivum SERMONEM; [quod nota pro traditionibus Apoſtolicis contra hæreticos ſtabiliendis:) SIVE PER ſcriptam EPISTOLAM.

V. 15. DEUS QUI DEDIT NOBIS CONSOLATIONEM AETERNAM, nempe per SPEM (ut ſequitur) BONAM ac certam, IN GRATIA, id eſt gratuito, inquit Anſelmus: vel, ut S. Thomas, per gratiam, nempe iuſtificantem, quæ eſt quaſi ſemen vitæ æternæ quam ſperamus: IPSE

V. 16. EXHORTETUR. Græcum, παρακαλέσαι etiam ſignificat *conſoletur*. Sed conſolatio divina ut plurimum fit per internam exhortationem, illuminationem, excitationem.

(a) I. Theſſ. IV. 19.
(b) Hieron. q. XI. ad Algaſiam. Cyrill. catecheſi XV. Lactant. Lib. VII. cap. XV.
(c) Apoc. XI. 1. &c.
(d) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 40.
(e) Apoc. XI. 5. & 16.
(f) I. Ioan. II. 18.
(g) Auguſt. Lib. XX. de Civit. XIX. &c.
(h) Apoc. XVII. 10.
(i) Dan. XII. 7.
(k) Num. XVI. 33.

CORR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. I. ROgat & hortatur Theſſalonicenſes, ne dimoveantur a veritate narrata ſupra epiſtola priore, cap. IV. de ſecundo Chriſti adventu. Hortatur vero ad id per Chriſtum venturum, & per ſanctos ad illius diei congregationem venturos: ſeu quod idem eſt, per veſtram illam quam ſperatis congregationem, & felicium realem acceſſionem ad Chriſtum. Nihil abducat vos, inquit; nil moveat, non homo, non ficta a me epiſtola, non Angelus. Multa quippe fingebant pſeudoapoſtoli, ut novis imponerent Chriſtianis.

V. 3. NE QUIS VOS SEDUCAT. En Theſſalonicenſibus ſignum adventus. DISCESSIO, ἀποςασία, מרד *mered*, rebellio, & inſignis, ut ſonat articulus Græcus. Illa (ut notat Ambroſius) qua diſcedent gentes & populi a ſuis principibus, præſertim a Romano imperio, & quod inde ſequitur, a Romano Pontifice, inquit Anſelmus: ac proinde a fide, ex Auguſt. XX. de Civit. cap. XIX. Chryſoſt. Theodoret, &c. En duo ſigna; unum eſt diſceſſio; alterum eſt Antichriſtus, qui hanc defectionem mox ſequetur: & vocatur homo peccati. Eſt in his aliqua alluſio ad cap. VII. Danielis de imperiis. Dubitatum eſt ab aliquibus, an Antichriſtus ſit vere unus homo aliquis, an quod ſubindicat citatus Auguſt. deſignet non perſonam, ſed multitudinem Chriſto adverſariam. Placuit hoc Novatoribus, qui addunt inſuper (nova ſua auctoritate) hanc multitudinem eſſe totum corpus Eccleſiaſticæ tyrannidis, quod eſt, & erit uſque ad finem mundi, & Papam caput eſſe. Quis non videt licenter, & ex odio hos impie nominare præſentes & futuros, immo & præteritos Eccleſiæ miniſtros. Erant porro contra certam Eccleſiæ doctrinam, quæ docet fore unum certum hominem, ut indicat articulus in Græco; & alibi probatum eſt. Quod vero hic additum dixi a Novatoribus, nullo modo eſt apud Auguſtinum: immo paſſim pugnat pro ſancto Pontificatu, & ſanctitate Eccleſiæ, ſi ullus alius. Et illa apud Auguſtinum multitudo eſt paganorum, & ſimilium, quorum non eſt Pontifex caput. Foris ſunt ex Paulo. Quid quod Auguſtinus ibidem proferat fore unum hominem.

V. 4. ADVERSATUR. Hunc hominem peccati fore talem, qui ſuperbe ſe extollat contra Dei maieſtatem, ut iactet ſe quovis Deo eſſe maiorem, qui ſolus coli velit, ſolium ſuum collocans, IN TEMPLO. In templis Chriſtianorum: nam templum Ieroſolymitanum non extat, nec forte tunc extabit; quamvis illud aliqui hic intelligant. An tamen Antichriſtus ſit habiturus Deum quem privatim colet, vide Dan. XI. 18. SUPER OMNE QUOD DICITUR. Fabuloſum eſt quod hic ſomniant Novatores de nomine Antichriſti, quod conveniant Papæ; exploditur ab omnibus, & optime illud plerique accommodant Luthero.

V. 5. & 6. NUM RETINETIS. Dixit ſupra de iudicio & adventu Antichriſti, & quid nunc prohibeat adventum. SCITIS; nempe ex verſ 7. MYSTERIUM IAM OPERATUR INIQUITATIS. Varie hic locus exponitur. Sententia hæc eſt; operatur nunc myſterium iniquitatis, ſed velut in typo: nam nunc in mundo eſt operans per ſua membra, & eos qui mores futuri Antichriſti profitentur. Quod vero detinet, ne manifeſte adhuc ipſe ſit in mundo, tantum eſt, ut qui prædeſtinati ſunt Dei filii adoptivi, & fideles perficiant in gratia perſeverantes, quod illis incumbit agendum: & qui tenent Chriſtum teneant perſeverando, donec veniat definitum tempus completo numero prædeſtinatorum, & ceſſet myſterium iniquitatis.

V. 8. ET TUNC REVELABITUR. Adveniente illo tempore apparebit homo ille, quem Dominus, qua eſt poteſtate, occidet. Vide Iſa. IV. 4 ILLUSTRATIONE ADVENTUS; hoc eſt, proxime iam futuro ad huc iudicio, & in apparatu adventus Chriſti. Occidetur, inquam, Antichriſtus aliquantulum ante adventum Chriſti: & poſt cædem eius dabitur tempus aliquod breve hominibus ad pœnitentiam. Vide Dan. cap. XII. & quæ ibi ſunt notata de duratione perſecutionis, & iugi ſacrificio. Ergo, SPIRITU ORIS, hoc eſt, iuſſu & decreto Chriſti occidetur. Hoc enim & ſimilia ſunt prænuncia adventus Chriſti: quale eſt & ſpatium illud 45. dierum, apud Dan. cap. XII. inter mortem Antichriſti & adventum.

V. 9. 10. 11. CUIUS EST ADVENTUS.

Signa-

Digitized by Google

Significat quæ virtute Diaboli faciet Antichriſtus, & quibus multos ſeducet permittente Deo. Nullum tamen verum faciet miraculum, ſed erunt hæc ſigna vel faſcinationes & illuſiones oculorum, vel ſi quid eſt reipſa effectum, id Dæmon præſtabit per applicationem activorum ad paſſiva. Nihil vero omnino erit, quod factum ſit ſupra omnem naturæ vim. Ac proinde nullum ibi erit verum miraculum. Sunt quidem Apoc. cap. XIII. tria Antichriſti recenſita miracula, quæ tamen nihil habent ſupra naturæ vim: nam Dæmon morbos ſanare poteſt per naturalia media; facere poteſt ut ignis de cælo deſcendat: ſimile eſt de ſtatua loquente; aliquoties Dæmon per idola locutus eſt. Erunt autem hæc ſigna efficacia illis qui pereunt: tales ſunt leves, terrena ſapientes, impii, ac demum reprobi, alieni a caritate & dilectione veritatis.

V. 11. Ut iudicentur. Cauſam attingit huius permiſſionis divinæ, ex qua tot licent Diabolo. Cauſa eſt non primaria, ſed velut ex eventu; ſcilicet ut qui non diligunt veritatem, ob commiſſa libere peccata caſtigentur. Præcipua vero cauſa permiſſionis eſt, ut ad gloriam Dei appareat excellentia gratiæ in Sanctis qui per auxilia gratiæ reſtiterunt immenſæ huic & admirabili perſecutioni. Ceterum nondum veniſſe Antichriſtum (quod eſt contra deliria Novantium) eſt alibi, & toto hoc exeunte ſæculo a noſtris copioſiſſime demonſtratum.

V. 12. Nos autem. Tria reliquo cap. docet: Primum eſt cur conſolentur ſe Theſſalonicenſes, quod ſint primitiæ eximiæ huius vocationis ad Evangelium, ſeu inter primos, qui vocati ſunt ad Chriſtianiſmum, ubi ſunt baptiſmus, ſanctificatio, opera bona & ſalus. Secundum, hortatur ad tradita a ſe diligenter retinenda, etiamſi non fuerint ſcripta. Tandem commendat eos Deo. In hac dilectione, verſ. 12. & vocatione ad Evangelium loquitur Paulus de mediis quibus pervenitur ad ſalutem, & per quæ ad illam homo eligitur. Verba enim ſunt de fide & ſanctificatione. Hic ordo denotatur, vocatio per Evangelium, ſanctificatio, & in ſanctificatione (ſeu per eam) electio nempe ex operibus.

Quod attinet ad traditiones, hic locus efficax eſt ad eas probandas contra hæreticos. Sed de hac re alibi ſupra; ubi oſtenſum eſt non omnia quæ credi debent, eſſe ſcripta. Et ſicut dogmatum traditiones ſervandæ ſunt, quod concedit Beza, cur non etiam & rituum?

CA.

CAPUT III.

Cupit ut pro ſe precentur, confidens quod ſervaturi ſint ipſius præcepta, monetque ut ſubtrahant ſe a Chriſtianis nolentibus ſervare quæ ipſe inſtituerat, nec manibus laborare, quod tamen ipſemet Paulus apud eos facerat; cavet tamen ne tales ut inimicos exſtiment, ſed ut fratres corripiant.

1. DE cetero fratres orate pro nobis, (a) ut ſermo Dei
currat, & clarificetur, ſicut & apud vos: 2. & ut li-
beremur ab importunis, & malis hominibus: non e-
nim omnium eſt fides. 3. Fidelis autem Deus eſt,
qui confirmabit vos, & cuſtodiet a malo. 4. Confidi-
mus autem de vobis, in Domino, * quoniam quæ
præcipimus, & facitis, & facietis. 5. Dominus autem
dirigat corda veſtra in caritate Dei, & patientia Chriſti. 6. Denuntiamus
autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſubtrahatis
vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem,
quam acceperunt a nobis. 7. Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imi-
tari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos: 8. (b) neque gratis pa-
nem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte &
die operantes, ne quem veſtrum gravaremus. 9. Non quaſi non habueri-
mus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum
nos. 10. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: quo-
niam ſi quis non vult operari, nec manducet. 11. Audivimus enim inter
vos quoſdam * ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes.
12. Iis autem, qui eiuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domi-
no Ieſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent. 13.
(c) Vos autem fratres nolite deficere benefacientes. 14. Quod ſi quis non
obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum
illo, ut confundatur: 15. & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite
ut fratrem. 16. Ipſe autem Dominus pacis, det vobis pacem ſempiternam
in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis. 17. Salutatio, mea manu
Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola: ita ſcribo. 18. Gratia Domini
noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

(a) Epheſ. vi. 18. Col. iv. 3. (b) Act. xx. 34. I. Cor. iv. 12. I. Theſſ. ii. 9.
(c) Gal. vi. 9.

BRU-

Digitized by Google

B R U G E N S I S

Ro'manae Correctiones.

Verſ. 4. *Quoniam quæ præcipimus*. Retinendum eſt præſens, *præcipimus*, non ſurrogandum præteritum *præcepimus*.

Verſ. 11. *Ambulare inquiete*. Non mutes infinitivum *ambulare* in participium *ambulanter*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. CLARIFICETUR, δοξάζηται, illuſtretur, & magnificetur.

V. 2. IMPORTUNIS: ἀπὸ τῶν ἀτόπων, quod magis ſonat ab inquietis, qui nullo loco ſtare poſſunt: notat autem, inquit, Chryſoſt. hoc verbo hæreticos, qui ne deprehendantur ad ſua conciliabula ſubinde ſedes mutant. NON ENIM OMNIUM EST FIDES; id eſt, non omnes qui ſe Chriſtianos fingunt, veri fideles ſunt, vel ut Græci exponunt, non eſt omnium credere, ſed eorum quos dignos iudicavit Deus.

V. 6. INORDINATE: ἀτάκτως, ἀτακτεῖν verbum Gr. militare eſt, ſignificatque extra ordinem ſe ponere, ac ſe de claſſe ſubducere, & nonnumquam petulanter, ac luxurioſe vivere, quo ſignificato Ambroſius vertit, *intemperanter*. Mihi autem videtur alludere ad germanam ſignificationem τοῦ ἀτακτεῖν Paulus, atque hæreticos notare, qui intra Eccleſiaſticæ militiæ ordinem ſeſe continere nolunt, ſed ſeſe de claſſe ſubducunt nolentes Eccleſiæ ſubdi legibus, quod in caſtris ἄτακτοι milites faciunt; unde ad hanc ſententiam ſubdit, qui non ambulant ſecundum traditiones quas acceperunt a nobis.

V. 7. NON INQUIETI FUIMUS. Græc. οὐκ ἠτακτήσαμεν, a verbo ἀτακτεῖν, de quo antea. Eſt etiam ἀτακτεῖν petulanter agere, quo ſignificato hic quadrat, non petulantes fuimus inter vos.

V. 8. PANEM MANDUCAVIMUS, id eſt viximus; panis enim nomine quicquid ad victum pertinet Hebræis intelligitur. Luc. XIV. ſcribitur, *cum introiſſet Ieſus in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum ſabbato manducare panem*, id eſt prandere aut cœnare: primi Reg. I. *Maledictus*, inquit Saul, *qui comederit panem uſque ad veſperam:* ubi panis nomine omne eſitabile venit, unde Ionathas guſtato melle, reus eſt execrationis.

V. 11. AMBULANTES INQUIETE. Græc. ἀτάκτως, quod hoc loco quadrat, pro intemperanter, vel extra ordinem aliorum, NIHIL OPERANTES, inquit, SED CURIOSE AGENTES. Græce pulchra alluſio μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους: ita reddi poteſt, nihil agentes, ſed ſatagentes; nam pro curioſe, & inaniter, atque importune quidpiam agere, etiam ſatagere Quintiliano ſumitur, ex ſententia Afri: inquit enim Lib. VI cap. IV. Afer venuſte, Manlium Suram in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deiicientem & imponentem, non agere dixit, ſed ſatagere. Et hoc proprie ſignificat τὸ περιεργάζεσθαι.

V. 13. NOLITE DEFICERE BENEFACIENTES; id eſt nolite ceſſare benefacere.

S A.

Verſ. 1. DE CETERO, id eſt quod ſupereſt. CLARIFICETUR. Gr. *glorificetur*, id eſt honore habeatur, ſcilicet apud alios.

V. 2. IMPORTUNIS. Syr. *inſolentibus*.

V. 3. FIDELIS, id eſt verax & conſtans in promiſſis. CONFIRMABIT, ſcilicet in bono.

V. 5. IN, id eſt ſecundum, vel cum; quaſi dicat, Ut Deum ametis, & Chriſti patientiam imitemini.

V. 6. IN NOMINE, id eſt loco. FRATRE, id eſt Chriſtiano. AMBULANTE, id eſt converſante. INORDINATE, id eſt incompoſite, ſcilicet diſſolutis moribus.

V. 7. INQUIETI, id eſt incompoſiti.

V. 8. AB ALIQUO; pro, alicuius.

V. 9. POTESTATEM, ſcilicet accipiendi victum ab iis quibus prædicabamus. FORMAM, id eſt exemplum.

V. 10. DENUNTIABAMUS: verti poterat, *præcipiebamus*: ſic & infra.

V. 11. INQUIETE, id eſt inordinate.

V. 12. IN DOMINO. Græc. *per Dominum*. CUM SILENTIO. Gr. *quiete*. SUUM. id eſt ſuo labore partum.

V. 14. NOTATE; ſcilicet ne cum illo converſemini, ut ſtatim dicitur. CONFUNDATUR, id eſt pudefiat.

V. 16. LOCO. Græc. *modo*. Syr. *re*.

V. 18. AMEN. Græc. additur, *Miſſa ex Athenis*. Syr. vero, *Miſſa ex Laodicæa Piſidiæ per Tychicum*. Quidam e Corintho miſſam dicunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. ORATE..... UT SERMO DEI CURRAT, ET CLARIFICETUR, ſeu *illuſtretur*.

V. 2. AB IMPORTUNIS, ſeu *inſolentibus*. NON ENIM OMNIUM EST FIDES, quibus ſcilicet nos credamus: multi falſi fratres.

V. 6. AB OMNI FRATRE AMBULANTE INORDINATE, ſubtrahite vos, id eſt turbido, dyſcolo, qui regulam non ſervat: inſolenti, ἀτάκτως, pro quo ſup. Epiſt. cap. v. 14. *inquietos* poſuit Interpres: ſic etiam hic verſu proximo pro eodem verbo dixit:

V. 7. NON INQUIETI FUIMUS, ſeu *inſolentes*.

V. 8. NEQUE GRATIS PANEM MANDUCAVIMUS, ut eſſemus exemplo vobis.

V. 9. AD IMITANDUM NOS. In quo? ſcilicet ne quis otioſus aliis eſſet oneri.

V. 11. AUDIVIMUS, ſeu *audimus*: ut eſt Græce. INQUIETE; ſeu *inſolenter*, ἀτάκτως, quoſdam agere, nempe qui vitam otioſam agunt. NIHIL OPERANTES. Græc. pulchra paronomaſia eſt, quam Latinus ſermo non explicat, μηδὲν ἐργαζομένυς, ἀλλὰ περιεργαζομένυς, pro quo noſter, *nihil operantes*, *ſed curioſe agentes*. Quidam ſic vertunt: *Nihil agentes*, *ſed ſatagentes*, nam apud Quinctilianum Lib. VI. cap. IV. *ſatagere* ſumitur pro *inaniter agere*: id περιεργάζομαι etiam ſignificat.

V. 13. NOLITE DEFICERE, id eſt perſeverate in bono.

V. 14. QUOD SI QUIS NON OBEDIT VERBO NOSTRO PER EPISTOLAM. Syr. *ſi quis non obedit ſermonibus*, *qui epiſtola continentur*. Iungit illud *per epiſtolam*, cum verbo *non obedit*. HUNC NOTATE. Syr. *is ſeparetur a vobis*. ET NE COMMISCEAMINI, id eſt ſit excommunicatus.

V. 18. GRATIA DOMINI. Hunc verſum ſua manu ſcribebat Paulus ſubſcriptionis loco. Nomen eius initio Epiſtolæ more eius temporis erat præfixum.

MENOCHII.

Verſ. 1. UT SERMO DEI CURRAT, &c. id eſt, ut Evangelica doctrina per noſtram prædicationem feliciter ac ſine impedimento propagetur, ac progrediatur. SICUT ET APUD VOS: ſcilicet, progreſſa eſt.

V. 2. IMPORTUNIS: ἀτόποις, abſurdis, *inſolentibus*, ut vertit Syrus. NON ENIM OMNIUM EST FIDES; quaſi dicat, Mirum non eſſe ſi importuni, & mali homines curſum fidei conentur inhibere, quia non omnibus datur ut credant, id eſt non omnes habent fidem, etiam ex iis qui prædicationem Evangelii audierunt; aliqui enim credere nolunt.

V. 3. FIDELIS AUTEM DEUS EST, id eſt verax, & conſtans in promiſſis, ideoque quos in ſuorum numerum recepit non deſeret, niſi ipſi ſibi deeſſe velint. CONFIRMABIT VOS: in fide. CUSTODIET A MALO: ἀπὸ τῦ πονηρῦ, id eſt a Dæmone, qui per malos homines fidem veſtram ſubvertere nititur.

V. 4. IN DOMINO, id eſt per Dominum, per gratiam Domini Ieſu Chriſti.

V. 5. DIRIGAT CORDA VESTRA IN CARITATE DEI: opto ut Dominus corda veſtra dirigat, moveatque magis, ac magis ad dilectionem Dei. ET IN PATIENTIA CHRISTI: & ad imitandam Chriſti Domini patientiam.

V. 6. DENUNCIAMUS, id eſt præcipimus. IN NOMINE DOMINI IESU CHRISTI: nomine, & auctoritate Chriſti, cuius vices gerimus. INORDINATE: ἀτάκτως, *incompoſite*, turbulente, Eccleſiam perturbando, & eius diſciplinam. ET NON SECUNDUM TRADITIONEM, &c. & non ſecundum ea quæ tradidimus, cum vos in Chriſtiana fide, & diſciplina inſtituimus.

V. 7. SCITIS QUEMADMODUM OPORTEAT

TEAT IMITARI NOS: ſcitis quale exemplum ego vobis dederim, ac proinde quid vobis faciendum ſit, ut me poſſitis imitari. NON INQUIETI FUIMUS APUD VOS: non fuimus apud vos otioſi, & conſequenter nec inquieti, nec turbulenti.

V. 8. IN LABORE, ET FATIGATIONE: vide dicta ſupra epiſtol. 1. cap. ii. 9. NE QUEM VESTRUM GRAVAREMUS: ſumptus ad victum, aut veſtitum exigendo.

V. 9. NON QUASI NON HABUERIMUS POTESTATEM: ſcilicet vos aggravandi, nam illam habebamus: æquum enim eſt ut ab Eccleſia alantur, qui ſerviunt Eccleſiæ. SED UT NOSMETIPSOS FORMAM DAREMUS, &c. id eſt ut facto noſtro vobis præberemus exemplum, quod imitaremini.

V. 10. DENUNCIABAMUS, id eſt præcipiebamus vobis. QUI NON VULT OPERARI, NEC MANDUCET: docebamus eos cibo, & alimentis dignos non eſſe, qui otioſe volunt agere, nec operi manum admovere.

V. 11. AMBULARE INQUIETE: *ἀτάκτως*, *incompoſite*, turbulente, ut ſupra verſ. 6. CURIOSE AGENTES: otioſos, curioſos, garrulos, dicaces, &c.

V. 12. DENUNCIAMUS, id eſt præcipimus. IN DOMINO IESU CHRISTO: per Dominum Ieſum Chriſtum. CUM SILENTIO: cum quiete, & non turbulente.

V. 13. NOLITE DEFICERE BENEFACIENTES: ne ſegnes fiatis, ne delaſſemini benefaciendo.

V. 14. VERBO NOSTRO: præcepto noſtro, quod per hanc Epiſtolam vobis ſignifico. EUM NOTATE: *σημειοῦσθε*, *ſignate*, ut cavere illum poſſitis. ET NE COMMISCEAMINI CUM ILLO, id eſt nolite converſari, & commercium habere cum illo. UT CONFUNDATUR: ſcilicet videns ſe ab omnibus vitari, & negligi, pudeat, & pœniteat illum, & corrigatur.

V. 15. ET NOLITE QUASI INIMICUM EXISTIMARE; quaſi dicat, Licet vitari iubeam, tamen non propterea illum ut inimicum habeatis, nec aſpere corripiatis, ſed benevole ut fratrem, id ſpectantes ut ad ſanam mentem revocetur.

V. 16. DOMINUS PACIS: auctor, & amator pacis. DET VOBIS SEMPITERNAM: ſemper, perpetuo, in omni loco, & tempore. DOMINUS SIT CUM OMNIBUS VOBIS: ſcilicet, per gratiam ſuam.

V. 17. SALUTATIO MEA MANU PAULI, &c. vide dicta ad Coloſſ. IV. 18. QUOD EST SIGNUM IN OMNI EPISTOLA. Hoc ſigno vult Apoſtolus ſuas epiſtolas agnoſci, quod ſcilicet illis manu propria ſubſcribat ſequentem ſententiam, nimirum, *gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. vide dicta in fine ultimi capitis præcedentis epiſtolæ.

TIRINI.

Verſ. 2. NON OMNIUM EST FIDES; id eſt, non omnes induci poſſunt ut fidem complectantur; (nempe non illi importuni de quibus præmonui *a*.) Non quod defectus ſit ex parte Dei, (*qui*, quantum ex ſe eſt, *illuminat omnem hominem b*:) ſed ex parte liberi iſtorum arbitrii, cuius eſt conſentire vocanti Deo, inquit Theodoretus.

V. 5. DOMINUS DIRIGAT, & recto tramite tendere faciat, CORDA VESTRA IN CARITATE; græce, *ad caritatem* DEI, ET PATIENTIA CHRISTI imitanda; vel per caritatem & patientiam (quæ rectiſſimæ & compendioſiſſimæ ſunt ſemitæ) ad perfectionem, ad ſalutem, ad cælum vos dirigat, impedimentis omnibus & remotis vel amotis, vel ſuperatis: ita S. Chryſoſt. & Theophyl. qui cum Syro per *patientiam Chriſti*, ad nos liberandos & coronandos,

V. 6. DENUNTIAMUS, id eſt præcipimus, VOBIS, (ut alii etiam verſ. 10. & 12. vertunt,) UT SUBTRAHATIS VOS AB OMNI FRATRE, id eſt Chriſtiano, AMBULANTE INORDINATE, id eſt vivente diſſolute, ſeu incompoſite vel turbulente.

V. 10. QUI NON VULT OPERARI, ſeu operi manum admovere, NEC MANDUCET, quia cibo, id eſt alimentis, dignus non eſt qui in otio tempus tranſigit.

V. 12. CUM SILENTIO, id eſt quiete, pacifice, modeſte, OPERANTES, & manibus victum quærentes, PANEM MANDUCENT non alienum, ſed SUUM, id eſt ſuo labore partum.

V. 14. SI QUIS VERBO, ſeu præcepto, huic NOSTRO NON OBEDIT, HUNC NOTATE; *σημειοῦσθε*, id eſt *ſignate*, ut vobis ab illo cavere poſſitis tamquam ab excommunicato: & ipſe videns ſe ab omnibus

vitari ac negligi, CONFUNDATUR, pœniteat, corrigatur.

V. 15. NOLITE tamen propterea ipſum QUASI INIMICUM EXISTIMARE, vel aſpere tractare: SED benevole CORRIPITE & caſtigate UT FRATREM veſtrum, id unum ſpectantes ut ad ſanam mentem reducatur.

V. 16. DOMINUS auctor omnis PACIS DET PACEM SEMPITERNAM, ſeu continuam, cum omnibus, omni tempore, OMNI LOCO.

*V.*17.&18.SALUTATIO, MANU MEA PAULI propria litteris ſubſcripta, in hanc formam, GRATIA DOMINI NOSTRI CUM OMNIBUS VOBIS; SIGNUM EST IN OMNI EPISTOLA, quæ vere mea eſt. Et ex hoc ſigno poteritis meas ab adulterinis & ſuppoſititiis diſcernere: ita S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus.

(a) Cap. præced.
(b) Ion. 1. 9.

GORDONI.

Verſ. 1. POſtulat a Theſſalonicenſibus, ut pro ipſo, pro miniſterio verbi, demum pro Eccleſia orent; & ut liberemur ab hominibus impiis & inconſtantibus in fide, aut qui ſpecie pietatis vos fallere poſſunt: non enim datum eſt omnibus ut credant, non quidem quod non poſſint credere; fides enim homini libera eſt: tantum vult Paulus homines eſſe impios ex hoc etiam quod non habeant fidem: fide vero carent, quia non cooperantur Deo vocanti. Recte ergo non omnium eſt fides, ſicut non omnium eſt habere aliam aliquam virtutem.

V. 3. FIDELIS. Ceterum fidere oportet Deo: ipſe enim nec decipit, nec deſerit, quos ſub ſua conſtituit tutela. Et vero de vobis (verſ. 4.) ego quidem optime confido fore, ut Deus in vobis, quod cœpit, perficiat, qui conſtans in promiſſis eſt, ſi homo ſibi non deſit: nam donum Dei noſtram in his requirit cooperationem; ſicut eius quoque potentia requirit noſtram.

V. 6. DENUNCIAMUS. Præcipit per Chriſtum, ſeu in nomine Chriſti, ne quis veſtrum turbulentus ſit, aut neglecta communi diſciplina turbet Eccleſiam, aut ex otio vano ſibi ſit inutilis, aut præter inſtituta vobis relicta vitam agens. Scitis (verſ. 7.) quale exemplum vobis reliquerim. Non fuimus turbulenti aut otioſi: nam qui talis eſt, cibo eſt indignus, verſ. 10. Otioſus fit inquietus, communiſque ordinis inimicus. Quæ ſequuntur, inculcant recte vivendi rationem cum ſalutatione, qualem habuit præcedens epiſtola.

EPI-

EPISTOLA
BEATI PAULI
APOSTOLI
AD TIMOTHEUM PRIMA.

QUO loco, quove tempore hæc ſcripta fuerit Epiſtola, non conſentiunt Interpretes. Quidam Laodiceæ ſcriptam eſſe volunt, Græca ſubſcriptione perſuaſi: cum tamen Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes nondum eo ſe contuliſſe teſtetur. Alii in Macedonia exaratam cenſent, poſt priora Pauli vincula, quibus ſolutus, una cum Timotheo in Iudæam profectus eſt, & ambo regiones, quibus Evangelium prædicaverant, obierunt, ita ut Timotheo Epheſi relicto Paulus Græciæ Provincias luſtraverit, a Macedonia incipiens, unde hanc priorem ad Timotheum miſit Epiſtolam. Verum ea de re in argumento poſterioris Epiſtolæ redibit ſermo. In perſona Timothei paſtores omnes ſic inſtruit, ut quæ ſint eorum officia, cum privata, tum publica, quæ docendi, quæ vivendi ratio erga Clerum, domeſticos, exteros, ſingillatim exponat, eoſque magis ut doctores, quam ut diſcipulos inſtituat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Præceptum revocat quod Timotheo tradiderat, de retrahendis quibuſdam a perverſa doctrina & tradenda ſana: lex ob iniuſtos poſita eſt: Deo gratias agit, quod eum ab Eccleſiæ perſecutione ad Apoſtolatum vocaverit: qui miſericordiam conſecutus eſt, ut oſtendatur Dei longanimitas ad peccatorum informationem: Timotheum monet ut ſtrenuum agat militem.

1. PAULUS Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundum imperium Dei
Salvatoris noſtri, & Chriſti Ieſu ſpei noſtræ: 2. (a)
Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, miſericordia, &
pax a Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro. 3.
Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi cum irem in Ma-
cedoniam, ut denuntiares quibuſdam ne aliter docerent,
4. neque intenderent fabulis, & genealogiis intermina-
tis: quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide.
5. Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, &
fide non ficta. 6. A quibus quidam aberrantes, converſi ſunt in vanilo-
quium, 7. volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquun-
tur, neque de quibus affirmant. 8. (b) Scimus autem quia bona eſt lex,
ſi quis ea legitime utatur: 9. * ſciens hoc quia lex iuſto non eſt poſita,
ſed iniuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & conta-
minatis, parricidis, & matricidis, homicidis, 10. fornicariis, maſculorum
concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & periuris, & ſi quid aliud ſanæ
doctrinæ adverſatur, 11. quæ eſt ſecundum Evangelium gloriæ beati Dei,
quod creditum eſt mihi. 12. Gratias ago ei, qui me confortavit, * Chri-
ſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſte-
rio: 13. qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed
miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. 14.
Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide, & dilectione, quæ
eſt in Chriſto Ieſu. 15. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: (c)
quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quo-
rum primus ego ſum. 16. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: ut in
me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, * ad informatio-
nem eorum, qui credituri ſunt illi, in vitam æternam. 17. Regi autem
ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, honor & gloria in ſæcula ſæ-
culorum. Amen. 18. Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, ſe-
cundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam,
19. habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa
fidem naufragaverunt: 20. ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos
tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.

(a) Act. xvi. 2. (b) Rom. vii. 12. (c) Matth. ix. 13. Mar. ii. 7.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 9. Sciens hoc. Non ſcribas plurale *ſcientes*, pro ſingulari *ſciens*.

Verſ. 12. Chriſto Ieſu Domino noſtro. Non præponas præpoſitionem *in*.

Verſ. 16. Ad informationem eorum. Cave ſcribas contrarium *deformationem*, ut quidam.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ 2. DILECTO. Gr. γνησίῳ, id eſt germano & ingenuo.

V. 4. QUAE EST IN FIDE: ad hanc ſententiam ſubaudiendum eſt, ita & nunc rogo; referendumque ad illud, *Sicut rogavi*; & eſt eclipſis frequens Paulo.

V. 8. & 9. SI QUIS LEGITIME UTATUR; id eſt, ſi quis ea ad ſenſum intentionemque ipſius germanam utatur. Legis autem intentio erat per ceremonias ad Chriſtum deducere, & Chriſto nato, uni illi fidere. Qui ergo docet Chriſtum veniſſe, unique illi fidendum eſſe, is ea legitime utitur, non qui ceremonias immiſcet: ſcimus ergo quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime utatur, ſcientes hoc, quia lex iuſto non eſt poſita. Quidam Græci pro ſcientes habent εἰδώς, id eſt ſciens & tunc refertur ad id quod ſtatim præceſſit, ſi quis ea legitime utatur, ſciens hoc quia lex iuſto, &c. noſter interpres legit εἰδότες, id eſt ſcientes, & tunc refertur ad τὸ ſcimus; ſcimus ſcilicet quia lex bona eſt, & ſcientes hoc quod videlicet, LEX IUSTO NON EST POSITA, id eſt iam iuſtificato per fidem Chriſti Deique gratiam, non eſt opus lege pædagogo ac manu ducente. Vel lex, id eſt terror legis peccata inhibentis iuſto non eſt poſita, non quod ea non teneatur facere quæ lege iubentur, & vitare quæ lege vetantur; ſed quia quod impii timore legis inviti faciunt, hoc iuſti ſponte obque Dei amorem.

V. 10. PLAGIARIIS, Græce, ἀνδραποδισταῖς: dicuntur autem plagiarii iuriſconſulti, qui aliena mancipia furto ſubducunt: quod furtum plagium appellant.

V. 12. QUI ME CONFORTAVIT IN CHRISTO: τῷ ἐνδυναμώσαντί με χριστῷ, id eſt gratias ago ei qui me fortificavit, id eſt vires ſuppeditavit. *Chriſto* noſter interpres legit ἐν χριστῷ: neque enim confortavit, ut vulgo ſolent, pro conſolatus eſt, ſumere oportet: ſed Deo gratias ago qui ad rem tanti momenti exequendam, nimirum evangelii prædicationem, vires ſuppeditavit alioqui imbecilli, & minus valenti.

V. 15. FIDELIS SERMO, &c. id eſt, certa & indubitata res eſt, omnique approbatione digna, quod Ieſus, venerit peccatores ſalvos facere: πίστοι enim dicimus ὁμολογούμενον, id eſt quod compertum, exploratum, & confeſſum eſt: ἀποδοχὴ autem quod acceptionem vertit, approbatio vel acceptatio clarius dicitur.

V. 16. UT IN ME OSTENDERET OMNEM, id eſt perfectam patientiam. Græce eſt μακροθυμίαν, id eſt longanimitatem; hoc eſt, ut per me ſe Chriſtus oſtenderet patientem, & longanimem in ſuſtinendis, & expectandis ad converſionem peccatoribus: atque ita meo exemplo inſtruerentur qui credituri ſunt, Dei ſperare miſericordiam.

V. 17. SOLI DEO. Quidam legunt μόνῳ σοφῷ θεῷ, id eſt ſoli ſapienti Deo, quæ verba ſi ad patrem referuntur, intelligendus eſt ſolus ſapiens, non excluſo filio, ac ſpiritu ſancto, ſed quod ſolus ipſe fons ſit, & principium omnis ſapientiæ.

V. 18. HOC PRAECEPTUM COMMENDO. Chryſoſt. interpretatur, ſicut per prophetias, id eſt ſpiritus ſancti revelationes inſtitutus es Epiſcopus, ita volo, & iubeo, ut in illis, id eſt ſecundum illas bonam militiam exerceas. Mihi videtur hic ſicut I. Corinth. XIV. quod nomine prophetiæ ſacrarum litterarum intelligi poſſit cognitio: atque ita ſenſus erit: Hoc præceptum tibi commendo ut ſecundum præcedentes in te prophetias, id eſt quemadmodum a

pue.

Digitized by Google

puero ſacrarum litterarum notitiam habes, ita te in illis exerceas, & iuxta illas bonam militiam milites.

S A.

AD TIMOTHEUM, ſcilicet Epheſi Epiſcopum. Inſtituit in iis quæ agere & docere debeat, ubi & multa ad Eccleſiaſticorum & ſæcularium mores pertinentia.

V. 1. SECUNDUM IMPERIUM, id eſt mandato. SPEI NOSTRAE, id eſt in quem ſperamus.

V. 2. DILECTO. Græc. γνησίῳ, id eſt *germano*, ſeu *vero*. IN FIDE; quaſi dicat, Secundum Chriſtum, ſeu, quem Chriſto genui.

V. 3. ROGAVI, ſcilicet ſic rogo; vel, fac. ALITER, ſcilicet quam docti a me ſunt.

V. 4. INTERMINATIS, id eſt infinitis. Quidam Iudaicas putant intelligi, alii Gentilicas. IN FIDE, id eſt ſecundum fidem.

V. 5. PURO, ſcilicet a peccato. BONA, ſcilicet nihil ſibi mali conſcia. NON FICTA, id eſt vera & ſincera.

V. 7. AFFIRMANT; quaſi dicat, Quæ diſſerendo confirmant.

V. 8. LEGITIME, id eſt rite, ſeu bene, & ut ipſa poſtulat, ſcilicet intelligendo illam, & utendo.

V. 9. IUSTO, ſcilicet iuſtus lege non indigebat, qui ultro faceret quæ lex vult. Vel Legis pœnas intelligit, quæ non ſunt poſitæ propter iuſtos. NON SUBDITIS, id eſt qui nolunt iuſtitiæ ſubdi. CONTAMINATIS, ſcilicet vitiis.

V. 10. PLAGIARIIS, id eſt qui alienos homines furantur.

V. 11. GLORIAE, id eſt gloriam prædicans, vel promittens.

V. 12. CONFORTAVIT, id eſt corroboravit. EXISTIMAVIT, id eſt iudicavit, ſcilicet faciendo Apoſtolum. MINISTERIO, ſcilicet prædicationis.

V. 13. BLASPHEMUS, ſcilicet in Chriſtum. PERSECUTOR, ſcilicet Eccleſiæ. IN; pro, per.

V. 14. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum, vel ad Chriſtum; quaſi dicat, Dans mihi fidem, & caritatem.

V. 15. FIDELIS, id eſt certus, ſeu fide dignus. PRIMUS, id eſt præcipuus, vel maximus.

V. 16. PRIMO, id eſt præcipue. OMNEM, id eſt perfectam; quaſi dicat, Singularem. INFORMATIONEM, id eſt exemplum, ſcilicet quod imitentur.

V. 17. SOLI DEO, id eſt qui ſolus eſt verus Deus.

V. 18. HOC, ſcilicet de quo ſupra in principio; vel, quod ſequitur. IN TE, id eſt de te. PROPHETIAS, id eſt revelationes, ſcilicet per Dei revelationem Paulus illum ordinaverat: vel Prophetiam intelligit prædicandi donum, quod vult rite exequatur. IN ILLIS, id eſt ſecundum illas.

V. 19. QUAM, ſcilicet conſcientiam bonam. REPELLENTES, ſcilicet per malam vitam.

V. 20. TRADIDI, ſcilicet per excommunicationem, quo olim excluſi ab Eccleſia, a diabolo corpore etiam vexabantur. BLASPHEMARE, id eſt de divinis rebus male loqui.

MARIANAE.

Verſ. 1. DILECTO, ſeu *germano*, vero FILIO IN FIDE: non carne, ſed per prædicationem genito & converſo.

V. 3. SICUT ROGAVI TE: ſupple, & nunc rogo. Eclipſis frequens in Paulo.

V. 4. ET GENEALOGIIS INTERMINATIS ne intendatis, id eſt quæ finem non habent: nam maiores cuiuſque & progenitores innumeri ſunt. Carpit eos qui nobilitatem iactabant, aut maiores referebant, ut eorum exemplo legis obſervantiam confirmarent.

V. 5. FINIS AUTEM PRAECEPTI, id eſt legis, EST CARITAS. Eo refertur tota.

V. 7. VOLENTES ESSE LEGIS DOCTORES. Volebant legem obſervari, nec intelligebant quæ dicerent. Bona eſt lex,

V. 8. SI QUIS EA LEGITIME UTATUR. Referens ſcilicet legem ad Chriſtum.

V. 9. SCIENS HOC. Alii *ſcientes*, ut iungatur cum verbo *ſcimus*. LEX IUSTO NON EST POSITA. Hoc eſt argumentum: Iuſto non eſt lex poſita, ergo ſanctificatos per Chriſtum non aſtringit; ergo iuſto non eſt poſita lex, ſed ſceleratis.

V. 10. PLAGIARIIS. *Plagiarius*, qui liberum emit aut vendit; tum qui aliena man-

mancipia furatur. Quod crimen *plagium* dicitur. Hæc doctrina eſt iuxta Evangelium,

V. 11. Quod, ſcilicet Evangelium, mihi eſt creditum, ut illud annuntiem aliis. Gratias ei,

V. 12. Qui me confortavit, Christo: ſic lege, non *in Chriſto*, ut plerique codices habent, Græce, τῷ ἐνδυναμώσαντί με Χριστῷ.

V. 15. Fidelis sermo, certus, indubitatus. Quod Christus Iesus venit in hunc mundum. Græc. Syr. & Goth. *venit in mundum, ut ſalvet peccatores*. Quorum primus, id eſt maximus, ego sum. Sed me ſalvum fecit, ut oſtenderet.

V. 16. Patientiam, ſeu *longanimitatem*. Ad informationem eorum, id eſt ut exemplo ſim aliis, & me conſiderantes de venia non deſperent.

V. 18. Hoc praeceptum commendo, nempe quod verſ. 3. eſt poſitum, ut Epheſi reſiſteret falſis doctoribus. Secundum praecedentes in te prophetias. Ex hoc loco & verſ. 14. cap. iv. videtur de Timothei probitate aliquid prædictum ab aliquo Propheta.

V. Quos tradidi Satanae, id eſt excommunicavi, ut inceſtuoſum I. ad Corinth. v. 4 ſcilicet Hymenæum & Alexandrum, quod a fide defecerant.

MENOCHII.

Verſ. 1. Secundum imperium, id eſt delegationem, mandatum, præceptum Dei; quaſi dicat, Per mandatum Dei Apoſtolatum ſuſcepi.

V. 2. Dilecto filio in fide: in qua fide ipſe mihi ſincerus, verus, & germanus eſt filius, æmulusque paternæ doctrinæ, & virtutis. Misericordia. Nuſquam in aliis Epiſtolis, ut notavit Chryſoſt. precatur ſanctus Paulus miſericordiam, ſed gratiam tantum, & pacem, idque factum putat ab Apoſtolo ex magno erga Timotheum, paternoque affectu, tamquam ei metuens, præſertim quod maiore miſericordia ii qui aliis præſunt indigeant, quam alii.

V. 3. Sicut rogavi te, &c. Sententia eſt: Velim ut illud effectum des, quod ut faceres te rogavi: cum diſcedens in Macedoniam, te Epheſi reliqui. Denunciares: præciperes. Ne aliter docerent: ne diverſam ab ea doctrinam doceant, quam nos ubique tradere conſnevimus.

V. 4. Neque intenderent fabulis, &c. Loquitur de fabulis, & genealogiis Iudaicis, quales nunc extant in Talmud, & apud Rabbinos. Genealogiis interminatis. Intelligit longiſſimas, & quaſi infinitas genealogias, quibus genus ſe ducere ab Abraham oſtendere conabantur, ut ſuum genus, & nobilitatem oſtentarent. Quae quaestiones magis praestant, ſcilicet altercationes cum iis qui forte aliquid audent contradicere. Quam aedificationem Dei, quae est in fide: quam profectum in cognitione, & cultu Dei, qui conſiſtit in fide, & pietate.

V. 5. Finis autem praecepti est caritas. Probat Apoſtolus has fabulas, genealogias non eſſe conſentaneas legi, & Evangelio. Probat autem ſic: Finis legis eſt parere, & nutrire fidem, ſpem, & caritatem: atqui hæ fabulæ non pariunt ædificationem in fide, ac conſequenter nec caritatem, ſed quæſtiones, & lites; ergo hæ fabulæ non ſunt ſecundum legem, & Evangelium. Praecepti: παραγγελίας, qua voce ſignificat Apoſtolus Evangelicam legem, eiuſque denunciationem, & prædicationem. De corde puro, id eſt procedens a voluntate vacua pravis cupiditatibus, ita ut nihil aliud quam quod diligendum eſt diligatur. Ita explicat D. Auguſtin. Lib. I. de doct. Chriſtiana cap. v. Et conscientia bona. Idem videtur hiſce duobus membris ſignificari, quamquam ſi exacte velimus diſtinguere, conſcientia bona cordis puritatem conſequitur, ut eius effectus; conſcientia, & teſtimonium animæ, ſibi affirmantis ſe pure, & ſancte iuxta Dei legem vivere. Fide non ficta, id eſt vera & ſincera.

V. 6. A quibus quidam aberrantes: nimirum caritate, & fide non ficta, &c. Conversi sunt in vaniloquium: converterunt ſe ad inanem quamdam loquacitatem, qualis eſſe ſolet hæreticorum, & eorum qui ſcholæ diatribas non aliam ob cauſam frequentant, quam ut ſcientiæ laudem apud imperitos aucupentur, qui ea maxime mirantur, quæ minime intelligunt.

V. 7. Volentes esse legis doctores; pro-

profitentes ſe doctores Moſaicæ legis. NEQUE DE QUIBUS AFFIRMANT: neſcientes an ea quæ aſſerunt ita ſe habeant.

V. 8. SCIMUS AUTEM QUIA BONA EST LEX; quaſi dicat, Dum vanos legis doctores carpo, non ipſam legem vitupero, quæ bona eſt, ſi quis illam bene intelligat, & bene utatur, nam ſuis figuris ad Chriſtum ducit, & moralia præcepta continet ad vitam ſancte inſtituendam.

V. 9. SCIENS HOC QUIA LEX IUSTO NON EST POSITA: hoc eſt unum quod inter cetera requirit Apoſtolus ad hoc ut quis lege utatur legitime, ut videlicet ſciat eam iuſtis non eſſe poſitam, hoc eſt, Chriſtianis iuſtificatis & ſanctificatis per Chriſtum. Iuſto etiam lex non eſt poſita, quoad pœnas, quas infligit, nam qui ſancte vivit, pœnæ reus non efficitur, & hic ſenſus bene cohæret cum ſequentibus. NON SUBDITI: inobedientibus, qui ſubeſſe nolunt. SCELERATIS: *ἀσεβέσι*, *impiis*. CONTAMINATIS: *βεβήλοις*, a ſacris arcendis, propter aliquod piaculum, quo ſunt contaminati.

V. 10. PLAGIARIIS: *ἀνδραποδισταῖς*, qui aliena mancipia rapiunt, & ſibi vendicant, aut qui liberos homines in ſervitutem abripiunt, eoſque pro mancipiis vendunt, aut emunt. SANAE DOCTRINAE: rectæ morum inſtitutioni.

V. 11. QUAE EST SECUNDUM EVANGELIUM, id eſt Evangelio conſentanea. EVANGELIUM GLORIAE BEATI DEI: ita vocat Evangelium, quia per ipſum Deus glorificatur, nam finis Evangelii eſt Dei gloria.

V. 12. EI, id eſt Deo. QUI ME CONFORTAVIT CHRISTO IESU: qui me confortat ad Chriſti gloriam, quia ſcilicet vires, & animos mihi ſuppeditat, ut Chriſtum potenter, & intrepide annunciem. FIDELEM: per fidelem eum intelligit, qui fidus eſt, & credita negotia bona fide adminiſtrat. PONENS IN MINISTERIO: Apoſtolatus, & prædicationis Evangelii. Prima & puriſſima cauſa cur Paulum Dominus præ aliis elegerit ad gratiam, & ad Apoſtolatum fuit liberalis Dei voluntas, & ſpecialis miſericordia in ipſum. Potuit tamen Deus ſecundario ad naturales Pauli dotes reſpicere, & ob eas potius illum, quam alios eligere verbi gratia, quod eſſet peritus in lege, acris ingenii, generoſæ indolis, &c.

V. 13. QUI PRIUS BLASPHEMUS FUI; ſcilicet, in Chriſtum, quem execrabar. PERSECUTOR: Eccleſiæ. CONTUMELIOSUS: *ὑβριστής*, *iniurioſus*. IGNORANS FECI: neſciebam enim me perſequi Meſſiam.

V. 14. SUPERABUNDAVIT GRATIA, &c. quæ me ex lupo ovem fecit, & ex perſecutore prædicatorem. CUM FIDE, ET DILECTIONE: cum gratia abundanter in me effuſa etiam illius comites affuerunt, fides ſcilicet & caritas. QUAE EST IN IESU CHRISTO: fides ſcilicet Chriſtiana, divina, & ſupernaturalis.

V. 15. FIDELIS SERMO, &c. dixerat Apoſtolus in ſe gratiam ſuperabundaſſe, nunc ſubiungit eamdem gratiam patere omnibus peccatoribus. FIDELIS SERMO, id eſt verus & cui fides ſit adhibenda; quaſi dicat, Veriſſimum eſt quod dico. ET OMNI ACCEPTIONE DIGNUS: dignus quem omnibus modis acceptemus, & admittamus. QUORUM PRIMUS EGO SUM, id eſt præcipuus, vel maximus.

V. 16. UT IN ME PRIMO. In Græco eſt *πρώτῳ*, id eſt primo, & præcipuo peccatore. OMNEM PATIENTIAM: eximiam ſuam miſericordiam, & longanimitatem.

V. 17. REGI AUTEM SAECULORUM. Dicitur Deus Rex ſæculorum quod ab illo condita ſint, ut Dionyſius Areopagita Lib. de divinis nominibus cap. v. copioſe oſtendit. SOLI DEO: qui ſolus eſt verus Deus. IN SAECULA SAECULORUM, id eſt in omnem æternitatem.

V. 18. HOC PRAECEPTUM, &c. reſpicit, & redit ad dicta verſ. 3. ut ſcilicet denunciaret quibuſdam ne aliter docerent, &c. SECUNDUM PRAECEDENTES IN TE PROPHETIAS; quaſi dicat, Hoc præceptum, iam explicatum tibi, o Timothee, commendo, ut ſicut Dei revelatione, & ſpiritu prophetiæ admonitus te Epiſcopum Epheſi ordinavi, ita iuxta eamdem prophetiam nunc milites, illique reſpondeas, oſtendaſque veram fuiſſe de te prophetiam.

V. 19. HABENS FIDEM, ET BONAM CONSCIENTIAM; quaſi dicat, Militabis, o Timothee, bonam militiam ſi fidem rectam circa vera, & orthodoxa dogmata & bonam conſcientiam, id eſt ſanctam vitam, & mores inculpatos ſequaris, & conſerves. QUAM: bonam conſcientiam. QUIDAM REPELLENTES: *ἀπωσάμενοι*, id eſt poſtquam repulerunt. CIRCA FIDEM NAU-

FRA-

Digitized by Google

FRAGAVERUNT, id eſt fidei naufragium, & iacturam fecerunt, factique ſunt apoſtatæ, ſchiſmatici, heretici.

V. 20. EX QUIBUS: e quorum numero. EST ALEXANDER: hic eſt ille de quo II. ad Tim. IV. dicit, *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit*. QUOS TRADIDI SATANAE, id eſt quos excommunicavi. Significat eos ſatanæ quaſi carnifici cruciandos eſſe traditos. Vide quæ diximus I. ad Cor. v. 5. UT DISCANT NON BLASPHEMARE; id eſt, ut emendentur, & reſipiſcant a ſua blaſphemia, & hæreſi; excommunicatio enim non ad perditionem, ſed ad peccatoris emendationem ferri debet.

T I F R I N I.

Verſ. 1. PAULUS APOSTOLUS non ex hominum voluntate, ſed SECUNDUM IMPERIUM, id eſt præceptum, decretum, iuſſionem ac delegationem. CHRISTI SPEI NOSTRAE, ſeu in quem ſperamus *a*, inquit Theophyl. & Auſelmus. Velim ſic facias.

V. 3. SICUT ROGAVI TE CUM Epheſo a fabris Dianæ fugatus IREM IN MACEDONIAM, nempe UT REMANERES EPHESI Epiſcopus, & ſparſa a me ſemina Evangelicæ doctrinæ foveres ibidem & excoleres: & in particulari DENUNTIARES *b* ac præciperes QUIBUSDAM plus æquo bonitatem ſtudioſis, NE ALITER DOCERENT quam nos conſuevimus.

V. 4. NEQUE INTENDERENT excutiendis FABULIS, & concinnandis GENEALOGIIS INTERMINATIS, id eſt longiſſimis, prolixiſſimis, & quaſi infinitis. Tales erant genealogiæ Iudæorum, quas ſummo faſtu ac contentione ab ipſo diluvio accerſebant, indeque genus ſuum ac nobilitatem comprobabant, inquit Ioſephus *c*: divina providentia id permittente, ut certo conſtaret toti orbi, Meſſiam iuxta Iacobi vaticinium *d* ex tribu Iuda, & Davidica familia procreatum eſſe *e*. Hos Iudæorum libros *Herodes*, Chriſti gloriæ æmulus, exuri iuſſerat quotquot naneiſci potuit, teſte Euſebio *f*: unde maximo labore & cura a multis inſtaurabantur, ſed prorſus in vanum, Chriſto iam pridem in lucem edito, & iudaiſmo brevi ſepeliendo: ita S. Chryſoſt. Theodor. Theophy. Ambroſ. Oecumenius: qui hæc etiam extendunt ad Thogonias Heſiodi & Gentilium, quarum ſtudioſum fuiſſe etiam *Tiberium* Cæſarem narret Svetonius, & alios Seneca *g*. HÆ QUAESTIONES, id eſt altercationes, pariunt potius QUAM AEDIFICATIONEM DEI, ſeu profectum in cognitione & cultu Dei, qui conſiſtit IN FIDE, pietate & caritate. Neque conſentanea ſunt vel legi Moſaicæ, vel legi Evangelicæ, ſeu *præcepto* divino: cuius

V. 5. FINIS & ſcopus EST non lis, contentio, vel æmulatio, ſed CARITAS procedens DE CORDE PURO, id eſt ex voluntate vacua pravis cupiditatibus, & ſiniſtris intentionibus, inquit S. Auguſt. *h* item ex CONSCIENTIA non ſedata peccatis, non amore proprio inquinata, ſed BONA, recta, ſancta; denique ex FIDE NON FICTA vel ſimulata, ſed vera, ſolida, ſincera. Unde

V. 8. LEX Moſaica in ſe & ex ſe BONA EST; nam optima præcepta continet ad vitam ſancte inſtituendam: typis vero ſuis & figuris ad Chriſtum manuducit. Reſtat tantum ut QUIS eam recte intelligat, & LEGITIME ac bene UTATUR: & ante omnia *ſciat* verſ. 9. quod *lex* quoad pœnas, quas innumeras minatur, NON *ſit* POSITA IUSTO: nempe ad illum coercendum vel puniendum. Cum enim iuſtus ſponte ſua ſe legi conformet non timore pœnarum, vel impulſu præmiorum, ſed amore iuſtitiæ: nihil ad ipſum pœnæ & minæ legis: ita S. Auguſtinus *i*. Unde nihil hic pro Libertinis volentibus, iuſtos non obligari ullis legibus etiam Chriſtianis.

V. 10. *Plagiarii*, ἀνδραποδιςαὶ vocantur qui aliena mancipia rapiunt, vel liberos homines in ſervitutem abducunt.

V. 12. EXISTIMAVIT Chriſtus, certoque ſcivit, ME ſibi fore FIDELEM, & creditum munus Apoſtolicum bona fide adminiſtraturum, quando me IN illo *poſuit*. Sic ſolet ſæpe Deus in perſonarum ad certa miſteria delectu reſpicere ſed ſecundario ad morales virtutes, vel naturales dotes, vel indolem miniſteriis congruam, ut inſinuat S. Auguſtinus k. Alioqui primaria cauſa electionis eſt liberalis Dei voluntas & miſericordia, ut alibi vidimus *l*. Sic ſecundariam iuſtificationis ſuæ cauſam, nempe occaſionalem, profert.

V. 13. MISERICORDIAM DEI CONSECUTUS SUM, QUIA IGNORANS peccavi, ne-

ſciens me perſequi verum Meſſiam. Neque enim erat hæc iuſtificationis Pauli cauſa proprie dicta, vel meritoria, ſeu de condigno, ſeu de congruo, ſed ſolum improprie dicta, nec niſi occaſionalis & removens quædam impedimenta. Peccare enim ex ignorantia, item minus peccare quam alii, neminem fecit dignum aut altero digniorem gratia, vel venia, (ut Arauſicanum Concilium can. 5. 6. 7. definit) facit tamen minus indignum. Hinc peccatoribus, etſi obſtinatiſſimis, ſemper ſuadendum ut graviora peccata devitent, & minus ſaltem peccent: ſic enim ſæpius & facilius illuminabuntur & excitabuntur a Deo: ita Theophyl. & exempla paſſim obvia ſunt in vitis Sanctorum.

V. 14. SUPERABUNDAVIT, id eſt ſupra modum & menſuram ordinariam exundavit, in me GRATIA Dei, CUM FIDE ET DILECTIONE *Chriſti*, cum me ex lupo oviculam fecit, & ex perſecutore propugnatorem Evangelii: ita Theophyl. Sed eadem gratia omnibus etiam aliis patet. Nam

V. 15. FIDELIS, id eſt fide plane dignus, quia verus & certus, SERMO, & quem merito omnes *accipient* & admittent, quod unicum Chriſti votum ac ſtudium ſit, PECCATORES (ſi conſeutire & obſequi voluerit) SALVOS FACERE, QUORUM PRIMUS, præcipuus, maximus EGO SUM. Fui enim princeps perſecutorum Chriſti, auctor & incentor tot malorum: tanta perverſitate naturali & in malum proclivitate, ut ſi cæleſti gratia deſtituerer, longe ſceleratior eſſem aliis etiam maximis peccatoribus tanta gratia non præventis. Sic Salomon dicebat, *Stultiſſimus ſum virorum m*; & S. Franciſcus, *Maximus ſum peccatorum*. Et iubemur alios omnes nobis *ſuperiores arbitrari n*: ita Theophyl. Oecumen. Anſelmus. Et *iſta humilitas*, inquit Ambroſius, *non ad diminutionem Pauli proficit, ſed ad gloriam: accuſatio quidem eius eſt, ſed laus Salvatoris*. Quo nomine,

V. 17. REGI SAECULORUM omnium conditori, (inquit S. Dionyſius *o*) SOLI DEO, id eſt qui ſolus eſt verus Deus, ſit HONOR ET GLORIA ab omni creatura in omnem æternitatem.

V. 18. Hoc (de quo ſupra verſ. 3.) PRAECEPTUM rurſus COMMENDO TIBI, o FILI, UT iuxta PRAECEDENTES IN, ſeu de te, TE PROPHETIAS, id eſt revelationes mihi de te in Epiſcopum ordinando factas, præbeas te tanto munere dignum, & IN ILLIS, id eſt ſecundum illas, MILITES BONAM MILITIAM, oſtendaſque re ipſa veram fuiſſe prophetiam ac revelationem. Oſtendens a tem *ſi*

V. 19. *habueris* FIDEM ſinceram, & rectam doctrinam, ſimul ET BONAM CONSCIENTIAM, vitam inculpatam, & mores ſanctos. Pulchre hoc bellum deſcribit S. Auguſtinus *p*: Arma & panopliam & bravium alibi tradit Apoſtolus *q*: Porro ſæpius in primitiva Eccleſia uſu veniebat, ut per revelationem deſignarentur Epiſcopi. Patuit in Paulo & Barnaba, in Fabiano, Athanaſio *r*, Nicolao, Ambroſio, Alexandro Carbonario, Gregorio & aliis apud Baronium.

V. 20. ALEXANDER eſt *ærarius* ille, ſeu quæſtor, de quo alibi Paulus *ſ*. Hunc eum collega eius *Hymenæo* TRADIDI (per excommunicationem, ut alibi vidimus *t*) SATANAE tamquam carnifici cruciandos, UT DISCANT hac vexatione NON amplius BLASPHEMARE, id eſt rebus divinis impie loqui. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. & Oecumenius S. Ambroſius legit, *ut emundentur & reſipiſcant a ſua blaſphemia & hereſi*: παθήματα, enim ſunt μαθήματα, & *vexatio u dat intellectum*.

(a) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 6.
(b) II. Theſſ. III. 6.
(c) Ioſeph. Lib. V. contra Apion.
(d) Geneſ. XLIX. 10.
(e) Mat. I. I. & Lucæ III. 23. Chronici c. XLVI.
(f) Euſeb. Lib. I. hiſt. cap. XVII.
(g) Sveton. cap. VII. Tiberii. Seneca epiſt. LXXIV.
(h) Auguſt. Lib. I. Doct. Chriſtianæ cap. V.
(i) Auguſt. de Spiritu & littera cap. X.
(k) Auguſt. Lib. XXII. contra Fauſtum cap. LXX.
(l) Rom. IX. 11. 15. &c.
(m) Prov. XXX. 2.
(n) Philipp. II. 3.
(o) Dionyſ. de Divin. nomin. cap. V.
(p) Aug. Lib. XXII. de Civ. cap. XIII.
(q) Epheſ. VI. 13. & Rom. VI. 23. VII. 23. Gal. V. 17. & Iob VII. 1.
(r) Actor. XIII. 2. Euſeb. Lib. VI. hiſt. c. 29. Sozomen. Lib. II. cap XVI.
(ſ) II. Tim. VI. 14
(t) I. Cor. V. 5.
(u) Iſaiæ XXVIII. 19.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. HI verſus inſcriptionem habent Epiſtolæ, precationem felicem, & ſcribentis auctoritatem, qui ex imperio Dei Apoſtolus deſignatus, mandat

quæ

quæ ſequuntur. Sane diſcant hinc hæretici, & præſertim Novantes notent Paulum non obtruſiſſe ſe, ut eſſet Apoſtolus, qui legitime miſſus mandatum manifeſtum evangelizandi accepit, tum Damaſci, tum Act. XIII. *Segregate mihi Paulum*. Putatur hic miſericordiam optare Timotheo erga alios, quoniam novi, & iuvenes Prælati zelo interdum ſatis ſuperque indulgent, ut erumpant in ſeveritatem.

V. 3. & 4. Duo hic inculcat; unum de doctrina, ne diſcedat aliquis ab ea quam docuit Epheſinos Paulus. Alterum ut abſtineant a vanis Iudæorum genealogiis & fabulis, unde nihil præter lites & iurgia exurgit. Fuit Iudæis ſolemne ducere longas genealogiæ ſeries, ut ſuam ab Abrahamo nobilitatem productam oſtenderent. Et quidem ante Chriſtum non inutiliter ita fiebat, ut conſtaret de Tribu inter Iudæos: & quoniam ex certa Tribu venturus erat Meſſias. Verum ceſſante lege Moſaica, tota hæc obſervatio evaſit inutilis.

V. 5. FINIS AUTEM PRAECEPTI. Longe abeſſe oportere præcones Evangelii ab his fabuloſis argutiis probat ex fine Evangelici Doctoris, cuius eſt impellere ad caritatem, ſpem, & puram fidem, a quibus tamen avertunt de his vanis rebus contentiones, quæ etiam efficiunt, ut doctor totus in hiſce ac ſimilibus rebus occupatus, ignoret ea quæ docere debet. Per legem hic (παραγγελίας) intelligit legem Evangelicam, & eius enunciationem, ita talem habet ſcopum, tales comites, & tales doctores requirit.

V. 8. SCIMUS AUTEM. Paulo obiiciebant paſſim Iudæi, quod legem damnaret, ut malam. Occurrit huic calumniæ Paulus, non ſe legem hic carpere: bona enim lex eſt iis qui bene illa utuntur. Nam continet figuras ad Chriſtum ducentes, & inſuper decalogum, & varia moralia: ſed quod nunc vituperatur, ſunt vanæ in legis doctoribus occupationes de inutilibus genealogiis & traditionibus frivolis. Ceterum lege bene utuntur, qui eam ſervant, quando obligat, & iuxta præſcriptum caritatis, in qua eſt finis legis. Huc etiam ſpectat, quod ſequitur verſu nono.

V. 9. LEX IUSTO NON EST POSITA. Certe quantum ad pœnam legis; qui enim ſancte vivit, non habet ſibi ullam impoſitam pœnam: vel lex Moſaica non eſt poſita Chriſtianis, iuſtis & ſanctificatis per Chriſtum. Uſus ergo legis rectus eſt, ut terreat & puniat iniuſtos: qui vero nomine legis terret iuſtum, abutitur lege. Ita Iudæi qui legem Moſaicam volunt a Chriſtianis ſervari. Impios, quibus ſic lex poſita eſt, quadam enumeratione recenſet pro exemplo. *Contaminati*, βέβηλοι, ſunt prophani, ſeu arcendi a ſacris ob aliquod piaculum. Plagium eſt homines furari, aut aliena rapere mancipia. Sana doctrina eſt quæ ſecundum Evangelium ſtat. Hoc dici videtur cum antitheſi legalium, ad quæ impellebant Pſeudoapoſtoli: ſolida ac vera doctrina eſt Evangelium, & via ad gloriam cæleſtem. Immo & Evangelium gloriæ; quia glorioſum eſt in hac vita pati pro Evangelio.

V. 12. GRATIAS AGO. Diſcet hinc diſcipulus Timotheus, ex hoc quod nunc dicit Paulus, agnoſcere beneficium vocationis. Nam Paulus hic magnas agit gratias Deo pro accepto hoc efficacis vocationis beneficio a ſtatu perſecutoris ad Apoſtolatum. FIDELEM, his fidum intellige, & qui bona fide negotia adminiſtrat.

V. 13. QUIA IGNORANS FECI. Hinc miſericordiam conſecutus. Moveri hic quæſtio poteſt de cauſa vocationis Pauli, & electionis ad gratiam hanc & Apoſtolatum. An quia fidelis, an quia ignorans erat veri. Reſpondeo, nec primæ gratiæ, nec proinde prædeſtinationis dari ex parte hominis primum initium, ſed nec cauſam, ex Arauſicano Concilio, Can. 5. 6. & 7. Prima, inquam, & princeps cauſa fuit liberalis Dei voluntas, & ſpecialis miſericordia. Et in hoc conveniunt Theologi contra Pelagium. Sed quam late pateat, aut quam ſtricte accipiatur hoc initium quod negatur eſſe a nobis, diſſenſio eſt. Placet enim aliquibus tantum negari in nobis initium, quod ſit cauſa directa & propria: nam omnis talis cauſa eſt pura Dei voluntas & beneplacitum; poſſe tamen dari cauſam interdum indirectam, velut ſolummodo removentem impedimenta; ſicut Paulus, quia ignorans fecit, conſecutus eſt miſericordiam: nam ſi non fuiſſet in eo ignorantia, fuiſſet malitia deſtinata impedimentum vocationis. Ubi ex hac ignorantia fit minus indignus venia. Alii volunt cum Vaſqueſio, omne qualecumque vocationis initium etiam negativum, provenire

venire a Deo, & gratia Chriſti. Et ſic certatur de latitudine huius initii, ut ſit quæſtio, an Patres intelligant ſolum initium proprie dictum, an vero quodcumque. Hæc quidem poſterior ſententia magis recedit a Pelagio, de qua dixi alibi. Et defendi facile poteſt, quia favet gratiæ; dicendumque ſic eſt omnia quæ ſic, vel negative, vel ut conditio ſine qua non conferunt ad vocationem, eſſe per gratiam, quatenus faciunt ad circumſtantias congruæ vocationis, cum poni in talibus circumſtantiis ſit gratia. Nec tamen ſequitur omnia opera moralia eſſe ex gratia (quamvis id aliqui admittant) *ſed ea* ſola quæ reddunt vocationem congruam.

V. 14. & 15. SUPERABUNDAVIT. Egit gratias Deo (verſ. 12.) pro vocatione. Nunc auget acceptum donum, quia ſuperabundavit gratia cum fide & caritate, vel ex quantitate gratiæ, vel quatenus ex perſecutore factus eſt Apoſtolus. Addit verſ. 16. finem, cur ſic Deus cum Paulo egerit; nempe ad oſtenſionem virtutis Chriſti: & ut hoc exemplo quod oſtendit in Paulo, omnes credentes & Evangelizantes (immo & Timotheus) animarentur ad magna pro Chriſto gerenda. Tandem verſ. 17. iterum redit ad gratiarum actionem. At quo modo verſ. 15. *peccatorum primus*? Sane ita iudicabat, dum peccatum ſuum contra Meſſiam expendebat, ex natura talis peccati, ut in ſe eſt, præſertim non mente expendendo, quam fecerint gravia aliorum peccata. Sic Salomon ſtultiſſimus ſibi, Proverb. xxx. 2.

V. 18. HOC PRAECEPTUM. Poſt ingreſſionem de vocatione, redit Paulus ad id quod initio verſ. 3. dixit, de retinenda ſana doctrina (quod eſt proprium munus Epiſcupi) nimirum hoc præceptum commendat Timotheo, ut militet in Epiſcopatu bonam militiam, docendo ſubditos doctrinam veram & ſolidam; SECUNDUM PRAECEDENTES IN TE PROPHETIAS; hoc eſt, prout multi in tua ordinatione bene de te ominati ſunt, & tibi fauſta precati. Sic quidem Magaliacus. At quid ſi nomine prophetiæ hic etiam intelligas monita tunc & exhortationes Pauli? Late enim patet vox prophetiæ, ut alibi dixi. Nec abeſt Chryſoſtomus a revelatione & prophetiis ſolitis fieri in deſignatione Epiſcoporum & Apoſtolorum.

V. 19. & 20. ET BONAM CONSCIENTIAM. Suggerit quæ Timotheo ad hanc bonam militiam, ſunt neceſſaria. Sunt vero fides orthodoxa, & bona conſcientia, ſeu vita ſancta. Atque hæc ſana conſcientia tanti eſt, ut qui ea caret, negligat fidem, & ſæpe deſerat. Non ſolent enim apoſtaſia & hæreſis eſſe prima peccata. De hoc Alexandro dicendum II. Timoth. IV. De cenſura excommunicationis, & qui ſint traditi Satanæ dixi I. Corint. cap. V. 5. Hac pœna afficiuntur, ut diſcant non blaſphemare. Certe hæreticus ut impugnat verum ſenſum ſacræ Scripturæ, ita impugnat primam in Deo veritatem, qui eſt prælocutor ſcripturarum. Ex his & noſtri ſæculi blaſphemiis, hoc eſt, ut nunc loquor, hæreſibus Calvinianis, ſatis notum eſt, hæreſes originem ſuam trahere ex mala conſcientia, ut non mireris invaleſcere hæreſes, ubi negligitur ſtudium bonæ vitæ, & malam vitam deſinere in hæreſim, & hanc demum, ut alias dixi, tendere ad regnorum everſionem.

C A.

Digitized by Google

CAPUT II.

Vult pro regibus & magiſtratibus fieri orationes ac gratiarum actiones, unumque dicit eſſe Deum & unum mediatorem: quomodo orare debeant vir ac mulier, & quomodo hæc ornari debeat, cuius non eſt docere, ſed in ſilentio diſcere.

1. OBſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, ora-
tiones, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus
hominibus: 2. pro regibus, & omnibus qui in ſublimi-
tate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in
omni pietate, & caſtitate: 3. hoc enim bonum eſt, &
acceptum coram Salvatore noſtro Deo, 4. qui omnes
homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis
venire. 5. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo
Chriſtus Ieſus: 6. qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, * te-
ſtimonium temporibus ſuis: 7. in quo poſitus ſum ego prædicator & Apo-
ſtolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate.
8. Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira &
diſceptatione. 9. (*a*) Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecun-
dia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut
margaritis, vel veſte pretioſa: 10. ſed quod decet mulieres, promittentes
pietatem per opera bona. 11. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectio-
ne. 12. (*b*) Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in vi-
rum; ſed eſſe in ſilentio. 13. (*c*) Adam enim primus formatus eſt, dein-
de Heva: 14. (*d*) & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præ-
varicatione fuit. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem, * ſi per-
manſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.

(a) I. Pet. III. 3. (b) I. Cor. XIV. 34. (c) Gen. I. 27. (d) Gen. III. 6.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 6. *Teſtimonium temporibus ſuis.* His verbis nec præponendum eſt *cuius*, nec poſtponendum *confirmatum eſt*: hæc enim conſulto a Patribus omiſſa ſunt.

Verſ. 15. *Si permanſerit in fide.* Alii legunt plurale *permanſerint*.

NOTATIO.

Verſ. 6. *CHriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt.* Ita fere legunt Latini libri concinentibus Auctore ordinariæ Gloſſæ, & poſterioribus gloſſematicis. Porro ſex Pariſienſium, Conſt. utrumque Di. o. Ge. o. l. V. tria Hentenii, & quinque noſtra manuſcripta Brug. Lob. Leod. Mal. mi. So. la. auferunt has tres voces, *cuius confirmatum eſt*; dum-

dumtaxat *teſtimonium temporibus ſuis* ſcribunt ut per appoſitionem intelligas, *ſemetipſum*, vel *redemptionem* teſtimonium; teſtimonium utique divinæ voluntatis, quæ omnes homines ſalvos fieri cupit. His DD. Haymo, & Anſelmus adſtipulantur (quamquam & alterius Anſelmus meminerit lectionis) ſuffraganturque Græci tum codices, tum enarratores. Syri habent, *Teſtimonium quod venit tempore ſuo*; nempe *τὸ quod venit* explicandæ ſententiæ gratia adiecerunt. Qua ex cauſa & id quod a Latinis legitur, *cuius confirmatum eſt*, adiectum reor; ſed non ab Interprete, neque ab Hieronymo eccleſiaſtico correctore, verum ab audaculo quoppiam correctore, aut librariis gloſſam proximam textui inſerentibus. Id enim docere videntur cum antiquiſſima ſpectatiſſimæque fidei exemplaria editionis noſtræ ſtudioſiſſima, quæ id omittunt, tum etiam alia quæ etſi pleraque legant: *cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*; quædam tamen in medio habent *confirmatum eſt* (*cuius teſtimonium confirmatum eſt temporibus ſuis*) ſex noſtra. Unum eo loco *firmatum* ſcibit, aliud omittit *eſt*. In quatuor eſt: *cuius teſtimonium temporibus ſuis datum eſt*. Mal. ma. G. M. V. quamquam poſtremum hoc in medio ponat *datum eſt*. Qua ex varietate non obſcure intelligendum dari videtur, adiectitium iſtud eſſe. Nicolaus Zegerus arbitratur ab Eccleſiaſtico correctore tollendæ obſcuritatis gratia ex Ambroſio, & Hieronymo additum eſſe. Neſcio quem putet ille Eccleſiaſticum Correctorem, cui ſæpius plurima adſcribit huiuſmodi præſertim auctaria: neque enim me legere aut audire contigit de Eccleſiaſtico Correctore, alio præter Hieronymum, qui noſtram editionem ſuo pro iudicio arbiter emendaverit; &, quod nec Hieronymus fecit, ſuis gloſſematis auxerit, ſitque ab Eccleſia receptus. Porro apud Ambroſium, aut Ambroſiaſtrum potius (uſurpat enim, ſed mentitur liber Ambroſii nomen, quamquam ſit veteris auctoris) legitur hoc loco: *cuius teſtimonium temporibus ſuis datum eſt*, uti in quatuor illis, quos modo diximus manuſcriptis libris verum ex commentario incertum relinquitur an hunc ad modum legerit, an ſolummodo *teſtimonium temporibus ſuis*. Vetus codex Societatis Ieſu latus, qui ad verbum pene in margine adſcriptum habet eius commentarium, ut fere alias non aliud quod iam diximus quam *teſtimonium temporibus ſuis* legit. Nec Haymo qui hunc ſecutus videtur plus quidquam, uti annotavimus, legit. Apud Hieronymum hoc eſt eum Auctorem cuius brevia exſtant in Hieronymi operibus commentaria, quem Pelagium eſſe magis credo, ſcriptum eſt, ut in Latinis vulgo exemplaribus: *cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*: ſed ſine his vocibus, *cuius confirmatum eſt* ſimpliciter eum legiſſe *teſtimonium temporibus ſuis*, commentarius haud obſcure docet. "In teſtimonium, habet, generi humano ſanctæ vitæ dedit exemplum, quia & Prophetæ ſuis teſtimonium fuere temporibus: noviſſime autem miſit filium ſuum ad colonos". Ubi obſerva *παρέργως* Pelagiani veſtigii unguiculam, exemplum potius Chriſto redemptori quam ſacramentum tribuentis. Sic & ſuperiori loco, quem ex poſteriori ad Theſſalonicenſes tractavimus: *quod elegerit nos Deus*, "videns, inquit, paratos ad credendum": nec pauca alia habet huiuſcemodi. Primaſius utroque loco ut & alibi eum ſecutus eſt, ſed caute nunc omiſſis, nunc mutatis abſonis verbis.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. OBSECRO IGITUR PRIMUM, &c. Græca ſcholia diſtinguunt inter hæc 3. Græca, *δεήσεις, προσευχὰς*, & *ἐντεύξεις*: vel *δέησις*, quod interpres vertit obſecrationes, ſit rerum adverſarum deprecatio: *προσευχὴ*, quod vertit orationes, bonorum poſtulatio: *ἔντευξις*, quod poſtulationes vertit, interpellatio adverſus iniurios homines. Mihi videtur ſimplicior intelligentia ſi ſumamus hæc tria pro eodem, ut ſit epitaſis Hebraica ad amplius exprimendam affectionem.

V. 6. REDEMPTIONEM. Græce *ἀντίλυτρον*, & ſignificat pretium redemptionis; *λύτρα* enim dicunt quæ vulgo ranſonas vocant, *ἀντίλυτρον* ergo dicitur quum vita unius vita alterius, & caput capite redimitur, quomodo vere *ἀντίλυτρον* Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ut æternum viveremus. *Cuius* TESTIMONIUM, Græc. legunt *τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις*, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus teſtimonium ſuis temporibus, quæ verba Chryſoſtomus explicat, quia veritati & patri teſtimonium præbuit ſuis temporibus, & congruis. Latinus interpres legit cuius

teſti-

teſtimonium confirmatum eſt ſuis temporibus, quod ſcilicet teſtimonia prophetarum de Chriſto ſingula ſuo tempore confirmata ſunt, in quo, ſive in quod teſtimonium poſitus ſum, id eſt ad quod prædicandum delegatus ſum.

V. 9. IN HABITU ORNATO. Græce, *κοσμίῳ; κόσμιος* autem ornatum ſignificat & honeſtum ac modeſtum, quod hoc loco magis quadrat: ut ſcilicet non ſe comant, ſed habitu ſint honeſto, frugi ac modeſto, CUM VERECUNDIA ET SOBRIETATE: *μετὰ σωφροσύνης*, quod ſobrietatem ſignificat, & modeſtiam ac frugalitatem, quod hoc loco ſequitur, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa, ſed in frugalitate.

V. 10. SED QUOD DECET MULIERES PROMITTENTES PIETATEM PER OPERA BONA. Mihi videtur *τὸ* per opera bona, iungendum cum eo quod ante præceſſit, *ornantes ſe, non in tortis crinibus aut auro,* &c. *ſed per opera bona, quod decet mulieres promittentes pietatem*; ſic noviſſima hæc particula per parentheſim legenda.

V. 12. & 14. DOCERE MULIERI NON PERMITTO. Hic Græci, *μὴ δὲ διδασκέτωσαν φησὶ μὴ μόνον ἀνθρώπινα, ἀλλὰ καὶ πνευματικὰ τὸ δὲ μὴ διδάσκειν ἀπαγορεύσει ἐν ἐκκλησίᾳ*, id eſt mulieres, inquit, ne doceant, non humana modo, ſed neque ſpiritualia: quod vero interdicit ne doceant, intelligit, in eccleſia; & quia docere non debeant, rationem addit, quia ſcilicet ADAM NON EST SEDUCTUS; hoc eſt, in Scriptura non legitur ſeductus; mulier autem ſeducta, in prævaricatione fuit, id eſt prævaricata eſt: mulier enim conqueritur Deo ſe a ſerpente ſeductam eſſe. Semel ergo inquiunt Græci ſeducta mulier docuit Adam lignum pulchrum eſſe viſu & ſuave guſtu, ſemel tantum docuit, & ſtatim omnia pervertit, ideo docere mulieri non permittitur.

V. 15. FILIORUM GENERATIONEM: generatio hæc non tam genitura, ac liberorum geſtatio Chryſoſtomo videtur intelligenda, quam educatio, & ea non qualibet, ſed ſi in fide, & dilectione, & ſobrietate educare perſeveraverit: unde pro eo quod interpres habet, SI PERMANSERIT, Græci legunt de filiis *ἐὰν μείνων*, ſi permanſerint: quamquam hoc modo nihil eſt quod verbo plurali reſpondeat; nam Græce eſt pro liberorum generatione unicum.

S A.

Verſ. 1. OBSECRO, Græc *παρακαλῶ*, quod etiam *hortor* verti poteſt. OBSECRATIONES, ſcilicet deprecando mala. ORATIONES, ſcilicet petendo bona. POSTULATIONES, ſcilicet pro aliis.

V. 2. IN OMNI; pro, cum omni. CASTITATE, id eſt vitæ puritate.

V. 4. VULT, ſcilicet quantum eſt ex ſe; vel, vult omnes, id eſt omne hominum genus, non ſingulos: ſi enim vellet abſolute, faceret.

V. 6. REDEMPTIONEM, id eſt redemptionis pretium. TESTIMONIUM, id eſt prædicatio.

V. 8. PURAS, ſcilicet a peccato, quaſi dicat, A puro corde levatas. IRA, ſcilicet contra aliquem. DISCEPTATIONE, id eſt hæſitatione, ſcilicet quod impetrabit a Deo petita.

V. 9. SIMILITER, ſcilicet orare; vel, volo. ORNATO, id eſt, modeſto. Syr. *caſto*. SOBRIETATE. Græc. *caſtitate*. IN, pro, cum.

V. 10. QUOD; pro, ut. PROMITTENTES, id eſt profitentes. PIETATEM, id eſt Dei cultum.

V. 12. DOCERE, ſcilicet viros, vel publice, ſeu in Eccleſia. DOMINARI, id eſt auctoritate uti.

V. 14. SEDUCTUS, ſcilicet ſic ut crederet ſerpentem verum dixiſſe. IN PRAEVARICATIONE FUIT, id eſt tranſgreſſa eſt; ſcilicet Dei mandatum.

V. 15. PER FILIORUM, &c. quaſi dicat, In ſtatu coniugii: de coniugatis enim loquitur. PERMANSERIT. Græc. *permanſerint*; ſed plurale pro ſingulari. SOBRIETATE, id eſt caſtitate; quaſi dicat, Si tamen ſancte vixerit.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. OBSECRATIONES. Caſſianus Collat. ix. cap. x. & ſequenti, & Eucherius Lugdunenſ. Epiſc. Quæſtionibus utriuſque Teſtamenti, *Obſecrationem* eſſe ait petitionem veniæ pro peccatis: *Orationem*, qua vovemus, vel offerimus aliquid, nempe ad peccati expiationem; *Poſtulationem*, qua pro aliis, ſeu totius mundi ſalute petimus; *Gratiarum a-*

ctionem, cum pro beneficiis acceptis, aut quæ ſperamus, Deum laudamus. Alii aliter, ſed nobis hoc placet quatuor orationis partes totidem verbis contineri: nec eſſe ſynonyma, ut quidam aiunt. Deus vult omnes ſalvos fieri, ideo Filium ſuum miſit.

V. 5. UNUS ET MEDIATOR. Non loquitur de interceſſione, ſed de redemptione, ut proxima verba declarant.

V. 6. QUI DEDIT REDEMPTIONEM, aut *pretium redemptionis*, ἀντίλυτρον. TESTIMONIUM TEMPORIBUS SUIS, ſic Græc. & Gotth. Alii, *cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*. Nempe Græca ſic legerunt: οὗ τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις ἐβεβαιώθη: ſic Ambroſius. Syr. & ſane videntur ea in Græcis & in noſtra Vulgata ſupplenda, ut ſunt in Lovan. & Regia. Senſus: Non ſolum ſe pretium dedit, ſed quæ dixit, omnia evenerunt.

V. 9. MULIERES IN HABITU ORNATO, ſeu *decenti*, modeſto, non neglecto. De ornatu mulierum multa & præclara Clemens Alexandrinus II. Pœdag Baſilius de Virginit. & in Regul. fuſius diſput. cap. XXII. Summa, ſi ſunt pulchræ, ſufficit natura; ſi turpes, fraus cum veritate non litiget Exod. XXXII. ex inauribus & armillis feminarum conflatur vitulus. Baſilius in Regul. brevior. num. 97. *in habitu ornato* habet, ut noſter vertit.

V 10. SED QUOD DECET MULIERES PROMITTENTES, ſeu *profitentes*; ut Syr. ἐπαγγελλομέναις. PER OPERA BONA: conſtrue ſic: *Sed per opera bona, ut decet mulieres promittentes pietatem, ſe ornent*.

V. 12. DOCERE AUTEM MULIERI, nempe publice & in Eccleſia.

V. 14. ET ADAM NON EST SEDUCTUS. Non credidit dictis ſerpentis, ſed ut Evæ placeret, comedit de arbore illa. Non ergo doceat.

V. 15. SALVABITUR AUTEM PER FILIORUM GENERATIONEM, id eſt propter labores quos in partu tolerat. Aut *per filiorum generationem* cum Chryſoſtomo intelligamus educationem & inſtitutionem eorum. SI PERMANSERIT. Sic Gotth. ſcilicet ipſa mulier. At Gr. & Syr. *ſi permanſerint*, ſcilicet filii, ſi eos bene inſtituerit: ſic Lovan. & Reg. Vulg. nempe Græce alii μείνωσιν legerunt, alii μείνη, *manſerit*.

MENOCHII.

Verſ. 1. OBSECRO: παρακαλῶ, *admoneo*, *adhortor*. IGITUR. Hæc particula oſtendit quæ ſubiunguntur inſerri ex dictis: connexio ergo eſt huiuſmodi; quaſi dicat, Ut milites bonam militiam, & rite fungaris Epiſcopi munere, & ut ſubditi bene, & digne Deo vivant, & naufragii circa fidem periculum evadant, obſecrationibus, & orationibus inſtare debetis omnes. PRIMUM OMNIUM, id eſt ante omnia volo fieri obſecrationes, orationes, &c. OBSECRATIONES: δεήσεις, ſunt ſupplicationes pro remotione malorum, & triſtium, unde Ambroſius, & Auguſtinus legunt *deprecationes*. ORATIONES: προσευχαὶ vocantur petitiones bonorum ut ea nobis contingant. POSTULATIONES: ἐντεύξεις, *interpellationes*, cum interpellamus pro ſalute aliorum.

V. 2. IN SUBLIMITATE: in dignitate, vel eminentia. UT QUIETAM, ET TRANQUILLAM VITAM AGAMUS, &c. quod continget ſi ipſi Reges, & Principes prudenter Rempublicam adminiſtrent, & ſi hanc eis prudentiam orando impetremus. IN OMNI PIETATE, ET CASTITATE. Pro *caſtitate*, in Græco eſt σεμνότητι; quæ vox non ſolam caſtitatem, ſed omnem honeſtatem, & morum gravitatem ſignificat.

V. 3. HOC ENIM; ut ſcilicet oretur pro omnibus hominibus.

V. 4. OMNES HOMINES VULT SALVOS FIERI: quantum eſt ex parte ſua, ſerio, & ex animo optat omnium ſalutem, & ad eam ſufficientia dat media.

V. 5. UNUS ENIM DEUS, &c. Probat quod dixerat cupere Deum ut omnes homines ſalvi fierent, quia unus eſt Deus omnium creator, ac pater, qui propterea figmentum ſuum amat, & illi bene eſſe cupit. Unus etiam homo Chriſtus omnium hominum mediator, qui proinde cupit beneficium ſuum ad omnes porrigi, & illius eſſe participes.

V. 6. REDEMPTIONEM, id eſt pretium redemptionis. TESTIMONIUM TEMPORIBUS SUIS; id eſt, ut hæc redemptio ſit teſtimonium divinæ caritatis, & oſtendat quantopere nos dilexerit; & æquitatis, & iuſtitiæ divinæ in futuro iudicio.

V. 7. IN QUO: ad quod, ſcilicet Chri-

ſtii

Google

ſti teſtimonium, & Chriſti redemptionem promulgandam. Positus sum: conſtitutus ſum. Doctor Gentium in fide, et veritate: doctor Gentium inſtituendarum in fide, & veritate, id eſt ut fidem Chriſti recipiant, & veritatem ejus agnoſcant.

V. 8. Orare in omni loco. Loquitur de publica oratione, quæ quovis loco, ſcilicet publicæ orationi dicato facienda eſt; quaſi dicat, Iudæi orant tantum in templo Ieroſolymitano, ego vero Chriſtianos orare volo in quavis Eccleſia, & in omni loco, qui dicatus eſt orationi. Levantes puras manus: levare manus habitus eſt orantis. Sine ira, id eſt ſine iniuriarum memoria, ſine vindictæ cupiditate. Et disceptatione: διαλογισμῶν, cum ſcilicet quis iratus, & vindictæ cupidus plenus eſt cogitationibus in animo tumultuantibus. Ambroſius generatim per diſceptationem intelligit mentis evagationem, quæ in oratione excludi debet per attentionem animi.

V. 9. In habitu ornato: κοσμίῳ, honeſto, decenti, moderato, & modeſto, & qui eos deceat, nam quod decet, id demum ornat. Cum verecundia, et sobrietate, id eſt verecunde, moderate, & medeſte.

V. 10. Promittentes, id eſt profitentes. Per opera bona, id eſt per bonam vitam, & mores Chriſtianos.

V. 12. Docere mulieri non permitto, ſcilicet in Eccleſia, & publico cœtu. Neque dominari: neque auctoritatem uſurpare in virum.

V. 13. Adam enim primus formatus est; quaſi dicat, Vir enim illi præſtat dignitate primæ conditionis.

V. 14. Adam non est seductus: non fuit a ſerpente deceptus, ſed allectus ab uxore divinum præceptum violavit; quaſi dicat, Merito ergo ille præeſt, qui deceptionibus minus eſt obnoxius. In praevaricatione; ſcilicet divini præcepti de fructu arboris non comedendo.

V. 15. Salvabitur autem per filiorum generationem; quaſi dicat, Eſto non doceat mulier, non deerit illi pia occupatio, adeoque ſalvabitur per piam liberorum educationem. Si permanserit in fide, et dilectione: ſi conſtans fuerit in fide & caritate. In Græco eſt *permanſerint*, μείνωσιν, ſcilicet filii. Hoc eſt, ſi mater curaverit ut maneant in Chriſti fide, dilectione, & ſanctitate, dum ipſa illorum curam gerit. Sobrietate, id eſt caſtitate, & illecebrarum temperantia; hoc enim ſignificat vox Græca σωφροσύνη.

T I R I N I.

Verſ. 1. O'Obsecrationes; δεήσεις Ambroſius & Auguſt. vertunt, *deprecationes*, ſupple, malorum & triſtium, προσευχαὶ ſunt petitiones bonorum, ut ea nobis obtingant: postulationes: ἐντεύξεις interpellationes pro aliis.

V. 2. Ut tranquillam vitam agamus ſub regimine principum prudenter & iuſte remp. adminiſtrantium. Unde debemus has illis virtutes orando cælitus impetrare: ut & *pietatem ac caſtitatem*: σεμνότης ſignificat in genere *honeſtatem*, morum gravitatem & in agendo ſinceritatem.

V. 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, ſeria quidem ac ſincera voluntate, atque etiam efficaci ex parte ſua, (quia media ad eam obtinendam neceſſaria, quantum ex ſe, omnibus ſubminiſtrat:) non tamen voluntate abſoluta (nam tunc omnes ad unum ſalvarentur;) ſed ex hypotheſi, ſi etiam ipſimet homines velint ſalvari, & quæ ab ipſis requiruntur, præſtare: ita S. Chryſoſt. Ambroſ. Auguſtinus *a*, Oecumenius.

V. 5. Unus enim eſt Deus omnium creator, pater dominus, &c. qui ſuis omnibus tenerrime afficitur. Unus etiam eſt mediator primarius ac principalis, qui inter *Deum & homines*, creditorem & debitores, offenſum & offendentes, cum auctoritate medium ſeſe interpoſuit, ſolvendo ex propriis bonis omne pretium ac lytrum requiſitum, ut patet ex ſequentibus. Porro Sancti non ſunt tales mediatores, ſed tantum ſecundarii & miniſteriales, quo modo etiam Moyſes vocatur *mediator b*, inquit S. Cyrillus *c*.

V. 6. Qui dedit semetipsum in mortem pro omnibus redimendis ac ſalvandis; testimonium temporibus suis, id eſt ut futuris temporibus hæc Chriſti mors & redemptio teſtimonium ſit tum divini amoris erga omnes homines in hac vita; tum divinæ æquitatis ac iuſtitiæ in futuro judicio, inquit Anſelmus.

I 2 *V.* 7.

V. 7. In quo, id eſt ad quod teſtimonium, ſeu beneficium redemptionis, toti orbi promulgandum; & maxime ad *Gentes* in fide & veritate inſtruendas positus, id eſt conſtitutus, sum ego præco, Apostolus et doctor.

V. 8. & 9. Volo viros orare, ſeu ad publicam orationem convenire, non in una tantum urbe (ut Iudæi Ieroſolymis,) ſed in omni loco precibus publicis dicato, id eſt in Eccleſiis. Ibi enim ſemper (non vero ſemper alibi, v. g. in privato cubiculo) debent mulieres, (ut ſequitur) comparere in habitu ornato, id eſt honeſto & decenti: neque enim ornat niſi quod decet: ita Græci Patres. Levantes ad Deum manus puras a ſorde peccati; græce enim eſt ὁσίους, id eſt *ſanctas*.

V. 10. Promittentes, profitentes, & ſuo tempore exercentes, pietatem non ſola lingua, ſed & manibus, nempe per opera bona, Deo grata, proximo utilia.

V. 12. Docere in Eccleſia *d* vel cœtu publico, non permitto mulieri, etſi donum acceperit prophetiæ, inquit Theophyl. Privatim quidem ut doceant domi ſuæ, v. g. puellas vel ancillas ſuas, non permitto tantum, ſed & ſuadeo *e*, ſed nullo modo dominari, αὐθεντεῖν, id eſt auctoritatem uſurpare, in virum.

V. 13. Adam enim formatus est prius quam Eva; ergo præſtantior illa eſt quoad dignitatem primæ formationis. Neque Adam creatus eſt Evæ cauſa, ſicut Eva cauſa Adami. Deinde vir præſtat vigore mentis & rationis, & minus obnoxius eſt deceptioni. Nam

V. 14. In praevaricatione divini præcepti de vetito fructu non comedendo, Adam non est seductus: ſupple, *primus* (ex verſ. præced.) ita Theodor. Oecumen. & Haymo. Quamquam etiam verum ſit quod S. Chryſoſt. Ambroſ. Hieron. Auguſt. *f* Theophyl. & Anſelmus docent, *Adamum non fuiſſe ſeductum*, ſeu deceptum: neque enim a *ſerpente*, quem ſciebat mentiri; neque ab *Eva*, quia hæc non intendebat, ſed neque poterat, decipere virum. Solo igitur inordinato coniugis amore, (quem una cum titillatione ſuperbiæ & excellendi libidine, culpa ſua & ſponte permiſit in ſe ſuboriri ac prævalere, cum poſſet facile compeſcere) nolens delicias ſuas contriſtare, morem geſſit ro-ganti uxori & inordinato appetitui ſuo. Unde neque excuſat ſe tamquam deceptum, ut excuſat Eva, quæ proprie *decepta* fuit a ſerpente, decipere ipſam volente atque intendente. Putabat enim [re non ſat excuſſa, ut poterat & debebat,) ſerpentem vera dicere, neque fuiſſe a Deo proprie vetitum ipſius fructum, utpote bonum, pulchrum & maxime utilem; ſed credebat myſterium aliquod latere in hoc præcepto: neque ſe, neque virum ſuum ſat aſſecutus mentem verborum Dei: atque ita ſeducta comedit, & virum, ut ipſe quoque comederet, blandiendo induxit, non ſeduxit fallendo. Ex quo infert Paulus, mulierem inferiorem eſſe prudentia, ut quæ ſe paſſa ſit ſeduci, nec hoc contenta, etiam virum & omnes poſteros ſuos in ruinam pertraxerit: ac proinde iure merito, conformiter pœnæ illi a Deo inflictæ *g*, debere viro ſubeſſe. *Semel* enim (ut ait Chryſoſt. & Oecumen.) *mulier docuit*, ſed tam *male*, ut & ſe & *virum*, *& omnia alia perverterit* & everterit. *Ultra ergo non doceat*, *ſed ſileat*, *& a viro bene & loqui & agere diſcat*. Verum etſi mulier non doceat in publico, non deerit tamen illi occaſio impendendi talenta, ſi quæ habet, in procuranda promovendaque ſalute tum ſua, tum aliena: nempe partim per privatas *h* inſtructiones, partim

V. 15. Per generationem filiorum (loquitur de ſolis coniugatis,) eorumdemque probam educationem, atque in pietate & bonis moribus inſtitutionem: neque permiſerit ſe exemplo primæ Evæ per ſatanam ſeduci & a recto deduci, ſed permanserit conſtans, curaritque quantum in ſe eſt, ut & filii ſui *permaneant* (nam in Græco eſt μείνωσιν in plurali numero) in ſuſcepta fide Chriſti, in dilectione Dei & proximi in *ſanctitate* vitæ ac morum, cum adiuncta sobrietate: μετὰ σωφροσύνης, id eſt illecebrarum temperantia, & cupiditatum continentia, inquit S. Chryſoſt. & Theophylactus.

(a) Auguſt. de Spiritu & littera cap. xxxiii.
(b) Deut. ii. 5. & Gal. iii. 19.
(c) Cyrill. Lib. XII. Theſauri cap. x.
(d) I. Cor. xiv. 44.
(e) Ad Titum ii. 4. & I. Cor. vii. 36.
(f) Hieron. Lib. I. cont. Iovinian. Auguſt. Lib. XIV. de Civ. cap. xi.
(g) Gen. iii. 16.
(h) Hic. verſ. 38.

CO R-

GORDONI.

Verſ. 1. OBSECRO IGITUR. *τὸ igitur* docet iſta ſequi ex verſ. 18. prioris capitis. Non enim poteſt Epiſcopus melius militarem illam aciem inſtruere, quam ad Deum confugiendo. Docet vero pro quibus vel maxime orandum ſit. OBSECRATIONES, *δεήσεις*. Auguſt. *deprecationes* legit: fiunt ad depellenda mala. Orationes fere dicuntur per quas petimus bona; ac ſi dicas, *petitiones*, *προσευχάς*. POSTULATIONES, vel interpellationes pro ſalute alicuius, *ἐντεύξεις*. Notavit Auguſtinus & Ambroſius, hic agi maxime de oratione publica. Sic Auguſtinus Epiſt. LIX. ad Paulinum, quæſt. V. refert ad Miſſæ liturgiam, ubi belle explicat Miſſæ ritum ſuo tempore. Lege Suarem, III. part. quæſt. LXXXIII. diſp. LXXXIII. ſect. I.

V. 4. VULT OMNES SALVOS FIERI. Æquum eſt, quando Deus vult, & ſerio optat (non ficte) omnes ſalvari, ut miniſtri Dei cooperentur illi, & pro omnibus orent. Qualis vero ſit iſta Dei voluntas antecedens apud Theologos, dixi ſuo loco. Eſt quidem de hac re voluntas ſigni in Deo, quatenus dat præceptum, hortatur, & proponit pœnas: ſed non ſatis eſt hoc. Eſt adhuc in Deo plenior de omnium ſalute voluntas; nam revevera id deſiderat & formaliter vult, immo & efficaciter, quantum eſt ex parte ipſius, quatenus dat omnibus redemptionem, gratiam per Chriſtum, ſacramenta, & media neceſſaria. Non eſt tamen voluntas conſequens omni ex parte efficax & completa propter defectum ex parte hominis non cooperantis gratiæ, & vocari poteſt antecedens, quaſi poſita voluntas ante prævisa opera bona vel mala, non vero conſequens ſeu ex præviſione operum.

V. 5. UNUS ENIM DEUS. Probat Paulus quod iam dixit de omnium ſalute: Deus unus eſt, omnium creator & communis omnium pater, ac proinde figmentis ſuis bene cupit. Similiter Chriſtus unus eſt omnium mediator & redemptor. Vult itaque ut hoc beneficium ad omnes perveniat. Contendebant Arriani ex hoc loco Chriſtum non eſſe Deum: quia hic diſtinguitur a Trinitate. Sed advertere debebant ex Scripturis in Chriſto eſſe duarum naturarum unionem hypoſtaticam, & ratione humanitatis Jeſſe unde diſtinguatur a Trinitate. Ceterum cum vocatur mediator Chriſtus, non eſt mediator ut Deus; nec ut homo præciſe, ſed ut homo Deus: nam ſub hac dignitate, & tali excellentia virtutis operatus eſt opera redemptionis, & mediatoris ſeu reconciliatoris inter Deum & homines.

At unus tantum eſt talis mediator: ergo Sancti non ſunt mediatores. Reſpondeo. Non mediant ut Chriſtus, qui eſt unus & ſolus in ſuo ordine mediator: alii alio modo, ut alibi diſputatum eſt.

Μεσίτης, mediator dicitur quicumque interponit ſe medium inter diſſidentes. Sic Moſes mediator fuit inter Deum & populum. Vide Deuteron. V. 4. & Gal. III. 19. Ex his ſatis apparet, quo ſenſu Chriſtus ſit ſolus mediator.

V. 7. & 8. Ad hæc quæ dicta ſunt de Deo & Chriſto, principiis noſtræ ſalutis, adiungit, ſe tanti negotii per Dei gratiam eſſe deſignatum miniſtrum. Orditur inſtructionem ab orationis commendatione. Sermo autem eſt de publica oratione, quam Iudæi volebant fieri in templo: Paulus non vult ad certum locum aſtringi Chriſtianos; ſed ait poſſe fieri in omni loco, publicæ orationi commodo. Ceterum iaculatoria oratio omni loco fieri poteſt. Lege Auguſt. Epiſt. CXXI. cap. IX. ad Probam. Notandum quod de hac oratione præſcribit, ut fiat pura conſcientia, & ſine memoria iniuriarum, aut ſine diſceptatione (*διαλογισμῶν*) tumultuantium cogitationum in animo. Cum ait verſ. 7. ſe Doctorem Gentium in fide & veritate, alludit ad rationale Pontificis, ubi erant Urim & Tummim, doctrina & veritas: de qua re ſatis dixi Exo. cap. XXVIII. 15.

V. 9. SIMILITER ET MULIERES. Hæc ſpectant ad inſtructionem mulierum, quas vult orare honeſto ac moderato habitu, verecunde, modeſte, profitentes bonam vitam & Chriſtianos mores. In hoc varia tempora habent ſua vitia, qualia hic notat Paulus. Lege Tertullianum, Lib. de Cultu feminarum.

V. 12. DOCERE AUTEM. Vetitum eſt hic mulieri docere in templo aut cœtu publico dominari ſeu auctoritatem uſurpare

in

Digitized by Google

in virum, αὐθεντεῖν: proximo verſu dat rationem. Adam enim primus formatus præſtat conditione ſua nativa, ſeu conditu. Item quia minus eſt obnoxius tentationibus. Certe in primo conditu tentatio incepit a muliere in prævaricatione primi præcepti. Et ſic Adam non fuit ſeductus, ſcilicet a ſerpente, & primus. Ergo prior eſt in dignitate, poſterior in culpa.

V. 15. Salvabitur tamen. Eſto, non doceat mulier; habet tamen in quo ſancte occupetur, & ſalvari poſſit, nempe per filiorum generationem, & ſanctam eorum educationem, dum ipſa manebit in fide & dilectione: ſic ſane generatio includit legitimam educationem: & educatio eſt perfecta generatio ac formatio prolis.

C A P U T III.

Docet Timotheum quales eſſe debeant Epiſcopi, diaconi, ac mulieres, ut ſciat quomodo converſari debeat in Eccleſia quæ eſt columnæ veritatis, ſimulque commendat Dominicæ incarnationis ſacramentum.

1. FIdelis ſermo: Si quis epiſcopatum deſiderat, bonum o-
pus deſiderat. 2. (*a*) * Oportet ergo epiſcopum irre-
prehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, pru-
dentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, 3.
non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum; non
litigioſum, non cupidum, ſed 4. ſuæ domui bene præ-
poſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.
5. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligen-
tiam habebit. *6.* Non Neophytum: ne in ſuperbiam elatus, in judicium
incidat diaboli. 7. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab
iis qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.
8. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non
turpe lucrum ſectantes: *9.* habentes myſterium fidei in conſcientia pura,
10. Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent, nullum crimen ha-
bentes. 11. Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in
omnibus. 12. Diaconi ſint unius uxoris viri: qui filiis ſuis bene præſint,
& ſuis domibus. 13. Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi
acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 14.* Hæc
tibi ſcribo, ſperans me ad te venire cito. 15. Si autem tardavero, ut ſcias
quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi,
columna & firmamentum veritatis. *16.* Et manifeſte magnum eſt pietatis
ſacramentum, quod manifeſtum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, ap-
paruit angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſum-
ptum eſt in gloria.

(a) Tit. 1. 7.

BREV.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. *Oportet ergo epiſcopum*. Non commutes *ergo* cum *enim*. Ibidem. *Prudentem, ornatum, pudicum*. Non omittas *τὸ pudicum*.

Verſ. 14. *Hæc tibi ſcribo*. Non ſcribas *fili Timothee*.

Notatio.

Verſ. 2. O*Portet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem*. Uni Græcæ voci *σώφρονα* duæ hic reſpondent *prudentem & pudicum*, quarum altera ex altera verſione videri poſſit adiecta: poteſt enim *τὸ σώφρονα* utrumque ad modum verti. Syri hoc, alii illo modo tranſtulerunt; tertii *ſobrium* converterunt: id vero quod noſter *ſobrium* reddidit *νηφάλιον vigilantem* interpretati ſunt. Unus Pariſienſium Latinus codex Ge. l. *pudicum* tollit: ſed ei parum tribuerem, niſi aliquot Zegeri, & quatuor Hentenii exemplaria accederent. Noſtra non omittunt id quidem, ſed ſatis monſtrant addititium eſſe. Variis namque habent locis; 12. quo propoſuimus proxime ante *hoſpitalem* cum Auctore Gloſſæ, Anſelmo, Lombardo, Thoma, & Carenſi. 2. proxime poſt *hoſpitalem*; 8 proxime ante *ornatum* cum Dionyſio Richelio. 18. adiungunt ornatum ſobrio, & ſubiungunt prudentem & pudicum: *Sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem*, cum Lyrano, & Gorrano. Denique unum præponit pudicum ſobrio: *Pudicum, ſobrium, prudentem, ornatum, hoſpitalem*. Quare cum variis inconſtanter erret locis, *τὸ pudicum*, nec a quoquam eo loco legatur, quo Græce *σώφρονα*, nempe immediate poſt *νηφάλιον ſobrium*, veriſimile eſt id ex altera editione noſtra adiectum eſſe. Certe commentaria Ambroſii nomine *prudentem* tollunt, & *pudicum* legunt: *Sobrium, pudicum, ornatum, hoſpitalem, docibilem*; quibus accedens Malmundarii maius ſcriptum eumdem in modum legit, ſed *prudentem* poſt *docibilem* addit, eo quo legi non ſolet loco. Ex huiuſmodi ergo editione noſtræ additum fuiſſe potuit *τὸ pudicum*; vel certe in textum ex gloſſa relatum, quæ monuerit ex Hieronymi ſententia pudicum rectius, quam prudentem verti: id enim ſenſit Hieronymus Epiſtolam ad Titum cap. 1. enarrans, Scholiaſtes Hieronymi operibus iunctus horum alterum omiſiſſe videtur; aut ſaltem eos ſecutus codices qui *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum* habent; poſt iſta namque ſubiunxit. *His omnibus ſpiritualibus ornamentis*; legit igitur poſtremum *ornatum*, etſi poſtremum adſcriptus textus non habeat. Si quis porro ſentire velit, Interpretem noſtrum ambiguæ vocis Græcæ duplicem expreſſiſſe ſignificantiam; vel eos ſequatur codices qui *Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum* ſcribunt, vel eos qui *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum*: ſunt enim iſti optimi; ſed hoc hi illis præferendi videntur, quod apud ſe mutuo collocant *prudentem & pudicum*: neque enim veriſimile eſt, Interpretem duas dediſſe voces, uni archetypæ reſpondentes, eaſque a ſe invicem ſeparaſſe.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. FIDELIS SERMO, id eſt indubia res eſt.

V. 2. UNIUS UXORIS VIRUM. Non hic adigit ad iugum matrimonii epiſcopos ac ſacerdotes Paulus, ſed ut inquiunt Chryſoſt. & Ambroſ. ne aſſumatur qui alteram uxori mortuæ ſuperinduxerit, quod illud incontinentiæ ſuſpicione non careat; quod ſi commodum inveniatur e ſæculi hominibus eligere, aſſumatur qui familiam bene regere novit. Olim namque uxoratos aliquot aſſumptos legimus, ſicut de divo Germano Antiſſiodorenſi fertur: vult tamen Hieronymus ſi aſſumantur uxorati, poſtmodum abſtinere uxoribus: neque enim, ut omnes teſtantur, Græci umquam poſt adeptum ſacerdotium uxores duxere, & Græca ſcholia hoc loco ſic habent: Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα· οὐ τοῦτο νομοθετεῖ, ἀλλ' ἐὰν γίνεται ἀπὸ κοσμικῶν· μὴ εἶναι δευτερόγαμος πλὴν

ἵνα

Digitized by Google

ἵνα πρὸς ἐπισκοπὴν κληθεὶς ἐκεῖνο πληροῖ· ἵνα οἱ ἔχοντες γυναῖκας ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι; id eſt, *unius uxoris virum:* non hoc iubet, ſed ſi ex ſæcularibus aſſumi contingat, ut ne ſit digamus; verumtamen ſic ſe contineat ad epiſcopatum vocatus, ut illud impleat: qui habent uxores, ſint tamquam non habentes. SOBRIUM. Græce νηφάλιον, quod ſobrium, prudentem, vigilantem, rebuſque attentum ſuis ſignificat, & hoc modo exponit Chryſoſt. quod epiſcopum oporteat vigilare, & undequaque gregi ſuo proſpicere. PRUDENTEM: σώφρονα. Ambroſ. vertit *pudicum*; utrumque autem ſignificat; noſter interpres utrumque verbum poſuit, prudentem & pudicum, quum unica vox illis Græce reſpondeat σώφρονα. ORNATUM: κόσμιον, quod etiam bene compoſitum & moratum ſignificat. HOSPITALEM: φιλόξενον, benignum in peregrinos & advenas. DOCTOREM: διδακτικὸν, aptum ad docendum.

V. 3. NON VINOLENTUM: μὴ πάροινον, quod vinoſum, & temulentum ſignificat: πάροινοι autem dicuntur qui debacchantur in alios, nec ſanæ mentis ſunt, & παροίνιον convitium, temere ac ſtulte dictum, quale prodire ſolet ab ebriis: & Chryſoſtomus hoc loco πάροινον non pro vinoſo accipit: ſed pro conviciatore, & elato; quod abeſſe vult ab epiſcopo, deſiderans illi manſuetudinem. MODESTUM: ἐπιεικῆ, id eſt modeſtum, moderatum, manſuetum, ſed hic Græci præponunt μὴ αἰσχροκερδῆ, id eſt ad verbum, non turpilucrum, non turpiter quæſtuoſum: quamquam aſſumptum puto ex loco ſequente de diaconis, & ex epiſtola ad Titum. NON CUPIDUM: ἀφιλάργυρον, non avarum, neque pecuniæ amantem.

V. 4. DOMUI SUAE BENE PRAEPOSITUM: προϊστάμενον, id eſt præſidentem & domum bene regentem, FILIOSQUE HABENTEM SUBDITOS. Græce ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ, in obedientia continentem. CUM OMNI CASTITATE, σεμνότητος, quod Græc. ſignificat caſtitatem, ſanctimoniam, ſeveritatem, & gravitatem, morumque honeſtatem, ac verecundiam: qualis eſſe in virginibus ac iuvenibus bene inſtitutis ſolet: & hoc ſignificato magis hoc loco quadrat: nec eſt otioſum quod hic admonet Ambroſ. epiſt. xxviii. Paulum dicere habentem filios, non facientem.

V. 5. DILIGENTIAM HABEBIT? ἐπιμελήσεται, id eſt diligentiam adhibebit, vel quomodo curam geret eccleſiæ? id enim ſignificat ἐπιμελεῖσθαι.

V. 6. NEOPHITUM; νεόφυτον, id eſt nuper natum, aut plantatum, ſive recens Chriſto inſitum per baptiſmum.

V. 7. IN OPPROBRIUM INCIDAT, id eſt ne opprobrio & ſcandalo ſit gentibus.

V. 8. BILINGUES: μὴ διλόγους, Chryſoſt. interpretatur non ſubdolos, aliud in ore, aliud in pectore habentes.

V. 9. HABENTES MYSTERIUM, &c. id eſt pura conſcientia fidei myſterium exercentes, vel ſervantes apud ſe in conſcientia pura fidei myſterium. Nam & ἔχω ſervare & cuſtodire ſignificat: vult autem diaconos non paſſim fidei revelare myſteria neque temere.

V. 10. NULLUM CRIMEN HABENTES. Non hic crimen ſimpliciter pro peccato ſumendum eſt; quis enim id præſtare poſſit? ſed pro criminatione: id enim ſignificat verbum Græcum ἀνέγκλητος id eſt in. criminabiles eſt enim proprie ἔγκλημα criminis apud iudicem expoſtulatio; vult autem ſic ſe illos gerere, ne data occaſione in ius vocentur.

V. 12. UNIUS UXORIS VIRI: eo modo quod Ambroſius, & Chryſoſt. de epiſcopis intelligunt.

V. 16. ET MANIFESTE MAGNUM EST, &c. Græci non habent, quod, ſed pro eo θεὸς, id eſt Deus, ut hoc pietatis & religionis ſacramentum intelligatur Deus Chriſtus, qui manifeſtatus eſt in carne: qui enim homines antea latebat in divinitate, per carnis aſſumptionem illis innotuit, iuſtificatus eſt in ſpiritu: quod indubie ſecundum humanitatem intelligi debet, ſecundum quam iuſtificatus dicitur, quomodo & ſanctificatus Ioan. x. *Quem pater ſanctificavit & miſit in mundum*. Iuſtificatus eſt autem ſpiritu, id eſt per ſpiritum ſanctum, & plenitudinem gratiæ, non per legem: ita quidam Græci; vel iuſtificatus, id eſt iuſtus apparuit: nam etſi comeſſator audiret & vini potor, & dæmonium habens ab ipſis Phariſæis, agnitus tamen eſt iuſtus ab omnibus. APPARUIT ANGELIS, antea myſterium incarnationis ignorantibus. PRAEDICATUS EST GENTIBUS, & creditus mundo, & aſſumptus in gloria in die aſſumptionis.

S A.

Digitized by Google

S A.

Verſ. 1. FIDELIS. Vide cap. I. OPUS, id eſt munus, ſeu functionem.

V. 2. UNIUS, id eſt qui non duas duxerint. Syr. *unius fuiſſe*. SOBRIUM. Hieron. I. contra Iovin. *vigilantem* vertit, Græc. νηφάλιον PRUDENTEM, alii *caſtum* vertunt. ORNATUM, id eſt bene moratum, ſeu modeſtum. DOCTOREM. Græc. διδακτικὸν, id eſt qui poſſit docere.

V. 3. LITIGIOSUM, id eſt pugnacem. CUPIDUM, id eſt avarum.

V. 4. PRAEPOSITUM, id eſt præſidentem; quaſi dicat, Bene gubernantem ſuos. HABENTEM: non facientem. SUBDITOS, id eſt obedientes. OMNI, id eſt perfecta. CASTITATE: alii *reverentia* vertunt Græc. σεμνότητος. Syr. *puritate*.

V. 5. DILIGENTIAM, id eſt curam.

V. 6. NEOPHYTUM, id eſt nuper baptizatum. IUDICIUM, id eſt condemnationem, ſeu ſupplicium. DIABOLI: qui per elationem cecidit.

V. 7. FORIS, id eſt extra Eccleſiam. OPPROBRIUM; quaſi dicat, Ne det occaſionem opprobriis. LAQUEUM, id eſt inſidias, ſcilicet ſolet diabolus facile tales decipere: vituperati enim & contempti, per impatientiam peccant.

V. 8. PUDICOS: alii, *bene moratos* BILINGUES, id eſt inconſtantes ſermone, ſcilicet mendaces. Syr. *loquentes duplicia*.

V. 7. MYSTERIUM FIDEI. Forte intelligit calicis ſacri diſpenſationem, quod *fidei myſterium* vocatur in conſecratione. PURA; quaſi dicat, Cum puritate conſcientiæ calicem miniſtrantes populo.

V. 11. MULIERES, id eſt uxores, ſcilicet Epiſcoporum & Diaconorum.

V. 12. UNIUS, &c. Syr. *qui unicam uxorem habuerint*.

V. 13. GRADUM, ſcilicet apud Deum. IN FIDE, id eſt per fidem; quaſi dicat, Tum poterunt merito confidere ſe a Chriſto, in quem eredunt, ſalvandos, ſi bene munere ſuo functi fuerint.

V. 15. FIRMAMENTUM, id eſt baſis, ſeu fundamentum.

V. 16. SACRAMENTUM. Græc. *myſterium*. QUOD MANIFESTATUM. Græc. *Deus manifeſtatus*. IN CARNE, ſcilicet aſſumpta: id enim maxime Dei pietatem & miſericordiam declaravit. IUSTIFICATUM, id eſt iuſtum apparuit, ſcilicet Chriſtus. SPIRITU, id eſt ſecundum ſpiritum. ASSUMPTUM, ſcilicet die Aſcenſionis.

MARIANAE.

Verſ. 1. FIDELIS SERMO, id eſt verus, minime dubius. SI QUIS EPISCOPATUM DESIDERAT, BONUM OPUS, id eſt magnum laborem cupit. *Epiſcopus nomen eſt operis, non honoris*: Auguſtinus XIX. de Civit. Dei, cap. XIX. Aut *bonum opus*, id eſt excelſam rem & ſublimem. Oportet Epiſcopum eſſe

V. 2. UNIUS UXORIS VIRUM, id eſt non bigamum, qui mortua priori uxore alteram duxerit, ut Ambroſius & Chryſoſtomus. Non vult Epiſcopos eſſe uxoratos, ſed excludit bigamos. Aliqui primis temporibus uxoratos etiam uxore retenta factos Epiſcopos volunt, deinde id mutatum Synodo VI. can. XIII. De quo multa Eſpenæus Lib. I. de Continent. cap. III. SOBRIUM, ſeu *ſobrium & vigilantem*. PRUDENTEM. Ambroſius, *pudicum*: σώφρονα utrumque ſignificat; utrumque noſter Interpres poſuit; niſi forte pro *pudico*, σεμνὸν legit, quod magis ex Veleſio puto, qui eam lectionem notat. ORNATUM: κόσμιον *moderatum* vertit Syr. DOCTOREM: qui docere poſſit, non illiteratum.

V. 3. SED MODESTUM, aut *manſuetum*, ἐπιεικῆ. NON CUPIDUM, ſeu *avarum*, ἀφιλάργυρον. Quod Græce additur μὴ αἰσχροκερδῆ, *non turpiter quæſtuoſum*, deleatur ex Syr. & Veleſii & Latinis codicibus omnibus. Ex verſ. 8. huc tranſiit in Græco. Cuius filii ſint ſubditi.

V. 4. CUM OMNI CASTITATE ſeu *honeſtate*, σεμνότητος.

V. 6. NON NEOPHYTUM. Iſidorus VII. Etymol. cap. XIV. *neophytum*, id eſt *nuper renatus*, ſcilicet Baptiſmo, talis non fiat Epiſcopus, ne ſuperbiat. At idem de Summo bono, & Gregorius Lib. IV. epiſt. L. per *neophytum* intelligunt, qui ex laico repente, & non per gradus fit Epiſcopus aut Sacerdos. Quæ labes Gregorii Magni tempore fuit, ut laici, data pecunia, præcipua loca in Eccleſia invaderent: quam ipſe hæreſis nomine exagitavit, ut patet ex

Digitized by Google

ex eius Vita, Lib. III. cap. I. & II. NE... IN IUDICIUM, id eſt condemnationem, INCIDAT DIABOLI, id eſt quam diabolus ob ſuperbiam incurrit. Gregorius Lib. VII. epiſt. cx. de hoc ipſo agens, *Ruinam*, inquit, *quærit qui in faſtigium non per gradus, ſed per abrupta conſcendit*.

V. 7. AB IIS QUI FORIS SUNT, id eſt Gentilibus teſtimonium habeat, ne illis ſcandalo & opprobrio ſit. ET IN LAQUEUM DIABOLI, id eſt in infamiam incidat. Quid diaconis?

V. 8. NON TURPE LUCRUM SECTANTES. Hinc translatum hoc ad Epiſcopos eſt in Græco codice in verſ. 3. ut ibi eſt notatum.

V. 9. HABENTES MYSTERIUM, id eſt cum fide iungentes bonam conſcientiam.

V. 10. NULLUM CRIMEN, ſcilicet grave & infame habentes. Græc. *inculpati*.

V. 12. UNIUS UXORIS, id eſt diaconi etiam non ſint bigami.

V. 13. ET MULTAM FIDUCIAM apud Deum & homines habere poterunt qui tales fuerint, evehendo ad altiores gradus fidere & ſperare poterunt.

V. 16. MAGNUM EST PIETATIS SACRAMENTUM, QUOD MANIFESTATUM. Græc. *Deus manifeſtatus eſt in carne*. Hoc eſt *myſterium* ſeu *ſacramentum*. IUSTIFICATUM EST IN SPIRITU, ſeu *iuſtificatus*, id eſt per ſpiritum ſanctum Chriſtus homo gratiam accepit iuſtificantem. APPARUIT ANGELIS. Antea incarnationis myſterium Angeli ignorabant, certe non plene noverunt. ASSUMPTUM EST IN GLORIA; pro, in gloriam aſſumptus eſt Chriſtus: quod in die Aſcenſionis eſt factum.

MENOCHII.

FIDELIS SERMO, id eſt certus, & fide dignus; ſic ſupra cap. I. 15. *Bonum opus deſiderat*: præclarum, & arduum opus deſiderat. Epiſcopatus enim eſt onus Angelicis humeris formidandum, ut docet Concilium Trident.

V. 2. UNIUS UXORIS VIRUM, id eſt monogamum abſolute, qui ſecundas non iniit nuptias, nec ſucceſſive plures habuit uxores ſed unam tantum. SOBRIUM: νηφάλιον, quæ vox tam ſobrium, quam vigilantem ſignificat, perſpicacem, & ſuis rebus attentum. PRUDENTEM: σώφρονα, quæ vox temperantem ſignificat, ſed temperantia prudentiæ militat; & favet etymon vocis, nam σώφρονων dicitur quaſi σώζουσα φρόνησιν, *ſervans prudentiam*. ORNATUM; κόσμιον, moderatum, compoſitum. PUDICUM, id eſt caſtum. DOCTOREM, διδακτικόν, aptum, & propenſum ad docendum.

V. 3. NON PERCUSSOREM: qui manibus non percutiat, non ſæviat, non ſit aſper, & crudelis in domeſticos, & ſubditos. SED MODESTUM: ἐπιεικῆν, æquum, humanum, manſuetum, qui non rigide ius ſuum exigit, ſed quantum res patitur, aliorum ſe moribus, & affectibus accommodat. NON LITIGIOSUM: alienum a contentionibus, & iurgiis verborum. NON CUPIDUM: ἀφιλάργυρον, id eſt alienum ab argenti cupiditate.

V. 4. FILIOS: ſi quos genuerit antequam crearetur Epiſcopus. CUM OMNI CASTITATE. Græce σεμνότητος, id eſt honeſtate, & gravitate morum.

V. 5. DILIGENTIAM HABEBIT, id eſt curam habebit ἐπιμελήσεται.

V. 6. NON NEOPHYTUM, id eſt novitium, ſcilicet recens converſum, & baptizatum. NE IN SUPERBIAM ELATUS: exiſtimans nimirum Eccleſiam opera ſua indigere, ideoque ſibi placens, & ſuperbiens. IN IUDICIUM INCIDAT DIABOLI: in ius, & poteſtatem diaboli.

V. 7. TESTIMONIUM: bonæ vitæ. AB IIS QUI FORIS SUNT: ab ipſis infidelibus, ut ſcilicet non poſſint vitam, & mores illius carpere, quamvis doctrinam, & religionem non probent. UT NON IN OPPROBRIUM INCIDAT, ET IN LAQUEUM DIABOLI: omnia ergo quæ de dotibus Epiſcoporum numerata ſunt, in illis requiruntur, ne hominum contumeliis, & probris, & diaboli laqueis pateant.

V. 8. PUDICOS: caſtos: in Græco eſt σεμνούς graves, ſeveros, modeſtos. NON BILINGUES: διλόγους, duplices in ſermone, & in dictis incoſtantes, qui hic affirment, ibi negent. NON MULTO VINO DEDITOS. non ebrietati deditos. TURPE LUCRUM SECTANTES: turpiter, & avare pecunias quærentes.

V. 9. HABENTES MYSTERIUM FIDEI IN CONSCIENTIA PURA; id eſt, tenentes myſterium fidei cum pura conſcientia, ut ſcilicet ſimul cum ſincera fide, ſint etiam in moribus irreprehenſibiles.

V. 10.

V. 10. PROBENTUR PRIMUM ; quaſi dicat : Horum vitius antequam ad diaconatum evehantur, diu ſpectata ſit , & probata. ET SIC : ordinati ab Epiſcopo miniſtrent . *Nullum crimen habentes* : cum probati fuerint, & irreprehenſibiles.

V. 11. MULIERES &c. Loquitur de Diaconiſſis Eccleſiæ miniſterio addictis. PUDICAS : *σεμνάς*, graves, ſeveras, modeſtas. NON DETRAHENTES : *μὴ διαβόλους*, *non calumniatrices*. SOBRIAS : *νηφαλίους*, quod iam ſobrias, quam vigilantes, & prudentes ſignificat. FIDELES IN OMNIBUS, id eſt veritatem, & iuſtitiam in omni negotio ſibi commiſſo ſervantes.

V. 12. DIACONI SINT UNIUS UXORIS VIRI, &c. vide dicta ſupra verſ. 2.

V. 13. QUI ENIM BENE MINISTRAVERINT ; in ſuo diaconatu. BONUM GRADUM SIBI ACQUIRENT ; id eſt, qui diaconatus officio bene functi fuerint, viam ſibi munient ad gradum maiorem, & honoratiorem, nempe presbyterii, aut Epiſcopatus. ET MULTAM FIDUCIAM IN FIDE : *παῤῥησίαν*, id eſt libertatem ingenue, & libere agendi, quam parere ſolet mens recti conſcia.

V. 14. AD TE VENIRE, ad te venturum Epheſum.

V. 15. QUOMODO OPORTEAT TE CONVERSARI : quomodo te gerere debeas. IN DOMO DEI, QUAE EST ECCLESIA : in Eccleſia, quæ eſt domus Dei. COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS : Eccleſia enim in doctrina fidei errare non poteſt.

V. 16. ET MANIFESTE MAGNUM EST PIETATIS SACRAMENTUM ; & ſane circa omnem controverſiam magnum eſt pietatis myſterium, quod nos cunctis Gentibus proponimus. QUOD MANIFESTATUM EST IN CARNE : magnum hoc pietatis ſacramentum eſt ipſum Verbum incarnatum : ſive Deus homo, naſcens, patiens, reſurgens, &c. PIETATIS : *εὐσέβειας*, Dei cultus, ac religionis ; quaſi dicat, Myſterium incarnationis pium eſt , & eo maxime colitur Deus , & incitat nos ad pietatem , Dei cultum, & venerationem. *Iuſtificatum eſt in ſpiritu* : divinis teſtimoniis confirmatum, in eius nativitate, baptiſmo, & alias, ſed præcipue per innumera miracula, quæ patravit virtute Spiritus ſancti. APPARUIT ANGELIS : *ὤφθη*, *viſus eſt* ab Angelis in præſepio Deus infans. Deus homo ab Angelis viſus fuit , quem antea non viderant. *Aſſumptum eſt in gloria* : cum ſcilicet Chriſtus monte Oliveti aſcendit in cælum .

T I R I N I.

Verſ. 1. QUI EPISCOPATUM legitime vocatus DESIDERAT ; BONUM, *καλόν*, id eſt præclarum, & arduum, OPUS DESIDERAT ; nempe munus procurandæ ſalutis tot millium commiſſarum ſibi ovicularum. *Opus* & onus etiam angelicis humeris formidandum , ut loquitur Tridentinum ; & ſex prolixis libris fuſe demonſtrat Chryſoſtomus *a* . Idem proportione intelligi vult Apoſtolus de *Parochis* , & quotquot habent curam animarum . Sexdecim autem conditiones exigit Apoſtolus in Epiſcopo, decem affirmativas , ſex negativas . Prima negativa eſt , ut ne plurimum , ſed ,

V. 2. UNIUS UXORIS *vir fuerit*, ut vertit Syrus tam hic quam verſ. 12. id eſt , non ſit *bigamus* , ſeu numquam inierit, ne ſucceſſive quidem , ſecundas nuptias . Patet ex cap. v. 9. ubi ſimili phraſi dicitur, *vidua eligatur quæ fuerit unius viri uxor*. Iam vero conſtat , numquam moris fuiſſe, ut pluribus ſimul viris una eademque eſſet uxor (ut ad hoc cavendum peculiari opus eſſet præcepto :) ſed neque poſſe viduam eſſe quæ de facto adhuc habeat virum, ſed ſolum eam quæ habuerit. Unde a ſimili colligimus, non præcipere hic Paulum , ut qui Epiſcopus vel Presbyter eligendus eſt, ſit de facto coniugatus. (Nam neque Paulus ipſe , ut *b* alibi docuimus, neque Timotheus aut Titus, ad quos ſcribit, umquam teſte S. Ignatio *c* , coniugati fuerint :) ſed ſolum , ſi fuerit aliquando, vel adhuc ſit coniugatus, ut non niſi unam habuerit. In primitiva enim Eccleſia, eo quod cælibes , qui apti eſſent muneri Epiſcopali vel paſtorali, admodum pauci reperirentur , ordinari ſolebant etiam coniugati, ſed non niſi monogami : & hi poſt ſuſceptos ſacros Ordines uſu prioris coniugis abſtinebant, teſte Epiphanio *d* & aliis Patribus. Poſtmodum tamen Græcis, ob incontinentiam indultum fuit, ut uxoribus , ſi quas ante Ordines ſuſceptos duxiſſent, etiam poſt uterentur *e* . Numquam vero conceſſum , ut ordinato liceret uxorem de novo ducere. Quod & apud AEgy-

Digitized by Google

ptios, alioſque Gentiles ſeu Ethnicos obſervatum fuiſſe, docet S. Hieron. *f* Porro Apoſtolus inter alias Epiſcopi dotes, optat eum eſſe ORNATUM, ſcilicet honeſto habitu ac talem perſonam decente, inquit Theophyl. Et ita intelligitur cap. præcedenti verſ. 6. Sed S. Hieron. *g* Theodor. Anſelmus, Syrus & plures alii, ex Cicerone *ornatum* vocant moribus compoſitum, *qui decorem ſervat in inceſſu, habitu, ſermone, & omni motu.* Abſque quo ornatu vileſcunt ſacerdotes apud populum, inquit ex Malachia Ambroſ. & Gregor. *h* Optat inſuper Apoſtolus Epiſcopum eſſe DOCTOREM, διδακτικὸν, id eſt inſtructum doctrina, & aptum ad docendum, ſeu (ut alibi *i* loquitur,) *qui potens ſit exhortari. Abſque ſermone enim*, ut ait idem S. Hieronymus, *converſatio quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet.* Unde & Tridentinum k, *potiſſimum*, inquit, *Epiſcopi munus eſt prædicatio verbi Dei, quod & per ſe, ſi poſſit, obire debet.*

V. 4. FILIOS (ſi quos genuerit antequam Epiſcopus crearetur) HABENTEM SUBDITOS, id eſt ſibi obſequentes & morigeros. Audin' *filios:* non facientem, ſed *habentem?* CUM OMNI CASTITATE, id eſt perfecta puritate.

V. 6. NON NEOPHYTUM, ſeu recens converſum, inſtructum, baptizatum: NE perſuaſus Eccleſiam opera ſua indigere indeque ſibi complacens ac ſuperbiens, INCIDAT IN IUDICIUM DIABOLI, id eſt damnetur & pereat, inſtar Luciferi, qui neophytus in cælo ſuperbivit, ideoque damnatus eſt, inquit Chryſoſt. & Theophyl.

V. 7. TESTIMONIUM habeat BONUM, ſeu bonæ vitæ, etiam ab infidelibus, quibus convixit, UT evectus ad epiſcopatum, NON INCIDAT IN OPPROBRIUM, id eſt ne hominum probris & contumeliis pateat, dum priſtina vitia ipſi exprobrabunt: ET IN LAQUEUM DIABOLI, nempe *infamiam*, inquit Chryſ. vel in *iram & odium* aliorum, ut Anſelmus; vel, ut alii, in *puſillanimitatem*: quibus laqueis multos cepit diabolus.

V. 9. HABENTES, ſeu tenentes, MYSTERIUM, id eſt notitiam myſteriorum FIDEI, cum PURA CONSCIENTIA: nempe, cum ſincera fide ſint etiam in moribus irreprehenſibiles.

V. 11. MULIERES, ſeu uxores, diaconorum, multo magis presbyterorum *l* vel Epiſcoporum (ita Magiſter, S. Thomas & Gloſſa,) *pudicas* ſint oportet, ne probro ſint maritis.

V. 13. QUI in munere diaconatus BENE ac laudabiliter MINISTRAVERINT aliquamdiu Eccleſiæ, BONUM GRADUM, ſeu locum gratiæ & meritorum, SIBI ACQUIRENT tum apud Deum, tum apud homines, ut mereantur altius promoveri in ſacerdotes & Epiſcopos; ita Chryſoſt. Ambroſ. Theophyl. Anſelmus. ET FIDUCIAM: παῤῥησίαν, id eſt libertatem, MULTAM IN FIDE, id eſt in docendis & exequendis iis quæ fides Chriſti exigit: ita idem Theophyl. & Oecumen.

V. 15. ECCLESIA DEI COLUMNA EST ET FIRMAMENTUM VERITATIS, quia in fide errare non poteſt. Alludit ad duas templi Salomonici columnas IV. Reg. VII. 21. inquit Abulenſis, Vatablus & Ribera *m*. Sed ridendus hic Calvinus, dum ait, ideo *columnam & firmamentum veritatis* eſſe Eccleſiam, quia conſervat ſacram Scripturam quæ errare non poteſt: quia iure id quadraret in omnes bibliothecas: neque aſſervare Scripturam eſt *columnæ* vel *firmamenti*, ſed capſarum vel thecarum. Quod vero Eccleſia docet, explicat, nobiſque communicat,

V. 16 MAGNUM EST SACRAMENTUM, ſeu myſterium & argumentum divinæ erga homines PIETATIS, MANIFESTATUM IN CARNE; græce, *Deus manifeſtatus*, ſeu conſpicuus factus *in carne*: IUSTIFICATUM coram toto mundo; quaſi dicat: Iudæi Chriſtum Deum hominem habent pro ſcandalo *n*, Gentiles rident ut rem ſtultam, ſed ipſe a Deo eſt *iuſtificatus*, id eſt ſanctus & iuſtus declaratus *o*, IN SPIRITU, id eſt opera Spiritus ſancti: nempe per ſtupenda ſigna ac miracula in hunc finem paſſim edita, per rationes efficaces, per illuſtrationes internas, per prædicationem externam, ut docent Chryſoſt. Ambroſ. Sedulius & S. Thomas.

a) Chriſoſt. de Sacerdotio.
(b) I. Cor. VII. 7. & c. IX. 5.
(c) Ignat. ad Philadelphios.
(d) Epiphan. hereſi LIX.
(e) Cap. Cum olim de Clericis coniugatis.
(f) Hier. ep. XI. ad Ageruchiam.
(g) Hieron. ad Oceanum.
(h Malach. II. 8. Ambroſ. lib. de Dignitate ſacerdotali Gregor. hom. XVII. in Evang.
(i) Ad Titum I. 9. (k) Trid. ſeſſ. V. cap. 2.
(l) Philipp. I. I. (m) Abulenſ. Vatablus in III. Reg. VII. 21. Ribera Lib. II. de Templo cap. XIV.
(n) I. Cor. I. 18. & 23. (o) Rom. III. 4.

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1. FIDELIS SERMO. Hæc verba non videntur referenda ad id quod dictum eſt in fine capitis præcedentis, quod putavit Chryſoſtomus, ſed ad hic inſequentia. Ac ſi dicat: Certus & fide dignus eſt ſermo, qui de Epiſcopatu ſubiicitur; nempe eum qui deſiderat Epiſcopatum, expetere opus bonum (καλοῦ) & ut præclarum, ita etiam arduum, quodque multa requirat. Oportet enim illum eſſe irreprehenſibilem, &c. & ex Tridentino qui ferat onus Angelicis humeris formidandum. Auguſtinus XIX. de Civit. cap. XIX. vocat nomen operis, non honoris; nec vult eſſe Epiſcopum, qui eligit magis præeſſe, quam prodeſſe.

V. 2. OPORTET ERGO. Hic in Timotheo, qualis debeat eſſe Epiſcopus, docet. Decem requirit conditiones affirmantes, ut revera debet eſſe non tantum ſine vitio & irreprehenſibilis, ſed etiam virtutibus præditus: de quibus fuſius ſcribentem lege Bernardum, Lib. IV. ad Eugenium, in fine. Iam de ſingulis. UNIUS UXORIS *vir ſit*. Si Calvino hæretico, & Magdeburgenſibus Centuriatoribus creditur, prohibet Paulus ne Epiſcopus habeat plures uxores ſimul. Theodoretus ſolus monogamum vult hic, qui numquam ſimul plures uxores habuerit, nec favet Calvino, nec verùm hoc eſt. Senſus Pauli (& litteralis) eſt non ordinari digamum, etiamſi tantum ſucceſſive plures uxores habuerit. Talis eſt Patrum antiquorum conſenſus, (præpter Theodoretum) talis quoque continua praxis Eccleſiæ. Quod autem digami repellantur, eſt ad ſenſum myſticum denotandum, & Eccleſiam unam eſſe ſponſam Chriſti. Ambroſius quoque de dignit. Sacerdot. cap. IV. dat ſenſum myſticum, unum Epiſcopum unam tantum debere Eccleſiam habere. Vide Bellarm. Lib. I. de Cler. cap. XXIII. & XXIV. Ceterum olim coniugati creabantur Epiſcopi in illa monogamia, tamen promoti abſtinebant ab uſu: ex Epiphan. hæreſ. LIX.

SOBRIUM vult eſſe Epiſcopum, νηφάλιον, *vigilantem*: recte ſimul utrumque, ut ſobrietas eſt mater vigilantiæ. PRUDENTEM, in arte regendi, σώφρονα. ORNATUM, honeſto habitu, ut gravem decet virum, aut etiam, cum Hieronymo, moribus compoſitum. PUDICUM, non eſt in Græco; res tamen magni momenti eſt caſtus animus. HOSPITALEM. Sane opes habent Epiſcopi, ut ſint hoſpitales. Lege Hieronymum ad Oceanum. DOCTOREM, intelligo aptum ad docendum. Tridentinum gradum licentiæ requirit; ut ſit teſtimonium doctrinæ Paulus doctrinam requirit. NON PERCUSSOREM, non aſperum, ſævientem, aut crudelem: Cetera nota ſunt. Quod eſt verſu 4. de filiis, intellige quos genuit ante promotionem. *Neophyti* ſunt recens converſi, niſi forte Neophytus ſit probatæ iam vitæ, ut Ambroſius. TESTIMONIUM, verſ. 7. AB HIS, QUI FORIS SUNT, etiam infidelibus, ne habeant ſaltem quod carpant in vita.

V. 8. Ab Epiſcopis ad Diaconos venitur, quorum erat aſſiſtere Epiſcopo & Præſbyteris ſacrificantibus. Hos Diaconos Apoſtolus vult eſſe pudicos, σεμνοὺς, graves & modeſtos, non bilingues, διλόγους, in ſermone duplices: item a multo vino & turpi lucro abhorrentes. Negotiationem prohibent Canones. Demum quod caput eſt in fidei ſynceritate pura conſcientia: probentur mature ex verſ. 10. hoc eſt, probatæ virtutis ſint.

V. 11. & 12. MULIERES PUDICAS. S. Thomas non de quibuſvis mulieribus, ſed de uxoribus diaconorum hoc intelligit, a quibus tamen & ab uſu coniugii abſtinebant poſt promotionem; & quæ ut plurimum fiebant Diaconiſſæ, quarum erat inſervire templo in quibuſdam rebus, ut nunc faciunt Moniales. Quales eſſe debeant habet verſ. 11. ſine quidem ordine & gradu; quem tamen verſ. 13. dat & proponit expectandum Diaconis. Hanc graduum promotionem explicant Ambroſius, Chryſoſtomus, & Tridentinum Seſſ. XXIII. cap. XI. *Fiducia*, verſ. 13. eſt libertas recte agendi, quam ſecum afferre ſolet mens conſcia recti.

V. 15. HAEC TIBI SCRIBO. Hactenus de inſtruenda familia tum Epiſcopi, tum etiam Diaconi, & univerſe, inquit, ut ſciat Timotheus aut quivis Epiſcopus, quomodo regi debeat Eccleſia Dei, quam domum Dei nominat. Hæc eſt univerſalis Eccleſia, quæ in fide errare non poteſt. Poteſt quidem particularis, aut Epheſina Eccleſia errare, non tamen univerſalis, & tota

tota Eccleſia. Et ideo hic Apoſtolus eam vocat columnam veritatis, utpote in qua ſola ſtat veritas firma, quæ ſuſtinet ædificium Eccleſiæ: unde ſequitur oportere ut ſit viſibilis. Non, inquam, errare poteſt in fide & veritate illius. Ridiculus eſt hic Calvinus, Eccleſiam eſſe columnam veritatis: quæ proportio in re vel in voce? Nec Paulus cogitavit de ſcripti verbi theca, ut putat Calvinus: alioqui bibliopolæ officina erit hoc ſenſu columna veritatis. Immo & Iudæi hoſtes veritatis cuſtodiunt diligenter varia ſcripta veteris teſtamenti apud ſe. De hac auctoritate Eccleſiæ, quam hic vult Apoſtolus eſſe regulam fidei, præclare Auguſtinus, Lib. contra Epiſtolam fundamenti, cap. v. *Niſi*, inquit, *me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas, non crederem Evangelio.*

V. 16. ET MANIFESTE. Ratio eſt cur diligenter & attente curare debeat adminiſtrationem domus huius Dei magni: continet enim in ſe maximum illud incarnati Verbi myſterium, in quo latet maxime religio, veritas & doctrina Eccleſiæ. In hoc incarnati Verbi myſterio eſt pietatis ſacramentum (incitans ad pietatem) ubi eſt Deus homo naſcens, patiens, & reſurgens pro ſalute hominum. Myſterium iuſtificatum in ſpiritu, hoc eſt teſtimoniis confirmatum, & patratis miraculis virtute Spiritus Sancti, & manifeſtatum modis illis quos dat finis capitis.

C A P U T IV.

Prædicit quoſdam falſam tradituros doctrinam, potiſſimum de nuptiis ac cibis: diſcipulum autem monet ut ſpreta vana doctrina, exerceat ſe ad pietatem, quæ corporali exercitationi præfertur: & quamquam ſit adoleſcens, præbeat ſe reliquis exemplum.

1. SPiritus autem manifeſte dicit, quia (*a*) in novisſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis demoniorum, 2. in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteritatam habentium ſuam conſcientiam, 3. prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. 4. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: 5. ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem. 6. Hæc proponens fratribus, bonus eris miniſter Chriſti Ieſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es. 7. (*b*) Ineptas autem, & aniles fabulas devita: * exerce autem teipſum ad pietatem. 8. Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. 9. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. 10. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium. 11. Præcipe hæc, & doce. 12. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium, in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate. 13. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt,

quæ

Digitized by Google

quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii. 15. Hæc meditare, in his eſto: ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. 16. Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.

(a) II. Tim. III. 1. II. Petr. III. Iudæ XVIII. (b) I. Tim. II. 23. Tit. III. 9.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 7. Exerce autem te ipſum ad pietatem.

Nec hic omittas coniunctionem *autem*.

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verſ. 1. NOVISSIMIS TEMPORIBUS: ὑστέροις, id eſt poſterioribus vel ſequentibus: ne quis de noſtra tantum tempeſtare intelligat, ut poſtea dicetur.

V. 2. CAUTERIATAM CONSCIENTIAM, id eſt corruptam & igne concupiſcentiæ aduſtam, ſumpta metaphora a maleficis quibus ferro candenti cutis inurebatur, in argumentum delicti & infamiæ: at hæretici non cutem ſed mentem infamia cauteriatam habent.

V. 3. PROHIBENTIUM NUBERE; &c. Non facit hic locus, ut putant noſtræ tempeſtatis hæretici, contra eccleſiaſticas ſanctiones, per quas ſacerdotibus & monaſticen profeſſis matrimonio interdicitur, & ieiunantibus certis cibis abſtinere indicitur: ſed ut teſtantur in hunc locum Chryſoſt. & Theophyl. Græci, ex Latinis Ambroſ. Auguſt. quoque & Hieronym. Lib. I. adverſus Iovinianum, facit hic locus adverſus duas hæreſes a Marcioniſtis, Manichæis, & Tatiano Encratitarum principe aſſertas, qui non ſolum nuptias, ſed cibos quoque quos Deus creavit ad utendum, damnabant. Hoc autem loco, *inhibentium abſtinere*, non eſt intelligendum quod illi vetarent abſtinentiam a cibis, ſed carnium uſum potius. Et ideo Græci explicant hunc locum inhibentium abſtinere a cibis, id eſt ut cibis uterentur, quomodo qui dicit, cave abſtineas a carnibus, non abſtinentiam inhibet, ſed præcipit: mihi videtur ſimplicior ſenſus, ſi dicamus eclipſin eſſe frequentem Paulo, ut ſit ſenſus inhibentium nubere, & præcipientium abſtinere a cibis: quod utique inhiberent ritu Iudaico.

V. 6. ENUTRITUS: ἐντρεφόμενος, id eſt innutritus atque a puero in ſacris litteris converſatus, ſicut poſtea dicit, & quia ab infantia ſacras litteras didiciſti. QUAM ASSECUTUS ES, παρηκολούθηκας, id eſt cum intelligentia aſſecutus, & conſequutus es: non affectatus ut quidam volunt.

V. 8. CORPORALIS EXERCITATIO, &c. Quidam, inquit Chryſoſt. (quales & hac ætate multi) hæc apoſtolum de ieiunio dixiſſe ferunt, ſed errant; neque enim corporalis exercitatio eſt ieiunium, ſed ſpiritualis.

V. 14. NOLI NEGLIGERE GRATIAM, &c. vel gratiam doctrinæ, quæ tibi data eſt per prophetiam, id eſt ſacrarum litterarum cognitionem, vel gratiam epiſcopalis officii, quæ tibi data eſt per prophetiam, id eſt, ſpiritus ſancti inſpirationem una CUM IMPOSITIONE MANUUM PRESBYTERII, id eſt quando una per manuum impoſitionem presbyter factus es.

V. 15. HAEC MEDITARE, id eſt his te exerce, & inſta in illis. Græc. ἐπίμενε, id eſt perſta & perſevera.

S A.

Verſ. 1. SPIRITUS, id eſt Dei revelatio, DICIT, ſcilicet mihi. NOVISSIMIS. Græc. ὑστέροις, id eſt *poſterioribus*, ſeu ſequentibus.

V. 2. HYPOCRISI, ſcilicet ſimulant verum.

rum. Loquentium, ſcilicet per tales; vel pro, loquentes, ſcilicet homines ipſi; ſic & in ſequentibus. Cauteriatam, id eſt malitiæ velut igne combuſtam, ſeu indelebiliter notatam.

V. 3. Prohibentium, &c. id eſt damnantium nuptias. Abstinere, ſcilicet docentium. Cibis, ſcilicet quaſi immundis, ut Iudæi; vel a malo Deo factis, ut Manichæi.

V. 5. Sanctificatur, id eſt idonea fit eſui, ſi alioqui inepta eſſet. Verbum Dei, ſcilicet quo benedicitur, vel quo creata eſt. Et orationem, ſcilicet agentis gratias; vel *&*, pro, id eſt.

V. 6. Enutritus. Verti poterat, *enutriens*.

V. 7. Ineptas. Græc. *profanas*. Aniles, id eſt vanas. Pietatem, id eſt opera pietatis, ſcilicet in Deum, & proximum.

V. 8. Corporalis, ſcilicet circa corpus, vel curando, vel caſtigando. Ad modicum, ſcilicet ſola. Promissionem, ſcilicet in quarto præcepto, quod eſt de pietate in parentes. Futurae, ſcilicet beatæ, hæc enim etiam intelligitur in illa promiſſione.

V. 9. Sermo, ſcilicet præcedens.

V. 10. Maledicimur. Græc. *probris afficimur*. Salvator, id eſt ſervator, ſcilicet a malis.

V. 11. Haec, ſcilicet ſup. dicta. Adolescentiam, id eſt iuventutem. Contemnat, ſcilicet merito; quaſi dicat: Ita te gere, ut nemo poſſit merito te contemnere.

V. 13. Dum venio, id eſt donec veniam.

V. 14. Gratiam. Græc. *donum*. Prophetiam, id eſt Dei te eligentis revelationem. Presbyterii, id eſt cœtus Epiſcoporum. Olim Epiſcopi etiam *presbyteri* vocabantur. Vide Euſebium Lib. V. cap. xxiv. & Tit. cap. 1.

V. 15. Esto, id eſt te exerce.

V. 16. Insta, id eſt perſiſte.

MARIANAE.

Verſ. 1. Spiritus, ſcilicet ſanctus. Dicit, ſcilicet nobis revelat. In novissimis, ſeu *poſterioribus* temporibus ὑςέροις. Erunt homines

V. 2. In hypocrisi loquentium; pro, loquentes, ut iungatur cum verbo, *Diſcedent quidam a fide*. Et cauteriatam habentium; pro, habentes, ferro quaſi inuſtam mentem & ſtigmate vitiorum, ut ſervi perpetui diaboli.

V. 3. Prohibentium nubere. Marcioniſtæ, Manichæi, Encratitæ nuptias damnabant. Abstinere; pro, præcipientium, aut præcipientes abſtinere a cibis. Quædam ciborum genera damnabant. Quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. Vides benedictionem menſæ, qua cibis omnibus quaſi ſanctificatis uti licet, ut mox ait, *Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Tu hæc doce

V. 6. Enutritus verbis fidei, id eſt inſtitutus a puero Sacris litteris.

V. 8. Nam corporalis exercitatio, id eſt abſtinentia a cibis, & aliæ carnis afflictiones. Ad modicum ſcilicet tempus, utilis est, nempe in ætatis vigore. Syr. *ad exiguum tempus prodeſt*. Pietas autem ad omnia, ſcilicet tempora eſt utilis: In ſenectute etiam viget.

V. 14. Noli negligere gratiam. Ecce per manus impoſitionem datur gratia. Per prophetiam, de hoc cap. 1. 8. Manuum presbyterii, id eſt plurium presbyterorum: nam ex traditione Apoſtolica Epiſcopus a tribus Epiſcopis ordinatur: ita hic maiores presbyteros, id eſt Epiſcopos intelligit: poſtea de minoribus presbyteris agit. Lutherus vertit, *cum impoſitione manuum ſeniorum*, ut ad laicos has Ordinationes ableget.

MENOCHII.

Verſ. 1. Spiritus: Spiritus ſanctus futurorum præſcius, & præmonſtrator. Manifeste: expreſſe, plane, & ſine ænigmate. Dicit: annunciat, ſive per alios quos inſpiravit. Quia: ὅτι, *quod.* In novissimis temporibus, id eſt poſterioribus, vel ſequentibus. Discedent quidam a fide: deſerent fidem Chriſtianam ſemel ſuſceptam. Attendentes spiritibus erroris: fidem accommodantes, & credentes ſpiritibus ſeductoribus. In Græco enim eſt πνεύμασι πλάνοις. Doctrinis daemoniorum: falſas doctrinas intelligit dæmonis aſtu, & opera evulgatas.

V. 2.

Digitized by Google

V. 2. In hypocriſi loquentium mendacium. Dicuntur turpiſſimi hi homines loqui mendacium in hypocriſi, quia, ut Epiphanius, & Auguſtinus docent, Encratitæ, & Manichei, cum eſſent mortalium impuriſſimi, miram tamen ſanctitatem præ ſe ferebant. Et cauteriatam habentium suam conscientiam: *cauteriatam*, id eſt inuſtam, ac notatam cauterio. Cum ſancti haberi velint, tamen conſcientiam gerunt impuriſſimæ vitæ maculis indelebiliter notatam.

V. 3. Prohibentium nubere, id eſt matrimonia contrahere. Abstinere a cibis. Loquitur contra Simonianos, Saturninum, Ebionem, Manichæos, qui dicebant nuptias, vinum, carnes, &c. non eſſe a Deo bono, ſed malo, ſcilicet a Dæmone creata, ac proinde hæc natura eſſe mala, & cavenda, eorumque uſu homines infici, & maculari. Cum gratiarum actione; ſcilicet Deo Creatori, & largitori referenda. Fidelibus, et iis, qui cognoverunt veritatem: omnia creata ſunt propter fideles, & electos, hic enim potiſſimus fuit finis Dei in creatione rerum, ut creaturæ ſervirent ſuis fidelibus, & amicis, utque ex eis agnoſcerent, & laudarent Deum creatorem.

V. 4. Omnis creatura Dei bona est: in ſe, & ex natura ſua. Vidit enim Deus quæ fecerat, & erant valde bona: tamquam malum, & opus dæmonis, ut volebant hæretici illi, qui cibos illos repudiandos aſſerebant, tamquam creaturas mali dei. Conſtituebant enim duos deos, alterum bonorum auctorem, alterum malorum.

V. 5. Sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem: eſt conceſſio; quaſi dicat, Sed eſto ſit aliqua in cibo immunditia, ab ea cibus purgatur per verbum Dei, quod eſt oratio, quæ adhibetur cum cibis, & menſæ benedicimus.

V. 6. Haec: omnia ſcilicet iam dicta. Proponens fratribus, id eſt Chriſtianis. Enutritus verbis fidei, &c. quaſi dicat: Oſtendens te bonum eſſe Chriſti miniſtrum, enutritum ſalutaribus fidei doctrinis, & quaſi in ipſo pietatis ſinu educatum. Quam assecutus es: παρηκολούθηκας, *aſſecutus es*; quaſi dicat: Aſſidue enim in divinarum litterarum ſtudio es verſatus, & exercitatus.

V. 7. Ineptas: βεβήλους, *profanas*. Devita: παραιτοῦ, *reiice*. Veriſimile eſt notari Simonianos: qui teſtibus Irenæo, Epiphanio, & Auguſtino, loogas fabulas texebant de Deo bono, & malo, de rerum creatione, de pugna Angelorum, &c. quæ partim profanæ erant, & impiæ, partim aniles & ineptæ. Exerce autem teipsum ad pietatem, id eſt in Dei cultu, & ſincero erga eum affectu, ac ſtudio internæ devotionis excitante ad ſpem, timorem & amorem Dei.

V. 8. Nam corporalis exercitatio: luctæ gymnaſtarum & exercitationes palæſtricæ: ſolet enim Apoſtolus ad Græcos ſcribens ſæpe alludere ad eorum palæſtras, & certamina iiſque comparare palæſtras, & certamina Chriſtianæ pietatis, vide I. ad Cor. IV. 24. & 25. Pietas autem ad omnia utilis est: perutilis eſt ad promovendam animæ ſanitatem, & ad promerendum bravium vitæ æternæ. Promissionem habens vitae quae nunc est: ut ſcilicet hic vitam pacatam, longam, & rebus omnibus neceſſariis inſtructam agamus. Dicitur enim Matth. VI. *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*.

V. 9. Fidelis sermo, &c. vide dicta ſupra I. 5.

V. 10. In hoc enim; ſcilicet, ob pietatem & ut vitam æternam piis, & pro pietate decertantibus promiſſam aſſequamur. Laboramus: labores magnos exantlamus. Et maledicimur, id eſt contumeliis & probris impetimur.

V. 11. Praecipe haec, et doce. Hæc omnia quæ dixi de magno pietatis ſacramento, de vitandis hæreſibus, de ſana doctrina retinenda, de pietate ad omnia utili, &c. *præcipe & doce*, id eſt præcipiens doce, & cum auctoritate fidelibus trade.

V. 12. Nemo adolescentiam tuam contemnat; quaſi dicat: Eſto ſis iuvenis, ita tamen ſancte, & graviter te gere, ut non contemnaris, quaſi imprudens, & levis. Exemplum: τύπος, forma, norma, exemplar vitæ. In verbo, id eſt in ſermone gravi, & tali qualis decet Epiſcopum. In conversatione; in vita, & vivendi conſuetudine. In fide, id eſt in fidei rectitudine, & conſtantia. In castitate, id eſt in vitæ totius puritate.

V. 13. Attende lectioni. *Sacra Scriptura*, ait S. Ambroſ. Lib. III. de fide cap. vii. *eſt liber ſacerdotalis*. Doctrinae, ſcilicet tradendæ.

V. 14. Gratiam quae in te est: χάρισμα, id eſt *donum*, officium ſcilicet, & ordinem Epiſcopi, auctoritatem, & munus docendi. Per prophetiam, id eſt revelationem, qua Deus iuſſit Timotheum ordinari Epiſcopum: vide ſupra 1. 18. Cum impositione manuum presbyterii; id eſt, per impoſitionem manuum cœtus preſbyterorum, maiorum ſcilicet, id eſt Epiſcoporum; nam Epiſcopus ab aliis tribus Epiſcopis ordinatur, qui ordinando Epiſcopo manus imponunt.

V. 15. Haec meditare: ταῦτα μελέτα, hæc cura, his ſtudium omne impende, & totus in illis eſto. Ut profectus tuus manifestus sit omnibus: ut quantum profeceris facile ab omnibus cognoſcatur.

V. 16. Attende tibi, et doctrinae; attende tibi, & cura ut bene vivas; attende etiam doctrinæ, ut alios recte inſtituas. Iusta in illis: inſiſte in his duobus, quæ dixi, ut ſcilicet & tibi attendas, & doctrinæ.

T I R I N I.

Verſ. 1. Spiritus ſanctus futurorum omnium præſcius praedicit per me, perque alios modernos Prophetas, quod in novissimis, id eſt poſterioribus, ſeu ſubſequentibus, temporibus, quidam e Chriſtianis deſerta fide, credentes spiritibus *seductoribus* (ut eſt in Græco) et doctrinis daemoniorum, ſeu dæmonis aſtu & opera evulgatis,

V. 2. In, ſeu cum, hypocrisi, id eſt ſimulatione ſanctitatis, *loquentur* mendacium & falſam doctrinam, *habentes* conscientiam suam cauteriatam; Syriace, *iniuſtam* & *notatam* indelebili cauterio, puta libidinis vel aliorum ſcelerum. Ambroſ. per *cauterium* vult indicari primo, notam infamiæ: ſecundo, morum corruptionem; tertio, malitiæ immutabilitatem. Poſſet addi etiam ardor ac fervor libidinum: & cum Theodor. ſtupor extremus, & cum Franc. Turriano dedolentia mali *a*.

V. 3. Prohibentium nubere, &] iubentium abstinere a certis cibis quaſi immundis, ut Iudæi; vel quaſi per ſe *b* malis & a malo Deo procreatis, ut Simoniani, Saturniani, Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi & Encratitæ abſtinendum docebant ab omni carne animalium, quaſi omnia anima rationali, vel ſaltem immortali prædita eſſent; & nuptias, quaſi a malo deo vel dæmone inſtitutas prohibebant, teſte Clemente, Irenæo, Epiphanio *c*, Chryſoſt. cum ſuis, item Ambroſio & Auguſt. *d*. Nihil ergo hic contra cælibatum ſacerdotum, vel ieiunium Eccleſiaſticum, quo ſubinde carnes & nuptiæ prohibentur, non tamquam in ſe aut per ſe malæ; ſed ſolum ad refrænandam concupiſcentiam, ad exercendam obedientiam, pœnitentiam & ſtudium orationis, exemplo Ioannis Baptiſtæ *e*, adeoque & ipſius Chriſti, & infinitorum Sanctorum primitivæ Eccleſiæ. Quod ſi timeas ne forte dæmon per eſcam tibi noceat, (ut teſte S. Auguſt. & Gregorio *f* non ſemel accidit), habes remedium ad manum.

V. 5. Sanctificatur enim eſca, id eſt purgatur, ſeu pura & ſancta reſpectu noſtri efficitur, & dæmonis poteſtati ſubtrahitur, per verbum Dei et orationem, id eſt per benedictionem & preces, quæ ante ciborum ſumptionem præmitti debent, inquit S. Chryſoſt. Theophyl. Auguſtinus, Gregorius & Prudentius *g*.

V. 8. Corporalis exercitatio: v. g. lucta paleſtrica, vel gymnaſtica (ut eſt in Græco) etſi tanti ab hominibus fiat, tamen non niſi ad modicum utilis est, puta ad corporalem ſanitatem, vel ad bravium (ſeu præmium temporale: pietas autem, id eſt cultus Dei (quæ eſt Chriſtiana exercitatio) perutilis est ad omnia, etiam ad animæ ſanitatem, & bravium cæleſte obtinendum, de quo alibi *h*: ita Chryſoſt. Theophyl. Oecumenius. Hæc non immerito accommodes ſpiritualibus animæ exercitiis, ad ſolidam vitæ emendationem, & in omni virtute profectum, ad prudentem ſtatus vitæ delectum, denique ad plenam perfectionem obtinendam; quæ S. P. N. Ignatius de Loyola edito de his libello vere aureo tam ſtudioſe omnibus commendat, & totus orbis Chriſtianus felici experientia & optato ſucceſſu iam dudum comprobavit. Promissionem habens vitae etiam quae nunc est. Nempe Matth. vi. 33. *Quærite primum*

Digitized by Google

mum regnum Dei, *& hæc omnia adiicientur vobis*. Quod ſi Deus ſubinde permittat, ad maius bonum pios affligi penuria, compenſat tunc ſpiritualibus bonis, & pro pane dat aureum torquem, inquit S. Hieron. *i* & S. Thomas, qui etiam ex hoc loco probant meritum bonorum operum.

V. 9. Hic SERMO, hæc promiſſio, FIDELIS *eſt* & citra ullum dubium.

V. 10. IN HOC ENIM, ſeu ad hoc obtinendum, LABORAMUS; id eſt, labores quotquot in Chriſtiana palæſtra occurrunt, exantlamus, etſi a mundo maledicamur, exſibilemur, probris & contumeliis impetamur, propter *ſpem* IN DEUM, QUI EST SALVATOR OMNIUM HOMINUM, quantum eſt ex parte ſua k, MAXIME tamen FIDELIUM, quia hos præ aliis ut amat, ita & curat, inquit Theophyl. Anſelmus & a Lapide.

V. 12. NEMO ADOLESCENTIAM TUAM, iure aut merito CONTEMNAT: ita ſancte, modeſte, graviter te geras, ut non quaſi imprudens aut leviculus apud tuos viloſcas: Chryſ. & Ambroſ.

V. 13. ATTENDE LECTIONI S. Scripturæ, quæ, ut ait idem Ambroſ. *l liber eſt ſacerdotalis*: &, ut S. Dionyſius *m*, eſt ſubſtantia ſacerdotii noſtri.

V. 14. NOLI NEGLIGERE GRATIAM; χάρισμα, id eſt *donum*, tum gratis datum, puta Ordinem Sacerdotalem & Epiſcopalem; tum gratum faciens, puta varias gratias quæ muneri Epiſcopali rite obeundo neceſſariæ, infunduntur in ſancti Ordinis ſuſceptione: QUAE DATA TIBI PER PROPHETIAM, id eſt revelante & iubente Deo, (ut ſupra *n*) cum, ſeu per *impoſitionem* MANUUM PRESBYTERII, id eſt cœtus presbyterorum, ſeu maiorum, id eſt Epiſcoporum *o*. Nam Epiſcopus (ut habet Apoſtolica traditio *p*,) ordinari debet a tribus ut minimum aliis Epiſcopis: ita Concil. Carthaginenſe IV. & S. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. OEcumen. Porro hac impoſitione manuum, teſte S. Dionyſio & Amalario *q*, ſignificatur illapſus & plenitudo Spiritus ſancti, eiuſque protectio, regimen ac directio circa omnia quæ ſunt muneris & Ordinis collati.

(a) Turrian. in can. lxiv. Apoſtolorum. Epheſ. iv. 19.
(b) Hic verſ. 4.

(c) Clem. Lib. VI. Conſtit. c. viii. Iren. Lib. I. c. xxii. & xxx. Epiph. hæreſi xlii. & xlvi.
(d) Auguſt. cont. Adimantum c. xiv.
(e) Matt. vii. iv.
(f) Aug. Lib. XVIII. de Civit. cap. xvii. Gregor. Lib. I. Dialog. iv.
(g) Prudent. in hymno ante cibum.
(h) I. Cor. iv. 24. & 25.
(i) Hieron. in xix. Matth.
(k) I. Timoth. ii. 4.
(l) Ambr. Lib. III. de Fide c. vii.
(m) S. Dionyſ. Eccleſ. Hierar. c. i.
(n) Hic c. i. 18.
(o) Philipp. i. i.
(p) Bellarm. de Sacramento Ordinis.
(q) Dion. ſup. cap. v. p. 3. Amalar. Lib. I. de Eccl. Offic. c. xii.

GORDONI.

Verſ. 1. &c. SPIRITUS AUTEM. Dixit cap. III. vigilandum eſſe in domo Dei, & Eccleſia: en nunc cauſam; quia, inquit, inſurgent hæreſes. Spiritus, inquit, Sanctus, qui per me & alios docet Eccleſiam prædicit futuras hæreſes temporibus quæ deinceps inſequentur, quando exurgent deſertores veræ fidei Chriſtianæ. Attendite ne his ſeductoribus ſpiritibus & erroris ducibus ne credatis. Doctrinas Dæmonum dabunt Dæmonum arte invectas. In his erunt (verſ. 2.) qui in hypocriſi loquentur mendacia; nempe ex Auguſtino turpiſſimi homines Manichæi & Encratitæ. Hi in ſumma turpitudine magnam præferebant ſanctitatem, & in hypocriſi loquentur mendacium: quibus cauteriata eſt, miraculis notata & perforata conſcientia, denique penitus corrupta & infamis.

V. 3. PROHIBENTIUM NUBERE. Conſtat ex Patrum teſtimoniis & hiſtoriis Eccleſiaſticis multos extitiſſe hæreticos, qui matrimonia & cibos prohibebant. Hic attingi intelliguntur Simoniaci, Ebionitæ, Manichæi, &c. docentes vinum, carnes & nuptias non eſſe a Deo bono, ſed malo creata, ſeu a Dæmone, & harum rerum uſu maculari homines. Contra ſimilia deliramenta docet Apoſtolus a Deo uno & vero creari omnia, idque propter electos potiſſimum. Et vero non eſt cur, ut iſti volunt, reiiciantur creata a Deo, cum in ſe bona ſint, & non mala, aut a Dæmone facta, quamvis homo pernicioſa voluntate poſſit his male uti. Nihil ergo ex his reiiciendum, quod bene utendo & cum gratiarum actione recipitur. Semper deviant a recto Novatores qui inepte hinc

colligunt damnari abſtinentiam Eccleſiaſticam. Prohibebant Manichæi carnes ut res in ſe malas, & a malo principio creatas. Nihil tale ſomniat Eccleſia. Nota ſunt & laudata exempla Ioannis Baptiſtæ, Rechabitarum, & ſalutaria ieiunia in Eccleſia ad carnem domandam. Inepta eſt etiam hæc conſecutio. Eccleſia volenti clerico prohibet nuptias; ergo ſimpliciter prohibet nubere: quaſi vero quod uni prohibetur, & volenti, & ſpeciali de cauſa, ſit etiam omnibus prohibitum. De cibis lege Auguſtinum, Lib. XXX. contra Fauſtum, cap. VI.

V. 6. & 7. HAEC PROPONENS. Reliquum capitis habet exhortationem ad ſtudium pietatis; & ut vana devitet deſignatus Eccleſiæ miniſter. Præſertim vero vult Paulus non ſpeculationem tantum, ſed multo magis exercitium pietatis & virtutis. Solida hæc via eſt ad progreſſum: quod verſ. 8. explicat comparatione ad corporalem exercitationem, & gymniſtarum luctas. Multo enim excellentiori modo valet pietas ad animæ ſanitatem, & præmium vitæ æternæ. Hoc pietatis exercitium eſt in ſyncero affectu apud Deum, & cultu excitante ad timorem, ſpem, & caritatem.

V. 9. 10. 11. FIDELIS SERMO. Utilia ſunt quæ dixi, inquit, & omni approbatione digna. Hæc ſunt ob quæ laboramus, perſecutionem patimur, fatigamur, & tandem coronamur. Hæc doce.

V. 12. NEMO ADOLESCENTIAM. Speciatim hoc ad Timotheum: quamvis ſis ætate iuvenis, eſto moribus ſenex, & gravis, ut nemo habeat quæ hic verſ. 12. commendantur, per quæ debes aliis eſſe exemplo.

V. 14. NOLI NEGLIGERE GRATIAM. Voluit, immo revelavit Deus, ut Timotheus ordinaretur Epiſcopus: & ideo ait per prophetiam datam Timotheo gratiam. Hæc autem gratia eſt χάρισμα, ordo Epiſcopalis, & munus docendi, ſeu poteſtas in charactere per impoſitionem manuum. Ita Ambroſius, immo adde Chryſoſtomum. Immo χάρισμα, non tantum gratiam gratis datam, ſed etiam gratum facientem ſignificat, ut vides Rom. VIII. 23. Quod χειροτονία ſit, dixi ſupra. Impoſitio hæc manuum fit ab Epiſcopis; & quidem tribus, dum ordinatur Epiſcopus. *Manus Presbyterii*, Epiſcopi ſunt Presbyteri maiores. Concludit, hæc meditare, attende tibi & doctrinæ.

C A-

CAPUT V.

Docet quomodo ſeniores, anus, ac iuvenculas gubernare debeat, rurſum ſeniores ac iuniores viduas: & de conditionibus in eligenda vidua requiſitis: presbyteri probe ſuo fungentes munere dupliciter honorentur: nec facile adverſus presbyterum accuſationem ſuſcipiat, ſed peccantes publice arguat: hæc mandata ſervet, nemini cito manus imponens: modico vino utatur: & de variis hominum peccatis.

1. SEniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem; iuvenes, ut fratres; 2. anus, ut matres; iuvenculas, ut ſorores, in omni caſtitate. 3. Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt. 4. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo. 5. Quæ autem vere vidua eſt, & deſolata, † ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die. 6. Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. 7. Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint. 8. Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 9. Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, 10. in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. 11. Adoleſcentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: 12. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: 13. ſimul autem & otioſæ diſcunt circuire domos: non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet. 14. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia. 15. Iam enim quædam converſæ ſunt * retro ſatanam. 16. Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, * & non gravetur Eccleſia: ut iis, quæ vere viduæ ſunt ſufficiat. 17. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina. 18. Dicit enim Scriptura: *(a)* * non alligabis os bovi trituranti. Et: *(b)* Dignus eſt operarius mercede ſua. 19. Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. 20. Peccantes coram omnibus argue: ut & ceteri timorem habeant. 21. Teſtor coram Deo & Chriſto Ieſu, & electis angelis, ut hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. 22. Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi. 23. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates. 24. Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia

ad

Digitized by Google

ad iudicium: * quoſdam autem & ſubſequuntur. 25. Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt.

(a) Deut. xxv. 4. I. Cor. ix. 9. (b) Matth. x. 10. Luc. x. 7.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 15. *Retro Satanam*. Non interiicias præpoſitionem *poſt*.
Verſ. 16. *Et non gravetur Eccleſia*. Non eſt mutandum, & in *ut* cauſativum.
Verſ. 18. *Non alligabis os bovi trituanti*. Non ſcribas, *infrenabis* pro *alligabis*,
Verſ. 24. *Quoſdam autem & ſubſequuntur*. Non omittas medium &.

Lectionum Varietas.

Verſ. 5. *Speret in Deum, & inſtet obſecrationibus*. Multi libri Latini ſcribunt præſens indicativi *ſperat*, *inſtat*, Græco conſentanee.

Notatio.

Verſ. 5. Q*Uæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die*. Ita ſcribunt complures codices cum Gloſſematicorum multis (*a*). Integriores porro cum Anſelmo, & Auctore commentariorum Ambroſio adſcriptorum: *ſperat in Deum* (*Deo* 2. Mſ) & *inſtat* habent; & quidam quidem (Brug. ſive Do. o. Ge. l. Compl.) *ſperavit in Deum* (*Deo* 2. Mſ.) & *inſtat* omnino Græcis conformiter, qui ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν καὶ προσμένει legunt, quam quam præteritum præſentis loco uſurpatum intelligi poſſit.

(*a*) Utramque lectionem Bruno, & Gorranus, explicant.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 4. DIscat primum domum suam regere: μανθανέτω, quod ſignificat, diſcat & doceat: doceat ergo domum ſuam, id eſt familiam *regere*, Græce eſt pro regere, εὐσεβεῖν, quod abſolute ſumi poteſt, pro piam ac religioſam vitam degere; & ſic ſenſus eſſet, Doceat familiam ſuam pie ac religioſe in fide vivere, ET MUTUAM VICEM PARENTIBUS REDDERE, ut ſicut ab ipſis in iuventute aliti ſunt, ita in ſenectute eos alant. Si legimus, *diſcat*, ſenſus eſt, diſcat domum ſuam ac familiam pie regere, diſcat etiam mutuam vicem parentibus reddere, quod Græci dicunt ἀντιπελαργεῖν, ut ſicut ipſa a parentibus alita eſt, ita liberos ac familiam alat. Quidam legunt μανθανέτωσαν, id eſt diſcant ſcilicet liberi a matre & familiam ſuam pie regere, ac parentibus vices reddere.

V. 5. Vere vidua est. Veras viduas vocat, quæ & viri, & liberorum amicorumque ac rerum omni præſidio deſtitutæ eſſent, quales erant quæ ex Iudaiſmo, aut Paganiſmo tranſibant ad Chriſtianiſmum, quarum etiam plerumque bona perſcribebantur. Speret in Deum, declarat quales illas eſſe oportet: quidam legunt, ſperat & inſtat, tuncque declarat veræ viduæ conditionem, quæ omni humano præſidio deſtituta in Deum tantum ſperat.

V. 8. Fidem negavit: hac ſcilicet in parte; quia fidei adverſantia opera facit, eſtque infideli eatenus deterior, quod infidelis, etſi alios abiicit, ſuorum tamen curam habet.

V. 9. Eligatur; ſcilicet, in miniſterium Epiſcoporum & ſacerdotum.

V. 10. Subsecuta est. Græce, ἐπηκολούθησε, id eſt ſi in omni bono opere aſſidua ac ſemper intenta fuerit.

V. 11. Luxuriatae fuerint. Gr. καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, id eſt quum adverſus Chriſtum ac fidem illi promiſſam laſcivierint

Digitized by Google

rint luxuriatæque fuerint, nubere volunt.

V. 17. Honore, id eſt præmio. Nam Hebræis honorare non tam eſt revereri, quam neceſſaria ſuppeditare, ut hoc loco ſemel atque iterum: & Latini honorem quoque pro præmio ſumunt; unde munus honorarium.

V. 21. Et sine praeiudicio. Gr. χωρὶς προκρίματος, id eſt ſine perſonarum acceptione. Nam προκρίνειν anteferre aliquem alteri ſignificat: vel præiudicium ut Latini ſumunt intellige; & ſic interpretatur Chryſ. ut ſcilicet pro nullo ante iudicium ſententiam feras.

V. 22. Manus cito, &c. id eſt neminem temere ordinaveris.

V. 23. Adhuc. Græc. μηκέτι, id eſt noli poſthæc vel amplius.

V. 24. Quorumdam, &c. referendum eſt iſtud ad id quod præceſſit, manus cito nemini impoſueris; quaſi dicat Timotheus, Quomodo vero dignoſcere potero idoneos? & Paulus reſpondeat: Quorumdam peccata manifesta sunt praecedentia ad iudicium; id eſt, quorumdam adeo manifeſta ſunt peccata, ut ad dignoſcendum, id eſt iudicii examinatione vel temporalis vel extremi non indigeat, & hos cavere potes: *Quorumdam* autem subsequuntur peccata iudicium: quæ non niſi iudicii examinatione caveri poſſunt: hos tu obſerva, de iis inquire; ſic enim quidam ex antiquiſſimis Græcorum. Similiter facta bona manifeſta ſunt, quia virtus ſeſe vel invitam prodit. Quæ autem aliter ſe habent, id eſt vel manifeſta non ſunt, vel bona non ſunt, abſcondi diutius non poſſunt, quia qualis quiſque ſit, tandem declarabitur.

S. A.

Verſ. 1. Increpaveris, ſcilicet acerbe: alioqui, ubi res poſtulat, quivis reprehendendus, præſertim ab Epiſcopo. Vide Grego. ad Ianuarium, & habetur 2. quæſt. vii. Paulus Obsecra. Græc. παρακάλει, quod etiam eſt *hortare*, ſcilicet ſic facilius ſenex corrigitur.

V. 2. In; pro, cum.

V. 3. Vere viduae, id eſt deſtitutæ. Nam χήρα a χηρῶ, id eſt *deſtituo*.

V. 4. Mutuam vicem, ſcilicet facere cum filiis, quod cum ipſa fecerunt parentes ſui, vel quia Græc. eſt, *diſcant*, ſenſus erit: eouſque illos educet, dum poſſint ipſi regere domum, & parentes alere illa cura liberatos.

V. 5. Desolata, id eſt deſtituta. Alludit ad etymon *viduæ*, de quo ſup.

V. 8. Si quis; pro, ſi qua. Baſilius in Conſtit. monaſt. notat id dici ſæcularibus non Religioſis. Negavit, ſcilicet factis. Deterior, ſcilicet in hac parte.

V. 9. Eligatur, ſcilicet ab Eccleſia alenda: Hier. ep. ix. & xi.

V. 10. Recepit, ſcilicet peregrinos. Sanctorum, id eſt fidelium. Subsecuta, id eſt proſecuta.

V. 11. Devita, id eſt reiice, ne admitte, ſcilicet in numerum alendarum ab Eccleſia, quod ſe poſſint ipſæ alere; vel ob periculum ſcandali. Luxuriatae fuerint in Christo, id eſt contra promiſſionem Chriſto factam fornicatæ.

V. 12. Fidem, id eſt votum continentiæ. Irritam fecerunt, ſcilicet violantes.

V. 13. Discunt, id eſt aſſueſcunt. Verbosae, id eſt loquaces.

V. 14. Volo, ſcilicet ob periculum incontinentiæ & ſcandali. Iuniores, ſcilicet non alligatas voto. Græc. *Iuniores viduas*. Matresfamilias esse, id eſt familiam regere. Maledicti gratia, id eſt maledicendi.

V. 11. Viduæ, id eſt deſtitutæ.

V. 7. Presbyteri, id eſt Epiſcopi, vel ſacerdotes. Duplici, id eſt maximo, vel reverentiæ, & ſubſidii.

V. 20. Peccantes, ſcilicet palam: Aug.

V. 21. Praeiudicio, id eſt præcipitato iudicio, vel præcedente iudicio: ut cum ſeq. legatur. Altera, id eſt diverſam a recto.

V. 22. Communicaveris, id eſt particeps fueris, ſcilicet ordinando indignum. Castum, id eſt purum a peccato.

V. 23. Stomachum, ſcilicet infirmum.

V. 24. Iudicium, ſcilicet Dei, vel iudicium. Subsequuntur, id eſt poſtea innoteſcunt.

V. 25. Aliter, id eſt male. Non possunt, ſcilicet ut plurimum.

MA-

Digitized by Google

MARIANAE.

Verſ. 1. VIDUAS HONORA. Honorem id & opem ſignificat, ut & verſ. 17. *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore* (id eſt mercede & ſubſidio) *digni habeantur*.

V. 4. DISCAT. Græc. & Syr. *diſcant*. Verum *ſi qua* vox eſt collectiva, cum ſingulari & plurali iungi poteſt; eadem ſententia. Græca tamen verti etiam poſſunt: *Doceat primum ſuam domum pie agere*, εὐσεβεῖν: ſed noſtri Interpretis ſenſum Syr. & alii ſequuntur, pro εὐσεβεῖν reddentes *pie tractare*, ſcilicet diſcat. REDDERE PARENTIBUS, illos alendo, ut illam ipſi in minori ætate aluerunt.

V. 5. QUAE AUTEM VERE VIDUA EST, id eſt non viro, ſed bonis etiam ob fidem ſpoliata. SPERET. Gotth. *ſperat*. Regia, *ſperavit*. ſic Græc. ἤλπικεν. Verum Veleſius duas alias lectiones Græc. invenit, ἐλπίζει *ſperat*, & ἐλπιζέτω *ſperet*. Hæc placet, ut & in verbo INSTET, ubi ſimilis eſt varietas. Græc. & Gotth. *inſtat*; ſed & hic ſunt qui Græc. legant προσμενέτω, *inſtet*, *permaneat*: idem Veleſius affert.

V. 8 SI QUIS; pro, ſi qua: nam de vidua loqui videtur: ſuorum curam non habet. FIDEM NEGAVIT: hac ſcilicet in parte, & quoad opera, quæ fides præcipit. Vidua eligatur

V. 9. SEXAGINTA ANNORUM. Erant viduæ quæ Eccleſiæ miniſtrabant, & ab ea alebantur. De iis loquitur. Si omne opus bonum

V. 10. SUBSECUTA EST, id eſt in omni bono opere ſe exercuit. Iuniores viduas

V. 11. DEVITA, id eſt non eas admittas ad miniſterium. CUM ENIM LUXURIATAE FUERINT, id eſt ſplendide vixerint Eccleſiæ ſumptu, volunt nubere. IN CHRISTO. Baſilius de Virgin. legit, *in Chriſtum*. Epiphanius Hæreſi 23. *contra Chriſtum*: ſic enim ait: *Poſtquam laſcivierint contra Chriſtum, nubere volunt*.

V. 12. PRIMAM FIDEM, id eſt votum de caſtitate, quo ſe illæ viduæ aſtringebant, irritum fecerunt: unde ergo Novator impie Monachis & Sacratis nuptias concedis?

V. 24. IUNIORES NUBERE volo. De viduis loquitur. MATRESFAMILIAS ESSE: οἰκοδεσποτεῖν, Eraſmus, *domum adminiſtrare*. Melius noſter, *matresfamilias eſſe*. In quo indicat, debere iuſtas uxores eſſe, non concubinas aut pellices. Cicero in Topicis, Loco A genere, duas formas uxorum ponit. Idem Demoſthenes Orat. contra Neeram diſtinguit inter concubinam, pellicem, & uxorem. Uxor primaria, ſolemni ritu iungebatur, claves illi, & ſigillum, & domus adminiſtratio tradebatur. Talis fuit Sara in domo Abraham: Agar & Cethura concubinæ ſive uxores ſecundariæ. Porro maritus uxoris Græc. ἀνὴρ vocatur, concubinæ ſeu pellicis, πόσις, uti ex Sophocle intelligitur ἐν ταῖς Τραχινίαις. Lege autem Draconis deprehenſi non ſolum cum uxore, ſed etiam cum pellice, impune occidebantur, ut ex Demoſth. Orat. contra Ariſtocrat. colligitur. Hoc volo, ne detur occaſio MALEDICTI GRATIA. Vox *gratia* redundat. Ergo nullam occaſionem volo dare adverſario, id eſt infideli, *maledicentiæ*: ſic Syr.

V. 16. SI QUIS FIDELIS, Græc. Syr. & Goth. additur, *vel ſi qua fidelis*, ſcilicet dives, ſuas viduas alat.

V. 21. UT HAEC CUSTODIAS SINE PRAEIUDICIO. Non occupetur mens anticipato iudicio, ſed auditis partibus. Recte quidam,

> Μὴ δὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς:

quod ψευδησιόδειον ait Cicero ad Attic. IN ALIAM PARTEM, κατὰ πρόσκλισιν, id eſt *ſecundum propenſionem animi* nihil facias. Utrumque officit, præiudicium & affectio, & mentem pervertit.

V. 22. NEQUE COMMUNICAVERIS PECCATIS ALIENIS. Iunge cum hoc verſ. 24. cetera per parentheſim.

V. 24. QUORUNDAM HOMINUM PECCATA MANIFESTA SUNT, PRAECEDENTIA AD IUDICIUM. De iudicio & tribunali humano loquitur, id eſt manifeſta, non eſt opus iudice ad cognoſcendum ea. Redditque rationem cur cunctari velit, nec cito manus imponere, quod verſ. 22. dixit, quia aut probi ſunt, aut pravi. Si pravi; aut manifeſti, & hi non ſunt admittendi; aut occulti, & hi tempore deteguntur. Πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος, *Omnia revelat tempus*. Sic de probis, quorumdam bona opera ſunt manifeſta, ſed ſi quid aliter habet, tempore & mora detegitur:

cun-

Digitized by Google

cunſtandum ergo. QUOSDAM; pro, quorumdam autem, peccata ſcilicet SUBSEQUUNTUR, id eſt humano iudicio deteguntur, ut Græc. & Syr.

V. 15. ET FACTA: ſupple, quædam manifeſta ſunt. Baſil. Lib. de Virgin. extremo verſat hunc locum, & explicat duobus modis.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN CREPAVERIS; ſcilicet acerbe, alioqui ubi res poſtulat, quivis reprehendendus præſertim ab Epiſcopo. SED OBSECRA UT PATREM: ea reverentia, & lenitate, ut potius obſecrare, quam admovere, aut increpare videatis.

V. 2. IN OMNI CASTITATE: prudenter, & circumſpecte, & per omnia caſte, & pure.

V. 3. QUAE VERE VIDUAE SUNT: quæ omni humano ſolatio deſtitutæ liberis carentes, omnibuſque curis exutæ, uni Deo intentæ, & dicatæ ſunt.

V. 4. FILIOS AUT NEPOTES HABET: a quibus ali poſſit. MUTUAM VICEM REDDERE PARENTIBUS: ut ſcilicet ſi parentes adhuc vivant eis inſerviat, & opem ferat, ſicut ab eis ab infantia, & pueritia alta, & educata eſt.

V. 5. OBSECRATIONIBUS: orationibus.

V. 6. NAM QUAE IN DELITIIS EST: quæ delitias ſectatur. VIVENS MORTUA EST: ſecundum ſpiritum, utpote gratia Dei privata.

V. 8. CURAM NON HABET: ut tam corporis quam animæ ſaluti provideat. FIDEM NEGAVIT: non verbo, ſed factis, & opere; Deus enim, & ipſa fides dictat illud Iſa. LVIII. *Domeſticos ſeminis tui non deſpexeris*. ET EST INFIDELI DETERIOR: infideles enim naturali inſtinctu, & pietate ſuorum curam gerunt.

V. 9. VIDUA ELIGATUR NON MINUS SEXAGINTA ANNORUM: *eligatur*, ſcilicet ut ſit Diaconiſſa. UNIUS VIRI UXOR: quæ non plures habuerit maritos, quam unum; hoc enim pertinet ad caſtitatis illius commendationem.

V. 10. IN OPERIBUS BONIS TESTIMONIUM HABENS: quæ in bonis operibus ſit cum laude verſata. SI FILIOS EDUCAVIT: honeſte illos ad pietatem inſtituens. SI HOSPITIO RECEPIT: ſi fuit hoſpitalis, in peregrinis ſcilicet & pauperibus hoſpitio recipiendis. SI SANCTORUM PEDES LAVIT, id eſt Chriſtianorum peregre venientium. SI TRIBULATIONEM PATIENTIBUS, &c. id eſt, iis qui paupertate premebantur vitæ ſubſidia ſubminiſtravit. SI OMNE OPUS BONUM SUBSECUTA EST: ſi omne opus bonum eſt conſectata.

V. 11. ADOLESCENTIORES VIDUAS DEVITA: *παραιτοῦ*, *reiice*, nec in collegium viduarum ab Eccleſia alendarum admitte. CUM ENIM LUXURIATAE FUERINT IN CHRISTO: cum Eccleſiæ expenſis bene altæ ſuerint, & ſaginatæ.

V. 12. HABENTES DAMNATIONEM, id eſt magni criminis reæ. QUIA PRIMAM FIDEM IRRITAM FECERUNT: quia votum continentiæ fregerunt, quod fecerant, cum admiſſæ ſunt inter viduas quas alit Eccleſia.

V. 13. VERBOSAE: nugaces, loquaces, garrulæ. CURIOSAE: rerum alienarum, & ad ſe non pertinentium indagatrices.

V. 14. VOLO ERGO IUNIORES NUBERE; id eſt, malo viduas iuniores nubere, quam quæ dixi peccare, votum non ſervando, &c. ADVERSARIO, id eſt infidelibus, qui Chriſtianorum mores curioſo, & inimico animo obſervant, ut Eccleſiæ maledicant, & de illa detrahant.

V. 15. CONVERSAE SUNT: averſæ ſunt a Chriſto, & ſatanam ſecutæ, ſcilicet poſt votum caſtitatis nubentes.

V. 16. SI QUIS FIDELIS HABET VIDUAS: filias, aut neptes, aut alias propinquitate coniunctas viduas. QUAE VERAE VIDUAE SUNT: plane deſolatæ, & quæ non habent ullos ſubminiſtrantes ſubſidia.

V. 17. QUI BENE PRAESUNT: qui ſedulo & diligenter docent, & prædicant Evangelium, & gregem Chriſti fideliter & prudenter gubernant. DUPLICI HONORE, id eſt multiplici; quaſi dicat, Presbyteri, qui bene præſunt, multo, liberali, & abundanti honore, id eſt ſubſidio ſuſtentationis digni ſunt.

V. 18. NON ALLIGABIS, &c. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Deuter. xxv. 4. Vide dicta I. ad Corinth. tx. 9. ubi illud explicavimus.

V. 19. NISI SUB DUOBUS, AUT TRI-

BUS TESTIBUS: ne facile pateant calumniæ, qui in Eccleſiaſtico gradu conſtituti ſunt, idque cedat in Eccleſiæ dedecus.

V. 20. PECCANTES: loquitur aut de publicis peccatoribus, aut de iudicio conviƈtis. UT ET CETERI TIMOREM HABEANT: timeant ſimilem obiurgationem.

V. 21. TESTOR: obteſtor, & rogo te. ELECTIS ANGELIS: Angelis beatis. SINE PRAEIUDICIO. Syrus vertit, *Nulla anticipatione præoccupetur mens tua*: eſt enim prudentis iudicis ita unam partem audire, ut alteri locum relinquat purgandi ſe, & obieƈta diluendi.

V. 22. MANUS CITO NEMINI IMPOSUERIS: per ſacram ordinationem; presbyterum, aut diaconum creando, &c NEQUE COMMUNICAVERIS PECCATIS, &c. quaſi dicat, Alioqui ſi indignos promoveris, fies particeps alienorum peccatorum, & ſcandala quæ exiſtent adſcribentur tibi. TEIPSUM CASTUM CUSTODI: purum & immaculatum ab omni culpa.

V. 24. PRAECEDENTIA AD IUDICIUM: quorum infamiam audies antequam veniatur ad iudicium, adeo enim manifeſta ſunt, ut iudicium præcurrant. QUOSDAM AUTEM ET SUBSEQUUNTUR; quaſi dicat, Quædam occulta ſunt, quæ inquiſitio explorat, & ſcrutatur, & tandem deprehendit, & in lucem extrahit.

V. 25. SIMILITER ET FACTA BONA, &c. Ibidem ſtudioſæ quædam aƈtiones ſeſe ultro produnt, quæ vero ſecus habent, diu latere nequaquam poſſunt. Hæc monet Apoſtolus, ut Timotheus in clericis ad ordines admittendis diligenter videat, ne quid per imprudentiam, aut negligentiam peccet, ne ſi ſecus faciet alienæ malitiæ aliqua ratione particeps fiat.

TIRINI.

Verſ. 1. SENIOREM NE citra neceſſitatem durius aut acerbius INCREPAVERIS: SED ubi res poſtulat, ea moderatione ac lenitate reprehendas delinquentem, ut videaris *obſecrare* potius quam *increpare*.

V. 3. VERE VIDUAS, id eſt quæ *deſolatæ a* ac deſtitutæ ſunt aliorum, etiam filiorum *b* ac cognatorum, auxilio & ſolatio; HONORA, id eſt adiuva *c*, ſuccurre, proſpice ex communi Eccleſiæ proventu.

Nota. Olim apud Chriſtianos, uti cœtus virginum, ita erant etiam alii viduarum, ætate *d* & ſanƈtitate venerabilium *e*, voto continentiæ obſtriƈtarum *f*, ſimul in religioſa veſte (inquit Auguſt. & Concil. Carthaginenſe *g*) commorantium, perpetuoque Dei & Eccleſiæ ſervitio inſiſtentium *h*. Hæ ex oblationibus fidelium, ut & omnes Eccleſiaſtici, alebantur *i*, inquit Euſebius. Ex his diaconiſſæ eligebantur, quæ ceteris præeſſent, quæ mulierum in templis conventui invigilarent, quæ imperitas inſtruerent, quæ baptizandas iuvarent &c. de quibus vide eumdem Euſebium, Epiphanium k & alios hiſtoricos.

V. 4. SI QUA VIDUA FILIOS AUT NEPOTES HABET, a quibus ali poſſit, illa prius quam in cœtum prædiƈtarum viduarum ab Eccleſia admittatur, DISCAT REGERE, εὐσεβεῖν, id eſt pie traƈtare, DOMUM SUAM, id eſt cum filiis & nepotibus ſic ſe gerere, ut grata & chara ipſis ſit, & illos in pietate ſic inſtruat, ut viciſſim ab illis accipiat omnia ſibi neceſſaria. *Diſcat* & REDDERE PARENTIBUS (ſi ſuperſint) MUTUAM pietatis VICEM, eis inſerviendo, opitulando & alendo, ſicut ipſa ab eis a puero alita & adiuta fuit. Quæ reciproca filiorum pietas in parentes, ἀντιπελαργία vocatur, a *ciconiis* quibus id familiare eſt. Tales viduæ erant Iudith, Machabæa, Anna *l*. Talem deſcribit S. Auguſtinus *m* Monicam matrem ſuam: Hieronymus Paulam, Blæſillam, Melaniam, Marcellam: Chryſoſtomus Olympiadem, Proculam, Pentadiam, Sylvaniam: Gregorius Pontifex Gallam: Gregor. Turonenſis *n* Clotildim: Baronius Euphraſiam, Conſtantiam, Eliſabetham, Brigidam, Cunigundem.

V. 6 NAM QUAE IN DELITIIS EST, ſeu luxu, voluptati inhians & laſciviens, VIVENS corpore, MORTUA EST ſpiritu, utpote gratia Dei privata.

V. 8. SI QUIS AUTEM, ſeu pater, ſeu mater familias, SUORUM filiorum ac nepotum MAXIME DOMESTICORUM ſibique cohabitantium, CURAM NON HABET, ut tam corporis, quam animæ illorum ſaluti proſpiciat; FIDEM NEGAVIT, non quidem verbo, ſed reipſa & faƈto ſuo crudeli, quia contra præſcriptum fidei & Scripturæ facit quæ iubet *o*. Iſai. *Carnem tuam*; LXX. *domeſticos ſeminis tui, non deſpexeris*.

ris. *Et* ſic hac in parte *eſt infideli deterior*, quia infideles naturali inſtinctu & pietate curam ſuorum gerunt.

V. 9. VIDUA ELIGATUR; καταλεγέσθω, id eſt in catalogum iam dictarum viduarum ab Eccleſia alendarum, referatur NON niſi *ſexagenaria*: ita Chryſoſtomus, Hieronymus *p*, Ambroſius, Theophylactus & Oecumenius.

V. 11. ADOLESCENTIORES VIDUAS DEVITA; παραιτοῦ, id eſt *reiicere* a prædicto viduarum collegio: CUM ENIM ſatdiu expenſis Eccleſiæ καταστρηνιάσωσι, id eſt bene alitæ & paſtæ; Cyprianus *q*, *cum indelicata*, IN CHRISTO FUERINT, quaſi *r* vitulæ ſaginatæ recalcitrant, Chriſti iugum ac profeſſionem continentiæ excutiunt, & ruptis votis, (quibus quaſi vinculis coercebantur) in maximam Chriſti iniuriam rurſus NUBERE VOLUNT,

V. 12. HABENTES DAMNATIONEM, id reæ criminis, propter quod merito damnentur, QUIA PRIMAM FIDEM *Deo* per votum (cum in collegium viduarum admitterentur) datam IRRITAM FECERUNT; id eſt violarunt votum continentiæ: ita Concilia Carthaginenſe, Toletanum *ſ*, & alia, & Patres omnes iam Græci, quam Latini. Porro votum hoc initio Eccleſiæ non dirimebat matrimonium (teſte S. Auguſtino *t*;) ſed hoc poſterioribus demum ſæculis paulatim inductum ab Eccleſia, ac tandem ſub Innocentio II. circa annum Domini 1139. in Concilio Lateranenſi pro tota Eccleſia tamquam impedimentum dirimens decretum ac ſancitum eſt.

V. 14. VOLO ERGO IUNIORES tales, quibus periculum eſt luxuriæ, rurſus NUBERE. *Non* igitur *legem* hic *figit*, *ſed remedium oſtendit*, inquit S. Auguſtinus: *neque vetat viduas eſſe*, *ſed adulteras*, *quia melius eſt*, *digamum eſſe*, *quam ſcortum*, inquit S. Hieronymus *x* & Chryſoſtomus & Ambroſius *y*. Alioqui ſi periculum abſit incontinentiæ, & bene probarint conſtantiam ſuam, etiam iuniores (ut nunc fit in monaſteriis) mavult illas Paulus nuptiis abſtinere, quam nubere, I. Cor. VII. &c. Nihil ergo hic pro Calvino contra vota iuvencularum.

V. 16. SI QUIS FIDELIS opulentus HABET VIDUAS ſorores, cognatas, ancillas tam grandævas, SUBMINISTRET ILLIS ipſe neceſſaria de ſuo: Anſelmus.

V. 17. PRESBYTERI QUI BENE ac laudabiliter PRAESUNT Eccleſiæ, diligenter docendo, prædicando, Sacramenta adminiſtrando, DIGNI HABEANTUR DUPLICI HONORE, ſed reali, id eſt lauto & abundanti ſubſidio *aa* commode ſuſtententur.

V. 20. PECCANTES publice, vel palam (ut præceſſit) convictos, ARGUE CORAM OMNIBUS, ad aliorum etiam emendationem, inquit S. Auguſtinus *bb*.

V. 22. MANUS CITO NEMINI IMPOSUERIS; id eſt, neminem non ſat probatum temere ſacro ordine initiaveris: ne, ſi indignos promoveris, fias particeps alienorum peccatorum, & ſcandala quæ conſequentur, tibi adſcribantur.

V. 24. QUORUMDAM ordinari volentium PECCATA MANIFESTA SUNT, PRAECEDENTIA AD IUDICIUM; id eſt, prius publicata & nota communi hominum clamore ſeu fama, quam in iudicium deducantur. Tales facile agnoſces indignos ordinatione, ſed dignos correptione, de qua ſupra *cc*. QUOSDAM SUBSEQUUNTUR peccata in iudicio, cum nempe quæ antea per ſimulationem ſanctitatis ipſi occultabant, per diligens examen manifeſta fiunt in iudicio. In his talibus explorandis maxime tibi laborandum: ita Theophylactus & Anſelmus.

(a) Hic verſ. 5.
(b) Hic verſ. 4.
(c) Coloſſ. II. 23.
(d) Hic verſ. 9.
(e) Verſ. 10.
(f) Verſ. 12.
(g) Auguſt. ep. 199. ad Ecdiciam. Conc. Carthag. IV. can. CIV.
(h) Hic verſ. 5
(h) Verſ. 19. & Act. VI. 1.
(k) Euſeb. Lib. VI. hiſt. cap. XXXIII. Epiph. hæreſi lx ix.
(l) II. Mach. VII. 4. &c. Lucæ XXII. 56.
(m) Aug. Lib. IX. Confeſſ. cap. 12.
(n) Gregor. Lib. IV. Dialog. cap. XIII. Turonenſ. Lib. II. hiſt. cap. ult.
(o) Iſaiæ lVIII. 7.
(p) Hieron. ep. ad Salvinum.
(q) Cypr. Lib. III. Teſtimon. lxxIV. ad Quirinum.
(r) Deut. XXXII. 15.
(ſ) Conc. Carthag. IV. cap. CIV. Toletan. IV. can. LIII.
(t) Aug. Lib. de Bono viduit. cap. IX. & de Sancta virginit. cap. XX IV.
(u) Auguſt. de Viduit. cap. VIII.
(x) Hier. epiſt. XI ad Ageruchiam.
(y) Ambroſ. Lib. de Viduis.
(z) Ierem. XVII. 18. & Prov. XXXI. 31.
(aa) Patet ex verſ. ſeq. & Coloſſ. II. 23.
(bb) Auguſt. Serm. XVI. de Verbis Domini.
(cc) Hic verſ. 20. & 22.

GORDONI.

Verſ. 1. SENIOREM. Deſcendit ad ſpecialiorem inſtructionem, & modum exhortandi ſeniores, & iuvenculas in omni modeſtia & gravitate. Seniori ne plagas infligas, ut habet Græcus, hoc eſt, abſtine ab atroci obiurgatione, ubi verba acerba ſunt verbera: ſenes ſunt ut patres: iuvenes exhortare ut fratres: iuvenculas caſte & caute, hoc eſt, nec blande, nec niſi aliis præſentibus, ut vitentur ſuſpiciones.

V. 3. VIDUAS. Hic docet providere viduis, præſertim quæ vere viduæ ſunt, ut quæ filiis ſunt deſtitutæ, in operibus miſericordiæ probatæ, in cætum viduarum ſelectæ cum profeſſione cælibatus: orent, ſperent, a delitiis abſtineant, verſ. 6. Perſpicua eſt hæc Pauli exhortatio, ſi obſerves in prima Eccleſia fuiſſe tum virginum caſtarum, tum etiam viduarum collegia; ac velut monaſteria, de quibus Ignarius Epiſt. ad Philippenſes. Saluto, inquit, collegium virginum, & cætum viduarum. Ex his viduis deligebantur Diaconiſſæ, quæ alias mulieres inſtruebant, & aptas reddebant baptiſmo. Præerant foribus templi, & in perſecutione ferebant mandata Epiſcopi ad alias: lege Epiphan. hæreſ. LXXIX. aliaque ſimilia: ſub cura erant Epiſcopi.

V. 8. SI QUIS AUTEM. Agit adhuc de viduis, & poteſt etiam ſermo ad viros referri. A natura inuatum etiam infidelibus eſt, ut curam ſuorum habeant. Si quis ergo hoc non facit, infidelibus eſt deterior, & fidem negavit; non verbo quidem, ſed facto & opere.

V. 9. 10. VIDUA ELIGATUR. Loquitur de electione viduarum Diaconiſſarum. UNIUS VIRI UXOR. Spectat ad commendationem caſtitatis. Perverſe Calvinus intelligit non adulteram. Apoſtolus eam deſignat, quæ non eſt digama plane, ut cap. III. 2. de Epiſcopo. Alias dotes ſubiungit verſu 10. de bonis operibus, & cura peregrinorum. En antiquum morem lavandi pedes peregrinorum, ut Gen. cap. XVIII. 4.

V. 11. 13. 15. 16. ADOLESCENTIORES. Repelle a collegio viduarum, quas alit Eccleſia: nam cum fuerint luxuriatæ, ſeu aliæ opibus Eccleſiæ nubere volunt: ſic votum in admiſſione emiſſum violan, & damnationem recipiunt: & quæ ſequuntur uſque ad verſum 14.

Quod eſt hic verſ. 12. damnationem accipiunt, quia primam fidem fregerunt, pungit hoc Novatores, qui non audiunt libenter voti obligationem hanc continentiæ. Certe hoc intelligi non poteſt de fide accepta in baptiſmo, ut clare docet ratiocinatio Pauli: & clara ſunt verba, HABENTES DAMNATIONEM, QUIA FIDEM PRIMAM, &c. Quod ſi dicas non feciſſe votum; cur ergo infamia aut damnatio? Occurrit Calvinus; votum quidem eſſe, ſed tacite & indirecte factum: ſicut ancilla tacite & indirecte cenſetur vovere domino, ſe non nupturam, quamdiu eſt in domini ſervitio. Sed in multis hic peccat Calvinus: nam inprimis, ſi Eccleſiæ fit de caſtitate votum, aut domino; cur non Deo? ſi tacitum votum eſt licitum, cur non expreſſum? Si damnationem accipit tranſgreſſio ob votum factum Eccleſiæ, cur non ſi fiat Deo? Nec dici poteſt hanc damnationem fieri non ob tranſgreſſionem voti, ſed quia luxuriatæ ſunt; tum quia luxuriatæ ſunt (ex Græco *laſcivierunt*) alium habent ſenſum, ut dixi; ubi *ἀποσφλωιαω* metaphoram dat a iumentis ſumptam, quæ poſt pabulum bene ſaginata *τας ἡνίας*, frænos excutiunt, & habenas. Sic viduæ iuniores bene paſtæ in domo Dei a delitiis excitantur ad nuptias: tum quia, licet demus fornicatas, male illis aſcribitur damnatio: nam licitum eſt illis (ſi tollas votum) convolare ad nuptias, & cum hoc agunt, relinquunt per pœnitentiam fornicationes illas. Denique quid quod Tertullianus Lib de Monogamia interpretetur hoc totum de his viduis, aut aliis qui poſt expertas delitias ſpirituales redeunt ad carnales ſæculi voluptates. Cetera de viduis uſque ad verſum 17. ex his perſpicua ſunt.

V. 14. VOLO IUNIORES NUBERE. Non præcipit nubere, ut docent Patres cum Ambroſios, Lib de Viduis, ſed ut nubant potius quam peccent, dummodo non obſtet voti obligatio.

V. 17. QUI BENE PRAESUNT. Hactenus de viduis: iam de Prælati, tum de aliis, tum de ipſo Timotheo. Qui diligenter verbum evangelizat, gregemque Chriſti prudenter gubernat, dignus eſt honore duplici, multo nempe & liberali, & condigna ſuſtentatione. Ad hoc affertur locus Deu-

ter.

ter. xxv. *Non alligabis os bovi trituranti*; ubi de nativo ſenſu iſtorum verborum dictum eſt. Hic Paulus allegoricum dat ſenſum, pro ſuſtentatione iuſta laborantium in vinea domini. Ceterum de hac mercede, quando opus quod exercetur, ſpirituale eſt, ut ex concione, & in ſacramentis, qua ratione accipi poſſit, dixi in quæſtionibus de Simonia, Lib. VIII. quæſt. viii. cap. xi. ubi de labore æſtimabili pretio, qui eſt operi quod fit extrinſecus, & accidentarius: talis ſane eſt labor, ad quem non obligatur operans, ex intrinſeca naturæ rei ſacræ, quæ fit.

V. 19. & 20. Adversus presbyterum. Nullibi paranda via eſt ad calumniam, & multo minus debet facile recipi contra Eccleſiæ miniſtros. Hinc interim apparet Timotheum & Epiſcopos fuiſſe tunc iudices. Peccantes coram omnibus, ſermo eſt de peccato publico, quod fit tale ex communi infamia, vel evidentia facti, vel ſententia iudicis.

V. 21. & 22. Testor. Obſecratur, ut hæc quæ dicta ſunt, verſ. 19. & 20. peragat, & ſyncere obſervet ſine damno ullius aut præiudicio; ſpectat enim ad Iudicis prudentiam & æquitatem, ut in neutram partem humano affectu propendeat. Iuſtitia æqualitatem petit.

Quod eſt verſu 22. de non facile imponendis manibus, Chryſoſtomus, Primaſius, & alii plerique de ordinatione intelligunt. Nam promovendi ad gradus & ordines in Eccleſia probari debent, & examinari, an ſint digni, ne communices alienis peccatis. Certe nec Confeſſarii facile debent manum pœnitenti imponere, niſi bene diſpoſitos ad gratiam ſacramenti. Alia addit de perſona Timothei xxii. & xxiii.

V. 24. Quorundam. Hæc quæ inſequuntur, lucem dant, & viam aperiunt ad prudenter iudicandum. Conſiderandæ enim ſunt delictorum conditiones: ſunt enim alia nota, alia occulta, & in quibus prudenti opus eſt inquiſitione. Peccata publica dicuntur præcedere iudicium, utpote ob notitiam quaſi iam damnata. Occulta ſequuntur, nec damnationem admittunt, niſi poſt inquiſitionem.

C A.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Servi dominis ſuis obſequantur, ſive fidelibus ſive infidelibus; fugiendi ſunt qui his relictis vana docent; quantum mali inducant avaritia; qua devitata hortatur Timotheum ad virtutes amplectendas, ſervata fide quam in Baptiſmo confeſſus eſt, utque in finem uſque ſervet hæc mandata; divites autem reprimat a ſuperbia, inducens ad eleemoſynas.

1. QUicumque ſunt ſub iugo ſervi, dominos ſuos omni honore
dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina
na blaſphemetur. 2. Qui autem fideles habent dominos,
non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant,
quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes
ſunt. Hæc doce, & exhortare. 3. Si quis aliter
docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ: 4. ſuperbus
eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum: ex
quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, 5.
conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt:
exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem. 6. Eſt autem quæſtus magnus, pietas
cum ſufficientia. 7. (*a*) Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium
quod nec auferre quid poſſumus. 8. (*b*) Habentes autem alimenta,
& quibus tegamur *, his contenti ſumus. 9. Nam qui volunt divites fieri,
incidunt in tentationem, † & in laqueum diaboli, & deſideria multa *
inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.
10. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes,
erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. 11. Tu autem o homo
Dei hæc fuge: ſectare vero iuſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam,
manſuetudinem. 12. Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam
æternam, in qua vocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram
multis teſtibus. 13. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, &
Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddit (*c*) ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem:
14. ut ſerves mandatum ſine macula, irreprehenſibile, uſque in
adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti: 15. quem ſuis temporibus oſtendet
(*d*) beatus & ſolus potens, Rex regnum, & Dominus dominantium: 16.
qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: (*e*)
quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: cui honor, * & imperium
ſempiternum. Amen. 17. Divitibus huius ſæculi præcipe non ſublime
ſapere, (*f*) neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo
(qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) 18. bene agere, divites
fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, 19. theſaurizare ſibi
fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. 20. O Timo-

mo-

Digitized by Google

mothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, 21. quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

(a) Iob 1. 21. Eccli. v. 14. (b) Prov. xxvi. 26. (c) Matt. xxvii. 10. Ioan. xviii. 37.
(d) Apoc. xvii. 14. & xix. 16. (e) Ioan. 1. 18. I. Ioan. iv. 12. (f) Luc. xii. 15.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 8. His contenti ſumus. Præſens indicativi *ſumus* mutatur ab aliis in præſens imperativi *ſimus*.

Verſ. 9. Inutilia & nociva. Non præponas & voci *inutilia*.

Verſ. 16. Et imperium ſempiternum. Non interiieias præpoſitionem *in* ante *ſempiternum*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 9. ET *laqueum diaboli*. Quidam omittunt τὸ *diaboli*, cum Græcis & Syris. Supra III. 7. Apoſtolus memoraverat *laqueum diaboli*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 2. QUIA BENEFICII PARTICIPES SUNT. Hic locus varie legitur apud Græcos: codex Dionyſianus habet, οἱ εὐσεβείας ἀντιλαβανόμενοι, id eſt qui Dei cultum & religionem adepti ſunt, & tunc refertur ad dominos qui ſint Deo dilecti, quia Dei religionem apprehenderint. Alii Græci legunt, οἱ vel ὅτι, ut interpres, εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, quod ſic exponunt Græci, τουτέστι ἀντευεργετέμενοι παρὰ τῶν δεσποτῶν, διὰ τῶ τρέφεσθαι ἢ ἐνδύεσθαι, hoc eſt, qui obſequii ſui vices receperunt a dominis, dum ab illis aluntur & veſtiuntur: & ſic ad ſervos refertur, qui ſenſus eſt commodior.

V. 4. SUPERBUS: ſub. eſt; nam Græci habent τετύφωται, id eſt inflatus eſt.

V. 5. CONFLICTATIONES. Quidam Græci habent, διαπαρατριβαὶ, quod ſignificat conflictationes & verboſas contentiones: Græci interpretantur traditiones morborum ſpiritualium & perverſorum dogmatum, & quaſi intertrigines mutuo ſe frieantium. Alii, παραδιατριβαὶ, quod ſignificat infrugiferas ſcholas, & inanes diſputationes.

V. 12. BONAM CONFESSIONEM. Conſtantem vocat fidei profeſſionem, & paulo poſt, *Bonam confeſſionem*, teſtimonium ſcilicet veritatis, quando Pilato; ait: *Ego in hunc mundum veni, ut teſtimonium perhibeam veritati.*

V. 14. SINE MACULA, IRREPREHENSIBILES, id eſt nulla hæretica pravitate infectum, id eſt ſerva mandatum irreprehenſibile, & inculpatum, & immaculatum.

V. 15. QUEM: ἣν Græce, id eſt quam ad ἐπιφάνειαν, id eſt adventum refertur, non ad τὸ Chriſti.

V. 18. COMMUNICARE, id eſt humanos eſſe & ſociales: ſic enim Græci exponunt τὸ κοινωνικόν.

V. 20. DEPOSITUM, id eſt doctrinam tibi commendatam, vel gratias tibi cum epiſcopatu traditas. NOVITATES VOCUM: καινοφωνίας, quidam legunt κενοφωνίας, id eſt inanitates vocum ET OPPOSITIONES FALSI NOMINIS SCIENTIAE; Græce ἀντιθέσεις, id eſt contrarias opiniones & contentioues de ea quæ falſum habet nomen ſcientiæ, quam ſcientiam promittentes quidam, id eſt habere ſe profitentes, exciderunt a fide.

S A.

Verſ. 1. IUGO, id eſt ſervitute. BLASPHEMETUR, id eſt male audiat, ſeu vituperetur.

V. 2. DILECTI, ſcilicet Deo. BENEFICII, ſcilicet divini; quaſi dicat, Quia Chriſtiani ſunt.

V. 3.

Digitized by Google

V. 3. PIETATEM, id eſt religionem, ſeu Dei cultum.

V. 4. LANGUENS, id eſt ægrotans animo. BLASPHEMIAE, id eſt maledicentiæ.

V. 5. CONFLICTATIONES, id eſt diſceptationes. QUAESTUM, id eſt lucri occaſionem. PIETATEM, id eſt religionem.

V. 6. SUFFICIENTIA, ſcilicet rerum ad vitæ uſum.

V. 10. CUPIDITAS, ſcilicet pecuniæ. APPETENTES, id eſt ſecuti.

V. 12. FIDEI, id eſt pro fide, ſeu quod fides poſtulat. IN QUA. Græc. *in quam*. CONFESSUS, id eſt profeſſus. CONFESIONEM, id eſt fidei profeſſionem.

V. 13. VIVIFICAT; quaſi dicat, A quo omnia viventia vitam habent. TESTIMONIUM, ſcilicet veritatis.

V. 14. MACULA, id eſt peccato. IRREPREHENSIBILE: ſic ut non poſſit reprehendi.

V. 15. POTENS. Græc. δυνάςης, id eſt *princeps*, ſcilicet univerſi.

V. 16. HABET, ſcilicet ex ſe. VIDIT, ſcilicet quantum eſt viſibilis.

V. 17. SUBLIME, id eſt ſuperbe. FRUENDUM, id eſt delectabiliter utendum.

V. 18. COMMUNICARE, ſcilicet ſua cum egentibus.

V. 19. THSAURIZARE, id eſt parare. VERAM. Græc. *æternam*. Syr. *veram*.

V. 20. DEPOSITUM, id eſt commendatam tibi doctrinam.

NOVITATES. Græc. *inanitates*. OPPOSITIONES, id eſt obiectiones. FALSI NOMINIS, id eſt falſo nominatæ.

V. 21. PROMITENTES, id eſt profitentes. EXCIDERUNT, id eſt errarunt, ſeu lapſi ſunt. GRATIA TECUM. Id propria manu ſcripſit: Amb. AMEN. Græc. additur: *Scripta ex Laodicea; Metropoli Phrygiæ Pacatianæ*.

MARIANAE.

Verſ. 1. SERVI dominos ſuos honorent. Si fideles ſunt heri, non eos contemnant, quia fratres; ſerviant potius, quia domini & fideles.

V. 2. QUI, vel *quia*: variant Græc. οἱ quædam, alia ὅτι: BENEFICII PARTICIPES SUNT, ſcilicet ſervi, nam ab heris aluntur, & alia vitæ ſubſidia habent. HAEC DOCE, ET EXHORTARE. Doctrinam comitetur exhortatio. Qui ſecus docet, ſuperbus eſt. Inde oriuntur

V. 5. CONFLICTATIONES, id eſt diſputationes hominum ex pietate lucrum capiantium. Eſt autem quæſtus magnus pietas.

V. 6. CUM SUFFICIENTIA, μετ' αὐταρκείας, id eſt *ſua ſorte eſſe contentum*. Id etiam Gallice *ſuffiſence* ſignificat, iuxta illud: *Qui n' a ſuffiſence, n' a rien*. Recte Epicurus: *Vis Pithoclea divitem facere? non divitiis adiiciendum, ſed cupiditati detrahendum*. Habentes alimenta &

V. 8. QUIBUS TEGAMUR. Caſſ. Lib. I. de inſtit cap. III. ait, *tegumenta ad neceſſitatem contra temporis*, ſcilicet iniurias. HIS CONTENTI ſumus; per hoc quid ſit ſufficientia explicatur. Per cupiditatem quidam

V. 10. ERRAVERUNT A FIDE. Videtur alludere ad illud ad Galat v. 20. *Avarus, quod eſt idolorum ſervitus*. Verum de illo ſuo loco dictum eſt. Tu certa, apprehende vitam æternam,

V. 12. IN QUA VOCATUS ES; pro, *in quam*, ut eſt Græce.

V. 13. BONAM CONFESSIONEM, id eſt conſtantem præbuit Chriſtus, eum dixit: *Ego veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*. Per eum tibi præcipio, ut ſis

V. 14. SINE MACULA, id eſt ſine ulla tranſgreſſione, uſque in Chriſti adventum.

V. 15. QUEM SUIS TEMPORIBUS. *Quem*, ſcilicet adventum, ἣν Græc. non ὅν. Ita refertur ad ἐπιφάνειαν, non ad Chriſtum. Præcipe divitibus

V. 17. NON SUBLIME SAPERE, id eſt ſuperbire.

V. 18. COMMUNICARE, id eſt humanes & benignos eſſe, facile aliis de ſuo tribuere.

V. 20. DEPOSITUM CUSTODI, id eſt doctrinam tibi creditam nihil addas aut detrahas, ut in depoſito fit. VOCUM NOVITATES, Noſter legit καινοφωνίας, id eſt *vocum novitates*, ubi nunc κενοφωνίας, id eſt *voces inanes*. ET OPPOSITIONES, ἀντιθέσεις Græc. id eſt *contentiones*, diſputationes vita. Et falſam ſcientiam, quam quidam

V. 21. PROMITTENTES, ſeu profitentes,

ut

Digitized by Google

ut Syr. ἐπαγγελλόμενοι utramque admittit interpretationem, ſed & *promittere* pro *profiteri* ſumi poteſt, & *præſeferre*, id eſt erraverunt fide.

MENOCHII.

Verſ. 1. SUB IUGO: ſervitutis. NE NOMEN DOMINI ET DOCTRINA BLASPHEMETUR: ne Chriſtiana profeſſio, & eius doctrina male audiat, quaſi doceat ſervos fraudare dominos debito obſequio.

V. 2. NON CONTEMNANT QUIA FRATRES, &c. caveant ne quid de reverentia & obſequio debito remiitant, licet illos Domini fratres appellant, quia Chriſtiani ſunt; immo impenſius hoc nomine illis ſerviant, quia cum ſint Chriſtiani, digniores ſunt, quibus ſedulo ſerviatur. BENEFICII PARTICIPES: redemptionis per Chriſtum, & Chriſtianæ religionis.

V. 3. SANIS SERMONIBUS DOMINI NOSTRI: ſic appellat legem & doctrinam Chriſti. EI, QUAE SECUNDUM PIETATEM EST DOCTRINAE: quæ ſcilicet veram pietatem, & verum Dei cultum promovet, & illi eſt conſentanea. SUPERBUS EST: τετύφωται, inflatus eſt, tumet typho ſuperbiæ, & vanæ ſcientiæ. NIHIL SCIENS; ſcilicet ſolidæ, & veræ ſcientiæ. LANGUENS: νοσῶν, *ægrotans*, immo delirans. CIRCA QUAESTIONES, ET PUGNAS VERBORUM: rixas, & litigia de verbis, & vocibus; vel, rixas & litigia, quæ verbis potius, & clamoribus, quam rationibus peraguntur: ſic ſolent in utroque peccare hæretici. EX QUIBUS ORIUNTUR INVIDIAE: cum quis ſenſit ſe minus ſcire, aut auditoribus minus probari. CONTENTIONES: altercationes: neque enim eo fine diſputant, ut eluecſcat veritas, ſed ut adverſam partem ſuperaſſe videantur. BLASPHEMIAE: convitia & maledicta in repugnantes, & contrariam ſententiam tenentes. SUSPICIONES MALAE: ὑπόνοιαι πονηραί, verti etiam poteſt, *opiniones pravæ*, in quas ſcilicet incidunt hi ſuperbi diſputatores, ut quod ſemel excidit tueantur: exiſtunt etiam ſuſpiciones, nam facta, & dicta adverſariorum diligenter explorant, & ſemper mali aliquid ab illis ſibi timent, & ſuſpicantur.

V. 5. CONFLICTATIONES HOMINUM MENTE CORRUPTORUM: παραδιατριβαί, Græci appellant διατριβάς philoſophorum exercitationes, & diſputationes: παραδιατριβαί autem ſunt inanes, ac pravæ exercitationes hominum, quorum mens ambitione, vel avaritia, aliiſve affectibus occupata, & corrupta eſt. QUI VERITATE PRIVATI SUNT: qui ſcilicet in pœnam hæreſis excæcati ſunt, ut veritatem intueri non poſſint. EXISTIMANTIUM QUAESTUM ESSE PIETATEM: ita Chriſtiana religione abutentes ad quæſtum, ac ſi ad hoc eſſet inſtituta, & ipſi ſentirent eo dirigendam.

V. 6. EST AUTEM MAGNUS QUAESTUS PIETAS. Ipſa pietas magnus eſt quæſtus, quia multo plus valet, quam quidquid ab homine avaro deſiderari poteſt. CUM SUFFICIENTIA: ſi coniuncta ſit cum animo paucis contento, ſi qui pietatem colunt pauca ſibi ſufficere exiſtiment. Alii ſufficientiam intelligunt, ſi ea ſuppetant, quæ ſunt ad victum neceſſaria. Prior explicatio videtur verior. Vide ad Philipp. IV. 11. & ibi dicta.

V. 7. AUFERRE; *efferre*, ἐξενέγκειν.

V. 9. INCIDUNT IN TENTATIONEM: avaritiæ, & rapacitatis.

V. 10. RADIX ENIM OMNIUM MALORUM EST CUPIDITAS: *avaro enim nihil eſt ſceleſtius*: Eccleſiaſt. X. QUAM QUIDAM APPETENTES: cui quidam indulgentes. Vel quam pecuniam appetentes. ERRAVERUNT A FIDE: avari enim qui tantum præſentia bona quærunt per fas, & nefas, negligunt Deum, & divina, eoque tandem deveniunt, ut non exiſtiment alia bona ſupereſſe in alia vita, itaque religionem, & fidem contemnunt. INSERUERUNT SE: περιέπειραν, *infixerunt*, vel *transfixerunt*. DOLORIBUS MULTIS: amor enim pecuniæ mentem transfigit, & lacerat inſtar ſpinæ. Vel, per dolores intelligit peccata, & ſcelera, quæ avaritiam, & infidelitatem comitantur, ut ſit Hebraiſmus, nam Hebræi peccatum dolorem appellant; ſic Pſalm. VII. 15. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*.

V. 11. HAEC FUGE; ſcilicet avaritiam, & peccata, quæ ex illa radice procedunt. PIETATEM: qua Deus ex animo, & pura intentione colitur. FIDEM: cæleſtia bona promittentem. CARITATEM: non quærentem quæ ſua ſunt. PATIENTIAM: qua non ſolum ſuperfluis, ſed etiam neceſſariis æquo animo careamus. MANSUETUDINEM.

Tranquillitatem animi, ut legit Ambroſius, qua non commovearis adverſus inferentes tibi iniuriam, aut quæ tua ſunt auferentes.

V. 12. CERTA BONUM CERTAMEN FIDEI: eſto bonus & ſtrenuus athleta, & pro fide tuenda, & amplificanda fortiter pugna. APPREHENDE VITAM AETERNAM: viriliter certando tamquam palmam victoriæ. IN QUA VOCATUS ES: ad quam a Deo vocatus es. ET CONFESSUS BONAM CONFESSIONEM CORAM MULTIS TESTIBUS. Quando in perſecutione Gentilium Epheſi excitata, Chriſtianum te & Chriſtianæ religionis defenſorem profeſſus es.

V. 13. PRAECIPIO TIBI CORAM DEO: præcipio tibi in conſpectu, & præſentia Dei, qui teſtis eſſe poterit me hæc præcepiſſe, & vindex ſi ea non ſerves; quid præcipiat poſtea ſubiungit, cum dicit, *ut ſerves mandatum ſine macula*. QUI VIVIFICAT OMNIA: a quo omnia viventia habent ut vivant. QUI TESTIMONIUM REDDIDIT SUB PONTIO PILATO: qui confeſſionem veritatis, quam docuerat, teſtatam fecit ſub Pontio Pilato, martyrio illam conſignans.

V. 14. IRREPREHENSIBILE: irreprehenſibiliter. USQUE IN ADVENTUM DOMINI: uſque ad exitum ex hac vita: nam, ut ait Auguſt. epiſt. LXXX. ad Heſychium, *tunc unicuique veniet dies adventus Domini*, *cum venerit ei dies*, *ut talis hinc exeat*, *qualis iudicandus eſt illo die*.

V. 15. QUEM: ſcilicet adventum. SUIS TEMPORIBUS OSTENDET: exhibebit.

V. 16. QUI SOLUS HABET IMMORTALITATEM: ex ſe, & per eſſentiam ſuam, nam intellectuales creaturæ, ut Angeli, & animæ rationales non a ſe, ſed a Deo habent quod ſint immortales. LUCEM HABITAT INACCESSIBILEM. Hæc lux eſt ipſe ſplendor, & gloria maieſtatis divinæ, increata, immenſa, & inenarrabilis. NULLUS HOMINUM VIDIT: oculis corporis; nec oculo mentis per ſe, & ex naturæ ſuæ viribus. CUI HONOR, ET IMPERIUM SEMPITERNUM: cuius regnum, & potentia non eſt brevi periodo circumſcripta, ſed in omnem æternitatem extenditur.

V. 17. NON SUBLIME SAPERE: ſuperbe ſapere; elato eſſe animo, & ſuperbo. QUI PRAESTAT NOBIS ABUNDE OMNIA AD FRUENDUM: qui in noſtrum uſum creaturas omnes condidit.

V. 18. DIVITES FIERI IN BONIS OPERIBUS: curare ut magnum ſibi theſaurum recondant bonorum operum, & meritorum. FACILE TRIBUERE: indigentibus. COMMUNICARE: cum aliis divitias ſuas, nec velle ſibi tantum habere, ut faciunt avari.

V. 19. THESAURIZARE SIBI FUNDAMENTUM BONUM IN FUTURUM: virtutum ſcilicet, & pietatis opera; has enim opes quaſi fundamentum ſolidum opponit incerto divitiarum huius ſæculi. UT APPREHENDANT VERAM VITAM: ut nitantur ad veram, & beatam vitam pervenire.

V. 20. DEPOSITUM CUSTODI: intelligit depoſitum traditæ doctrinæ. DEVITANS PROFANAS VOCUM NOVITATES: notat nova vocabula, & nova dogmata, quæ Simoniarum ſchola invehebat. OPPOSITIONES: obiectiones, & argumenta. FALSI NOMINIS SCIENTIAE: falſæ ſcientiæ; falſo nominatæ ſcientiæ.

V. 21. QUAM: ſcientiam. PROMITTENTES: profitentes. CIRCA FIDEM EXCIDERUNT: *ἠςόχησαν*, *aberrarunt a ſcopo*. Ab integritate, & ſinceritate fidei, velut a ſcopo oberrarunt. GRATIA TECUM. AMEN. Gratiam Dei, & omnium bonorum fontem more ſuo precatur in fine epiſtolæ.

T I R I N I.

Verſ. 1. NE NOMEN DOMINI, id eſt Chriſtiana profeſſio ET DOCTRINA male audiat, & BLASPHEMETUR ab infidelibus, quaſi quæ doceat ſervos fraudare dominos debito HONORE & obſequio.

V. 2. *Fideles autem Domini magis* colendi, QUIA PARTICIPES SUNT eiuſdem BENEFICII redemptionis Chriſti, & religionis Chriſtianæ. Præ omnibus autem cavendæ

V. 5. CONFLICTATIONES, *παραδιατριβαὶ*, id eſt inanes & ſtultæ diſputationes, HOMINUM MENTE CORRUPTORUM, & quaſi cerebro deſtitutorum; (quos verſu præcedenti *languentes*; Græce, *νοσοῦντας*, id eſt *ægros* vel *deliros* vocavit, EXISTIMANTIUM QUAESTUM ESSE PIETATEM, id eſt abutentium Chriſtiana religione & exercitiis ad quæſtum faciendum. Sed ſi lucrum quærimus,

V. 6.

V. 6. QUAESTUS MAGNUS, certus & ſolidus, EST PIETAS, ſeu cultus Dei, CUM SUFFICIENTIA, αὐταρκεία, id eſt *animo ſua ſorte contento*, nempe cui ſua ſufficiunt, etſi pauca, nec plus cupit quam accipit vel habet: ita Anſelmus.

V. 10. RADIX ENIM OMNIUM MALORUM EST CUPIDITAS. φιλαργυρία, id eſt *amor pecuniæ*, quia omnis generis peccata inde quaſi ex fonte prodeunt. Unde Eccleſiaſticus *a*, *avaro nihil eſt ſceleſtius: hic enim & animam ſuam venalem habet*. Et Bias Philoſophus, *ſtudium pecuniæ eſt metropolis omnis malitiæ*. Et Timon, *duo ſunt malorum elementa*, ἀπληστία καὶ φιλοδοξία, id eſt *inexplebilis opum cupiditas, & gloriæ appetentia. Tu* vero, relictis his nugis,

V. 12. APPREHENDE VITAM AETERNAM, tamquam bravium, ſeu palmam victori propoſitam, IN QUA, ſeu ad quam, VOCATUS ES ab agonotheta Deo: ET huc uſque viriliter proſecutus es, CONFESSUS CONFESSIONEM BONAM, egregiam, illuſtrem, non ſolum in baptiſmo & in Ordinum ſuſceptione, ſed & in perſecutione Gentilium nuper Epheſi excitata *b*: ita Chryſoſtomus & Theophyl.

V. 14. MANDATUM, omne tibi a me datum SERVES SINE MACULA *& irreprehenſibiliter* USQUE IN ADVENTUM DOMINI ad iudicium tuum particulare, inquit S. Auguſt. *c*

V. 16. QUI SOLUS ex ſe, & per eſſentiam ſuam, HABET IMMORTALITATEM, & QUEM NULLUS HOMINUM *videre poteſt* in hac vita, & puris naturæ viribus, ut volebat Anomei, inquit Anſelmus. Ex quo loco colligimus, nec Paulum, nec Moyſen, *d* nec ullum mortalium in hac vita vidiſſe divinam eſſentiam.

V. 19. FUNDAMENTUM BONUM, id eſt firmas & bene fundatas divitias, nempe æternas, inquit Chryſoſt.

V. 20. CUSTODI DEPOSITUM, id eſt theſaurum ſanæ & ſacræ doctrinæ, intelligentiæ ſcripturarum, & myſteriorum fidei: quem tu tuopte ingenio non inveniſti, nec propria induſtria tibi comparaſti, ſed Deus & ego tibi quaſi depoſitum, integre ſervandum & totandum tradidimus *e*: ita Theophyl. & Anſelmus. *Devita* PROFANAS non modo rerum, ſed & VOCUM NOVITATES (quibus ſe iactat Simoniana ſchola,) ET OPPOSITIONES, id eſt argumenta & axiomata ſophiſticæ *falſo nominatæ* SCIENTIAE de qua ſe venditant iſti glorioſuli; ſed non eſt vera ſcientia Dei, ubi non eſt vera fides.

V. 12. QUAM veram fidei ſcientia QUIDAM PROMITTENTES tum ſibi, tum aliis, dum nimis iohiant & indulgeot novitatibus, CIRCA FIDEM naufragaverunt, & in erronea dogmata delapſi ſunt, inquit Vincentius Lirinenſis, adens, id omnino quadrare in noſtros *Novantes*, *qui* novam orbi *ſcientiam promittentes*, *dicunt* idiotis, *Venite inſipientes & miſeri*, *qui vulgo Catholici vocitamini*, ex nobis *diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſæculis latuit, nuper vero revelata & oſtenſa eſt: ſed diſcite furtim atque ſecreto, delectabit vos*, &c. Omnium hominum ignorantiſſimi, qui non advertunt, in negotio fidei nullum certius eſſe falſitatis indicium, quam novitatis profeſſionem cum veritas una eademque, atque immutabilis ſit omnibus ſæculis, ut idem Vincentius pulcherrime demonſtrat.

(a) Eccleſ. x. 9. & 10.
(b) Actor. xix. 25. &c.
(c) Auguſt. epiſt. lxxx. ad Heſychium.
(d) Exodi III. 14.
(e) II. Tim. II. 2.

GORDONI.

Verſ. 1. QUICUMQUE. Servi ſi dominos habent gentiles, obtemperent illis, ne alioqui male inde audiat nomen Chriſtianum. Si vero domini fideles ſunt, multo magis honorandi. Et demum erga utroſque propter Chriſtum. Immo erga fideles etiam, quia participes beneficiorum ſunt, hoc eſt, domini & ſervi ſimul participes ſunt beneficii, ſcilicet redemptionis, & religionis veræ.

V. 3. SI QUIS ALITER DOCEAT. Hic damnat auctores rerum novarum, contra doctrinam veram & receptam. Tales ſunt hæretici, quorum hic recenſet epitheta, & ſimul damna, quæ ex hi oriuntur contentionibus.

V. 5. EXISTIMANTIUM QUAESTUM ESSE PIETATEM; hoc eſt, abutentes pietate ad quæſtum, ac ſi ad nihil aliud valeret pietas, & Chriſtiana religio. Mentiuntur

Novatores, non taxat hic utiles Theologorum diſceptationes ad inquirendam & firmandam veritatem, ſed Novatorum, qui a Deo non ſunt miſſi præſumptiones futiles contra doctrinam Eccleſiæ. Hi ſunt qui omnia metiuntur ſuo iudicio: ſuperbi, inquit, Apoſtolus, & nihil ſcientes.

V. 6. Est autem quaestus magnus. Quaſi dicat: Si quæſtum quærant, quæſtus magnus eſt pietas cum ſufficientia: talis eſt verus Chriſtianus, animo paucis contento.

V. 9. 10. & 11. Nam qui volunt. Deterret ab avaritia. Malum in ſe grave eſt, ſed ex adiunctis hic & effectibus recenſitis graviſſimum, ſcelerum radix eſt. Pro his ſectare virtutes (verſ. 11.) Illa nudum ex hac vita dimittunt: iſta veſtitum, & cælo maturum. Sic ſane qui terræ affixi ſunt, cæli & fidei obliviſcuntur.

V. 12. Certa bonum certamen. Militantis Eccleſiæ miniſter es & athleta pro fide & vera doctrina. Apprehende & meditare palmam. Confessus, recordare anteacti certaminis Epheſi, ubi in perſecutione te Chriſtianum profeſſus es. Lege Chryſoſt. Serm. de Martyr. tom. 3.

V. 13. & 16. Praecipio tibi. Præcipit, idque invocato Deo, qui teſtis ſit impoſiti præcepti. Grave præceptum ex materia, modo & fine, exemploque Chriſti. Solus, verſ. 16. Solus Deus per eſſentiam, & ex ſe eſt immortalis. Anima & Angeli a Deo habent ſuum eſſe, & quod ſint immortales. Lux, gloria & maieſtas tanta eſt, ut nequeat creatura naturæ viribus illam plane aſſequi. Verum quomodo Deus ſit mortalibus *ἀόρατος*, docent Theologi in quæſtionib. de viſione Dei, & aliis ſimilibus Dei attributis.

V. 17. & 20. Divitibus. Sub finem hunc capitis inter alia commendat divitibus; ut diſcant ſapere, in opibus ſpem non ponere (quas vomitum fortunæ vocabat Diogenes) & multo meliores iſtis eſſe divites futuri ſæculi; ex verſ. 19. Depositum, verſ. 20. vocat ſanam doctrinam traditam; hæc eſt quam toties commendat Apoſtolus, & hanc nomine depoſiti intelligi patet ex proximis verbis, ubi opponit traditæ doctrinæ novitates falſas & vanas. Et hoc ipſum clare docet II. Tim. cap. 1. 12. 13. & 14. Ita Anſelmus, Chryſoſtomus, & alii varii. Ex quibus interim apparet ſolere per manus tradi, & ſic conſervari doctrinam inviolatam ſub ſacro onere depoſiti. *Prophanæ* vocum novitates ſunt illæ, quæ prophana ſecum trahunt dogmata, ut Simoniacorum illo tempore; non quæ res veteres & probatas melius explicant.

EPI-

EPISTOLA
BEATI PAULI
APOSTOLI
AD TIMOTHEUM
SECUNDA.

HANC Epiſtolam Romæ ſcriptam fuiſſe omnes conſentiunt; ſed utrum in primis, ut Baronius, Eſtius, & alii opinantur, an in ſecundis vinculis, cum iam ad ſubeundam martyrii palmam ſe pararet, ut veteres poſt Euſebium, Lib. II. hiſt. cap. xxII. credidere, magna eſt diſſenſio.

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Gratias Deo agit ob fidem Timothei, quam intrepida prædicatione iubet exeri: Chriſtus mortem deſtruxit, & Paulum in Gentium doctorem elegit, ſervans ei debitum ipſius laboribus præmium: dicit quod omnes Aſiani ipſum reliquerint, laudans Oneſiphori familiam quod inde multa receperit obſequia.

1. PAULUS Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei,
ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu:
2. Timotheo cariſſimo filio, * gratia, miſericordia,
pax a Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro. 3. *
Gratias ago Deo, cui ſervio a progenitoribus in conſcientia pura, quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die 4. deſiderans
te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear, 5. recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primum
in avia tua Loide, & matre tua Eunice, certus ſum autem quod & in
te. 6. Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ
eſt in te per impoſitionem manuum mearum. 7. (*a*) Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris; ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. 8.
Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum
eius: ſed collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei: 9. qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta, (*b*) non ſecundum opera noſtra, ſed
ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu
ante tempora ſæcularia. 10. Manifeſta eſt autem nunc per illuminationem
Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit
autem vitam & incorruptionem per Evangelium: 11. in quo (*c*) poſitus
ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & magiſter Gentium. 12. Ob quam
cauſam etiam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, &
certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem. 13.
Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Ieſu. 14. Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum,
qui habitat in nobis. 15. * Scis hoc, quod averſi ſunt a me omnes qui
in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus, & Hermogenes. 16. Det miſericordiam Dominus (*d*) Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit: 17. ſed cum Romam veniſſet, ſolicite me quæſivit, & inveni 18. Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino
in illa die. * Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu melius noſti.

(a) Rom. viii. 15. (b) Tit. iii. 5. (c) I. Tim. ii. 7. (d) Inf. iv. 19.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 2. *Gratia*, *miſericordia*, *pax*. Non eſt præponenda coniunctio & voci *pax*.

Verſ. 3. *Gratias ago Deo*, *cui ſervio a progenitoribus*. Nec hic addenda ſunt pronomina *meo*, & *meis*.

Verſ. 15. *Scis hoc*. Non interponas *enim*.

Ibidem. *Ex quibus eſt Phigellus*. Alii ſcribunt unico *l*. Phigelus; ſed male illi qui habent *Philetus*, quod nomen occurrit infra cap. XI. 17.

Verſ. 18. *Et quanta Epheſi miniſtravit mihi*. Correctores e libris ſuis addiderunt pronomen *mihi*.

NOTATIO.

Verſ. 15. EX *quibus eſt Phigelus*, (*Philegus* o. *Phyngelus* o.) & *Hermogenes* (*Hermogenus* o.) Multi *Philetus* male ſcribunt pro *Phigelus*. *Philectus* vocatur qui proximo capite nominatur cum Hymenæo: *Ex quibus eſt Hymenæus*, & *Philetus*; id quod & Haymo annotavit. Legitur porro apud Haymonem, & in quinque manuſcriptis noſtris *Phigellus*: in impreſſis aliquot *Phygellus*; ita ut Græce eſt φύγελλος (φρύγελλον.) Ceterum ſpectatiores Latini codices, *Phygelus*, ſeu *Phigelus* habent, quomodo eſt & in quibuſdam exemplaribus, Græcis (φύγελος) & in epiſtola Hieronymi 127. ad Fabiolam. De veſtibus ſacerdotum, & in commentariis Ambroſio adſcriptis. Magdalii denique correctorium monet, media correpta hoc nominis legendum eſſe.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 6. RESUSCITES: ἀναζωπυρεῖν, quod ſignificat ignem excitare, id eſt & reaccendas, neque intermori ſinas gratiam tibi collatam per impoſitionem manuum mearum; ibi Græci aiunt: Simul enim atque manus illi Paulus impoſuit, Epiſcopum ordinans, ſimul in illum deſcendit gratia docendi, miracula edendi, Eccleſiamque regendi.

V. 8. COLLABORA: συγκακοπάθησον, id eſt coaffligere, prout tibi virtutem Dominus dabit, neque pudeat te vinculorum meorum pro Chriſto.

V. 9. & 10. VOCAVIT NOS INQUIT PER GLORIAM SUAM, quæ data eſt nobis in mente divina, per Chriſtum Ieſum ANTE TEMPORA SAECULARIA, id eſt quam ab æterno propoſuerat nobis Deus per Chriſtum dare, & quum omnia illi æque præſentia ſint, ſive futura, ſive præterita, recte dicitur, quæ data eſt olim in Dei prædeſtinatione, nunc autem in effectu manifeſtata eſt. PER ILLUMINATIONEM CHRISTI. Græc. διὰ τῆς ἐπιφανείας, id eſt per apparitionem, ſive ubi nobis Chriſtus illuxit, qui quidem veniens deſtruxit mortem, viam autem ILLUMINAVIT, ſive in lucem produxit, per evangelium, id eſt evangelii prædicationem, quia in eo virtus eſt ad ſalutem omni credenti, Rom. 1.

V. 12. HAEC: ſubaudi vincula pro evangelio patior, SED NON CONFUNDOR, id eſt, non erubeſco. CREDIDI, id eſt vel ſcio cui, hoc eſt, in quem credidi, vel ſcio cui credidi, id eſt cuius fidei commiſi depoſitum meum. DEPOSITUM, vel fidem ſuam vocat, quam, inquit, Dominus ſervabit præmiandam in illum diem iudicii; vel depoſitum fideles ſibi commiſſos vocat, dicens, cui illos credidi, de quibus ipſe ait, commendo vos Deo, & certus ſum quod illos ſervare poteſt ſalvos in illum diem, id eſt quod qui meæ fidei commiſſi ſunt, illos ſervabit Deus uſque in diem iudicii.

V. 13. FORMAM HABE; id eſt, imitare & fac ſecundum exemplar, quod tibi propoſui. Scis enim quomodo prædicare debeas a me inſtitutus; ubi Græci aiunt: Non ea tantum ſervari iubet quæ ſcripta mandarat, ſed quæ ore ad os etiam loquutus fuerat.

V. 14. DEPOSITUM, vel fidem, vel gratiam cum epiſcopi dignitate ſuſceptam, vel etiam eccleſiam tibi commiſſam ſerva, & tutare ab incurſu luporum.

S A.

RUrſum inſtruit, & exhortatur, addens quædam de electis, & reprobis, deque erroribus futuris tempore noviſſimo. Narrat etiam quæ ſibi acciderit.

V. 1. SECUNDUM, id eſt per; vel quaſi dicat, Ad prædicandum. QUAE EST, &c. id eſt quæ datur per Chriſtum.

V. 3. A PROGENITORIBUS, ſcilicet inſtitutus; vel quaſi dicat, A puero. PURA; quaſi dicat, Recta intentione.

V. 5. RECORDATIONEM, &c. id eſt in memoriam revocans. CERTUS. Græc. *perſuaſus:* ſic & inf.

V. 6. CAUSAM, ſcilicet quia fide præditus es recta. RESUSCITES, id eſt excites, ſcilicet per opera bona, iuxta officium tuum. GRATIAM. Græc. χάρισμα, id eſt donum.

V. 7. VIRTUTIS, id eſt potentem, ſcilicet fortes facientem.

V. 8. DOMINI, id eſt Domino. COLLABORA, &c. quaſi dicat, Ferto animo bono perſecutiones Evangelii. DEI, id eſt tibi a Deo datam.

V. 9. SANCTA, ſcilicet ad ſanctitatem invitante. PROPOSITUM. Syr. *voluntatem*. Iunge vero cum *ante tempora*. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum. SAECULARIA, ſcilicet ſæculi; quaſi dicat, Ab æterno.

V. 10. MANIFESTATA, ſcilicet vocatio, ſeu gratia; vel propoſitum, quod Græc. eſt femininum. ILLUMINATIONEM. Græc. *apparitionem*. ILLUMINAVIT, id eſt pateſecit. INCORRUPTIONEM, id eſt immortalitatem.

V. 12. PATIOR, ſcilicet Romæ vinctus erat. CONFUNDOR, id eſt erubeſco. DEPOSITUM, id eſt ſalutem apud eum depoſitam, ſeu animam ei creditam. ILLUM, ſcilicet Iudicii.

V. 13. FORMAM, id eſt informationem. HABE, id eſt retine, vel ſequere. SANORUM, &c. pro, ſanæ doctrinæ. IN FIDE, &c. quaſi dicat, Credendo, & amando Chriſtum.

V. 14. DEPOSITUM, id eſt munus Epiſcopi, vel animas ſubditorum.

V. 15. IN; pro, ex; quaſi dicat, Aſiatici qui Romæ ſunt.

V. 16. REFRIGERAVIT, id eſt recreavit.

V. 18. QUANTA, id eſt in quam multis.

MARIANAE.

Verſ. 1. PAULUS. A ſuo nomine incipit. SECUNDUM PROMISSIONEM Apoſtolus, ſeu *profeſſionem*, ἐπαγγελίαν, ut cap. ſuper. ver. 21. Ergo in ea profeſſione & vitæ genere ego ſum Apoſtolus. QUAE EST IN CHRISTO IESU, id eſt per Chriſtum, per eum vita datur.

V. 3. GRATIAS AGO DEO, ſeu *profiteor*. CUI SERVIO A PROGENITORIBUS, nempe genere Iudæus. QUOD SINE INTERMISSIONE. Gotth. *quam ſine intermiſſione*. Ergo *gratias ago*, id eſt teſtor Deum, a verbo Hebræo, ידה *iadach*, quod *gratias agere*, & *confiteri*, ſeu *profiteri* ſignificat. Profiteor coram Deo. Alioqui non ſatis cohæreret, *gratias ago*, cum illo, *quod ſine intermiſſione*.

V. 5. EIUS FIDEI memor ſum. QUAE HABITAVIT PRIMUM IN AVIA TUA LOIDE. Non degeneras a maioribus tuis.

V. 6. ADMONEO TE UT RESUSCITES. Græc. ἀναζωπυρεῖν, *reaccendas*, ſcilicet per bona opera, ut calor ſtomachi corporis exercitatione. GRATIAM DEI, id eſt dona collata per impoſitionem manuum, quando ſacratus eſt Epiſcopus. Non dedit Deus

V. 7. SPIRITUM TIMORIS. Non debemus timere, nec ob timorem ceſſare ab Evangelio & doctrina. ET SOBRIETATIS, ſeu *caſtigationis*, σωφρονισμοῦ, Syr. *admonitionis*, ut ſcilicet caſtigemus & admoneamus alios.

V. 8. SED COLLABORA. Syr. *perfer mala* ſcilicet mei exemplo ob Evangelium Dei.

V. 9. ET VOCAVIT, qui Deus eſt. VOCATIONE SUA SANCTA. Græc. non eſt *ſua*, nec Syr. nec Gotth. ſed tantum, *vocavit nos vocatione ſancta*. ANTE TEMPORA SAECULARIA, id eſt ab æterno data eſt nobis, id eſt prædeſtinata gratia vocationis.

V. 10. NUNC PER ILLUMINATIONEM, ſeu *adventum* SALVATORIS: ſic I. ad Timoth. VI. 15. vocem ἐπιφανείας vertit noſter Interpres. Ergo gratia ab æterno prædeſti-

Digitized by Google

deſtinata, manifeſta eſt Chriſti adventu. Illumintvit autem vitam, id eſt, contulit vitam. Ideo

V. 12. Haec patior, ſcilicet vincula. Sed non confundor, id eſt erubeſco. Scio enim cui credidi mea, vitam, libertatem. Quod depoſitum ille conſervabit in diem iudicii.

V. 13. Formam habe, id eſt imitare. Sanorum verborum. Non ſcripta tantum ſervare vult, ſed quæ ore tenus accepit. Serva

V. 14. Bonum depositum. Sic vocat vel doctrinam illi traditam, vel fidem, & alia Spiritus ſancti dona, quæ ſervare & exercere oportet.

V. 18. Ministravit mihi: ſic Syr. & Gotth. At Græce deeſt *mihi*, tum in Lovan: & Regia Vulgata. Ergo miniſtravit mihi Oneſiphorus. Retribuat illi Deus.

MENOCHII.

Verſ. 1. Per voluntatem Dei; quaſi dicat, Non meo merito, ſed electione, & voluntate Dei. Secundum promissionem vitae, quae est in Christo Iesu; quaſi dicat, Miſſus ſum a Deo tamquam Apoſtolus, & legatus ad prædicandam vitam æternam promiſſam per Chriſtum.

V. 2. Gratia, misericordia, &c. Vide dicta ſuperiori epiſtola cap. 1. 2.

V. 3. Cui servio a progenitoribus: cui ſervio, ut etiam progenitores mei ſervierunt. In conscientia pura: mihi enim conſcius ſum quod non alium Deum colam, aut coluerim, quam unum Deum patrem meorum. Vel, cui ſervio vita, & moribus a ſcelere puris. Vel, ſincere, & ſine hypocriſi, aut ſimulatione. Quod sine intermissione habeam tui memoriam. Gratias Deo ago quod me tibi ita coniunxerit per caritatem, ut quoties ad eum preces fundo, toties tui meminerim.

V. 4. Memor lacrymarum tuarum: quas fudiſti in diſceſſu meo.

V. 5. Recordationem accipiens, id eſt memor. Eius fidei, quae est in te non ficta: nimirum ſincera fides in amorem, & deſiderium Timothei Paulum rapiebat. Habitavit: firmiter, & permanenter inhæſit. In avia tua Loide. Aviam intelligit maternam; patre enim gentili natus erat Timotheus. Et matre tua Eunice: quæ fuit Chriſtiana, nam Actor. xvi. 1. vocatur fidelis, quod Chriſtianorum vocabulum eſt. Certus autem sum quod et in te, ſcilicet habitet eadem fides non ficta.

V. 6. Ut resuscites. In Græco eſt ἀναζωπυρεῖν, quod proprie ſignificat ignem cineribus conditum, ac ſopitum flatu excitare. Gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum: De ea potiſſimum gratia loquitur Apoſtolus, quæ per Sacramentum ordinis confertur, & iuvat ad munia rite obeunda, quæ ad ordinem illum pertinent, verbi gratia ad ſtrenue evangelizandum, & promovendam fidem. &c.

V. 7. Spiritum timoris, id eſt timiditatis, & ignaviæ, qualis eſt eorum, qui animo ſunt imbecilli, pavido, confracto, & abiecto. Sed virtutis, id eſt fortitudinis, & roboris, ut etiam in media perſecutione Chriſtum prædicemus. Et sobrietatis. In Græco eſt σωφρονισμοῦ, quæ vox moderationem, & refrenationem ſignificat, cuius eſt facere, ut omnia tam proſpera quam adverſa conſtanter, & moderato feramus, utque omnia tam quæ in nobis, quam quæ in aliis nimia ſunt, & immodica temperemus, & refrenemus.

V. 8. Noli erubescere testimonium Domini nostri: noli erubeſcere profiteri, & tradere doctrinam, quam docuit Chriſtus. Noli etiam erubeſcere crucem, martyrium, ac vincula Chriſti, quibus ſuam deſignavit, & confirmavit. Neque me vinctum eius; id eſt, neque mei te pudeat, aut vinculorum meorum. Collabora Evangelio. In Græco eſt συγκακοπάθησον, id eſt *compatere*, & coaffligere Evangelio, id eſt particeps eſto afflictionum, & perſecutionum, quas patitur Evangelium. Secundum virtutem Dei, id eſt potentiam Dei: ſpem locans in potentia Dei, qui te ad hoc certamen vocavit, & in illo iuvabit.

V. 9. Qui nos liberavit, ſcilicet a peccato, & morte æterna. Vocatione sua sancta: ad Chriſtianiſmum, & ſanctitatem vitæ. Non secundum opera nostra, id eſt merita noſtra. Sed secundum propositum suum, et gratiam: ſed ſecundum liberale, & gratuitum

tum ſuum decretum, & beneplacitum. Quae data est nobis in Christo Iesu, &c. quæ gratia ſeu miſericordia quoad effectus ſuos nobis per Chriſtum data, id eſt, intuitu meritorum Chriſti præparata eſt ab æterno. Ante tempora saecularia, id eſt ante mundi conſtitutionem: antequam eſſet tempus, & ſæcula.

V. 20. Manifestata est autem; gratia illa a Deo ab æterno data, ſed in Deo abſcondita. Per illuminationem Salvatoris nostri: *διὰ τῆς ἐπιφανείας, per apparitionem*, id eſt per adventum Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti. Vulgatus dixit illuminationem, quia etiam hoc ſignificat vox Græca. Destruxit mortem: qui paſſione, & morte ſua mortem noſtram abolevit quantum eſt ex parte ſua; ſeu quantum eſt ex parte noſtra re ipſa in nobis id necdum factum eſt, ſed fiet in reſurrectione, cum in ſingulis beatis reſurgentibus mors abolebitur. & vita æterna efflorescet. Illuminavit autem vitam, et incorruptionem per Evangelium, id eſt vitam incorruptibilem, & immortalem produxit in lucem, manifeſtavit, & certam eius ſpem nobis attulit per Evangelium, quod prædicari voluit.

V. 11. Positus sum: conſtitutus ſum a Chriſto.

V. 12. Haec patior: vincula. Sed non confundor: non me pudet vel officii mei, vel vinculorum. Scio enim cui credidi: cui credidi, atque commiſi depoſitum meum ſervandum. Intelligit theſaurum laborum, & paſſionum pro evangelio a ſe obitarum, quem a ſe collectum Paulus patiens, & moriens apud Deum quaſi depoſuit, ut in illo die magno, ſcilicet iudicii pro illo gloriam recipiat.

V. 13. Formam habe, &c. In Græco eſt *ὑποτύπωσιν*, vivum exemplar, vivam imaginem, vivam repræſentationem. Sanorum verborum: ſana verba appellat ſanam, integram, & incorruptam doctrinam. In fide, et in dilectione, &c. id eſt quæ verſatur circa fidem, & dilectionem Chriſtianam: ſenſus verſiculi eſt, quaſi dicat, O Timothee tuum eſt retinere vivum exemplar, vivam ideam, & repræſentationem doctrinæ, quam tibi tradidi, ut ſcilicet verba mea ſemper tibi ob oculos ponas, eademque aliis vive, & efficaciter proponas.

V. 14. Bonum depositum custodi: intelligit theſaurum doctrinæ Chriſtianæ, quam vocavit *ſana verba*. Per spiritum sanctum; quaſi dicat: Hæc cuſtodia non eſt tuarum virium, ſed Spiritus ſancti, cuius eſt hoc efficere.

V. 15. Aversi sunt a me: *ἀπεστράφησάν με, averſati ſunt a me*; reiecerunt me. Phigellus, et Hermogenes. Quinam hi fuerint non conſtat. De his tamen nonnulla admodum certa refert Iuſtinianus hic, ex Metaphraſte, Tertulliano, & aliis.

V. 16. Misericordiam Dominus, &c. id eſt, ſit Dominus miſericors in domum, & familiam Oneſiphori. Quia saepe me refrigeravit, id eſt refocillavit, & recreavit in hoc æſtu mearum afflictionum: ſolatio, & ſubſidio mihi fuit in his vinculis. Et catenam meam non erubuit; id eſt, non puduit illum vinculorum meorum, nec periculum metuit, nec infamiam, ut me iuvaret.

V. 17. Solicite me quaesivit: ſolicite quærendus fuit Paulus ut inveniretur, nam in ampliſſima civitate multi erant carceres, & plurimi qui vinculis detinebantur.

V. 18. In illa die, ſcilicet iudicii. Quanta: quam multa.

T I R I N I.

Verſ. 1. Apostolus, id eſt legatus, miſſus a Deo secundum promissionem vitae, id eſt ad prædicandam promiſſam fidelibus vitam & ſalutem æternam per Chriſtum.

V. 3. Cui servio a progenitoribus, id eſt æque ac parentes mei, Abraham, Iſaac, Iacob, & alii Patriarchæ: ita Ambroſ. & Anſelm.

V. 8. Memor lacrymarum tuarum: quibus abeuntem me proſecutus es: & etiam

V. 5. Recordationem accipiens, ſeu memoriam repetens inſignem ſolidamque *fidem* quam in te deprehendi: quae primum habitavit, id eſt firmiter ac ſtabiliter inhæſit, in Loide avia tua materna: (nam *Timotheus* patre *Gentili* natus erat *a*:) et *in* matre tua, Iudæa *b* quidem, ſed Græcum ſortita nomen Eunice, id eſt *Victoria*, vel *Vincentia*. Certus; græce, *perſuaſus*, sum autem quod

ET

ET IN TE conſtanter inhæreat; unde non eſt quod de hac quidquam moneam: ſolum opto.

V. 6. UT GRATIAM, ſeu donum, DEI in & cum ſacro presbyteratus & epiſcopatus Ordine tibi per me collatam *e*, RESUSCITES, id eſt vivere ac vigere facias per continuam & ſtrenuam exercitationem. Nam ἀναζωπυρεῖν, proprie ſignificat ignem ſub cineribus reconditum ac ſopitum flatu ſuſcitare. Nempe dona Dei ſunt veluti vivæ prunæ in cordibus noſtris accenſæ, ſed eas ſatan & caro ſuffocare, vel ſaltem obruere nituntur: nos contra magis ac magis oratione fovere, exercitio acuere, vigilantia cuſtodire debemus: ita Theodor. Theophyl. Oecumen. Neque enim *ſpiritus*, quem

V. 7. DEDIT NOBIS DEUS, eſt *ſpiritus* TIMORIS, ſeu timiditatis & ignaviæ, (qualis eſt eorum qui animo ſunt pavido & abiecto,) SED VIRTUTIS, δυνάμεως, id eſt fortitudinis & roboris, ut ſcilicet inſtar ſtrenuiſſimorum ducum, aliis præeamus, & Eccleſiam Dei propugnemus, inquit S. Chryſoſt.

V. 8. SECUNDUM VIRTUTEM DEI, id eſt freti potentia non propria, ſed divina, qui nos in hanc palæſtram vocavit, &

V. 9. LIBERAVIT a peccato, dæmonis poteſtate, & morte æterna: ET VOCAVIT VOCATIONE SUA SANCTA, ſeu ad veram vitæ ſanctitatem, puta ex errorum labyrinthis, & peccatorum ſordibus ad Chriſtianiſmum: non quod nos id promeriti fuerimus noſtris operibus *d*, ſed ex mera gratia, ac gratuito liberalique beneplacito & decreto ſuo divino, intuitu meritorum Chriſti. Quæ gratia fuit quidem parata nobis ANTE TEMPORA SAECULARIA, id eſt, antequam eſſet tempus & ſæcula, ſeu ab æterno, ſed abſcondita in Deo.

V. 10. NUNC AUTEM MANIFESTATA nobis EST PER ILLUMINATIONEM, διὰ τῆς ἐπιφανείας, id eſt *per apparitionem*, ſeu adventum, CHRISTI QUI morte ſua MORTEM DESTRUXIT & abolevit *e*: VITAM AUTEM ET INCORRUPTIONEM *f*, id eſt vitam incorruptibilem ſeu immortalem, nobis ILLUMINAVIT, id eſt in lucem & cognitionem produxit, PER EVANGELIUM toto orbe evulgatum.

V. 12. SCIO CUI CREDIDI, & cuius fidei commiſerim ſervandum DEPOSITUM MEUM, puta theſaurum laborum & paſſionum quas pro Evangelio ſubivi. Hunc enim multis annis collectum, in Dei ſinu proba & fida cuſtodia depoſui, ut *in illo die* magno iudicii gloriam & præmium pro illo recipiam: ita Ambroſ. Theophyl. Anſelm.

V. 13. FORMAM, ὑποτύπωσιν, id eſt vivum exemplar, nativam imaginem, claram repræſentationem, HABE, id eſt mente retine, VERBORUM SANORUM, id eſt ſolidæ ſanctæque doctrinæ a me traditæ. Hoc

V. 14. BONUM DEPOSITUM *g*, hunc pretioſum doctrinæ theſaurum diligenter CUSTODI, & ope gratia *Spiritus ſancti*.

V. 15. De *Phigello* & *Hermogene* (quem Tertull. *h* ait negaſſe carnis reſurrectionem) narrat Ambroſius, ſimulaſſe eos amicitiam cum Apoſtolo, ut ſecreta eius penitius excuterent, ſed cum ſentirent ſe detectos, ab eo receſſiſſe. Ab his, & ab aliis *Aſianis* Romæ tum degentibus, (ac primo faventibus Paulo, ſed mox Iudæorum impulſu, & Neronis metu, ab ipſo dilapſis, uno excepto *Oneſiphoro*, monet Timotheum, ut, ſi ad mentem non redeant, ſciat cavendum ſibi aliiſque fidelibus, ne ab ipſis prodantur, vel alia nocumenta accipiant, inquit Chryſoſt. & Theodoretus.

(a) Actor. xvi. 1.
(b) Ibid.
(c) I. Tim. iv. ult.
(d) Rom. iv. 1. &c.
(e) I. Cor. xv. 54.
(f) Prolcg. de Idiotiſmis Hebr. n. 41.
(g) I. Tim. vi. 20.
(h) Tertull. Lib. de Reſurrect. cap. xxiv.

GORDONI.

Verſ. 1. PAULUS APOSTOLUS. Præfatur Paulus more ſuo, ut Apoſtolus ex libera meraque Dei voluntate, ut laboret pro obtinenda hominibus promiſſa a Deo vita æterna. Declarat amorem erga Timotheum ob prima initia pietatis ſub piis parentibus; pro quo beneficio divino, aliiſque multis gratias agit Deo, memor Timothei in orationibus ad Deum. Sic ſuaviter doctor ſe diſcipulo inſinuat, ut paratiorem habeat ad imperata. At quomodo Paulus olim perſecutor ait ſe a progenitoribus conſcientiam puram retinuiſſe?

O 2 Com-

Digitized by Google

Commode hoc intelligitur de zelo Pauli in Iudaiſmo, quod ſemper ſine ſimulatione & fictione egerit; quanto magis a tempore converſionis?

V. 6. PROPTER QUAM CAUSAM; quaſi diceret: Quando Deo favente pietas ita tibi obvenit ab ineunte ætate, cura diligenter ne dona hæc iam in te flacceſcant; ſed excitans teipſum perge animoſe ad propagationem fidei, & opera caritatis. Sopitum cineribus ignem ſolle excitamus. Hanc ſimilitudinem ſubindicat vox Græca *ἀναζωπυρεῖν*. Lentum feciſſe Timotheum poterant perſecutio, timor, humana iufirmitas, & deſidia.

Duo ex hoc loco colliguntur: primum manuum impoſitionem eſſe ſacramentum; & demum inſtrumentum quo Deus gratiam confert. Alterum eſt, hominem cum confertur a Deo gratia, non prædeterminari Phyſice a gratia, ſed libere cooperari, ita ut poſſit gratiæ reſiſtere. Nam hortatur Paulus ut cooperetur velut liber; & iubet accedente libero arbitrio, ut homo ipſe excitet gratiam.

V. 7. SPIRITUM TIMORIS. Ad excitandum ſervum Dei ſopitum, valet plurimum meditatio, & ſi conſideret datum eſſe miniſterium hoc & ſpiritum, non ut hæreat otioſus, animo pavido, & ignavo. Spititus Dei eſt ſpiritus fortitudinis in adverſis, ſobrietatis, &c. Nihil erubeſcit, non vincula, nnn carceres timet.

V. 9. QUI NOS LIBERAVIT. Debemus hoc Deo, qui nos liberavit. Excitat recordatio beneficiorum, & vocationis ſanctæ, non ex meritis noſtris, ſed ſecundum propoſitum & liberale decretum, per gratiam in Chriſto datam ante ſæcularia tempora, ante mundum conditum, Rom. VIII. 28. Nondum quidem eramus nos ante mundi conſtitutionem, ſeu ab æterno; ſed decreto Dei & prædeſtinatione ab æterno præparata eſt. De hac decreta gratia Dei, providentia, & præordinatione ab æterno ſuis locis Theologi. An non parentes & animalia dant naſcituris nepotibus?

V. 10. MANIFESTATA. Illa gratia abſcondita in æternitate, nunc manifeſtata eſt in Chriſto, immo & data his quibus oportuit, & promiſſa erat, per illuminationem, *ἐπιφανείας* in Chriſto, qui mortem vicit & corruptionem per Evangelium; cuius miniſter eſt Paulus, & ut ait Hieronymus, vas electionis, tuba Evangelii, & flumen eloquentiæ Chriſtianæ.

V. 12. OB QUAM CAUSAM. En Pauli magnanimitatem. Hinc, inquit, patior, ſcilicet vincula. Non tamen confundor, nec pudet officii. Scio cui credidi, & confido depoſitum meum ſervandum, ſcilicet labores in Evangelio ſervabit Deus, & retribuet die ſtatuto. Volunt hinc aliqui Paulum ſimul cum fide habuiſſe claram ſcientiam articulorum fidei. Sed nihil cogit hoc aſſerere, ſaltem de ſupernaturalibus articulis. Itaque *τὸ ſcio*, *οἶδα*, eſt cognoſco, & habeo pro certo. Credidit vero Paulus; hoc eſt commiſit ſe ſuoſque omnes labores velut depoſitum divinæ bonitati & providentiæ. Hic Pauli theſaurus eſt.

V. 14. &c. BONUM DEPOSITUM. Hoc loco depoſitum eſt doctrina Chriſtiana, & theſaurus commiſſus Timotheo. Vocavit *ſana verba*, ut hæreticæ novitates ſunt inſanæ; Chryſoſtomus per ſana verba etiam traditiones intelligit.

V. 15. SCIS HOC. Ex his qui in Aſia Paulum reiecerunt, duos recenſet; quinam hi fuerint, nec conſtat, nec multum refert. Putant aliqui Paulum loqui de Aſianis, qui erant Romæ cum Paulus hanc Roma ſcripſit Epiſtolam. Baronius commode, *omnes* interpretatur multos. Conſtat enim ex aliis Epiſtolis multos Aſianos non deſeruiſſe Paulum, nec eius doctrinam.

C A

Digitized by Google

CAPUT II.

Hortatur Timotheum ad alios ſincere docendum & patiendum pro Chriſto, facta mentione futuri præmii ac reſurrectionis Chriſti; utque contentiones & profana vaniloquia devitet, ſtultaſque legis quæſtiones; de magna domo varia habente vaſa, & quas virtutes ſervus Dei ſectari debeat.

1. TU ergo fili mi confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu: 2. & quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. 3. Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. 4. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit. 5. Nam & qui certat in agone, * non coronatur niſi legitime certaverit. 6. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. 7. Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. 8. Memor eſto Dominum IESUM CHRISTUM reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum, 9. in quo laboro uſque ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum. 10. Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cæleſti. 11. Fidelis ſermo: nam ſi commortui ſumus, & convivemus: 12. ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus: (a) ſi negaverimus, & ille negabit nos: 13. (b) ſi non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. 14. * Hæc commone, teſtificans coram Domino. † Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. 15. Solicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis. 16. Profana autem, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: 17. & ſermo eorum ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, 18. qui a veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe iam factam, & ſubverterunt quorumdam fidem. 19. Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognovit Dominus qui ſunt eius: & diſcedat ab iniquitate, omnis qui nominat nomen Domini. 20. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. 21. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. 22. Iuvenilia autem deſideria fuge, ſectare vero iuſtitiam, * fidem, charitatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. 23. (c) Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites. 24. Servum autem Domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, 25. * cum modeſtia corripientem † eos, qui reſiſtunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcen-

ſcen-

Digitized by Google

ſcendam veritatem, 26. & reſipiſcant a diaboli laqueis, * a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.

(a) Mat. x. 33. Mar. viii. 38. (b) Rom. iii. 3. (c) 1. Tim. 1. 7. Tit. iii. 9.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 5. Non coronatur niſi legitime certaverit. Non mutes præſens *coronatur* in futurum.

Verſ. 22. Fidem, caritatem, & pacem. Non interponas *ſpem* inter *fidem*, & *caritatem*.

Verſ. 26. A quo captivi tenentur. Non ſcribas participium *capti* pro nomine *captivi*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 14. N*Oli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem.* Si preſſe legantur ea quæ ſcripſimus in Notationibus, videri poſſit probabile interpretem vertiſſe ut eſt Græce: *Non contendere verbis (ad nihil utile) ad ſubverſionem.*

V. 25. Eos qui reſiſtunt veritati. Vox *veritati* omittitur a multis Latinis libris, conformiter Græco & Syro.

Notationes.

Verſ. 14. H*Æc commone (commoneo* O. *commonere* O. *commoneri teſtificor* O.) *teſtificans coram Domino (Deo* O.). *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.* Græce pro *Noli contendere verbis* eſt, μὴ λογομαχεῖν, quod eſt *non contendere verbis*: id quod accipi poſſit, ut novæ ſententiæ caput, atque intelligi infinitus modus imperativi ſingularis loco; ſed rectius forte iuxta Græcos Tractatores, etiam Chryſoſtomum, & Syricum Interpretem præcedentibus iungi, ita ut a participio *teſtificans* ſive *conteſtans* pendeat, ut non Timotheum Apoſtolus duceat a verborum contentione abſtinere, ſed alios ad id vitii proclives a Timotheo velit Deo in teſtem aſſumpto moneri. Facile vero in ſuſpicionem adducar, Latinum Interpretem non *noli* ſed *non* convertiſſe; *non verbis contendere* (hic eſt enim verborum ordo in libris omnibus manuſcriptis) minimum enim differunt *non* & *noli* in ſcriptis præſertim minori charactere libris; ac facillime id mutat audax imperitia quod non intelligit. Ceterum auctor Gloſſæ, & poſteriores Latini enarratores *noli* exponunt. Qui Ambroſio iunctus eſt Auctor incertum ſatis quid legerit; is qui Hieronymo, *noli*, ſi non legit, intellexit.

Quod ſequitur: *ad nihil enim utile eſt*, varie admodum legitur in manuſcriptis: nam in impreſſis exemplaribus, quæ fere mutuo ſe ſequuntur, hæc conſtans eſt lectio; quam etſi commoda ſit, exiſtimare non poſſum ſcripturam Interpretis germanam eſſe, ideo quod clara terſaque ſit, ac proinde locum relinquere haud potuerit tantæ variationi, ut pene quot codices, tot ſint diverſitates. Recenſerem ſingulas ſingulorum, niſi forte tædium lectoribus moveret: capita itaque dumtaxat varietatum adferam ac diſcutiam. Pleraque manuſcriptorum noſtrorum *ad* legunt; quinque illius loco *in*; alia quinque *ad* nec *in*, tantum *nihil utile eſt*. Nec parvi facienda ſunt hæc poſtrema Brug. O. L. G. Pl. lon. quibus conſonat textus Lyrani commentariis immixtus, quæ ex ipſis Typographiæ incunabulis edita habemus: quamquam & pro aliis partibus boni ſint codices; pro prima Mal. mi. Lob. T. E. Pl. m., pro ſecunda, Mal. ma. Q. So. la. Eſt præpoſitio Græce: *εἰς οὐδὲν χρήσιμον*, id eſt *ad* vel *in nihil utile*. Coniunctio *enim* ut non eſt Græce, ita nec in optimis quibuſque ſcriptis. *Eſt* ſubſtantivum verbum in quibuſdam vulgaribus (P. V. R. So. ru.) & quibuſdam eximiis (So. la. Q.) omittitur, in pluribus legitur. Hinc conicere alios ſino, quæ Germana eſſe poſſit Interpretis ſcriptura. Syriaca editio habet, *Quod*, ſive, *quæ non utilitas*.

Id quod ſubſequitur. *Niſi ad ſubverſionem audientium* & ipſum variat. Græce non eſt, ut nec Syriace *niſi*; ſolum *ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων*, *ad ſubverſionem audientium*, ut id quod præcedit per parentheſin intelligas, aut *ad nullam utilitatem* exponas. Latinum Pariſienſium exemplar Germani latum ſimiliter omittit *niſi*; cui accedit Societatis latum, quamquam altera manu inter textus lineas illud ſcriptum habeat. Cetera porro noſtra id legunt. An igitur Interpres, an alius quiſpiam elucidationis gratia id adiecerit (poteſt enim ita fons Græcus intelligi. Ad nihil utile, ad ſubverſionem audientium utile) ſit dubium.

V. 25. Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati. Unum Pariſienſium manu-

ſcri-

ſcriptum Ge. l. & novem noſtra Brug. Mal. mi. Leod. Pl. m. E. Q. G. I. Pl. lon. auferunt *τὸ veritati* conformiter Græcis, & Syricis libris, adſtipulantibus præter Græcos, Latinis enarratoribus, vetere Ambroſiaſtro, mediæ ætatis Anſelmo, recentiore Richelio. Zegerus caſtigator textu expulit: gloſſa eſt enim textui addita, vel ex eo quod ſubſequitur: *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem*, vel ex ſimili proximi] capitis loco: *Ita & hi reſiſtunt veritati*, vel quod alioqui ſubaudiri videretur. Syrus porro addidit *adverſus ipſum: Eos qui contradicunt adverſus ipſum*. Ambroſiaſter, vel quem ille ſequutus eſt Interpres tranſtulit *eos qui diverſa ſentiunt*, id quod eſt Græce *τοὺς ἀντιδιατιθεμένους*. Simili modo B. Auguſtinus ſe legiſſe indicat libri De correpione & gratia capite v.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. PER MULTOS TESTES. Quidam hos, leges & prophetas, interpretantur, alii teſtium multitudinem coram quibus intrepide prædicavit, non quemadmodum hæretici occulte in conciliabulis.

V. 3. LABORA. Græc. *κακοπάθησον*, *κακοπαθεῖν* autem ſignificat afflictiones ferre & obdurare in adverſis.

V. 4. SECULARIBUS. Græce *ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις*, vitæ huius negotiis & moleſtiis, ut *πραγματεία ἀντὶ τῶν πραγμάτων*, ſumatur, vel mundanis etiam negotiis. CUI SE PROBAVIT, id eſt qui eum elegit. Ambroſ. legit cui ſe probavit, id eſt in cuius militiam conceſſit. Græci legunt *ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ*, id eſt ut ei qui ſe in militem delegit placeat. Triplici autem analogia hortatur eum ad ferendas afflictiones; militis, pugilis, agricolæ.

V. 6. LABORANTEM AGRICOLAM, &c. non dixit laborare oportet, ſed quo amplius ad laborandum invitaret, quod de labore præmium & primos fructus percipere agricolam oportet; ergo illum oportet percipere primum fructum, ſed laborantem.

V. 9. QUASI MALE OPERANS; id eſt, vinctus ſum pro Chriſto quaſi flagitioſus & facinoroſus aliquis; ſed utcumque manus & pedes vinciantur, non eſt verbum Dei alligatum. Nam in carcere etiam Paulus prædicabat, & epiſtolas ſcribebat, unde ad ſe membranas & libros Timotheum afferre iubet.

V. 13. SI NON CREDIMUS; id eſt, ſive negaverimus eum, ſive in eum non crediderimus, nihil illi inde accedit aut decedit. Idem & fidelis permanet, ſe ipſum negare non poteſt, & mentiri ſeipſum nequit, quum idem ſit ſemper qui ab æterno fuit.

V. 15. PROBABILEM. Græc. *δόκιμον*, id eſt probum ſive probatum operarium INCONFUSIBILEM, *ἀνεπαίσχυντον*, quem non pudeat crucis Chriſti. Multi enim illam Chriſtiani prædicare verebantur, quod ridicula quædam res videtur multis. RECTE TRACTANTEM VERBUM. Gr. *ὀρθοτομοῦντα*, id eſt recte dividentem & ſecernentem ſuperflua & noxia dogmata a bonis & ſanctis.

V. 19. FUNDAMENTUM DEI STAT, & ſi illi multos a fide avertunt, tamen vel fides in Deum, vel fideles electi fundati in fide Chriſti qui ſunt Dei fundamentum, ſtat, id eſt immoti permanent: nec deturbari poſſunt; fundamentum enim eſt ſupra firmam petram hoc fundatum. HABENS SIGNACULUM HOC, id eſt habens in animo veluti ſigillatum & impreſſum. COGNOVIT DOMINUS QUI SUNT EIUS, nimirum quod cogniti ſunt a Deo & ſunt eius: *ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus*: habens etiam hoc ſignaculum DISCEDAT AB INIQUITATE OMNIS QUI INVOCAT NOMEN DOMINI, id eſt habens hoc in animo fixum, quod qui fidelis eſt ab iniquitate debet diſcedere.

V. 20. IN MAGNA AUTEM DOMO. Hinc oſtendit non eſſe diffidendum, ſiquidem multi ad impietatem ſeducuntur; quoniam ſicut in magna domo ſunt alia vaſa in honorem, alia in contumeliam, ita & in mundo vel eccleſia probi ſunt & improbi.

V. 25. CUM MODESTIA: *ἐν πραότητι*, id eſt manſuetudine. NEQUANDO DET ILLIS DEUS POENITENTIAM; id eſt, ne forte te negligente convertat illos Deus, &

reſipi-

reſipiſcant a diaboli laqueis, quibus captivi tenentur AD IPSIUS VOLUNTATEM: vel diaboli, quia illis, quamdiu tenet, ad arbitrium utitur: vel Dei, quia non amplius habet in nos dominii diabolus, quam Deus ſinit.

S A.

Verſ. 1. CONFORTARE, id eſt fortis eſto. IN CHRISTO; pro, a Chriſto; quaſi dicat, In gratia Chriſti.

V. 2. PER; pro, coram.

V. 3. LABORA, id eſt ferto mala. Gr. κακοπάθησον.

V. 4. DEO non eſt Græc. nec Syr. SAECULARIBUS. Græc. *βίῳ*, id eſt *vitæ*; quaſi dicat, Rebus mundi quæ militiam impediant. PROBAVIT, id eſt ut probatum tradidit. Græc. & Syr. *qui ſe delegit*.

V. 5. IN AGONE, id eſt certamine publico. LEGITIME, id eſt ſecundum leges certaminis vincens.

V. 6. LABORANTEM, &c. quaſi dicat, Si vult fructus percipere, deber prius laborare.

V. 7. INTELLIGE, id eſt adverte. DABIT. Græc. *det*, ſed noſtra lectio potior.

V. 8. EVANGELIUM, id eſt prædicationem.

V. 9. IN QUO, ſcilicet divulgando. LABORO Græc. *mala patior*. MALE OPERANS. Græc. κακοῦργος, id eſt *malefactor* ſeu *facinoroſus*. NON EST, &c. quaſi dicat, Nec ideo ceſſo prædicare.

V. 10. IDEO: iunge cum *ut*. IN, id eſt per. CUM; pro, in. CAELESTI. Græc. & Syr. *æterna*.

V. 11. FIDELIS, id eſt fide dignus, ſeu certus. NAM: abundat, more Hebr. COMMORTUI, ſcilicet cum Chriſto.

V. 12. SUSTINEBIMUS, ſcilicet adverſa.

V. 13. ILLE; pro, ille tamen. FIDELIS, id eſt verax. NEGARE, &c. quaſi dicat, Non poteſt non eſſe quod eſt.

V. 4. CONTENDERE, ſcilicet contentionis ſtudio. Alioqui hæretici diſputationibus convincendi. SUBVERSIONEM, ſcilicet ſcandalizantur: vel ſignificat docendam fidem ſine diſputationibus, ne auditores, qui minus capiunt ſubtilitates, errore aliquo ſubvertantur.

V. 15. PROBABILEM, id eſt probatum. INCONFUSIBILEM, id eſt quem non pudeat eorum quæ agit. TRACTANTEM. Græc. *ſecantem*, ſeu *diſtribuentem*, ſcilicet pro cuiuſque captu.

V. 16. PROFICIUNT, id eſt valent. IMPIETATEM, ſcilicet ingenerandam in animo.

V. 17. EORUM, id eſt talium. CANCER, ſcilicet moribus, qui exedit eam corporis partem, quam corripuerit.

V. 19. FUNDAMENTUM, ſcilicet electio, ſeu prædeſtinatio. SIGNACULUM, ſcilicet quod ſequitur; quaſi dicar, Beneque ſigillatum, iuxta illud: *Cognovit*, &c. eſt autem locus Num. VI iuxta LXX. ET DISCEDAT, &c. Id a Paulo additum; quaſi dicat: Oportet vero diſcedere, &c. NOMEN DOMINI; pro, Dominum.

V. 20. CONTUMELIAM, id eſt vile miniſterium.

V. 21. ISTIS, ſcilicet quæ Deo diſplicent malis, & erroribus, de quibus proxime dictum. UTILE, id eſt aptum ad uſum.

V. 23. SINE DISCIPLINA, id eſt ineruditas. LITES, id eſt contentiones.

V. 24. DOCIBILEM. Græc. διδακτικὸν id eſt *idoneum ad docendum*.

V. 25. MODESTIA. Græc. πραότητι, id eſt *manſuetudine*. NEQUANDO, id eſt ſi forte.

M A R I A N AE.

Verſ. 4. NEMO MILITANS DEO. Gr. & Syr. *nemo militans ſine Deo*: ſic Baſilius præfat. in Aſcetica. Et quidem milites mercatura arcebantur, coniugio etiam, ut ait Tacitus Lib. XIV. & Dionyſius Lib. LX. Quod ſi milites negotiis in univerſum abſtinent, multo magis qui militant Deo. Id Interpres explicare voluit, aut quod magis arbitror, Græce legit οὐδεὶς στρατευόμενος τῷ Θεῷ. CUI SE PROBAVIT, id eſt a quo in militem electus eſt, στρατολογήσαντι, non, cui ſe devovit.

V. 6. LABORANTEM AGRICOLAM; quaſi dicat: Non ſine præmio erit opus ad quod invito, ſed laboranti agricolæ exemplo. PRIMUM. Adverbium eſſe poteſt, & nomen Græc. etiam πρῶτον: ego ut nomen accipio; agricola enim primus eſt qui laboris fructu fruitur. Memor eſto

V. 8. DOMINUM IESUM CHRISTUM, Græc.

Græc. Syr. & Gotth. non legitur vox *Dominum*. EX SEMINE; pro, qui eſt *ex ſemine David*: reſurrexiſſe: ſi Chriſtum negaverimus,

V. 12. ET ILLE NEGABIT NOS, id eſt a ſe repellet ut proditores & infideles.

V. 13 SI NON CREDIMUS. Nihil ei ex eo decedit. Verax ſemper in verbis, fidelis in promiſſis manet. Noli contendere:

V. 14. AD NIHIL ENIM UTILE EST. Si hoc per parentheſim legitur, locum habet Græca lectio, quæ ſublata voce *niſi*, habet, *ad ſubverſionem audientium*, ſcilicet *noli contendere verbis*. Si parentheſis tollatur, vox *niſi* addi debet, alioqui ſententia non conſtat. Latini codices variant, Græci etiam. Veleſius εἰ μὴ ad marginem apponit, ex aliquo nempe Græco codic. Cura teipſum

V. 15. PROBABILEM EXHIBERE DEO, ſeu *probatum*, probum, δόκιμον. INCONFUSIBILEM, id eſt quem non pudeat Evangelii & crucis. RECTE TRACTANTEM, ὀρθοτομοῦντα, *recte dividentem verbum*: qua. ſi paterfamilias annonam, cuique ut opus habet; aut qui ad Principis menſam eſcas & fercula ſecat. Aliud juvenibus convenit, aliud ſenibus. Vita vaniloquia quæ ad impietatem.

V. 16. PROFICIUNT, aut *proficient*, ut Græc. & Syr. & Goth. & Reg.

V. 59. FUNDAMENTUM, fides vera inconcuſſa manet. HABENS SIGNACULUM HOC, nempe probos mores doctoris, ut illa verba declarant. ET DISCEDAT AB INIQUITATE, OMNIS QUI NOMINAT, id eſt prædicat *nomen Domini*. Indicat Hymenæum & Philetum pravos homines eſſe. Nec mirum in Eccleſia pravos eſſe,

V. 20. IN MAGNA AUTEM DOMO. In Eccleſia mali ſunt probis permixti.

V 24. SERVUM AUTEM DOMINI NON OPORTET LITIGARE. Hac ratione ductus Bernardus epiſt. CI. litem de quodam Monaſterio cœpto remittit ad ſororem Imperatoris, ut quæ opus inchoarat, id ipſa curaret.

V. 25. CUM MODESTIA, ſeu *manſuetudine*, ἐν πραότητι, ſcilicet corripe eos. QUI RESISTUNT VERITATI. Vox *veritati* Græc. non eſt, nec Goth. ſed ſuppleri poteſt, tametſi ſine ea ſententia conſtat. NEQUANDO; pro, ſi quando. *Si* ſumitur ſæpe pro *non*: exempla paſſim occurrunt. Sic puto contra hic *ne* ſumi pro *ſi*. Senſus: Corripe manſuete illos, ſi forte aliquando convertantur. Græcum μήποτε ſignificat ſæpe *ſi quando*.

MENOCHII.

Verſ. 1. CONFORTARE: *fortitudinem cape*, ut legit Ambroſius. IN GRATIA, QUAE EST IN CHRISTO IESU: per gratiam Chriſti, ut fortiter perſiſtas in fide, & Evangelio, illud prædices, & propugnes.

V. 2. ET QUAE AUDISTIS A ME: quæ ore tenus tradidi, non ſcripto, aut litteris conſignata. PER MULTOS TESTES, id eſt coram multis; aliis multis eadem audientibus. HAEC COMMENDA FIDELIBUS HOMINIBUS; id eſt, in his inſtitue fideles, & idoneos viros, verbi gratia præsbyteros Eccleſiæ tuæ.

V. 3. LABORA: κακοπάθησον, id eſt mala perfer; dura tolera.

V. 4. NEGOTIIS SAECULARIBUS. Negotia ſæcularia ſunt occupationes, & negotiationes quibus victum, veſtitum, & reliqua ad vitam tuendam opportuna comparamus, & conquirimus, quales ſunt mercatura, &c.

V. 5. NISI LEGITIME CERTAVERIT: ſecundum præſcriptas leges agonis.

V. 6. LABORANTEM AGRICOLAM, &c. Senſus eſt, Quemadmodum agricolæ recreantur, & ad labores perferendos excitantur ſpe fructuum, quos ipſi omnium primi percipiunt; ita te, o Timothee, agri Domini cultorem excitare debet ad laborem magnitudo propoſiti fructus quem tibi apud Dominum recondis, illum percepturus in futuro ſæculo.

V. 7. DABIT TIBI DOMINUS INTELLECTUS; quaſi dicat: Propoſui tibi tres parabolas, militis, athletæ, agricolæ; non eſt neceſſe ut eas tibi explicem, Deus dabit tibi intellectum, ut facile poſſis intelligere.

V. 8. EX SEMINE DAVID; ſcilicet, incarnatum, hominem factum. SECUNDUM EVANGELIUM MEUM: ſecundum Evangelii veritatem, quam prædico.

V. 9. IN QUO LABORO: κακοπαθῶ, id eſt affligor, mala ſuſtineo. QUASI MALE OPERANS: ac ſi eſſem aliquis malefactor, & ſceleſtus. SED VERBUM DEI NON EST

ALLIGATUM ; quaſi dicat : Licet ego vinculis conſtringar , non tamen propterea evangelizare deſino, voce , & ſcriptis epiſtolis .

V. 10 IDEO OMNIA SUSTINEO , ſcilicet , ne verbum Dei alligetur , ſed propagetur . PROPTER ELECTOS : eos præſertim , qui adhuc ad Chriſti ovile ſunt adducendi noſtris laboribus , & induſtria . QUAE EST IN CHRISTO IESU : quæ ſalus obtinetur per Chriſtum Ieſum . CUM GLORIA CAELESTI : quæ ſalus non eſt qualiſcumque , ſed adiunctam habet gloriam cæleſtem .

V. 11. FIDELIS SERMO , &c fidelis, verus , & certus eſt ſermo , quod ſi hic pro Chriſto , & cum Chriſto patiamur , & moriamur , ſimul etiam cum Chriſto reſurgemus , & vivemus in regno cæleſti .

V. 12. SI NEGAVERIMUS : Chriſtum , & eius fidem, tyrannorum , aut tormentorum metu . ET ILLE : Chriſtus . NEGABIT VOS : negabit ſe noſſe vos, & a ſuo regno excludet .

V. 13. SI NON CREDIMUS , &c. ſive credimus , ſive non credimus veritas non mutatur , Deus falli , aut fallere non poteſt , incredulitas , aut perfidia noſtra Dei fidelitatem convellere non poteſt ; quaſi dicat , Si diffidimus , ille tamen fidus permanet .

V. 14. HAEC COMMONE ; id eſt de his quæ iam dixi , frequenter admone fideles tibi commiſſos . TESTIFICANS CORAM DOMINO : proteſtans coram Domino ; vel , teſtem invocans Dominum , & per eum fideles adiurans . NOLI CONTENDERE VERBIS : ut multi faciunt ex pertinacia ; vel ſuperbia , ut ſcilicet plus aliis videantur ſcire . AD SUBVERSIONEM AUDIENTIUM ; id eſt ad audientes trahendos in errorem , non enim contentionibus veritas quæritur , ſed potius obſcuratur , dum quilibet contendentium auditores in ſuam ſententiam adducere conatur , etiamſi ſit falſa .

V. 15. PROBABILEM EXHIBERE : *δόκιμον* : *probum* , probatum , ut ſcilicet Deus te , & tua probet , & grata habeat . OPERARIUM INCONFUSIBILEM : *ἀνεπαίσχυντον* , *qui non pudefiat* , *non erubeſcat* : qui libere & profitearis , & prædices Crucem Chriſti . Vel , cui non ſit pudori ſua ignorantia , aut mores pravi . RECTE TRACTANTEM VERBUM VERITATIS : *ὀρθοτομοῦντα* , *recte ſecantem* verbum veritatis . Deſumpta eſt metaphora a nutricibus cibos in particulas , & offulas ſecantibus , ut commodius eas glutiant parvuli , quos alunt .

V. 16. PROFANA AUTEM , ET VANILOQUIA DEVITA : *βεβήλους κενοφωνίας* , *profanam vaniloquentiam* , inanem & clamoſam loquacitatem . MULTUM ENIM PROFICIUNT AD IMPIETATEM : ex inanibus enim , & profanis ad deteriora devenitur , uſque ad ipſam impietatem errorum , & hæreſum .

V. 17. ET SERMO EORUM ; ſcilicet hæreticorum , qui docent profana vaniloquia . UT CANCER SERPIT : cuius morbi proprium eſt proximas carnes exedere , & depaſci , & quod integrum eſt , & ſanum corripere . HYMENAEUS , ET PHILETUS : quænam fuerit horum hæreſis , ſtatim ſubditur .

V. 18. QUI A VERITATE EXCIDERUNT : *ἠστόχησαν* , *aberrarunt* . DICENTES RESURRECTIONEM ESSE IAM FACTAM . Horum errorem alii aliter explicant . Fortaſſe docebant reſurrectionem factam in Chriſto reſurgente ; fideles autem non reſurrecturos receptis corporibus , ſed tantum ſpiritualiter , per baptiſmum , quo renaſcuntur ad novam vitam . Ita D. Thomas .

V. 19. SED FIRMUM FUNDAMENTUM DEI STAT . Firmum hoc fundamentum Dei , eſt Dei conſilium , decretum , & prædeſtinatio , qua ſtatuit vocare fideles primo ad fidem , deinde ad gratiam , & perſeverantiam , ac demum ad gloriam . Vel eſt ipſa prædeſtinatorum collectio . HABENS SIGNACULUM HOC , &c. Ponit hic Apoſtolus fundamenti iam dicti bina ſignacula , prius eſt præſcientia Dei ; poſterius ſuga peccati ; quaſi dicat : Deus hoc ſuum prædeſtinationis decretum immo ipſos prædeſtinatos duobus ſigillis notavit , & munivit ; alterum eſt , *cognovit Dominus* , *qui ſunt eius* , hoc autem eſt ſigillum divinæ præſcientiæ , quo notantur antequam in huius mundi lucem edantur ; alterum eſt , *& diſcedat ab iniquitate* , &c. id eſt fuga peccati , nam a peccato abhorrere , & illius occaſiones declinare , eſt magnum prædeſtinationis argumentum . COGNOVIT DOMINUS QUI SUNT EIUS . Alludit Apoſtolus ad verba Moſis Numer. XVI. 5 *Mane notum faciet Dominus qui ad eum pertineant* , &c. OMNIS QUI NOMINAT NOMEN DOMINI : omnes qui invocant nomen Domini , hoc eſt omnes fideles .

V. 20.

V. 20. IN MAGNA AUTEM DOMO, &c. Rationem reddit cur inter Chriſtianos, qui ab iniquitate recedere deberent, & qui fidem habent, & ſanctis vitæ inſtitutis abundant, mali non deſint: quemadmodum enim in magna domo vaſa ſunt diverſi generis, alia aurea, aut argentea, alia fictilia aut lignea, ita in magna Eccleſiæ domo quidam fideles ſunt inſtar vaſorum argenteorum, vel aureorum firmi, & illuſtres in fide, & iuſtitia, quidam inſtar ligneorum, vel fictilium, fragiles, & infirmi in fide, & caritate. IN HONOREM, id eſt honorificis uſibus deputata. IN CONTUMELIAM: vilibus uſibus, & ſordidis ſervientia, ut ſunt ollæ, aut matulæ.

V. 21. QUICUMQUE ERGO EMUNDAVERIT SE AB ISTIS, &c. quaſi dicat: Hoc tamen eſt inter vaſa domeſticæ ſupellectilis, & vaſa hæc metaphorica fidelium diſcrimen, quod vaſa aurea non fiunt ullo caſu lutea, nec viciſſim lutea argentea, aut: verum vaſa metaphorica, id eſt fideles ſi ſe emundent a peccatis per quæ reddebantur vaſa in contumeliam, evadere poſſunt vaſa aurea, & in honorem. AB ISTIS; ſcilicet, malis quæ Deo diſplicent, & erroribus de quibus dixerat hoc eodem capite. SANCTIFICATUM: a ſordibus peccatorum emundatum, & ornatum divina gratia. UTILE DOMINO: uſibus Domini accomodatum. Videtur Domini nomine Chriſtum intelligere, qui herus eſt magnæ huius domus. AD OMNE OPUS BONUM PARATUM: idoneum ad omne bonum opus.

V. 22. IUVENILIA DESIDERIA: curioſitatem, ambitionem, inanem gloriam, & multo magis voluptates, & alia huiuſmodi adoleſcentiæ vitia.

V. 23. SINE DISCIPLINA QUAESTIONES: *ἀπαιδεύτους*, *ineruditas*, inſenſatas, quæ nihil habent ſenſus, aut ſapientiæ. DEVITA: *παραιτοῦ*, *reiice*, *reſpue*. GENERANT LITES: vide dicta ſuperiori epiſtola cap. I. 4.

V. 24. LITIGARE: *μάχεσθαι*, *pugnare*, ſcilicet verbis, altercari, rixari. DOCIBILEM: *διδακτικὸν*, id eſt *aptum*, *&* *paratum ad docendum*. PATIENTEM: morum, & infirmitatum proximi.

V. 25. CUM MODESTIA. In græco eſt, *ἐν πραότητι*, id eſt *cum manſuetudine*. NEQUANDO: id eſt ſi quando; utrumque enim ſignificat Græc. *μήποτε*. DEUS DET ILLIS POENITENTIAM: auxilio ſuæ gratiæ excitet ad pœnitentiam.

V. 26. ET RESIPISCANT A DIABOLI LAQUEIS: & reſipiſcentes evadant laqueos diaboli. AD IPSIUS VOLUNTATEM; ſcilicet diaboli, in cuius ſunt poteſtate propter peccata.

TIRINI.

Verſ. 1. CONFORTARE, corroborare, animos adſume per GRATIAM a Chriſto proficiſcentem: & ſana ſanctaque dogmata fidei noſtræ.

V. 2. QUAE viva voce AUDISTI aliquando ex ore meo PER MULTOS TESTES, id coram multis eadem audientibus: tu nunc viciſſim COMMENDA & trade FIDELIBUS atque idoneis viris, v. g. presbyteris Eccleſiæ, qui eadem populum doceat: ita Ambroſ. Theophyl. Oecumen.

Nota hæc pro Traditionibus. Si enim de ſolis Scripturis hic ageret Paulus, non fidelibus verbi præconibus, ſed librariis eas commendari iuberet.

V. 4. NEMO MILITANS (Deo, deeſt in Græco) IMPLICAT SE NEGOTIIS SAECULARIBUS, ſeu mundanis, (nempe quæ impediant quo minus Deo milites:) UT totos illi vacet & PLACEAT, CUI SE militem PROBAVIT & addixit. Atque ita ad indefeſſum laborem & occurrentium moleſtiarum tolerantiam animat Paulus Timotheum triplici analogia: *militis*, *pugilis* & *agricolæ*, ut notat S. Chryſoſt. & Theophyl.

V. 9. IN QUO, id eſt cuius cauſa, LABORE, *κακοπαθῶ*, id eſt mala ſuſtineo, ſeu affligor, USQUE AD VINCULA & carceres QUASI MALE OPERANS, id eſt ac ſi eſſem maleficus aut ſceleſtus quiſpiam: SED etſi corpus vinculis adſtringatur, VERBUM DEI NON ideo EST ALLIGATUM, ſeu vinculis conſtrictum; neque enim idcirco ceſſo evangelizare tum verbo, tum ſcripto,

V. 10. PROPTER ELECTOS, qui ad ovile Chriſti noſtris laboribus & induſtria pertrahendi ſunt.

Sed quid ſi, o Paule, fallaris? mira promittens certantibus ac vincentibus: iubes tolerari adverſa, ſpe præmii & bravii æterni; forte nil tale ſubſequetur. Reſpondet:

V. 11. FIDELIS, verus, certus eſt SERMO meus, quo promitto, ſi pro Chriſto patiamur, nos ſimul cum Chriſto reſurrecturos ac regnaturos æternum. Quod etſi forte

V. 13. NON CREDIMUS, aut nobis perſuadere non poſſumus, nihilominus tamen fiet: incredulitas noſtra fidelitatem Dei convellere non poteſt.

V. 15. EXHIBE TE DEO PROBABILEM, δόκιμον, id eſt *probatum*; nempe ut Deus te tuaque probet ac grata habeat; & OPERARIUM INCONFUSIBILEM: ἀνεπαίσχυντον, id eſt *qui non pudefiat*, *non erubeſcat* crucem Chriſti, inquit Chryſoſt. & Theophyl.

V. 17. HYMENAEUS ET PHILETUS exitiales hæretici dicunt non futuram

V. 18. RESURRECTIONEM corporum, ſed ſi quæ talis adſtrui debeat, FACTAM IAM ESSE in Chriſto reſurgente: nos autem non reſurrecturos ſecundum corpus, ſed ſolum ſecundum animam: nec corporaliter, ſed ſolum myſtice & ſpiritualiter, hic per baptiſmum & pœnitentiam, in futuro etiam per gloriam animæ, qua renaſcemur ad vitam novam & immortalem: ita S. Thomas & Anſelmus. Horum & ſimilium hæreticorum perfidia *ſubvertitur* QUORUMDAM non ſat ſtabilium *fides*: & peſtilens illorum doctrina *ſerpit ut cancer*, proxima quæque exedens ac depaſcens. Sed an inde periculum non imminet Eccleſiæ, ut tota brevi ſubvertatur? Minime: quia

V. 19. FUNDAMENTUM DEI, id eſt Eccleſia a Deo fundata *a*, quaſi ædificium & palatium ipſius, FIRMUM STAT & inconcuſſum. Moliantur hæretici quæcumque voluerint, numquam illud ſubvertent. Sed neque vel particulam illius ullam, puta fideles, divellent a fide, gratia vel gloria, niſi ſpontaneos & volentes. Nam binis *ſignaculis* firmatur & communitur Eccleſia, & quodlibet eius membrum: unum eſt ex parte Dei, infallibilis divina præſcientia, electio irrevocabilis, amor inexplicabilis, & cura ac providentia impedibilis: COGNOVIT *b* enim certo, tenereque amat & curat omnes QUI SUNT EIUS, & gratiam illis ſuam, omniaque ad ſalutem neceſſaria & utilia abundantiſſime ſubminiſtrat. Alterum eſt ex parte hominis, odium & fuga peccati. His duobus poſitis, non rapiet eos de manu Dei quiſquam. Nam gratia Dei ita ſtabilit corda ſuorum, ut, niſi ſponte voluerint, numquam caſuri ſint: ſolum enim liberum cuiuſque arbitrium poteſt hoc ſignaculum convellere: ita S. Chryſoſt. Auguſtinus *c*, Theophyl. & S. Thomas, quin & efficax, ſeu abſoluta electio noſtri, ſeu ad iuſtitiam, ſeu ad gloriam, multoque magis reprobatio vel damnatio pendet obiective a libera noſtra cooperatione & conſenſu, ut alibi diximus *d*. Unde nobis invitis nihil metuendum ab ullis hoſtibus. Sed quid mirum, fideles quoſdam ſubinde ſeduci, & a fide, ſed ſua ſponte, abduci? Nam

V. 20. IN MAGNA DOMO, id eſt in Eccleſia Chriſti, inquit Auguſtinus *e*, ſunt VASA omnis generis: quædam AUREA ET ARGENTEA, nempe illuſtres & conſtantes in fide & ſanctitate: quædam LIGNEA ET FICTILIA, vulgares, fragiles & infirmi, QUAEDAM IN HONOREM, id eſt in nobiles & honorificos uſus: QUAEDAM IN CONTUMELIAM, id eſt in vilia miniſteria: tales ſunt peccatores ſordidi & viles in oculis Dei, e quorum numero quid mirum, quoſdam ſubinde etiam frangi quoad fidem, & eiici e domo? Sed ne putes conclamatum de talibus: ab ipſorum id nutu dependet: nam cum auxilio divinæ gratiæ numquam ipſis defuturo,

V. 21. SI QUIS eorum SE EMUNDAVERIT AB ISTIS peccatorum ſordibus (reſpicit enim ad verſ. 19. *Diſcedat ab iniquitate*, &c.) ERIT MOX VAS IN HONOREM, SANCTIFICATUM, a ſordibus peccati emundatum, & gratia divina exornatum, atque ita evadet utiliſſimum ac nobiliſſimum inſtrumentum: ita iidem Chryſoſt. Ambroſ. & Auguſt. *f*

V. 22. IUVENILIA DESIDERIA ſunt inanis gloria, ambitioſa, curioſitas, carnalis voluptas, & ſimilia adoleſcentiæ vitia.

(*a*) Matth. XVI. 18. & Epheſ. II. 20. & Matth. VII. 24. & I. Tim. III. 15.
(*b*) Num. XVI. 5. & 6. & Ioan. X. 27.
(*c*) Auguſt. Lib. X. de Civ. cap. VII. & tract. 12. in Ioan.
(*d*) Rom. VIII. 29. Ioan. I. 12. &c.
(*e*) Auguſt. Lib. IV. de Baptiſmo c. XII.
(*f*) Auguſt. Lib. de Actis cum Felice Manichæo. cap. IV.

COR-

GORDONI.

Verſ. 1. TU ERGO FILI MI. Cape novam fortitudinem per gratiam Chriſti, & doce alios in doctrina Evangelii ea quæ audiviſti a me ore tenus tradita, non ſcripto conſignata. In his conſtitue fideles & ſeniores. Valet locus pro traditionibus, & pro Chriſtiana virtute propria: κακοπάθησον, inquit.

V. 4. & 5. NEMO MILITANS. Negotia ſecularia, ut mercatura, res forenſes & aulicæ, agriculturæ. Recte Ambroſius, Chryſoſtomus, & alii notant hic Paulum loqui de iis qui proprie militant Deo, de Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, qui templo dicati habent pro parte hæreditatis Deum. Sic qui certat in agone, aut aliter legibus ſuæ profeſſionis aſtrictus eſt. Nota hic tres parabolas, militis, athletæ, & agricolæ aptas ad Pauli mentem explicandam, &c.

V. 9. IN QUO LABORO. Hoc eſt, in quo affligor, quaſi aliquis male operans, ac ſi eſſem ſceleratus. Sed non eſt in his anguſtiis & vinculis ligatum verbum Dei, quantum ſufficere mihi poſſunt ad Evangelizandum verbum Dei, vox & Epiſtola. ET IDEO OMNIA [verſ. 10.] SUSTINEO, ut verbum Dei publicetur

V. 11. & 12. FIDELIS SERMO. Verus & certus qui ſequitur: ſi eum Chriſto morimur, vivemus, ſi cum aut fidem eius negaverimus, negabit nos. Immo ſive credimus, ſive non credimus, manebit veritas: negare enim ſe non poteſt. Vide de Attributis Dei.

V. 14. HAEC COMMONE. Hæc doce alios, urgens & invocans Deum iudicem & ultorem non credentium. Porro de vita inutiles contentiones, quippe quæ valent ad alios in errorem ducendos. Operarium requirit probabilem verſ. 15. probatum, δόκιμον, & probum; immo & inconfuſibilem, ſeu ἀνεπαίσχυντον, qui in contumeliis & cruce non erubeſcat, aut etiam quem mali mores non afficiant pudore. Vetat vaniloquia & ſocordiam in verbo Dei tractando. Hic attingit peccata concionatorum.

V. 17. ET SERMO, ſcilicet hæreticorum & docentium vaniloquia. Cancer morbus, qui carnem vivam depaſcitur. Talis eſt Hymenæus, qui errorem invexit de iam facta reſurrectione. Hoc S. Thomas intelligit de facta iam reſurrectione Chriſti, ſed non futura in aliis, niſi ſpiritualiter, & per baptiſmum: hoc, inquam, ſenſiſſe hos hæreticos putat S. Thomas.

V. 19. SED FIRMUM. Monet hic ne turbetur Timotheus, ſi aliqui excidant a fide: nam reliqui in fide perſiſtent, qui ſunt ſignati ſignaculo Dei. Hi ſignati ſunt præſcientia Dei, & per fugam peccati non pereunt. Sed quodnam eſt hoc fundamentum, habens ſignacula illa? Aliqui interpretantur eſſe Dei æternum conſilium, decretum, & demum prædeſtinationem ad vocationem ſalvandorum, iuſtificationem, perſeverantiam, ex quibus poſtea datur gloria. Sane nec decretum prædeſtinationis eſt ſine iſtis, nec hi ſunt tales ſine illo decreto, ac proinde totum hoc utramque partem complectens non male dicetur fundamentum, quod Deus voluit eſſe in Eccleſia: & quod pro ſignaculis habet præſcientiam in Deo, & fugam peccati in his qui tales ſunt. Præſcit enim Deus in toto obiecto prædeſtinationis rem ita futuram, ex qua præſcientia decernit, & in qua prævidet noſtram determinationem & conſenſum. Ex quo ſtat vera libertas in noſtro conſenſu, ſine prædeterminatione Phyſica per gratiam. Hinc ait Apoſtolus; novit & cognoſcit Deus, qui ſunt eius. Non dixit, prædeterminat. Ceterum non ſunt talia ſignacula in gratia reproborum.

V. 20. IN MAGNA AUTEM DOMO. Quæſtio ex dictis oriri potuit, ſi in Eccleſia ſint talia fundamenta, & ſi diſcedere debet ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini; unde ergo eſt quod non deſint mali in Eccleſia. Reſpondetur mirum non eſſe hoc, ſi contingat, non ſecus ac contingit in magna domo eſſe multa vaſa, & alia in honorem, alia in contumeliam, alia argentea, ſolida, fictilia. Qui itaque in Eccleſia mali ſunt, emundent ſe ſi velint eſſe in honorem. Sunt ergo in Eccleſia etiam mali, immo non ſolum electi, (ut ſomniat Calvinus) ſed etiam reprobi. Sicut in arca Noe, animalia munda & immunda. Notum eſt etiam exemplum de Iuda proditore quondam Apoſtolo.

Va-

Digitized by Google

Valent etiam verba Pauli pro libero arbitrio.

V. 22. Iuvenilia: quæ priore epiſtola dixit, hic inculcat, ut vitet iuvenum inconditos mores, contentiones, ut leniter corrigat errantes, & inſtruat.

C A P U T III.

Prædicit homines futuros variis involutos peccatis, qui mulierculas ſeducentes veritati reſiſtant: Timotheum autem hortatur ut ſuo exemplo virtutes amplectatur, ac tolerantiam in perſecutionibus: & de ſacrarum litterarum utilitate.

1. HOC autem ſcito, (*a*) quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: 2. erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, 3. ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, 4. proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei: 5. habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos devita: 6. ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis: 7. ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. 8. Quemadmodum autem (*b*) Iannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, 9. ſed ultra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. 10. Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, 11. perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. 12. Et omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. 13. Mali autem homines, & ſeductores, proficient in peius; errantes, & in errorem mittentes. 14. Tu vero permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens a quo didiceris: 15. & quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 16. (*c*) Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, † ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: 17. ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

(*a*) I. Timoth. IV. 1. (*b*) Exod. VII. 11. (*c*) II. Pet. I. 20.

BRIL.

Digitized by Google

BRUGENSIS

Lectionum Varietas

Verſ. 16. Ad arguendum, ad corripiendum. Alii libri legunt *ad corrigendum*, quod eſt Græca πρὸς ἐπανόρθωσιν.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. SINE PACE. Græce ἄσπονδοι, qui nemini amicitia iuncti ſunt. SINE BENIGNITATE: ἀφιλάγαθοι, id eſt rerum omnium bonarum hoſtes.

V. 5. HABENTES SPECIEM QUIDEM PIETATIS, id eſt pietatem quidem ſimulantes, ſed eam vere non habentes: hoc enim ſignificat virtutem eius abnegantes.

V. 10. ASSEQUUTUS, id eſt plane tenes ac noſti.

V. 11. QUALIA. De iis Pauli afflictionibus videre potes in actis Apoſtolicis.

V. 13. PROFICIENT, id eſt progredientur. MITTENTES, ſcilicet alios, quantum in ſe eſt.

V. 14. A QUO, ſcilicet Paulo.

V. 15. AB INFANTIA, id eſt a puero. IN CHRISTO, id eſt in Chriſtum.

V. 16. DOCENDUM, ſcilicet veritatem. ARGUENDUM, ſcilicet falſitatem. CORRIPIENDUM, ſcilicet malos. Græc. *corrigendum*, ſeu *dirigendum*. ERUDIENDUM, ſcilicet omnes. IN; pro, de.

V. 17. DEI, id eſt Deo dicatus.

SA.

Verſ. 2. CUPIDI, id eſt avari. ELATI, id eſt arrogantes, ſeu faſtuoſi. BLASPHEMI, id eſt maledici.

V. 3. AFFECTIONE, id eſt benevolentia. PACE. Græc. *fœdere*. CRIMINATORES, id eſt calumniatores. SINE BENIGNITATE. Græc. *non amantes bonorum*. Syr. *bonorum oſores*.

V. 5. VIRTUTEM, id eſt vim, ſeu veritatem.

V. 7. DISCENTES, ſcilicet mulierculas.

V. 8. IANNES, &c. Hi Magi AEgyptiorum. REPROBI, id eſt errantes.

V. 9. ULTRA. Græc. *amplius*, ſeu *plurimum*. PROFICIENT, id eſt aſſequentur quod volunt.

V. 10. ASSECUTUS, id eſt ſectatus. INSTITUTIONEM, id eſt mores, vel morum inſtitutionem. PROPOSITUM, id eſt animi promptitudinem, ſeu intentionem.

V. 11. QUALIA; pro, quæ. ANTIOCHIAE, ſcilicet Piſidiæ, non Syriæ.

V. 12. PIE, id eſt religioſe. Syr. *cum timore Dei*. PATIENTUR, ſcilicet ab improbis, quibus diſplicet virtus.

MARIANAE.

Verſ. 1. TEMPORA PERICULOSA, ſeu *dura* inſtabunt in noviſſimo. Erunt homines

V. 3. SINE AFFECTIONE, ſcilicet amoris. Nulli homini amici. SINE PACE: ἄσπονδοι, *ſine fœdere*, id eſt inſociabiles. CRIMINATORES, ſeu *calumniatores*, διάβολοι. SINE BENIGNITATE, ἀφιλάγαθοι, *hoſtes rerum bonarum*. Sicut

V. 8 IANNES ET MAMBRES. Græc. *Iannes & Iambres*. Hæc ſunt nomina magorum, qui in AEgypto Moyſi reſtiterunt, ſumpta ex Lib. cui titulus eſt, *Iannis & Iambris liber* inter apocrypha datus, cap. Sancta Romana, Diſt. xv. de quo Lib. Origenes Tract. xxxv. in Matth. De iis magis Numenius etiam apud Euſeb. cap. III. Lib. IX. de Præparat. Plura Sixtus Senenſis Lib. II. Biblioth. in voce *Iannes*.

V. 10. TU AUTEM ASSECUTUS ES, id eſt probe tenes meam doctrinam. Et ſcis

V. 11. QUALIA MIHI FACTA SUNT ANTIOCHIAE. De his perſecutionibus Act. XIII. & XIV.

V. 17. AD OMNE OPUS BONUM Scriptura eſt utilis. Non ergo Scriptura laxat habenas improbitati, ut multi factis, quidam etiam verbo alios docent.

ME-

MENOCHII.

Verſ. 1. IN NOVISSIMIS DIEBUS: noviſſima tempora hic vocat ea, quæ a ſuo tempore ſecutura, & decurſura erant uſque ad finem mundi. TEMPORA PERICULOSA; καιροὶ χαλεποὶ, id eſt *tempora difficilia*, & moleſta, quia ſcilicet homines futuri erant mali, & iis vitiis notati, quæ hic enumerat.

V. 2. SEIPSOS AMANTES: ſui amantes, ſeu gloriæ, & lucris ſervientes. CUPIDI: φιλάργυροι, id eſt *amatores pecuniæ*, avari. ELATI: ἀλαζόνες, faſtuoſi, arrogantes, iactabundi. BLASPHEMI: maledici, contumelioſi.

V. 3. SINE AFFECTIONE: ſine viſceribus compaſſionis, ſine pietate. SINE PACE: ἄσπονδοι, *fœdifragi*, & qui cum aliis pacifice vivere neſciunt. CRIMINATORES, id eſt calumniatores; hoc enim ſignificat vox Græca διάβολοι. INCONTINENTES: ἀκρατεῖς, *intemperantes*, id eſt gulæ ſervientes, & luxurioſi. IMMITES: inhumani, & feri beſtiarum more. SINE BENIGNITATE: ἀφιλάγαθοι; quaſi dicat, *Non amici bonis*, id eſt bonos non amantes.

V. 4. PRODITORES, id eſt amicitiæ deſertores. PROTERVI: προπετεῖς, leves, inſtabiles. TUMIDI, id eſt, typho ſuperbiæ inflati.

V. 5. HABENTES SPECIEM QUIDEM PIETATIS. Taxat hæreticos, qui fucata ſpecie pietatis veram religionem conantur evertere. VIRTUTEM EIUS: vim ipſius pietatis, δύναμιν, abnegant, & perdunt. ET HOS DEVITA: ἀποτρέπου, *averſare*.

V. 6. QUI PENETRANT DOMOS: qui ſe in domos inſinuant compendiorum ſuorum cauſa. ET CAPTIVAS DUCUNT MULIERCULAS, id eſt doctrinis ſuis faciunt eas ſibi tam obnoxias, ut velut captivas quolibet ducere videantur. ONERATAS PECCATIS: magno peccatorum acervo gravatas, & depreſſas. Notat Sanctus Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem omnes hæreſes per mulieres propagari cœpiſſe.

V. 7. SEMPER DISCENTES, ET NUMQUAM AD SCIENTIAM VERITATIS PERVENIENTES: numquam ad ſcientiam veritatis hæ mulieres perveniebant, quia numquam illis veritas proponebatur, ſed errores, & falſa dogmata.

V. 8. IANNES, ET MAMBRES: ſunt nomina duorum magorum Pharaonis, qui in Exodo narrantur Moſi reſtitiſſe, & cum eo in miraculis, & portentis edendis certaſſe; licet Moſes in Exodo eorum nomina non exprimat, Paulus tamen aliunde didicit, & hic expreſſit nimirum ex traditione. CORRUPTI MENTE, id eſt qui mentis iudicium vitioſis affectibus corruptum habent, ac depravatum. REPROBI CIRCA FIDEM: ἀδόκιμοι, *non probati*, id eſt errantes.

V. 9. SED ULTRA NON PROFICIENT: in ſua videlicet hypocriſi, & ficta pietatis ſpecie, ac larva: quin ea detegatur, deprehendatur, & prodatur eorum fraus & falſitas. INSIPIENTIA: ἄνοια, *amentia*. SICUT ET ILLORUM; ſcilicet magorum Pharaonis.

V. 10. ASSECUTUS ES: παρηκολούθησας; quaſi dicat, *Affectatus es*, longo videlicet tempore ab initio uſque ad finem adſuiſti, ac teſtis omnium eſſe potes. MEAM DOCTRINAM: quam noſti integram eſſe, & ſinceram. MEAM INSTITUTIONEM: ἀγωγὴν, id eſt vivendi modum, ac rationem, mores meos. PROPOSITUM MEUM, id eſt, finem, & ſcopum, quem mihi in evangelizando propoſui. FIDEM, conſtantiam in fide. Vel, animi conſtantiam, ac fiduciam in rebus agendis. LONGANIMITATEM: ſeu lenitatem erga perſecutores, & veritatis adverſarios; erga fratres etiam in ferendis eorum infirmitatibus, & peccatis. DILECTIONEM: qua omnes iam amicos, quam inimicos, & adverſarios complexus ſum. PATIENTIAM: in adverſis.

V. 11. PASSIONES: incommoda, ærumnas, dolores. QUALIA: quales paſſiones; ſed interpres dixit *Qualia*, quia παθήματα in textu Græco ſunt generis neutrius. ANTIOCHIAE. Antiochia hæc non eſt Syriæ ſed Piſidiæ, vicina Iconio, & Lyſtris, ubi Iudæis concitantibus ſeditionem lapidatus, ac pene occiſus fuit Paulus, Actor. XIII. & XIV.

V. 12. ET OMNES: omnes enim. Per omnes pleroſque intelligit. PIE: religioſe. Syrus vertit, *cum timore Dei*. PERSECUTIONEM PATIENTUR: ab infidelibus, & hæreticis, ab invidis, & perverſis hominibus, & nonnunquam a cognatis, & amicis.

V. 13. PROFICIENT IN PEIUS: in ſua im-

impietate, & peccatis. ERRANTES, ET IN ERROREM MITTENTES: ideoque duplicis pœnæ rei.

V. 14. CREDITA SUNT TIBI: tibi Epiſcopo commiſſa ſunt: & credita, ut conſerves, & promulges. SCIENS A QUO DIDICERIS: memor a quo didiceris, ac proinde de illorum veritate ſecurus.

V. 15. PER FIDEM QUAE EST IN CHRISTO IESU, docentes credendum eſſe in Chriſtum, & per fidem Chriſti, eiuſque Sacramenta, & præcepta ſalutem parari.

V. 16. AD DOCENDUM; ſanam doctrinam. AD ARGUENDUM: Hæreticos, & peccatores. AD CORRIPIENDUM: *πρὸς ἐπανόρθωσιν*, id eſt *ad correctionem*, malorum ſcilicet morum, & corruptelarum. AD ERUDIENDUM IN IUSTITIA, id eſt ad omnem morum honeſtatem, & ſanctimoniam, & perfectionem.

V. 17. UT PERFECTUS SIT HOMO DEI: hominem Dei vocat doctorem Evangelicum, & Epiſcopum. INSTRUCTUS: *ἐξηρτισμένος*, coſummatus, & perfectus.

T I R I N I.

Verſ. 1. NOVISSIMIS iam ſubſecuturis *temporibus*,

V. 2. ERUNT HOMINES non pauci

V. 3. SINE AFFECTIONE: *ἄστοργοι*, id eſt *ſine pietate*, ſine benevolentia, ſine viſceribus compaſſionis, inhumani & crudeles, inquit Theophyl.

V. 5. HABENTES SPECIEM, ſeu larvam, PIETATIS, reverentiæ, cultus divini, ſeu VIRTUTEM EIUS, id eſt vim & rem ipſam, ABNEGANTES: nempe verbis affectant, quod opere negant. Habes his verſibus nativam deſcriptionem genii & indolis *Gnoſticorum a*, aliorumque hæreticorum.

V. 6. MULIERCULAS ONERATAS PECCATIS, magno ſordium acervo gravatas, illecebris & laqueis ſuis CAPTIVAS DUCUNT, adeoque ſibi obnoxias faciunt, ut velut captivas, quocumque voluerint, abducant. Et vere notat S. Hieronymus *b*, omnes hæreſes per mulierculas propagari cœpiſſe. Quæ

V. 7. SEMPER fingunt ſe velle inſtrui, & *diſcere* viam ſalutis, ſed NUMQUAM AD SCIENTIAM VERITATIS *perveniunt*, quia non conſulunt niſi errones & falſarios.

V. 8. IANNES ET MAMBRES nomina ſunt magorum Pharaonis qui cum *Moyſe* decertarunt *c*: quæ Paulus vel ex maiorum traditione, vel ex divina inſpiratione accepit, inquit Chryſoſt. & Theophyl. Et ſic vere vocatus fuiſſe docet quoque Numenius Pythagoricus apud Euſebium, niſi quod pro *Mambret*, legat *Iambres*, ut etiam habent Biglia Regia & Syra.

V. 9. SED ULTRA NON PROFICIENT in hypocriſi ſua & pietatis larva, quin ea detegatur, & eorum fraus, dolus, falſitas orbi palam innoteſcat. Alioquin, ut verſ. 13. dicitur, in pietate ſua *proficient* quotidie *in peius*.

V. 11. QUALIA MIHI FACTA SUNT ANTIOCHIAE, non in illa Syriæ metropoli, ſed altera Piſidiæ vicina *Iconio* & *Lyſtris*, ubi a Iudæis lapidatus ac tantum non occiſus eſt Paulus *d*.

V. 12. ET OMNES, ut plurimum, QUI VOLUNT PIE, ſeu religioſe, VIVERE ex præſcripto & conſilio *Chriſti*, PERSECUTIONEM PATIENTUR ab infidelibus, & ab hæreticis, ab invidis, a cognatis, ab amicis, &c.

V. 14. TU conſtans PERMANE IN IIS populo tradendis QUAE TIBI ut Epiſcopo, a me CREDITA & commiſſa SUNT; memor A QUO illa DIDICERIS, a quali & quanto magiſtro.

V. 15. AB INFANTIA & quaſi cum lacte SACRAS LITTERAS, id curante pia matre tua *e*, didiciſti, QUAE TE POSSUNT INSTRUERE AD SALUTEM; Græce, *σοφίσαι*, id eſt *ſapientem reddere*, nempe PER FIDEM *in Chriſtum*, quam tradunt & docent: *Finis enim legis* eſt *Chriſtus f*; quaſi dicat: Iam ad martyrium accingor, o Timothee: mea inſtructione carendum tibi deinceps: ſed vice illius commendo tibi ſtudium ſacrarum Litterarum, ex iis audies loquentem & monentem Deum: ita S. Chryſoſtomus.

V. 16. OMNIS, ſeu tota, SCRIPTURA UTILIS EST, id eſt conducit, ad hunc uſum ſeu finem condita eſt, nempe AD DOCENDUM neceſſaria ſaluti; AD ARGUENDUM & convincendum hæreticos, alioſque peccatores; AD CORRIPIENDUM aberrantes; *ad* omnem *iuſtitiam*, ſanctitatem & perfectionem tradendam, etiam *hominis Dei*, id eſt Prophetæ, Doctori Evangelico, Paſtori & Epiſcopo Eccleſiæ Dei. Ubi Nota, non dicere Paulum (ut dicunt noſtri

Novantes,) *ſolam Scripturam utilem eſſe*, ſolam neceſſariam, ſolam ſufficere, nam alibi *g* iubet etiam *traditiones* viva voce acceptas teneri: ſed ſimpliciter dicit tantum, *utilem eſſe*, non negans Sacramenta, bona opera, & alia quoque a Chriſto præſcripta accedere poſſe ac debere. Sicut cum dico, panem utilem eſſe ad plenam hominis nutritionem, non nego adeſſe debere potum & obſonium. Cum dico, ſolem conducere ut omne vivens producatur & perficiatur, non nego ad id inſuper requiri alias cauſas ſecundas. Adde, cum hæc ſcriberet Apoſtolus Timotheo, needum extitiſſe Apocalypſim aut Evangelium S. Ioannis, eiuſve epiſtolas: quas tamen certum eſt, non minus utiles eſſe ad perfectionem nanciſcendam, quam eſſent Scripturæ tunc extantes, de quibus hic loquitur S. Paulus.

(a) II. Pet. III. in fine.
(b) Hier. epiſt. ad Cteſiphontem.
(c) Exod. VII. II. &c.
(d) Actor. XIII. & XIV.
(e) II. Tim. I. 5.
(f) Rom. X. 4.
(g) Hic cap. II. 2. & II. Theſſ. II. 14.

GORDONI.

Verſ. I. HOC AUTEM. Epiphanius Hæreſ. XXVI. hunc locum de hæreticis intelligit, de Simone Mago, Carpocrate, & Cerintho, ubi Paulus monet Timotheum, ne miretur eſſe in Eccleſia hæreſes, & falſæ doctrinæ auctores: talium hominum mores hic deſcribit. Noviſſima tempora verſ. I. vocat quæ deinceps poſt Paulum uſque ad finem mundi ſunt futura. Ad horum vitiorum, quæ hic tribuuntur hæreticis vim penetrandam, conferunt voces textus Græci. Ad illud quod eſt verſ. 6. notat Hieronymus, Epiſt. ad Cteſiphontem, omnes hæreſes cœpiſſe propagari per mulieres. Has abducunt res novæ novitatis avidas, & ut flexiles ſunt, ducunt captivas. Et quid mirum ſi peccatis oneratas vocet Paulus, numquam ad ſcientiam pervenientes, quibus in licentia carnis, error proponitur, & falſum dogma. Hic verſ. 8. nominat duos illos Pharaonis magos qui in Exodo reſtiterant Moſi, licet in Exodo a Moſe non ſint nominati: multa ex traditione noſcuntur.

V. 10. ASSECUTUS ES. Finem impoſiturus huic capiti proponit (quaſi exemplo docens Timotheum) quid ſibi acciderit evangelizanti tot annis; quid contingat malis, & quid inde debeat facere Timotheus. Primum ergo eſt verſ. 10. noſti tu inſpector rerum mearum; ASSECUTUS ES DOCTRINAM MEAM ſynceram; inſtitutum vivendi rationem; PROPOSITUM, ſcopum, &c. Item PASSIONES ex Act. XIII. & XIV. hæc lex eſt pie viventium; ſed Dominus eripit. Secundum, verſ. 13. Mali aliter progrædiuntur in errores & interitum. Tertium, verſ. 14. TU VERO: perge hæc conſiderans magno animo, ad hæc quæ ſubiicio.

V. 16. OMNIS SCRIPTURA. De ſacra Scriptura, quid ſit, quo ſpiritu dictata, & quos habeat ſenſus, præfatus ſum ad initium Geneſeos. Solent Theologi ex hoc loco Theologicam diſquiſitionem iuxta hæc verba partiri: nam Theologus Scholaſticus docet ſubtiliora vi ſyllogiſtica ex principiis ſuis: alius arguit hæreticos ex profeſſo; alius docet quæ ad mores ſunt, præter interpretes Scripturæ, quorum eſt explicare principia.

CA-

C A P U T IV.

Timotheum per Chriſtum iudicem obteſtatur, ut adverſus falſos doctores, & eos qui tales ſibi coacervant, conſtanter prædicet, tolerando quæcumque inſligentur adverſa: prædicitque ſuam paſſionem & futurum præmium; advocans: Timotheum, eo quod a multis deſertus ſit, & ab Alexandro multa paſſus: in prima ſui defenſione ab omnibus deſertus fuit; ſed a Domino liberatus.

1. TEſtificor coram Deo, & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt vivos, & mortuos, per adventum ipſius, & regnum eius: 2 prædica verbum, inſta opportune, importune: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. 3. Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus: 4. & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. 5. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. † Sobrius eſto. 6. Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. 7. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. 8. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum eius. Feſtina ad me venire cito. 9. Demas enim me reliquit: diligens hoc ſæculum, & abiit Theſſalonicam: 10. Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam. 11 (a) Lucas eſt mecum ſolus. Marcum aſſume, & adduc tecum: * eſt enim mihi utilis in miniſterium. 12. Tychicum autem miſi Epheſum. 13. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. 14. Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: * reddet illi Dominus ſecundum opera eius: 15. Quem & tu devita: valde enim reſtitit verbis noſtris. 16. In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. 17. Dominus autem mihi aſtitit, & confortavit me, * ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus ſum de ore Leonis. 18. † Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte, cui gloriam in ſæcula ſæculorum: Amen. 19.* Saluta Priſcam, & Aquilam, & (b) Oneſiphori domum. 20. Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. 21. Feſtina ante hiemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. 22. Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo. Gratia vobiſcum. Amen.

(a) Coloſſ. iv. 14. (b) Sup. 1. 16.

Digitized by Google

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 11. *Eſt enim mihi utilis in miniſterium.* Non mutes accuſativum *miniſterio*.

Verſ. 14. *Reddet illi Dominus ſecundum opera eius*. Futurum indicativi *reddet*, non vertas in præſens imperativi *reddat*.

Verſ. 17. *Ut per me prædicatio impleatur*. Non ſcribas *impleretur*.

Verſ. 19. *Saluta Priſcam*. Quidam codices ſcribunt *Priſcillam*; ſed male illi qui maſculino genere *Priſcum*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 5. S*Obrius eſto*. Quidam libri non temere videntur omittere; eſt enim altera verſio eius quod præcedit, *Tu vero vigila*, ex eodem σὺ δὲ νῆφε, quod docuimus iu Notationibus.

Verſ. 18. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo*. Alii libri legunt futurum *liberabit* coosentanee Græco & Syro.

Notationes.

Verſ. 5. T*U vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto*. Ita legunt Latini codices plerique omnes, & Gloſſematici Auctor ordinariæ Gloſſe, ac poſteriores; manuſcripta porro Germani latum, & Societatis latum tolluntq; verba iſta *Sobrius eſto* (quamquam So. la. in margine litteris aliis adiuncta habeat) adſtipulantibus antiquioribus Latinis enarratoribus, Haymone, Primaſio, Auctore commentariorum quæ apud Ambroſium ſunt, denique eorum Auctore quæ apud Hieronymum; & apud priores quidem duos præ ceteris hoc nec exponitur nec legitur; apud tertium vero, Auctore dico eorum commentariorum, quæ apud Hieronymum legitur, ſed ita ut expoſitio adiectitium ac ſuperfluum eſſe loquatur: "*Miniſterium tuum imple, ſobrius eſto*, epiſcopatus ſcilicet: non enim ſemper ero in corpore, ut valeam commonere, quod poſtremum propter id quod ſubſequitur: *Ego enim iam delibor* adiecit." Græci libri, Græcique tractatores, & Syri nihil huiuſmodi eo loco habent. Ceterum id quod Græci habent in principio verſus, σὺ δὲ νῆφε transferri poteſt, & *tu vero vigila* & *tu vero ſobrius eſto*, ut ſunt cognata ſobrium eſſe, & vigilare. Interpres cum Græcis explanatoribus, & Syrico Interprete id tranſtulit *tu vero vigila*, hoc enim conſtanter ac ſine omni varietate in noſtra editione legitur. Videtur itaque alterum nempe τὸ *ſobrius eſto*, quod a quibuſdam libris omittitur, a quibuſdam aliter legitur ex ambiguæ illius Græcanicæ ſententiæ alia translatione irrepſiſſe. Manuſcriptum V tranſpoſitis vocibus ſcribit *Eſto ſobrius*. Ambroſiaſtri commentario additus textus eo plane loco, quo nos habemus *tu vero vigila*, legit *tu vero ſobrius eſto*, nec poſtea agnoſcit ſive *vigila*, ſive *ſobrius eſto*. Conſentit per omnia commentarius: nam ſobrius eſſe pro vigilare videtur accipere, cum in initio ait. "Admonet & hortatur ut vigilet."

V. 14. *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet* (*reddidit* o.) *illi Dominus ſecundum opera eius*. Unum Pariſienſium Ge. la. duo noſtra Mal. ma. T. & quatuor Hentenii manuſcripta cum Complutenſi editione, Ambroſiaſti commentariis, iuncto textu, & Primaſii ut textu, & commentariis legunt *reddat*, ita ut Græci libri fere habent, ἀποδῴη, Græco enarratore Theophylacto diſerte adſtipulante. Quædam manuſcripta ambigue ſcribunt *reddet*. Porro plerique, noſtræque editionis ſtudioſiores tum ſcripti, tum impreſſi Latini codices *reddet* expreſſe habent, ſuffragantibus expoſitoribus Richelio, Brunone, Gorrano, Thoma, Lyrano, Carenſi, Lombardo, Anſelmo, Auctore gloſſæ, Haymone, Sedulio, denique B. Auguſtino libri contra Fauſtum 16. cap. XXII. & primi De Sermone Domini in monte cap. XXXVII. "Apoſtolus, inquit poſteriori loco, non ait, *reddat* illi Dominus iuxta opera eius: quod verbum prænunciantis eſt, non imprecantis. e, Quæ Auguſtini verba ſuperiores gloſſematici fere in ennarrationes ſuas tranſtulere Græcum Pariſienſium exemplar, ι, ἀποδώσει *reddet* habet: itaque legitue & apud Latinum Chriſoſtomum, commentario minime repugnante, ut non dicam manifeſte conſonante.

V. 19. *Saluta* (*ſalutare* o.) *Priſcam, & Aquilam*. Scripti (Lob. Mal. ma. So. la. T.) impreſſique (Mog. Quent. &c.) aliquot codices *Priſcillam* pro *Priſcam* legunt, uti eſt in Complutenſi editione, & quæ ex ea expreſſe ſunt tum Latine, tum Græce (πρίσκιλλαν) uti & in Syricis libris. Porro Hentenius caſtigator, hoc in marginem relato, textu donavit *Priſcam*: ita eſt enim in pleriſque omnibus, & fide digniſſimis

La-

Latinis antigraphis, ſcriptis maxime, ſed & in Græcis omnibus, quotquot vidi, ex Complutenſi non oriundis, πρι, σκαν. Ceterum dubium non eſt, utroque hanc modo vocatam fuiſſe, eodem nomine nunc integre, nunc conciſe, ut ſit, elato: Niſi forte *Priſcilla a Priſca* diminutivum ſit, quo fere gaudent mulieres appellari. Actorum XVIII. cap. *Priſcilla* vocatur; ad Romanos XVI. *Priſca*: quamquam ad Romanos eiuſmodi fere varietas ſit & Græcorum & Latinorum codicum, eiuſmodi hic; credo de utroque loco, Actorum occaſione, in quibus frequenter conſtanterque Priſcilla nuncupatur. Tria manuſcriptorum noſtrorum hic *Priſcum* ſcribunt, & Græca Aldi editio πρίσκον. Exiſtimarunt, opinor, aliqui hoc viri nomen eſſe, quia Priſcus celebre eſt virorum quorumdam agnomen: nam quod viro ſuo hæc præpoſita ut, factum eſt tum hic, tum alibi quod, ut Græci aiunt, in fide magis enituerit, ac ferventior diligentiorque fuerit.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 2. OPPORTUNE, IMPORTUNE, id eſt quocumque tempore; nullum enim tempus Dei verbo non commodum.

V. 3. PRURIENTES. Hoc loco prurientes, non accuſativi, ſed recti caſus eſt. Græci κνηθόμενοι, id eſt qui titillantur & pruriunt auribus, id eſt quærentes qui ſibi adblandiantur, impunitatem promittentes, ut leniter aures ſcalpant, non veritate & gehennæ terrore radant.

V. 6. DELIBOR, id eſt immolandus & ſacrificandus Deo propero, ET MEAE RESOLUTIONIS, id eſt diſſolutionis & mortis tempus inſtat.

V. 9. DILIGENS HOC SAECULUM, id eſt malens deliciari in ſæculo, quam periclitari pro Chriſto.

V. 13. PENULAM. Græce φαιλόνης, & Latine pænula, veſtis eſt qua, vice pallii adverſus imbres & frigora utimur, quæ & tunicæ ſuperinduitur. CARPUM. Huius Carpi meminit Dionyſius Areopagitas epiſtola VIII. dicens: cum aliquando in Cretam veniſſem, ſanctus Carpus me ſuſcepit hoſpitio, ut ſi quis alius ob eximiam mentis munditiam ad Dei ſpeculationem aptiſſimus. Et Georgius Pachimeres Græcus in paraphraſi: hic eſt Carpus de quo II. ad Timotheum epiſtola meminit Paulus.

V. 14. OSTENDIT, id eſt fecit. Nam Hebræi oſtendere pro facere ſumunt: ſic Pſal. IV. multi dicunt: *quis oſtendit nobis bona*, id eſt fecit? & LXX. *Oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas*: pro eo autem quod eſt ALEXANDER AERARIUS, Græce eſt χαλκεύς, id eſt *faber ærarius*, ne quis exiſtimet pecuniæ publicæ fuiſſe præfectum.

V. 17. LEONIS, id eſt impii, & crudelis Neronis.

V. 18. LIBERAVIT. Gr. quidam legunt ῥύσεται, id eſt *liberabit*, & conformius ob ſequens futurum, SALVUM FACIET.

S A.

Verſ. 1. VIVOS. Indicat aliquos non morituros, ſed in aera rapiendos, de quo ſup. I. Theſſ. IV. quamquam poſſunt intelligi vivi, ſcilicet cum Paulus ſcriberet. PER ADVENTUM, ſcilicet ad iudicium, ſcilicet teſtificor, ſeu obteſtor quamquam Græc. potius eſt, *in adventu ſuo & regno*, ſcilicet iudicaturus.

V. 2. IMPORTUNE, id eſt intempeſtive, ſcilicet improborum iudicio. ARGUE, id eſt convince, ſcilicet errantes. IN; pro, eum.

V. 3. SUSTINEBUNT, id eſt ferent. AD; pro, iuxta. PRURIENTES: nominativus eſt; quaſi dicat, Cupientes audire grata, velut ſcalpi qui pruriunt.

V. 5. LABORA. Græc. *ferto mala*. IMPLE, id eſt plene exequere.

V. 6. DELIBOR; quaſi dicat, Prope eſt ut immoler. Adhibebantur libamina ſacrificiis, ex rebus liquidis, quæ in Dei honorem effundebantur, vel cremabantur. Et quidem Pauli effuſus ſanguis amputato capite. RESOLUTIONIS, id eſt mortis, qua ſolvitur anima corpore.

V. 7. BONUM, ſcilicet plenum meriti & honoris Dei.

V. 8. IN RELIQUO, id eſt in poſterum. IUSTITIAE, ſcilicet debita iuſtis operibus,

AD-

ADVENTUM, ſcilicet ut filii adventum patris optant. FESTINA, id eſt cura.

V. 10. GALATIAM, id eſt Galliam, ſecundum Epiphan. Hær. LI. Dicitur a quibuſdam Creſcens hic fuiſſe Epiſcopus Moguntinus: vide Clem. VII. Conſt. cap. XLVI. Euſeb. Lib. III. cap. III. Hieron. in Catalog.

V. 11. SOLUS, ſcilicet ex domeſticis. UTILIS; pro, uſui futurus; quaſi dicat, Opus eſt mihi eo. MINISTERIUM: Evangelicum.

V. 13. PENULAM. Palii genus quidam putant; alii, volumen Hebræum. Syr. *thecam librorum*. RELIQUI. Ex hoc, & iis quæ infra dicit, quidam colligunt, Paulum Roma iviſſe in ea loca, & Eccleſias viſitaſſe, ut quibuſdam ſcripſerat ſe facturum; deinde rediiſſe ad vincula, in quibus tandem obiit martyrio coronatus cum Petro. MEMBRANAS, ſcilicet Hebræi libri membranæ ſunt involutæ.

V. 14. AERARIUS, ſcilicet faber. OSTENDIT, id eſt *fecit*, Hebr. REDDET. Ita etiam legit Syr.

V. 16. DEFENSIONE, ſcilicet apud Iudicem Romanum. OMNES, ſcilicet qui favere poterant. IMPUTETUR, ſcilicet a Deo.

V. 17. LEONIS, ſcilicet Neronis.

V. 18. LIBERAVIT. Græc. & Syr. *liberabit*. OPERE MALO, id eſt perſecutione malorum.

V. 22. AMEN. Græc. & Syr. additur, *Miſſa e Roma*.

MARIANAE.

Verſ. 1. OPPORTUNE, IMPORTUNE, prædica, id eſt omni tempore: cum occaſione & ſine ea. IN OMNI PATIENTIA, ET DOCTRINA: ſine alterutra admonitio efficax non eſt. Erit cum homines

V. 2. COACERVABUNT, quærent. PRURIENTES, in nominativo, id eſt quorum aures pruriunt, ii magiſtros quærent, qui aures ſcalpant.

V. 5. SOBRIUS ESTO. Hoc Gr. non eſt, nec Syr. nec in Goth. Solus Veleſ. ad marginem appoſuit σωφρόνισον, unde? Alii ſilent.

V. 6. IAM DELIBOR: prope eſt ut ſacrificer, morti ſum proximus.

V. 9. DEMAS ENIM ME RELIQUIT. De quo ad Coloſſ. IV. 14. an & fidem?

V. 10. CRESCENS IN GALATIAM. Euſebius Lib. III. Hiſt. cap. IV. Κρίσκης ἐπὶ τῆς Γαλλίας, *Creſcens in Gallias*. Verum promiſcue & *Galatia* Aſiæ vocatur *Gallia*, & noſtra *Gallia* vocatur *Galatia*. Dionyſius Lib. XXXVII. *Galliæ* dat nomen *Galatiæ*. Et Plutarchus in Galba *Narbonem* urbem *Galatiæ* facit. In Camillo *Gallos* qui Romam occuparunt, *Galatas* Græce vocat. Creſcens in Galatiam Aſiæ ivit.

V. 13. PENULAM. Syr. *thecam librorum* ait. Et quidem ſi φελόνην legamus Græc. ut eſt in Reg. ea vox *thecam* ſignificat & *breve pallium*, ſi autem φαιλόνην, ut Robertus habet, vel Eraſmo teſte, ſignificat *pallium, quo ab imbre tegimur*: Hieronymus III. Dialog. contra Pelag. *lacernam* ſeu *penulam* habet. APUD CARPUM. De hoc Dionyſius Areop. epiſt. VIII. ut ibi ait Georg. Pachym.

V. 14. ALEXANDER AERARIUS. Vox *ærarius* πολύσημον, *quæſtorem, militem, tributarium*, & *æris fabrum* ſignificat. Ideo Syr. & Eraſmus, ut tollatur ambiguitas, dixerunt, *ærarius faber*. MULTA MALA MIHI OSTENDIT, id eſt intulit, ſic Auguſt. Lib. Locutionum ex Geneſi citans illa verba fratrum Ioſeph iuxta Sept. *Multa mala oſtendimus ei*. Pſal etiam LVIII. 12. *Deus oſtendet mihi*, ſcilicet vindictam infert. Demoſth. etiam Orat. de Legatione, verbo ἐνδείκνυμαι utitur in ſignificatione *inferendi*. REDDET, ſeu *reddat*, ut eſt Gr. & Goth. Hunc Alexandrum Chryſoſtomus putat eſſe ſtimulum carnis, de quo II. ad ad Cor. XII. 7.

V. 17. DE ORE LEONIS ſum liberatus: ſic Neronem vocat, ob eius ſævitiam, cui ludus erat hominum cædes. Matrem, uxorem, levirum, magiſtrum Senecam occidit.

V. 18. LIBERAVIT, ſeu *liberabit*, ut eſt Græc. & Syr. ab omni opere malo.

V. 19. SALUTA PRISCAM. Græci codices variant, alii *Priſcam* habent, alii *Priſcillam*.

V. 21. ET PUDENS, ET LINUS, ET CLAUDIA. An *Pudens* & *Claudia* coniuges, de quibus Martialis Lib. IV. Epigr. XIV. Quam Claudium Britannam facit Lib. XI. Epigr. LIV. Caractaci Regis filiam quidam addit, quem ad Claudium Auguſtum

ſtum deductum Romam, Tacitus ait Lib. XII. Tempora conſentiunt, coniectura ex nominibus ſæpe fallax.

V. 22. GRATIA: ſupple, eius, nempe Chriſti. VOBISCUM. Gotth. *nobiſcum*, ſed male.

MENOCHII.

Verſ. 1. TESTIFICOR: rogo, obteſtor, adiuro te. CORAM DEO: ſcilicet Patre, nam ſequitur, ET IESU CHRISTO. VIVOS ET MORTUOS. Per vivos eos intelligit qui tempore iudicii vivi invenientur, qui tamen mortem ſubibunt, & reſtituentur vitæ. PER ADVENTUM IPSIUS: veniens ad iudicium. Non enim ſenſus eſt, adiuro te per adventum ipſius: τὸ *ipſius*, in Græco eſt, *αὐτῦ*, *ſuum*. ET REGNUM EIUS: cum enim veniet ad iudicium tamquam Rex veniet, & regnum ſuum glorioſe cum beatis inibit.

V. 2. PRAEDICA VERBUM: Evangelium. INSTA: prædicationi. OPPORTUNE, IMPORTUNE: ſapit proverbium; ſenſus eſt, aſſidue, & inſtanter. ARGUE: ἔλεγξον, argumentis convince. OBSECRA, *παρακάλεσον*, *adhortare*. IN OMNI PATIENTIA, ET DOCTRINA: qua ſcilicet ſolide alium erraſſe doceas, eique viam veritatis oſtendas.

V. 3. CUM SANAM DOCTRINAM NON SUSTINEBUNT: ferre non poterunt, nec ſe illi dociles præbebunt. SED AD SUA DESIDERIA, id eſt ut ſuis vanis, & carnalibus deſideriis ſatisfaciant. COACERVABUNT SIBI MAGISTROS; id eſt, temere, & ſine delectu adſciſcent ſibi, aut admittent magiſtros, non ab Epiſcopis miſſos, aut ordinatos, ſed quos plebs ſibi depopoſcerit, aut qui ſeipſos obtruſerint, licet ſint inepti. PRURIENTES AURIBUS: eligent ſibi huiuſmodi magiſtros, eo quod pruriant auribus, id eſt ament audire nova, curioſa, mollia, voluptuaria.

*V.*4. AD FABULAS CONVERTENTUR: ad fabulas Iudaicas, aut hæreticorum.

V. 5. TU VERO VIGILA, &c. ut hiſce omnibus malis te opponas. LABORA: *κακοπάθησον*, *mala*, *&* *ærumnas ſuſtine*, ſcilicet pro Evangelio. OPUS FAC EVANGELISTAE, id eſt Evangelio prædicando inſiſte. MINISTERIUM TUUM IMPLE: in munere, ac miniſterio tuo ita verſare, ut nihil omittas eorum, quæ a bono, & fideli miniſtro Evangelii iure exiguntur. SOBRIUS ESTO. In Græco hoc non habetur, ſed reſponderet νῆφε, quod noſter initio huius verſiculi vertit *vigila*.

V. 6. EGO ENIM IAM DELIBOR: *σπένδομαι*, id eſt pro libamento offeror, & immolor, ſanguinem meum quaſi libamen Deo profundo, conſecro, & ſacrifico per martyrium. TEMPUS RESOLUTIONIS, id eſt mortis. BONUM CERTAMEN CERTAVI. Nam pro fide Chriſti prædicanda plurimos labores, & aſſlictiones ſuperavi. CURSUM CONSUMMAVI: iam prope abſum a meta, inſtat enim finis vitæ, & curſus laborum. FIDEM SERVAVI: fui fidelis Domini miniſter, & diſpenſator verbi, & fideliter ad finem uſque vitæ in munere mihi credito exercendo perſeveravi.

V. 8. CORONA: corona certaminis, præmium laboris, id eſt vita æterna. IUSTITIAE: quam iuſte merui, & quæ iuſta iudicis ſententia mihi adiudicabitur. REDDET MIHI: nunc enim habet apud ſe repoſitam. IN ILLA DIE: reſolutionis meæ. Vel in illa die celebri, & publica extremi iudicii. QUI DILIGUNT ADVENTUM EIUS; ſcilicet ad iudicium, nimirum ſibi bene conſcii recte factorum. CITO: ſcilicet ante hiemem, ut infra declarat.

V. 9. DEMAS: cuius etiam mentio Epiſtola ad Philemonem verſ. 24. DILIGENS HOC SAECULUM, id eſt huius vitæ commodorum amore ductus; ita ut tam Pauli, quam Evangelii curam privatis commodis poſtponeret. Non tamen ſignificatur a fide receſſiſſe. ET ABIIT THESSALONICAM: ſive ut rebus ſuis privatis illic vacaret, ſive ut procul abeſſet a periculo; ac fortaſſe etiam Theſſalonica erat illi patria.

V. 10. CRESCENS IN GALATIAM; ſcilicet abiit, miſſus a me ad prædicandum Evangelium. IN GALATIAM: quæ eſt regio Aſiæ minoris, extat Pauli epiſtola ad Galatas, quam ſupra explicavimus. Aliqui interpretes Galliam intelligunt, nam Galli etiam dicuntur *γαλάται*. IN DALMATIAM: quæ eſt Illyrici regio.

V. 11. LUCAS: ſcilicet Evangeliſta. MARCUM: intelligit Ioannem cognomento Marcum, conſobrinum Barnabæ, cuius mentio Act. XII. & XV. IN MINISTERIUM: Evangelii.

V. 12. TYCHICUM AUTEM MISI EPHESUM:

SUM: ut ſcilicet vices Timothei Epheſini Epiſcopi Romam evocati, Epheſi ſuppleret.

V. 13. PENULAM: eſt veſtis genus aptum imbribus ac frigori depellendo, quo potiſſimum iter agentes uti ſolent. Italice dicimus *palandrano*. CARPUM: cuius mentio apud S. Dionyſium Areopagitam ep. VIII. ad Demophilum, ubi inſignis huius Sancti viſio recenſetur. ET LIBROS: Sacræ Scripturæ, aliorum manu ſcriptos. MEMBRANAS. Videtur intelligere ſcripta manu ſua exarata.

V. 14. ALEXANDER AERARIUS: de quo ſupra ep. I. cap. 1. 20. Vocatur ærarius græce χαλκεύς, id eſt faber ærarius, æreorum vaſorum fabricator. MULTA MALA MIHI OSTENDIT, id eſt intulit, exhibuit.

V. 15 QUEM ET TU DEVITA, id eſt tibi ab illo cave. VERBIS NOSTRIS: prædicationi noſtræ.

V. 16. IN PRIMA MEA DEFENSIONE: eam intelligit, quam fecit Paulus in primis vinculis; ſcribit enim Paulus e ſecundis vinculis, quod ſibi in primis evenerat. NEMO MIHI ADFUIT, id eſt auxilium, aut patrocinium præſtitit.

V. 17. UT PER ME PRAEDICATIO IMPLEATUR: compleretur, & abſolveretur. ET AUDIANT OMNES GENTES: ut multis adhuc Gentibus poſſem prædicare Evangelium. DE ORE LEONIS, id eſt Neronis qui ferus erat, & crudelis ut leo.

V. 18. LIBERAVIT ME DOMINUS AB OMNI OPERE MALO. Pro *liberavit*, in gr. eſt ῥύσεται, *liberabit* me Dominus ab omni peccato, non enim patietur me ſuperari adverſis, ſed daturus eſt conſtantiam uſque ad mortem. IN REGNUM SUUM CAELESTE: ut aſſequar regnum cælorum.

V. 19. PRISCAM ET AQUILAM: vide dicta Act. XVIII. 2. & ad Rom. XVI. 3. ONESIPHORI DOMUM. Hunc primo huius Epiſtolæ cap. XVI. laudavit: vide ibi dicta.

V. 20. ERASTUS: huius etiam mentio ad Rom. XVI. 23. vide ibi dicta. TROPHIMUM. Hinc Trophimum fuiſſe Arelatenſem Epiſcopum Anſelmus tradit, & Petrus Cluniacenſis Lib. I. epiſt. 11. MILETI: quæ urbs eſt Aſiæ, non longe diſtans ab Epheſo.

V. 21. PUDENS: vir erat apud Romanos clariſſimus ſenatorii ordinis, & pater ſanctarum Virginum Praxedis, & Pudentianæ. LINUS: qui Petro proximus rexit Eccleſiam. ET FRATRES OMNES, id eſt Chriſtiani omnes.

V. 22. CUM SPIRITU TUO, id eſt tecum ſit per gratiam ſuam. GRATIA VOBISCUM. AMEN. *Vobiſcum*, id eſt tecum, & cum univerſa Eccleſia tibi commiſſa.

T I R I N I.

Verſ. 1. QUa ratione *Chriſtus* dicatur IUDICATURUS VIVOS, ſed ante mortuos, ET MORTUOS, ſed iam redivivos, alibi *a* expoſui.

V. 3. COACERVABUNT SIBI, id eſt magno numero, ſed temere & ſine delectu quærent & adſciſcent ſibi MAGISTROS, non ab Epiſcopis vel Eccleſia miſſos vel ordinatos, ſed ultro ſeſe ingerentes aut obtruſos, qui ſibi ſuiſque vitiis adblandiantur, aures ſcalpant, & cubitis pulvillos aſſuant, inquit S. Chryſoſt. & Theophyl. Aſſument autem hos palpones, quia *pruriunt* AURIBUS, id eſt eo quod ament audire nova, curioſa, mollia, & voluptati faventia: ita S. Cyprianus *b*.

V. 5. TU VIGILA, ut omnibus his malis occurras. SOBRIUS ESTO; iam in Græcis non habetur hoc loco.

V. 6. EGO IAM DELIBOR *c*, σπένδομαι, id eſt *pro libamento d offeror* & immolor; quaſi dicat: Prope eſt ut ſanguinem meum, tamquam gratum Deo libamen offeram, & per martyrium immoler in ſacrificium: ita Chryſoſt. & Theophyl. Ex Dei ergo inſtinctu præſcivit Paulus, (uti & *e* Petrus,) inſtare tempus ſubeundi martyrii quod proximo anno ſuſtinuit *f*. *Sunt* autem (ut notat Auguſtinus *g*) hæc *verba exultantis* Pauli *ad mortis præſentiam, & ad coronam anhelantis*. Et vero *ſapientis animus totus in mortem prominet: hoc vult, hoc meditatur, hac ſemper cupidine fertur*, inquit etiam Seneca *h*.

V. 7. BONUM CERTAMEN CERTAVI; τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, id eſt *agonem illum pulchrum*, illuſtrem, glorioſum *agonizavi*, quo tot tantoſque *i* pro Chriſto ſubivi labores & ærumnas. CURSUM Evangelici ſtadiodromi *k* CONSUMMAVI: parum abſum a meta: FIDEM ac fidelitatem perpetuo SERVAVI Deo Domino meo.

V. 8. IN RELIQUO; græce, λοιπὸν, id eſt

eſt, *quod reliquum eſt*, ab agonotheta & iudice ſupremo Deo REPOSITA EST & aſſervatur MIHI iam pene victori CORONA IUSTITIAE, id eſt bravium & præmium debitum meæ iuſtitiæ, ſeu virtuti ex operibus iuſtis, ut Chryſoſtomus & Theophylactus exponunt: vel, ut Anſelmus & alii, *corona* quam iuſte promerui. Ex quo contra hæreticos patet, iuſtos ex iuſtitia & de condigno mereri beatitudinem per ſua bona opera. Porro *certus ſecuruſque gaudebat Paulus, quia de victoria certum eum ſecurumque, (non re pleniſſima, ſed ſpe firmiſſima l) iam fecerat is qui mortem & martyrium illi revelarat m*. Verba ſunt S. Auguſtini *n*. *Nec* MIHI *ſoli*, inquit Paulus, repoſita eſt talis *corona*, SED ET IIS omnibus QUI DILIGUNT, optant, deſiderant (ut pote benè ſibi conſcii rectè factorum, inquit Anſelmus,) ſecundum Chriſti, quaſi optatiſſimi parentis ſui, ADVENTUM ad iudicium, & ideo ad eum ſtudioſe per ſanctam vitam ſeſe comparant, inquit Chryſoſtomus *o*. FESTINA, o Timothee, AD ME VENIRE CITO, ne, ſi tardes, occiſum reperias. Evocarat eumdem Paulus etiam in primis ſuis vinculis *p*, quod commodum ſibi, ſuiſque negotiis oportunum experiretur.

V. 9. DEMAS, qui in primis vinculis mihi conſtanter adhæſit *q*, iam in his ſecundis ME RELIQUIT, DILIGENS HOC SAECULUM, commodaque præſentis vitæ præponens curæ mei & Evangelii: & ut rebus ſuis privatis vacet, vel procul abſit a periculo, ABIIT THESSALONICAM in Macedoniam, unde forſan oriundus erat. Ex Aſiaticis ergo qui mihi adeſſe ſolent,

V. 11. LUCAS SOLUS MECUM manet. Is poſt prima vincula Romana a Paulo ſeceſſerat, & in Africa atque AEgypto prædicarat: ſed ubi audiit ſecundo captum Paulum, veritus, quod res erat, ipſum de vita periclitaturum, in Urbem recurrit eius iuvandi ac ſolandi gratia. Et vero interfuiſſe illius martyrio, acta Lini teſtantur apud Mombritium *r*. MARCUM, prænomine *Ioannem*, conſobrinum *Barnabæ ſ*, ADDUC TECUM ad me: ſtatui enim illo uti IN MINISTERIUM prædicationis.

V. 12. TYCHICUM MISI EPHESUM, ut tuas iſtic, o Timothee, abſentis vices ſuppleat tantiſper dum tu mihi aderis.

V. 13. *Penula* pallium eſt, ſeu extima veſtis hiemalis ad pluviam ac frigus arcendum, teſte Lampridio, Bayſio, Hieron. *t* Chryſoſt. & Theophyl. Nos *palandrap* vocamus. *Carpus* is eſſe videtur cui inſignis illa viſio obtigit apud Dionyſium *u* Areopagitam: ita Anſelmus: qui addit, prius eum *Laodiciæ*, iuxta *Troadem*, deinde *Cretæ* Epiſcopum fuiſſe.

Per LIBROS intelligit Paulus volumina S. Scripturæ manu aliorum deſcripta: per MEMBRANAS ſimilia ſcripta, ſed manu propria exarata. Sed quid mox morituro cum chartis, membranis & libris? Nempe otium oderat Paulus, & ſtudio S. Scripturæ etiam immori volebat, memor dicti Solonis, tamdiu *diſcendum nobis* eſſe *quamdiu vivitur*. Sic. S. Ambroſium immortuum commentationi in Pſalmos, ſcribit S. Thomas: item S. Auguſt. & Venerabilem Bedam auctor vitæ utriuſque.

V. 14. De *Alexandro ærario* ſupra egi *x*.

V. 16. & 17. IN PRIMA MEA DEFENSIONE cum ante novennium primo vinctus Ieroſolymis Romam miſſus eſſem, NEMO MIHI AFFUIT apud Neronem, præter Deum, meis omnibus metu detentis. Sed Deus auxiliatus eſt mihi, & liberavit me DE ORE LEONIS, id eſt *Neronis* crudeliſſimi inſtar Leonis (inquit Chryſoſtomus Theophyl. & Oecumenius) UT PER ME PRAEDICATIO Evangelii IMPLEATUR, ſeu compleatur vel abſolvatur, etiam apud alias remotiſſimas GENTES: quod factum iam totis novem annis, quibus partim Gallias, partim Hiſpanias, partim alias provincias evangelizando peragravi: ita Euſebius *y*, Beda, Anſelmus, & alii. Exinceps vero

V. 18. LIBERAVIT; Græce, ῥύσεται, id eſt *liberabit* ME DOMINUS non a corporali leone, id eſt Nerone; ſed a ſpirituali leone, qui longe ſævior ac nocentior eſt, puta, AB OMNI OPERE MALO, ſeu peccato: ut nempe nec verbo, nec opere ob ullos terrores aut tormenta negem Chriſtum, vel in fide aut conſtantia vacillem. Ita etiam legit Syrus, &

V. 19. De *Priſca*, *Aquila*, *Oneſiphoro*, *Eraſto* *z*, alibi audivimus.

V. 20. TROPHIMUM Arelatenſem Epiſcopum facit Anſelmus & Petrus Cluniacenſis *aa*. Hunc MILETI *bb* (urbe Aſiatica, iuxta Epheſum) RELIQUI INFIRMUM, inquit Paulus. Poſt reditum enim ex Hiſpaniis reviſit ſuos Aſianos, uti ipſis

promiſerat *ee*. Porro etiam hinc colligimus, hanc epiſtolam ſcriptam e ſecundis Pauli vinculis: nam in primis vinculis non tranſiit Paulus *Miletum* poſt vale dictum Timotheo, ut patet ex deſcriptione itineris eius in Actis Apoſtolorum *dd*. Neque pro *Mileto* legendum hic *Melitam*, ut vult Baronius, conſtat ex omnibus exemplaribus Græcis, Syris, Latinis, quæ conſtanter legunt *Miletum*.

V. 21. PUDENS vir erat apud Romanos clariſſimus, ſenatorii ordinis, pater S. Praxedis & Pudentianæ, & hoſpes SS. Petri & Pauli. LINUS S. Petro in Pontificatu proxime ſucceſſit, meminitque illius S. Ignatius Martyr. *ee*

(a) I. Theſſ. IV. 9.
(b) Cypr. Lib. III. Teſtimon. lxvei. ad Quirinum.
(c) Hebr. x. 37.
(d) Rom. xv. 16. & Philip. II. 17.
(e) II. Petr. I. 14.
(f) Chronici cap. ult. an. 13. & 14. Neronis.
(g) Auguſt. in Pſal. XXXI.
(h) Seneca ad Marciam XXIII.
(i) II. Cor. XI 23. &c.
(k) I. Cor. IX. 26.
(l) I. Cor. I. 27.
(m) Hic verſ. 6.
(o) Auguſt. Lib. I. de Peccatorum meritis cap. XVI.
(o) Chryſoſt. in morali ho. IX.
(p) Philipp. I. 1.
(q) Ad Philemon. verſ. 24.
(r) Mombrit. in martyrio S. Pauli.
(ſ) Act. XII. 25. & XV. 37.
(r) Lamprid. in Severo. Lazarus Bayfius Lib. de Re veſtiaria cap. XVI. Hieron. Dial. III. contra Pelagianos.
(u) Dionyſ. epiſt. VIII. ad Demophilum.
(x) I. Tim. I. 20
(y) Euſeb. Lib. II. hiſt. cap. XXII.
(z) Actor. XVIII. 2. & Rom. XVI. 3. II. Tim. 2. 16. Rom. XVI. 23.
(aa) Petr. Cluniac. Lib. I. epiſt. 11.
(bb) Act. XX. 17.
(cc) Philip. II. 24. Philemon. verſ. 22. Hebr. ult. verſ. 23.
(dd) Actor. XXVII.
(ee) Ignat. epiſt. ad Trallianos.

GORDONI.

Verſ. 1. TESTIFICOR. Obteſtatur Timotheum ut ſtrenue laboret in verbo. VIVOS ET MORTUOS. Vivi hic ſunt, qui Chriſto veniente ad iudicium reperientur vivi: & hi etiam tunc morientur, & reſurgent cum aliis: utroſque iudicabit Chriſtus.

V. 2. 3. ERIT ENIM TEMPUS. PRAEDICA VERBUM; nam venient tempora, quando novitatis ſectatores aggregabunt ſibi doctores ſimilis farinæ, non ab Epiſcopis ordinatos, ſed quos depoſcit populus tumultuarie convocatus. Hi, inquam, auditores novitatis, prurientes auribus, cupientes nova, vana & carnalia audire (nam ex Græco, prurientes, eſt nominativus) COACERVABUNT, &c. Tu contra verſ. 5. ne cede malis; ſed imple miniſterium Evangeliſtæ, nihil omittens. SOBRIUS ESTO, &c.

V. 6. EGO ENIM IAM DELIBOR. Tam impenſe Timotheum ad labores Evangelicos impellit; quia, inquit, non longe abſum ego a meta, & vitæ termino. Pene iam delibor, & offeror velut libamen inter vincula Neroniana, curſu properante ad finem, bravium intueor. Tu ergo, qui iuvenis es, perge alacriter; mortem hic vocat reſolutionem; anima enim immortalis non moritur, ſed ſeparatur. Ex hac mentione reſolutionis & mortis putant aliqui hanc epiſtolam ſcriptam in ſecundis vinculis, quando paſſus eſt Paulus martyrium. Melius Baronius refert ad priora vincula, & annum Chriſti 61. quod ex hoc ipſo capite colligi poteſt verſ. 17. ubi ait ſe liberandum, & verſ. 21. ubi Lucas adhuc eſt cum Paulo. Et Timotheum, vocat Romam (verſ. 8. & 11.) cum aliis. Dixi liberandum: nam demus duraſſe vincula uſque ad finem anni 61. habebat tamen revelatam a Chriſto libertatem, qui ei apparuit ex citato verſ. 17.

V. 8. & 9. Dubium an nunc cum Creſcente ſcripſerit ad Galatas. Lucas iſte finit hoc anno 61. hiſtoriam. Tychimus iſte ſubſtituitur Timotheo vocato Romam. Ceterum corona certaminis verſ. 8. eſt præmium, & vita æterna. Vocatur iuſtitiæ, quia eam iuſte meremur. Reddit vero iuſtus iudex, nempe quam adhuc habet apud ſe repoſitam, donec adproperet dies retributionis.

Ex hoc loco apparet nos bonis operibus mereri vitam æternam ex condigno; redditur enim pro merito, & a iudice ut iuſto in hac parte: ac demum in die publicæ iuſtitiæ. Sed de hac re dictum eſt ex profeſſo a Theologis in quæſtionibus de merito, & iuſtitia, quomodo ſit in Deo.

Quæri hic poteſt, cum loquitur Paulus de reddenda ſibi mercede, an de hac re habuerit revelationem. Dixit quidem Paulus I. Cor. IX *Caſtigo, ne forte reprobus*.

Unde

Unde colligunt plerique eum de hac ſalute ſua tantum habuiſſe fiduciam, moralem certitudinem & ſecuritatem, quam cum gratia ſuggerebat recordatio vitæ bene actæ. Et tamen Calvinus perditæ vitæ homo certam cognitionem ſibi fingit ſuæ prædeſtinationis. Vide I. Cor. IX. 24.

V. 13. PENULAM. Quid penula ſit, non convenit inter omnes. Sit certe veſtimenti genus, quo uti ſolent iter agentes ad pluviam depellendam.

De carpo viro ſancto lege Dionyſium Areopag. Epiſt. VIII. ad Demophilum. LIBROS, Sacræ Scripturæ, & ſcripta quædam alia.

ALEXANDER hic verſ. 14. faber ærarius erat, Paulo in multis adverſarius.

V. 16. &c. IN PRIMA MEA DEFENSIONE. Non hinc ſequitur ſcriptam hanc Epiſtolam e ſecundis vinculis, de quo iam dixi. Nam prima vincula habuerunt biennium, quo excurrente potuit ſæpius ſtare coram iudice. Subnectit hic libertatem exacto biennio, quo expleto ſcripta videtur epiſtola. Sequuntur ſalutationes conſuetæ. De Aquila Act. XVIII. De Oneſiphoro hic cap. I. 16. Eraſtus Rom. XVI. 23. Linus poſtea Romanus Epiſcopus. Pudens nobilis civis Romanus pater Praxedis & Pudentianæ. Anſelmus ſcribit Trophimum fuiſſe Aretatenſem Epiſcopum.

EPISTOLA
BEATI PAULI
APOSTOLI
AD TITUM.

TITUM eximie ſibi charum Apoſtolus ordinaverat Cretæ & vicinarum Inſularum Archiepiſcopum; ad eum ſcribit non tam ut illum ſui muneris admoneat, quam ut omnes Eccleſiæ paſtores inſtituat. Scripta eſt hæc Epiſtola circa annum Chriſti 66. ut viris eruditis videtur, e loco qui non procul aberat Nicopoli Epiri, vel, ut aliis placet, Macedoniæ. Paulus, ut veriſimile eſt, Titum Cretæ reliquit, cum poſt prima vincula Roma profectus in Græciam ſe contulit.

Digitized by Google

CAPUT. PRIMUM.

Facta in ſalutatione mentione ſpei vitæ æternæ quæ iam manifeſtata eſt, oſtendit quales debeat ordinare presbyteros ac epiſcopos; & de quibuſdam qui ob varia vitia dure ſunt increpandi; mundis omnia munda; quidam facto Deum negant.

1. PAULUS ſervus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti ſe-
cundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis,
quæ ſecundum pietatem eſt 2. in ſpem vitæ æternæ,
quam promiſit qui non mentitur, Deus, ante tempora
ſæcularia: 3. manifeſtavit autem temporibus ſuis ver-
bum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſe-
cundum præceptum Salvatoris noſtri Dei: 4. Tito di-
lecto filio ſecundum communem fidem, gratia & pax a Deo Patre, &
Chriſto Ieſu Salvatore noſtro. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea
quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego
diſpoſui tibi. 6. (*a*) Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios ha-
bens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. 7.* Oportet e-
nim epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum,
non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupi-
dum, 8. * ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, conti-
nentem, 9. amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſer-
monem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt,
arguere. 10. * Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeducto-
res; maxime qui de circumciſione ſunt: 11. quos oportet redargui: qui u-
niverſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.
12. Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper
mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. 13. Teſtimonium hoc verum eſt.
Quam ob cauſam increpa illos dure, ut ſani ſint in fide, 14. non inten-
dentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, averſantium ſe a veritate.
15. (*b*) Omnia munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt
mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia. 16. Confiten-
tur ſe noſſe Deum: factis autem negant; cum ſint abominati, & incredi-
biles, & ad omne opus bonum reprobi.

(a) I. Tim. iii. 2. (b) Rom. xiv. 20.

Digitized by Google

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 8. *Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium.* Non addas *prudentem*; cauſa explicatur Notationibus noſtris.

Verſ. 10. *Sunt enim multi etiam inobedientes.* Non omittas *etiam*.

Notatio.

Verſ. 1. O*Portet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe* (&c.) *hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum*. Sex Hentenii & undecim noſtra manuſcripta cum impreſſis aliquot libris, & Nicolai Lyrani commentariis addunt *prudentem*. *Benignum, prudentem, ſobrium*. Plures vero longe tum ſcripti, tum impreſſi codices cum Primaſio, Anſelmo, Hugone Carenſi, Nicolao Gorrano, & Brunone Carthuſiano tollunt; his non tantum quia pluribus, ſed longe magis quia antiquioribus, verioribus, ac melioribus maior adhibenda eſt fides. Ex illis quibus id additur, non unus eſt noſter, qui vetuſtate, aut auctoritate polleat. Græci libri adhæc, & Syriaci his qui omittunt ſuffragantur. Sed quæ Græce eſt vox *σώφρονα* & *prudentem* & *ſobrium* verti poteſt. Itaque editionis noſtræ verſioni *ſobrium* (neque enim hoc ab aliquibus exemplaribus omittitur) adiecta eſt a quibuſdam altera alterius *prudentem*. Certe Ambroſiaſtri editio *prudentem* habet, eo loco quo nos *ſobrium*, & quidem ſolum. B. Hieronymus in huius loci commentario ait, Latinum Interpretem verbi *σώφρονα* ambiguitate deceptum pro pudico prudentem tranſtuliſſe (ſic enim interpretari mavult pudicum ſive caſtum) aut ad eam qua Ambroſiaſter uſus eſt editionem reſpiciens, aut ad alia loca noſtræ. (I. Timo. III. verſ. 2. Tit. II. verſ. 2. 4. 5.) Nam hoc loco editionis noſtræ germanam tranſlationem *ſobrium* eſſe, & redundare quibuſdam *prudentem*, non nos tantum ex noſtris, verum etiam Zegerus ex ſuis exemplaribus iudicavit. Cum alibi porro, tum proximi capitis 6. verſu *ſobrium* legit editio noſtra ex *σώφρων* quemadmodum hoc loco: *Iuvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint, σωφρονεῖν*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. 2 & 3. SECUNDUM FIDEM ELECTORUM DEI. Apoſtolus, inquit, & a Chriſto ad prædicandum evangelium delegatus, *κατὰ τὴν πίστιν τῶν ἐκλεκτῶν Θεοῦ*, ad fidem electorum Dei, id eſt ut Græci exponunt, ut electi Dei credant, & agnoſcant veritatem non quamlibet, ſed QUAE SECUNDUM PIETATEM, id eſt quæ in pietate & religione conſiſtit. Nam ſcientiis humanis eſt ſua veritas, ſed illa in pietate non conſiſtit, nec ſui poſſeſſores pios facit. Apoſtolus ergo, inquit, *ſecundum fidem electorum*, id eſt propter fidem electorum, ut me prædicante credant, & SECUNDUM AGNITIONEM VERITATIS, id eſt ut agnoſcant veritatem Chriſtianam, quæ eſt ſecundum pietatem, & in ſpem vitæ æternæ, id eſt ſpem vitæ æternæ habens, & ut Chriſtianam veritatem, quæ ſecum habet ſpem vitæ æternæ annexam agnoſcant electi: ne vero ſpem hanc fruſtratoriam putares, addit, quam ANTE TEMPORA SAECULARIA, id eſt ab æterno Deus verax promiſit, licet promiſſam hanc vitam diu diſtulerit. MANIFESTAVIT AUTEM SUIS TEMPORIBUS VERBUM: definito autem tempore *verbum*, id eſt ſpem vitæ æternæ promiſſam, ut Hieronym. interpretatur manifeſtavit IN PRAEDICATIONE, id eſt per prædicationem Evangelii, quæ mihi credita & commiſſa eſt ex iniectione ſalvatoris noſtri Dei. Paulus ergo ille Apoſtolus Tito dilecto, ſive, ut Græci habent, *γνησίῳ*, id eſt legitimo ac germano filio per communem fidem, id eſt, per fidem, quam ego illum docui, ſubaudi ſalutem dicit.

V. 6. UNIUS UXORIS VIR. De hoc vide I. Timoth. III. 2. Bigamos autem hoc loco arcet ab epiſcopi dignitate, quod qui unica uxore non fuerit contentus, argumentum nonnullum præſtitit incontinentiæ. Lu-

xu-

XURIAE: ἀσωτίας, quod non tantum libidinem ſignificat, ſed immodicum rerum omnium luxum; non in accuſatione luxuriæ, id eſt non accuſatos de luxu.

V. 7. OPORTET ENIM EPISCOPUM SINE CRIMINE ESSE. Græc. ἀνέγκλητον, id eſt qui non fuerit aliquando ob crimen in ius vocatus: oportet enim epiſcopum non modo omni malo, ſi fieri poteſt, ſed etiam omni ſuſpicione mali carere, & omni reprehenſione ſuperiorem eſſe, SICUT DEI DISPENSATOREM, id eſt adminiſtratorem verbi Dei.

V. 10. DE CIRCUMCISIONE. Ii ſunt Iudæi apud Cretam nati, nam de his intelligere oportet ob ſequentia.

V. 12. PROPHETA: prophetam poetam vocat. Is eſt autem Epimenides qui dicitur proprius illorum, quia Cretenſis erat.

V. 13. SANI SINT IN FIDE, id eſt ſanam rectamque fidem ſequantur.

V. 15. OMNIA MUNDA. Iudæorum ſuperſtitionem arguit, qui putabant adhuc immundum eſſe aliquid ciborum, & ita perſuadebant nonnullis, contra quos Paulus nullum cibum ſua natura, aut Dei præcepto Chriſtianis immundum eſſe docet.

V. 16. INCREDIBILES; ἀπειθεῖς, id eſt increduli, & inobedientes.

S A.

AD TITUM, ſcilicet Cretæ Epiſcopum. Docet quæ in Epiſcopatu agere debeat: ubi & de Epiſcopi moribus & ſæcularium quædam tractat.

V. 1. SECUNDUM PIETATEM, id eſt de Dei cultu.

V. 2. SPEM; pro, ſpe. ANTE TEMPORA, ſcilicet eam prædeſtinans. SAECULARIA, id eſt ſæculi; quaſi dicat, Ante mundi creationem.

V. 3. IN; pro, per.

V. 4. DILECTO. Græc. *germano*, ſeu *vero*. COMMUNEM, ſcilicet Catholicam.

V. 5. CRETAE, id eſt in Creta inſula: vulgo *Candia*. PRESBYTEROS, id eſt Epiſcopos.

V. 6. UNIUS, id eſt qui non duas duxerit. NON IN, &c. id eſt qui non poſſint accuſari.

V. 8. BENIGNUM. Græc. *bonorum amantem*. CONTINENTEM, ſcilicet ab uxoris amplexibus: Hieron.

V. 9. SECUNDUM DOCTINAM, id eſt ad docendum commodum. FIDELEM, id eſt certum. IN; pro, per; vel, cum. ARGUERE, id eſt convincere.

V. 10. INOBEDIENTES, ſcilicet ei quod æquum eſt. Loquitur autem de iis quos argui oportet. CIRCUMCISIONE, id eſt Iudæis.

V. 12. QUIDAM, ſcilicet Epimenides. MALAE BESTIAE, id eſt pernicioſæ. VENTRES, id eſt homines, ſeu corpora.

V. 13. DURE, ſcilicet ſevere. SANI, ſcilicet ne errent.

V. 14. AVERSANTIUM; pro, avertentium.

V. 15. OMNIA. Cibos intelligit Lege veteri prohibitos. MUNDA, ſcilicet ex ſe. MUNDIS, id eſt pure utentibus & ut fides docet. NIHIL, ſcilicet quia non recte utuntur.

V. 16. CONFITENTUR, id eſt profitentur. ABOMINATI; pro, abominabiles. INCREDIBILES; pro, increduli. REPROBI, id eſt inepti.

MARIANAE.

Verſ. 1. SECUNDUM FIDEM Apoſtolus. Præpoſitio κατά, quæ hic eſt, multa ſignificat. Syr. *per fidem* vertit, alius *circa fidem*, ego *ad fidem*, id eſt ut electi credant, ſum Apoſtolus: ſic mox QUAE SECUNDUM PIETATEM, id eſt ad pietatem tendit. Deus

V. 3. VERBUM SUUM, id eſt Evangelium manifeſtavit ſuo tempore.

V. 4. SECUNDUM COMMUNEM FIDEM, id eſt Catholicam, non privatam, ſcilicet quæ inter nos eſt.

V. 5. ET CONSTITUAS PER CIVITATES. ἀορίστως, *indefinite*, idem eſt quod *per ſingulas civitates*, ut Act. xiv. 22. quod Lucas dixit κατ' ἐκκλησίαν, Interpres vertit, *per ſingulas eccleſias:* ergo *reliquiſte Cretæ*, pro, in Creta, *ut conſtituas presbyteros in ſingulis civitatibus*. Per *preſbyteros* Epiſcopos intelligit.

V. 6. SI QUIS SINE CRIMINE EST. Auguſt. contra duas epiſt. Pelag cap. xiv. *Sicut dixit, Si quis eſt ſine crimine, dixiſſet, Sine peccato, nullus in Eccleſia recte*

poſſet

poſſet ordinari miniſter: quippe omnes peccamus. Ergo per crimen, grave, & infame peccatum intellige. NON IN ACCUSATIONE LUXURIAE. Ἀσωτία non *luxuriam* tantum, ſed *intemperantiam*, *perditos mores* ſignificat. Ergo non ſint eo nomine infames.

V. 8 SOBRIUM, σώφρονα, Syr. *caſtum* vertit. CONTINENTEM, quos I. ad Timoth. III 2. σώφρονας, id eſt *caſtos* vult eſſe Epiſcopos, σώφρονας καὶ ἐγκρατεῖς, *caſtos & continentes*, hoc eſt, non ſolum a promiſcuo coitu (id enim eſt caſtum eſſe) ſed ab uxoribus etiam abſtinere: nam I. ad Corinth. VII. 9. iis qui non ſe continent, nubere permittit, ubi ea vox eſt; & ἐγκρατής abſolute poſitum, ad guſtus & tactus continentiam refertur, ut Ariſtoteles docet Libro I. Magn. Moral. Alioqui cum adiuncto, iræ, gloriæ, auri continentem dicimus.

V. 10. QUI DE CIRCUMCISIONE SUNT, id eſt ex Iudæis ſunt præ ceteris inobedientes, vani. Ut dixit

V. 12. PROPRIUS IPSORUM PROPHETA. Hic fuit Epimenides, clarus vir: quem ſeptem Græciæ Sapientibus quidam annumerarunt, excluſo Periandro, uti Plutarchus in Solone ait. Poeta *vates* vocatur, ſic etiam *propheta*. Vocat *proprium*, quia fuit Cretenſis templi Mithræ, ſeu Solis ſacerdos. Scripſit Oraculorum librum, unde Paulus hæc verba ſumpſit. Plutarchus in Solone e Creta Athenas advocatum ait. Increpa illos, ne intendant

V. 14. IUDAICIS FABULIS. Sic vocat cærimonias & traditiones Iudæorum.

V. 15. OMNIA MUNDA MUNDIS. Erant qui Iudæorum ex lege quaſdam eſcas improbarent.

V. 16. INCREDIBILES: ἀπειθεῖς, *increduli*, inobedientes ſunt ii homines.

MENOCHII.

Verſ. 1. SECUNDUM FIDEM ELECTORUM DEI, id eſt ad hoc miſſus, ut iis, qui ſunt a Deo electi, fidem qua ſalventur annunciem. Ut omnes fideles, maxime ſanctos, & electos doceam veram, ſinceram, & ſanctam fidem, quæ cognoſcant veritatem. ET AGNITIONEM VERITATIS: ut cognoſcant veritatem Evangelicam. QUAE SECUNDUM PIETATEM EST: quæ ſcilicet docet, & perſuadet ut ſancte, & pie vivamus, & recte de Deo, & religione ſentiamus. IN SPEM VITAE AETERNAE: quæ veritas nobis proponit vitam æternam, illam ſperare, & ad illam tendere docet.

V. 2. QUAM: vitam æternam. PROMISIT, id eſt dare decrevit propoſuit, prædeſtinavit apud ſe in ſua mente dare fidelibus ſuis. ANTE TEMPORA SAECULARIA: ante mundi conſtitutionem, antequam eſſet tempus, aut ſæcula.

V. 3. TEMPORIBUS SUIS: opportunis, & congruis. VERBUM SUUM: carnem factum, ita Divus Hieronym. Vel intelligit Dei promiſſionem iam dictam, de vita æterna. IN PRAEDICATIONE: per prædicationem. PRAECEPTUM: ἐπιταγὴν. Vatablus vertit *delegationem*.

V. 4. DILECTO: γνησίῳ, *germano*, *genuino* filio. SECUNDUM COMMUNEM FIDEM: non ſecundum carnem, ſed ſecundum communem fidem, & ſpiritum, quo ego te in Chriſto genui. GRATIA: ſcilicet ſit, aut multiplicetur.

V. 7. CRETAE: in Creta inſula. QUAE DESUNT CORRIGAS: ea emendes, & corrigas, quæ adhuc reſtant corrigenda. PER CIVITATES; κατὰ πόλιν, *oppidatim*. PRESBYTEROS: & etiam Epiſcopos; in maioribus quidem civitatibus Epiſcopos, in minoribus vero ſacerdotes parochos. SICUT EGO DISPOSUI TIBI; ſicut ego præceperam tibi; vel tales quales ego tibi deſcripſi, & iterum nunc deſcribam.

V. 6. SI QUIS SINE CRIMINE EST; quaſi dicat, Ille enim eſt presbyterio, aut epiſcopatu dignus, qui ſic vixit, ut nullus eum merito poſſit in crimen vocare, quique ſit boni nominis, & famæ. UNIUS UXORIS VIR: qui, ſi uxorem habeat, aut habuerit, non tamen acceperit ſecundam, ſed una contentus vixerit: vide dicta I. Tim. III. 2. FILIOS HABENS FIDELES: hoc eſt, Chriſti fidem profeſſos. NON IN ACCUSATIONE LUXURIAE: ἀσωτίας, quæ vox luxum in comeſſationibus, & compotationibus, & huiuſmodi ſignificat, quem tamen etiam carnis intemperantia comitari ſolet. AUT NON SUBDITOS: ἀνυπότακτα, filios non ſubiectos, maioribus inobedientes;

Digitized by Google

tes; qui ſubiici nolunt, qui in ordinem cogi non poſſunt.

V. 7. SICUT DEI DISPENSATOREM: vicarium ac miniſtrum in diſpenſatione Evangelii, & ſacramentorum. NON SUPERBUM: *αὐθάδη*, audacem, præfractum, durum, inflexibilem, protervum. NON PERCUSSOREM: vide dicta I. Tim. III. 3. NON TURPIS LUCRI CUPIDUM: qui lucrum captet undecumque, etiam repugnante honeſti ratione.

V. 8. BENIGNUM; *φιλάγαθον*, bonos amantem, bonorum amatorem. SOBRIUM; *σώφρονα*, quam vocem interpres vulgatus I. Tim. III. 3. vertit *prudentem*: vide quæ ibi notavimus. IUSTUM; qui innocenter inter homines vivat, & ſuum cuique tribuat. SANCTUM: *ὅσιον*, pium erga Deum, & religioſum. CONTINENTEM; qui cupiditates refrænet, eas potiſſimum quæ ſunt a libidine, & gula.

V. 9. AMPLECTENTEM: *ἀντεχόμενον*, tenacem, & mordicus retinentem. SECUNDUM DOCTRINAM, Chriſtianæ religionis. FIDELEM SERMONEM, id eſt veræ, & exploratæ certitudinis. UT POTENS SIT EXHORTARI IN DOCTRINA SANA, id eſt ſufficiens, & idoneus ſit, qui exhortetur ad pietatem, & ad omne genus virtutis; idque per ſanam, integram, & incorruptam Evangelii doctrinam. ARGUERE: Scripturæ, teſtimoniis, & firmis rationibus revincere.

V. 10. SEDUCTORES: qui errores ſeminant inter fideles, & a veritate abducunt. QUI DE CIRCUMCISIONE SUNT: qui a Iudaiſmo converſi ſunt, & ſimul cum Chriſtiana religione retinendum Iudaiſmum docent.

V. 11. QUOS REDARGUI OPPORTET: *ἐπιστομίζειν*, id eſt obturare illis os. QUAE NON OPORTET: falſa, & noxia.

V. 12. QUIDAM EX ILLIS: ſcilicet, Epimenides Poeta Cretenſis. PROPHETA. Vocat Epimenidem Prophetam; vel quia a ſuis habitus eſt Propheta, teſte Laertio; vel quia omnes Poetæ Vates appellantur; vel quia ſcripſit librum *De Oraculis*: vel tandem Propheta dicitur, quia ſcripſit vitia naturalia gentis ſuæ, quod perinde eſt ac poſterorum vitia prædicere, quia vitia nativa parentum fere in poſteros derivantur. CRETENSES SEMPER MENDACES, &c. Totus verſus hexameter eſt huiuſmodi:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι, κακὰ θηρία, γαςέρες ἀργαί

quem bene ſic vertas:

Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter iners eſt.

SEMPER MENDACES: inde ortum proverbium Græcorum, quibus *κρητίζειν*, *creti-zare*, idem eſt quod mentiri. MALAE BESTIAE: ſic appellantur, quod eſſent ad nocendum proclives, ut beſtiæ quæ morſu nocent, aut cornu petunt, &c. VENTRES PIGRI: quod otio, & ventri indulgerent.

V. 13. TESTIMONIUM HOC VERUM EST. Noverat hoc Paulus experientia doctus, & fama publica. INCREPA ILLOS DURE: *ἀποτόμως*, ſevere, rigide, præciſe, ad vivum. UT SANI SINT IN FIDE: ut integritatem doctrinæ Chriſtianæ conſervent, ac quidquid ei contrarium ſuggeritur reſpuant.

V. 14. NON INTENDENTES IUDAICIS FABULIS: ne ſeductoribus illis Iudæis fabulas ſuas Iudaicas vendiantibus aurem præbeant. ET MANDATIS HOMINUM. Taxat hic Apoſtolus mandata hominum, non omnium (ſic enim mandata omnium Regum, ac Principum eliderет) ſed eorum qui averſabantur veritatem, & pro ea fabulas ſubſtituebant, maxime Iudaicas, & qui ceremonias legis Moſaicæ retinere ſtudebant, & ciborum delectum ab illa præceptum.

V. 15. OMNIA MUNDA MUNDIS: Chriſtianis nullus eſt vetitus cibus quaſi immundus, licet enim aliquando lege Eccleſiaſtica abſtineant aliquibus cibis, non tamen propterea abſtinent, quod illos immundos putent. Chriſtiani dicuntur mundi, quod ſanguine Chriſti per baptiſmum mundati ſint. COINQUINATIS, ET INFIDELIBUS: infidelitate coinquinatis, & conſcientiæ errore. NIHIL EST MUNDUM: quia cibos non prohibitos lege Chriſti, ſed prohibitos lege Moſis vel comedunt, vel non comedunt: ſi non comedunt peccant ſuperſtitione; quia putant ſe debere illis abſtinere, ut legem Moſaicam ſervent, ſi comedunt peccant ex conſcientia erronea, cum enim putent fas non eſſe illis veſci, non tamen abſtinent; hoc enim ſignificat Apoſtolus cum ait, *Inquinatæ ſunt eorum mens & conſcientia*.

V. 16. CONFITENTUR: profitentur. FACTIS AUTEM NEGANT: quia facta profeſſioni non reſpondent, utpote præceptis Dei,

cuius notitiam iactant, omnino contraria. Abominati: βδελυκτοὶ, *abominabiles*, execrabiles. Incredibiles; ἀπειθεῖς, *increduli*; inobedientes, proprie *imperſuaſibiles*. Reprobi: ἀδόκιμοι, inepti, vitio ſuo ad omne opus bonum.

T I R I N I.

Verſ. 1. Apostolus Christi secundum; Græce, κατὰ, id eſt *circa* vel *propter*, fidem electorum; quaſi dicat: Miſſus ut electos inſtruam in fide, qua pulſis errorum tenebris cognoſcant veritatem Evangelicam, quæ docet pie ſanɛteque vitam inſtituere: ita Theophylactus.

V. 4. Tito dilecto, γνησίῳ, id eſt germano, genuino, vero, filio ſuo, non ſecundum carnem, ſed secundum communem omnibus Chriſtianis fidem & ſpiritum, quo ego illum in Chriſto genui.

V. 5. Reliqui te in inſula *Creta* Epiſcopum, immo Archiepiſcopum, ut per ſingulas civitates, κατὰ πόλιν, id eſt *oppidatim*, constituas presbyteros *a*, in maioribus Epiſcopos, in minoribus ſacerdotes Parochos, quales tibi aliquando deſcripſi, v. g. ut Epiſcopus ſit

V. 6. Sine crimine, id eſt (ut alibi *b* dixi) ſit *irreprehenſibilis*, nempe quoad delictum alicuius momenti: ſit boni nominis & famæ: non niſi unius uxoris vir *c*: filios (ſi qui ex eo ante ſacros Ordines progeniti, habens fideles, ſeu Chriſti fidem profeſſos, non in accusatione luxuriae, id eſt non accuſatos de ἀσωτία, id eſt de luxu in comeſſationibus & compotationibus, vel etiam de carnis intemperantia. Notat Strabo *d*, Cretenſibus familiarem fuiſſe fœdam prædeaſtiam.

V. 9. *Amplectens*, ἀντεχόμενος, id eſt tenax, retinens, conſtanter fovens fidelem sermonem, id eſt veræ & exploratæ certitudinis dogmata *ſecundum doctrinam* Chriſtianæ religionis.

V. 12. & 13. Quidam (Epimenides) ipsorum propheta, nempe poeta, philoſophus, ſacerdos & vates Cretenſis, qui teſte Laertio & Cicerone *e propheta* a ſuis habebatur, ſcripſitque librum *De oraculis* & de naturalibus vitiis ſuæ gentis. Huius teſtimonio, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί; quaſi dicat: *Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter iners eſt*. Quæ tria erant vitia gentis iſtius: primum mentiri & fallere: unde κρητίζειν, id eſt *cretizare*, idem eſt quod *mentiri*. Secundum, *mordere* & nocere aliis, quod eſt malarum ſeu noxiarum beſtiarum. Tertium, otio & ventri indulgere. *Teſtimonium hoc verum eſſe*, didici, inquit Paulus, non ſola fama publica, ſed & propria experientia. Unde & ſæpius de his *increpandi* & arguendi ſunt, etiam dure, ἀποτόμως, id eſt ſevere, rigide & ad vivum, item præciſe & ſine ambagibus aut involucris. Sed & curandum quoad doctrinam, ut sani sint in fide Chriſti, reſpuentes quidquid huic contrarium ſuggeritur, ac nominatim

V. 14. *Iudaicas* iudaizantium *fabulas*, & *mandata*, ſeu inſtituta, perverſorum hominum, qui *averſantur* & oderunt *veritatem*, ac pro ea fabellas ſubſtituunt, v. g. de ceremoniis legis Moſaicæ, de delectu ciborum, &c.

V. 15. Mundis enim, id eſt Chriſtianis ſanguine Chriſti mundatis in baptiſmo, omnia ſunt munda, id eſt nullum genus ciborum ex ſe *f*, vel ex lege ſua, eſt immundum. ut alibi *g* vidimus. Neque enim lex Eccleſiaſtica, quæ iubet ſubinde abſtinere a quibuſdam cibis, id iubet, quaſi immundi ſint cibi, ſed ſolum ut pœnitentiam hac via agamus. Coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum. An ergo omnia infidelium opera ſunt peccata? Minime: nam verba Pauli intelligenda ſunt formaliter; quaſi dicat: Infidelibus ut tales ſunt, ſeu quatenus infideli *mente & conſcientia* cibis ſeu utuntur, ſeu abſtinent, nihil eſt mundum. Opinantur enim, ex præſcripto legis Moſaicæ, vel Simonis Magi, vel ſimilium hæreticorum, ſtatuendum de uſu vel de abſtinentia ciborum: unde ſive utantur illis, ſive abſtineant, ſemper peccant. Si enim abſtinent, peccant ſuperſtitione, quia putant cibos immundos eſſe: ſi utuntur & comedunt, peccant *inquinata* & erronea *conſcientia*, quia putant, ſibi fas non eſſe illis veſci, & tamen veſcuntur. Sed de his alibi *h*: ita S. Hieronymus, Ambroſius, Chryſoſtomus, & Auguſtinus.

V. 16. Abominati, βδελυκτοὶ, id eſt *abominabiles*, execrabiles, et incredibiles,

LES, ἀπειθεῖς i, id eſt *imperſuaſibiles*, (ut Syrus vertit,) increduli & inobedientes: ET REPROBI, ἀδόκιμοι, id eſt *inepti*, ſed vitio ſuo & propria malitia ac libera voluntate, qua repudiant & reprobant OMNE OPUS BONUM, & proiecti ſunt in omne malum. Ex his tamen non ſequitur, hanc impietatem impedire, quo minus hæretici & infideles faciant ſubinde quædam opera ſaltem moraliter bona: (nam, ut addit hic Apoſtolus, CONFITENTUR DEUM, id eſt profitentur fidem Chriſti: quod ſane eſt opus bonum:) ſed ſolum quod ut plurimum, & ut tales nihil faciant boni, ut dixi verſ. 15.

(a) Philipp. I. I.
(b) I. Tim. III. I.
(c) Ibid.
(d) Strabo Lib. X.
(e) Cicer. q. I. de Divinatione.
(f) I. Tim. IV. 3.
(g) Rom. XIV. 6. &c.
(h) Rom. XIV. &c.
(i) Epheſ. II. 2.

GORDONI.

Verſ. 1 3. & 4. PRæmittit miſſionem ſuam, & miſſionis cauſam finalem, ut operetur ad ſalutem fidelium, promiſſam ante conſtitutionem mundi. MANIFESTAVIT AUTEM VERBUM, vel incarnatum, vel promiſſam hanc vitam æternam Paulo prædicante. At quibus promiſit? ſibi ſane; hoc eſt, decrevit ab æterno ita fieri in tempore.

V. 5. & 6. HUIUS REI GRATIA. A Paulo ordinatus eſt Epiſcopus, ut corrigat, præcipiat, ordinet miniſtros. SI QUIS SINE CRIMINE EST; quaſi diceret, Oportet ſine crimine eſſe; qui dignus eſt presbyterio, ſit bonæ famæ; & ſi uxorem duxit, ſit monogamus, I. Timoth. III. 2. ſi habet filios, ne ſint intemperantes, diſcoli, aut ad inobedientiam difficiles. Relictus vero cum poteſtate conſtituendi non ſolum minores presbyteros, ſed etiam maiores & Epiſcopos pro ratione urbium. Nam quod hic dicit Hieronymus, magis conſuetudine, quam divina inſtitutione Epiſcopos presbyteris eſſe maiores, hoc intelligunt multi de uſu poteſtatis, non de poteſtate: nam ipſe ad Marcellam dicit Epiſcopos tenere locum Apoſtolorum.

Sed quorſum illud verſ. 5. SICUT DISPOSUI TIBI? nempe ut hinc videas Chriſtum non ſtatuiſſe de omnibus, quæ ſpectant ad regimen Eccleſiæ, ſed multa reliquiſſe ſtatuenda a Paſtoribus.

V. 7. OPORTET EPISCOPUM. Docet qualis debeat eſſe Epiſcopus. Virtutes recenſet, quibus opponit vitanda vitia. Ex his colligitur quid etiam neceſſarium ſit in miniſtris inferioribus. Res clara eſt, & moralis doctrina.

V. 10. SUNT ENIM MULTI. Invehitur in Iudæos & Hæreticos, quos arguere oportet, præſertim eos qui ex circumciſione & Iudaiſmo converſi, adhuc iudaizant. DIXIT QUIDAM, verſ. 12. Eſt hic Epimenides Cretenſium Poeta. At cur eum vocat Prophetam? Forte quia Poetæ vates vocantur. Immo ſcripſit librum de Oraculis, ac demum de vitiis ignotis gentis ſuæ. Apud hunc eſt Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, *ſemper mendaces*. Hinc *cretizare*, κρητίζειν. Item, malæ beſtiæ (propenſi ad nocendum) ventres pigri (otio indulgentes.) Verum ait Paulus eſſe hoc teſtimonium; fama ſcilicet & experientia probatur.

V. 14. NON INTENDENTES. Iubet hos reprehendi, præſertim ut abſtineant a Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, non quidem omnium; nam regibus obtemperare iubet alibi Paulus: ſed iis hominum mandatis, quæ ſunt contra veritatem. De his enim & Iudaicis fabulis Paulus.

V. 15. OMNIA MUNDA. Hoc iam illud iterum eſt, in quo arguendi ſunt iudaizantes, nempe de ſuperſtitione in cibis; ex quo fit, ut omnia illis ſint immunda, dum cibum mundum ab immundo diſcernunt. Chriſtianis quidem nullus eſt cibus immundus, ſed illis in conſcientia mundis munda ſunt omnia, nec cibus vetitus, ut immundus aut coinquinatus. Interdum quidem lege Eccleſiaſtica præcipitur abſtinentia ab hoc vel illo cibo in bonum finem: ſed nihil eſt ibi immundum. Contra vero iudaizantibus præter cibum immunda eſt conſcientia: nam regrediuntur a profeſſione, ſuperſtitioſi ſunt, credere neſcii, abominabiles & reprobi, quantum in ipſis eſt. Vides hic quam maligne Novatores detrahunt ieiuniis Eccleſiaſticis.

Digitized by Google

C A P U T II.

Quomodo docere debeat ſenes, anus, adoleſcentulas ac iuvenes, præbendo ſe omnibus vitæ exemplum: & in quibus nos erudiat gratia Dei quæ apparuit, beneficia etiam per Chriſtum nobis exbibita oſtendit.

1. TU autem loquere quæ decent ſanam doctrinam: 2. ſe-
nes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in
dilectione, in patientia: 3. anus ſimiliter in habitu
ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes,
bene docentes: 4. ut prudentiam doceant adoleſcentu-
las, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant, 5. †
prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, be-
nignas, ſubditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei. 6. Iuvenes
ſimiliter hortare ut ſobrii ſint. 7. In omnibus teipſum præbe exemplum
bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, 8. verbum ſa-
num, irreprehenſibile: ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens
malum dicere de nobis. 9. (a) Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omni-
bus placentes, non contradicentes, 10. non fraudantes, ſed in omnibus fi-
dem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omni-
bus. 11. * Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus homini-
bus, 12. erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria,
ſobrie, & iuſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, 13. expectantes beatam ſpem,
& adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti: 14. qui
dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mun-
daret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. 15. Hæc
loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

(a) Epheſ. VI. 5. Coloſſ. III. 22. I. Pet. II. 18.

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 11. Apparuit enim gratia Dei ſalvatoris noſtri. Non ſcribas femininum *ſalutaris*, pro maſculino *ſalvatoris noſtri*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 5. P*Rudentes, caſtas, ſobrias*. Sunt libri & auctores, qui omittunt *τὸ ſobrias*, eo quod altera ſit verſio, ex Græca voce *σώφρονας*, quam Interpres iam reddiderat *prudentes*.

Notatio.

Verſ. 5. P*Rudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes;* de adoleſcentibus maritatis eſt ſermo. Iam tertio ex ancipiti voce *σώφρων* aucta eſt noſtra editio, altera translatione. Nam quæ in plerisque libris, atque ab Auctore Gloſſæ, ac poſterioribus Gloſſematicis ambo leguntur *prudentes*, & *ſobrias*, uni eidemque illi Græcæ voci reſpondent, *σώφρονας*. Habet vero maior librorum pars primo loco *prudentes*, tertio *ſobrias*; quidam autem octo (Mal. ma.

T. E.

T. E. Pl. m. I. Atr. s. R. P.) ſcripti noſtri *ſobrias* ſecundo loco τῷ *prudentes* adiunctum: *Prudentes*, *ſobrias*, *caſtas*, qua ex varietate fit manifeſtius, alterum ex altera interpretatione, vel certe ex ſuperioribus ſimilibus locis adiectum. Neque vero ſi utrumque dediſſet Interpres, a ſe invicem ſeparaſſet, id quod facit maior librorum pars. Porro cum præcedenti proxime luco germana noſtræ editionis interpretatio monſtrata ſit eſſe *ſobrium*, adiectitiaque *prudentem*, hic e contra germana translatio videtur *prudentes* eſſe, adiectitia *ſobrias*, (varie τὸ σώφρων nunc hoc, nunc illo modo reddere Interpretem iam oſtendimus) hoc enim, *ſobrias* inquam, a tribus antiquitate venerandis manuſcriptis omittitur, Germani lato, Societatis lato, & cuius fidem maximi facio, Malmundarii minori. Tum τὸ *prudentes* ab omnibus eo legitur loco, quo Græce σώφρονας. Hieronymus *pudicas* vertit (id enim ſuperius probabat) ſic & Ambroſiaſtri editio, quam noſtræ editionis verſione auctam eſſe autumo, cum habet: *Prudentes*, *pudicas eſſe*, *caſtas*, *domus curam habentes*. Nam *pudicas eſſe* iis quæ præcedunt congruit: *ut inſtituant adoleſcentulas*, *viros ſuos diligere*, *amare filios*, *pudicas eſſe*, *caſtas* &c. Ita ſunt omnia ſciolorum iniuriis expoſita, ut miſceant, ſeparent, addant, demant, mutent, quæ libet.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 3. IN HABITU SANCTO. Græce ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, id eſt eo habitu, qui ſacras & Deo dicatas matronas decet, ut habitus non veſtimenta tantum, ſed etiam geſtum, & inceſſum, omnemque corporis compoſitionem ſignet. NON CRIMINATRICES. Græc. μὴ διαβόλους, id eſt non calumniatrices.

V. 7. & 8. TEIPSUM PRAEBE, &c. Exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Græc. aliter legunt ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν, σεμνότητα, ἀφθαρσίαν, id eſt exhibe in doctrina tua *integritatem*, ut non ſit de nugis inutilibus, *incorruptionem*, ne hæreſeon veneno ſit infecta, VERBUM SANUM, irreprehenſibile. Noſter interpres qui præcedentia in ablativo legit, hunc ſenſum facit, præbe & exhibe in omni doctrina, integritate, gravitate verbum ſanum & irreprehenſibile, UT IS QUI EX ADVERSO EST, id eſt adverſarius veſter vereatur, Græc. ἐντραπῇ, id eſt pudefiat, & confundatur, NIHIL HABENS MALUM DICERE DE VOBIS, id eſt non habens in quo de vobis maledicat.

V. 10. NON FRAUDANTES. Græce μὴ νοσφιζομένας, eſt autem νοσφίζεσθαι proprie furtim aliquid decerpere & detrahere, quum rem totam non auſis tollere, quod ſervis furacibus eſt peculiare.

V. 14 ACCEPTABILEM. Græc. περιούσιον, quod vocabulum negat Hieron. alibi, quam in ſacris litteris reperiri, ſed fictum a ſeptuaginta, nunc ſumi pro grato, & accepto; nunc pro egregio, & peculiari.

V. 15. CUM IMPERIO. Gr. μετὰ ἐπιταγῆς, id eſt cum iniunctione ne imperioſum aliquid putes.

DICTO OBEDIRE. Gr. πειθαρχεῖν, quod proprie eſt magiſtratibus parere: quamquam etiam ſimpliciter obedire ſignificat.

S A.

Verſ. 3. SANCTO, id eſt religioſo, ſeu Chriſtianam decente. CRIMINATRICES, id eſt calumniatrices. BENE; pro, bona.

V. 4. PRUDENTIAM. Syr. *pudicitiam*.

V. 5. PRUDENTES, ſcilicet eſſe doceant. BLASPHEMETUR, id eſt vituperetur.

V. 8. VERBUM, ſcilicet tuum ſit. EX ADVERSO, id eſt adverſarius. VEREATUR, id eſt erubeſcat.

V. 10. FRAUDANTES, ſcilicet in miniſterio, ſeu rebus heri. FIDEM BONAM, id eſt fidelitatem.

V. 11. GRATIA, id eſt miſericordia.

V. 12. SAECULARIA, id eſt mundana. PIE, id eſt religioſe.

V. 13. BEATAM SPEM, id eſt ſperatam beatitudinem.

V. 14. ACCEPTABILEM, id eſt acceptum. Græc. περιούσιον, id eſt *peculiarem*, ſeu *eximium*.

V. 15. NEMO TE, &c. quaſi dicat: Sic te gere, ut nemo poſſit te merito contemnere.

ELIA.

MARIANAE.

Verſ. 2. PRUDENTES, ſeu caſti, σώφρονας ſint ſenes.

V. 2. ANUS SIMILITER IN HABITU SANCTO, ſeu *decenti* coram Deo. NON CRIMINATRICES, ſeu *calumniatrices*, διαβόλυς.

V. 4. UT PRUDENTIAM DOCEANT, ſeu *pudicitiam*, ut Syr. σωφρονίζωσι adoleſcentulas.

V. 5. PRUDENTES, CASTAS. Syr. *caſtas*, *ſanctas*, σώφρονας, ἁγνάς, *ſobrias*. Hoc Græce non eſt, nec in Syr. aut in Goth. ſolus Veleſius addit νηφαλέυς, unde?

V. 6. UT SOBRII SINT. Syr. *caſti*. σωφρονεῖν iuvenes hortare. Eſto aliis exemplo.

V. 7. IN DOCTRINA, IN INTEGRITATE, &c. ſive, *in doctrina integritatem*, *gravitatem*, *incorruptionem*, ſic Græc. Ergo doctrina ſit ſolida, non de nugis, non infecta pravis opinionibus. Quid ſervi?

V. 10. NON FRAUDANTES. Syr. *non fures*, νοσφιζομένυς *appropriantes*. Hiſp. *no ſiſen*. Apparuit gratia

V. 11. SALVATORIS NOSTRI. Græc. & Syr. *gratia ſalutifera*, ἡ σωτήριος: noſter tamen legit Græce τῦ Σωτῆρος, id eſt *Salvatoris noſtri*. Id ad bonum invitat: & ut

V. 12. SOBRIE, ſeu *caſte*, σωφρόνως, vivamus & iuſte. Qui ſe dedit, ut; mundaret ſibi

V. 14. POPULUM ACCEPTABILEM, id eſt eximium, περιεσιον, quam vocem novam ait Hieronymes a Sept. introductam, quæ varia ſignificat variis in locis. Hæc loquere

V. 15. CUM OMNI IMPERIO. Non vult eſſe imperioſum, ſed auctoritate & ſine timore docere, & regere pro poteſtate illi data, & ut Chriſti miniſter.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUAE DECENT SANAM DOCTRINAM: quæ ſanæ doctrinæ conſentanea ſunt.

V. 2. SENES UT SOBRII SINT: νηφάλιοι, quæ vox tam vigilantes, quam ſobrios ſignificat: vide ſupra epiſtola I. ad Timoth. cap. III. 2. PUDICI: σεμνοί maturi, & graves. PRUDENTES: vide dicta loco proxime citato ad Timoth. III. 2. ubi hæc eadem vox habetur. SANI IN FIDE, id eſt integri, & firmi. IN DILECTIONE: ut ſcilicet ſit ſincera, & ſine ſimulatione. IN PATIENTIA. Ille eſt ſanus in patientia, qui ita tolerat adverſa, ut propterea nihil peccet, aut in Deum, aut in proximum.

V. 13. IN HABITU SANCTO: qui ſcilicet ſanctimoniam, & religionem redoleat. NON CRIMINATRICES: διαβόλυς, calumniatrices, quæ lites ſerunt, & omnes ad rixas, & pugnas accendunt. NON MULTO VINO SERVIENTES, id eſt deditas; non ebrioſas. BENE DOCENTES: bona docentes; quaſi dicat, Anus doceant iuvenculas non levia, anilia, aut turpia, ſed bona & honeſta.

V. 4. UT PRUDENTIAM DOCEANT ADOLESCENTULAS: ἵνα σωφρονίζωσι τάς νέας, ut temperantes, & moderatas faciant adoleſcentulas: vide dicta II. ad Timoth. 1. 7. ubi explicavimus quid ſit σωφρονισμὸς. ADOLESCENTULAS: loquitur de adoleſcentulis tam nuptis, quam innuptis.

V. 5. PRUDENTES: σώφρονας, vide dicta verſ. præcedenti. SOBRIAS: non eſt hæc vox in Græco, & videtur eſſe interpretatio vocis Græcæ σώφρονας, de qua nunc dictum. DOMUS CURAM HABENTES: quæ aſſidue ſint domi, & rem domeſticam curent. BENIGNAS: ἀγαθάς, bonas, placidas, mites erga domeſticos. UT NON BLASPHEMETUR VERBUM DEI: ne Chriſtiana doctrina male audiat apud infideles, quaſi contraria vitia foveat, aut doceat.

V. 6. SOBRII: vide dicta verſ. 4.

V. 8. VERBUM SANUM, id eſt præbe verbum ſanum; ab eo enim verbo regitur hoc membrum. Intelligit doctrinam orthodoxam, non vitiatam aut corruptam, ſed & integram. IRREPREHENSIBILE: quod reprehendi non poſſit. IS QUI EX ADVERSO EST, id eſt adverſarius, ſcilicet Gentilis, Iudæus, vel hæreticus. VEREATUR: pudefiat, confundatur.

V. 9. SERVOS: ſupple, hortare. IN OMNIBUS PLACENTES: obſequentes in omnibus, quæ divinæ regi non repugnant. NON CONTRADICENTES. S. Ambroſius vertit, *Non reſponſantes*.

V. 10. NON FRAUDANTES: μὴ νοσφιζομένυς, non ſuffurantes, non intervertentes. FIDEM: fidelitatem: UT DOCTRINAM SALVATORIS NOSTRI DEI ORNENT, id eſt ut obedientia, fide, & morum integritate, do-

doctrinam Chriſtianam apud heros ſuos commendatam reddant, quo plures ad eam ampleɛtendam alliciantur.

V. 11. APPARUIT ENIM GRATIA, &c. quaſi dicat, Docet nos Chriſtianos ſancte vivere iuxta præcepta hactenus tradita; nam verſamur in luce Evangelii, qua docti ſumus veram religionem, & officia hominis Chriſtiani. Pro *apparuit*, Græce eſt ἐπεφάνη, illuxit. GRATIA DEI; ſcilicet, miſericordia, & benevolentia Dei omnibus hominibus exhibita in incarnatione Chriſti: vel nomine *Gratiæ Dei*, intelligit ipſam incarnationem: vel Chriſtum Salvatorem noſtrum gratuito incarnatum.

V. 12. IMPIETATEM: incredulitatem, idololatriam, & ſuperſtitionem omnem. SAECULARIA DESIDERIA, id eſt mundanas concupiſcentias, ſcilicet cupiditates omnes carnis, opum, honoris, & gloriæ. SOBRIE: temperanter, & moderate.

V. 13. EXPECTANTES BEATAM SPEM: interim dum expectamus promiſſam beatitudinem tamquam præmium bonorum operum huius vitæ. ET ADVENTUM GLORIAE MAGNI DEI: intelligit glorioſum Chriſti adventum ad iudicium extremum.

V. 14. POPULUM ACCEPTABILEM: ſic vocat peculiariter electum, & dilectum a Deo, ut nos ab omni iniquitate redemptos, & emundatos poſſideret tamquam populum peculiarem. SECTATOREM BONORUM OPERUM: ζηλωτὴν, zelatorem, æmulatorem bonorum operum, id eſt magna cum alacritate, & ingenti ſtudio, & animo, virtutis opera capeſſentem.

V. 15. CUM OMNI IMPERIO: ſcilicet, plena poteſtate, & auctoritate. NEMO TE CONTEMNAT; quaſi dicat, Ita te gere in tuo munere; adeo ſancte, & irreprehenſibiliter vive, ut nemo te audeat contemnere.

T I R I N I.

Verſ. 3. HAbitus *ſanctus* is eſt qui ſanctimoniam & religioſam modeſtiam redoleat ac deceat; græce, ἱεροπρεπεῖς, id eſt qui deceat ſanctas, puta matronas Deo dicatas in baptiſmo. BENE: græce, *bona* DOCENTES, non levia, non anilia, non ſordida.

V. 5. UT VERBUM DEI, id eſt doctrina & religio Chriſtiana, NON BLASPHEMETUR aut male audiat apud infideles, quaſi impia vel abſurda doceat.

V. 8. VERBUM SANUM, id eſt doctrinam incorruptam, *præbe*, ſeu deprome, ſubditis tuis: UT quicumque EX ADVERSO EST, ſeu adverſatur Chriſtianæ religioni, (ſit Iudæus, ſit Gentilis, ſit hæreticus) VEREATUR, id eſt erubeſcat illi detrahere.

V. 10. FIDEM BONAM OSTENDENTES; id eſt, ſinceram fidelitatem in re qualibet præſtantes, UT ſua integritate, obedientia & promptitudine DOCTRINAM Chriſtianam apud omnes commendatam reddant, quo plures ad illam complectendam alliciantur. Nam etiam ſervi & ancillæ, ſi moribus honeſtis & commodis ſe probatint apud Ethnicos, valde commendant & *ornant* religionem Chriſtianam, inquit S. Chryſoſt. Merito autem vivendum nobis ſancte ac religioſe:

V. 11. APPARUIT ENIM; græce, ἐπεφάνη, id eſt *illuxit* nobis, (ſcilicet in incarnatione Verbi divini) GRATIA DEI SALVATORIS. Græce, *miſericordia Dei ſalutifera*: ita S. Hieronymus.

V. 12. Hæc gratia NOS tamquam rudes pueros *erudit* inſtar pædagogi, (hoc enim eſt παιδεύειν, inquit Gellius *a*) *abnegare*; primo, IMPIETATEM, ſeu doctrinæ, ſeu morum; ſecundo, SAECULARIA DESIDERIA, id eſt mundanas concupiſcentias, ſeu cupiditates carnis, opum, honoris & gloriæ: ita S. Bernardus *b*. Nam *diſciplina Chriſtianæ profeſſionis* non omnis commendatur in miraculis faciendis, neque in futurorum prædictione, neque in compoſito eloquio, vel Scripturarum explanatione, ſed in reſecandis concupiſcentiis noſtris, inquit S. Laurentius Iuſtinianus *c*.

V. 14. UT MUNDARET a ſordibus peccatorum, & mundatum adlegeret SIBI POPULUM ACCEPTABILEM, περιούσιον, id eſt eximium, peculiarem, ſeu inſtar peculii ſelectum ac dilectum, inquit S. Hieron. SECTATOREM, ζηλωτὴν, id eſt *zelatorem*, æmulatorem, BONORUM OPERUM, id eſt magnis animis, magna alacritate, ſtudio, fervore, virtutis exercitia capeſſentem.

V. 15. HAEC talia *loquere* & inculca Cretenſibus tuis: refractarios ARGUE, increpa, & compeſce CUM OMNI IMPERIO, id eſt plena poteſtate & auctoritate. Atque in omni munere tuo te geras, ut NEMO auſit

Digitized by Google

auſit TE *contemnere*, deſpicere, villipendere quaſi infra ſe poſitum, inquit S. Hieron. Quod maxime monet propter nobiles & potentes in plebe, qui deſpiciunt Epiſcopos. *Ubi ergo malitiæ iuncta eſt potentia* (inquit S. Bernardus, e) *aliquid ſibi ſupra hominem præſumendum: vultus tuus ſuper facientes mala: timeat ſpiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat: timeat orationem, qui admonitionem contempſit. Cui iraſceris tu, Deum ſibi iratum, non hominem putet: qui te non audierit, auditurum Deum contra ſe paveat* & horreſcat.

(a) Gellius Lib. XIII. cap. XIII.
(b) Bern. Serm. XI. inter parvos.
(c) Iuſtinian. Lib. de Interiori conflictu cap. VIII.
(d) I. Tim. IV. 12.
(e) Bernard. de Conſideratione in fine Lib. IV.

GORDONI.

Verſ. 1. TU AUTEM LOQUERE. Nihil eſt fere quod in hoc claro capitis contextu lectorem moretur, ubi, ut præfatus ſum, ſolum varia hominum genera docere vult, quomodo bene vivant, & iuxta ſanctitatem Chriſtianæ religionis. Ubi illud eſt maxime notandum, quod verſu quinto & octavo inculcat, ut memores ſint Chriſtiani omnes boni exempli erga proximum, & ædificationis ſpiritualis, ne, inquit, male audiat Chriſtiana doctrina apud eos qui ex adverſo ſunt.

V. 11. 12. &c. APPARUIT. Docet ex his quæ recenſita ſunt, oportere, ut Chriſtiani vivant iuxta tradita ſanctitatis præcepta, quia ſunt in luce Evangelii, quæ profert vitæ ſancta monita & præcepta. Et ad hoc ipſum atque ad hunc finem apparuit in terris Salvator mundi erudiens nos, ut honeſte vivamus, expectantes adventum eius, & promiſſam felicitatem. Non omittit Paulus ſubindicare viam & modum, immo & medium per quod pervenitur ad hæc omnia, quæ recenſuit, bona. UT ABNEGANTES SECULARIA DESIDERIA. Prohibe conſenſum in malum, & delectationem de malo. Inhibe ſemper, & ſtabit abnegatio hæc, & inculpata vita, in qua eſt totum.

V. 13. MAGNI DEI: *τὸ magnum* explicat glorioſum Chriſti ſecundum adventum: utrumque eſt de Chriſto. Male Eraſmus arrianizans per magnum Deum intelligit Patrem, & ſub nomine Salvatoris, Filium.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Ad quas virtutes ſuos debeat adhortari, & a quibus vitiis dehortari: & quod a peccatis prioribus ſola Dei benignitate ſalvati ſimus per lavacrum regenerationis, facti in ſpe heredes vitæ æternæ: monetque ut hæc docens vanam devitet doctrinam, ſimiliter & hæreticos.

1. ADmone illos principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe; dicto obedire, ad omne opus bonum paratos eſſe. 2. neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. 3. Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. 4. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei; 5. (*a*) non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, 6. quem effudit in nos abunde per Ieſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: 7. ut iuſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. 8. Fidelis ſermo eſt: & de his volo te confirmare: ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & utilia hominibus. 9. (*b*) Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita, ſunt enim inutiles, & vanæ. 10. Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita: 11. ſciens quia ſubverſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. 12. Cum miſero ad te Artemam, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hiemare. 13. Zenam legiſperitum, & Appollo ſolicite præmitte, ut nihil illis deſit. 14. Diſcant autem & noſtris bonis operibus præeſse ad uſus neceſsarios, ut non ſint infructuoſi. 15. Salutant te qui mecum ſunt omnes: ſaluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

(a) I. Tim. IV. 7. II. Tim. I. 23. (b) II. Tim. II. 23.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 5. RENOVATIONIS. Græc. genitivus, ἀνακαινώσεως verti poteſt in accuſativum per renovationem SPIRITUS SANCTI.

V. 7. SECUNDUM SPEM: nondum enim hæredes ſumus in re, ſed in ſpe.

V. 12. NICOPOLIM. Chryſoſt. hic dici exiſtimat Nicopolim Thraciæ civitatem. Hieron. Nicopolim Epyri.

V. 13. PRAEMITTE. Græc. πρόπεμψον,

quod etiam ſignificat comitare, & honoris gratia deducito.

S A.

Verſ. 1. ILLOS, ſcilicet Cretenſes. POTESTATIBUS, id eſt magiſtratibus. DICTO, ſcilicet eorum.

V. 2. BLASPHEMARE, id eſt maledicere, ſeu convitiis appetere. LITIGIOSOS, id eſt contentioſos.

V. 3. ODIBILES, id eſt odio digni.

V. 4. HUMANITAS. Græc. φιλανθρωπία, id eſt *amor in homines*.

V. 5. SECUNDUM, id eſt propter, vel ex. SANCTI, ſcilicet opera.

V. 7. SECUNDUM, &c. id eſt certo ſperantes vitam æternam.

V. 8. SERMO, ſcilicet præcedens, vel ſequens. CONFIRMARE, ſcilicet alios; quaſi dicat, Hortari diligenter. PRAEESSE, id eſt intendere.

V. 9. LEGIS, id eſt de lege. Syr. *Scribarum*.

V. 11. CUM SIT, &c. quaſi dicat, Proprium ſequens iudicium, ſeque ita condemnans.

V. 13. LEGISPERITUM, ſcilicet Iudaicæ. PRAEMITTE, ſcilicet ad me, vel alio forte quo fuerant a Paulo deſtinati. UT; pro; ſic ut.

V. 14. NECESSARIOS, ſcilicet pauperibus.

V. 15. AMEN. Græc. additur, *Scripta ex Nicopoli Macedoniæ*. Syr. vero, *Miſſa per Zenam & Apollo*.

M A R I A N AE.

Verſ. 2. NEMINEM BLASPHEMARE admone, id eſt de nullo obloqui, quo mutua benevolentia fovetur. Id fiet, ſi conſideremus quales

V. 3. ERAMUS. Id mites facit, ſi conſideremus quales nos ſumus, aut antea fuimus. Cum Chriſtus apparuit, liberavit nos per lavacrum regenerationis

V. 5. ET RENOVATIONIS, ſive *per renovationem Spiritus ſancti*. Græca utroque modo verti poſſunt.

V. 8. BONIS OPERIBUS PRAEESSE, id eſt bona opera exequi curent fideles.

V. 9. STULTAS. Nihil in Eccleſia proponi vult, quod non ſit ad ædificationem comparatum. Hæreticum vita,

V. 11. QUIA SUBVERSUS EST, nulla converſionis ſpe. Zelotypia, amentia, hæreſis, tres morbi incurabiles: ſic vulgus. PROPRIO IUDICIO CONDEMNATUS: *αὐτοκατάκριτος, ex ſe condemnatus*, id eſt manifeſte, quia ſcilicet ſuum iudicium ſequitur aliis omnibus contemptis.

V. 12. CUM MISERO AD TE ARTEMAM. Fuit Epiſcopus Lyſtræ. AUT TYCHICUM. Duo eo nomine, alter Colophonis, alter Chalcedonis Epiſcopi. Hippolytus de Septuaginta diſcipulis. NICOPOLIM tu veni. Hieronymus Nicopolim Epyri putat, Chryſoſtomus, Nicopolim Thraciæ.

V. 13. ZENAM LEGISPERITUM ET APOLLO SOLICITE PRAEMITTE: πρόπεμψον, deduc illos, aſſiſte illis, UT NIHIL EIS DESIT, viaticum habeant.

M E N O C H I I.

Verſ. 1. ILLOS; ſcilicet, Cretenſes. PRINCIPIBUS ET POTESTATIBUS SUBDITOS ESSE: ut ſubditi ſint, & obedientes Principibus & Magiſtratibus. DICTO OBEDIRE: πειθαρχεῖν, id eſt prompte, libenter, & ex animo obedire. AD OMNE OPUS BONUM: a Magiſtratu, vel Principe iniunctum.

V. 2. NEMINEM BLASPHEMARE, id eſt maledicere, aut convitium in quemquam iacere. NON LITIGIOSOS ESSE: contentioſos, & rixarum amantes. SED MODESTOS: ἐπιεικεῖς, *æquos, placidos, mites, humanos*.

V. 3. INSIPIENTES: ἀνόητοι, *ſtulti, inconſulti*. INCREDULI: ἀπειθεῖς, *inobedientes*. ERRANTES: tam in via morum, quam doctrinæ. IN MALITIA AGENTES: improbitate, perverſitate, nequitia. ODIBILES: στυγητοί, *odio digni*.

V. 4. BENIGNITAS, ET HUMANITAS, id eſt ſingularis Dei erga homines amor, ſtudium, & dilectio.

V. 5. NON EX OPERIBUS IUSTITIAE, QUAE FECIMUS NOS, id eſt non merito operum noſtrorum iuſtorum SED SECUNDUM SUAM MISERICORDIAM: propter ſuam miſericordiam, id eſt gratis ex mera ſua miſericordia. PER LAVACRUM REGENERATIONIS: per-

per baptiſmum, quo exterius abluti intus regeneramur in filios Dei per gratiam adoptionis. ET RENOVATIONIS SPIRITUS SANCTI: quo ſcilicet baptiſmo per gratiam Spiritus ſancti renovamur; & novi homines efficimur ſancti, iuſti, & Deo amici.

V. 6. QUEM: ſcilicet, Spiritum ſanctum. ABUNDE: large, copioſe.

V. 7. UT IUSTIFICATI, id eſt a peccatis expurgati, & iuſtitia donati. GRATIA IPSIUS: non merito noſtro. HEREDES SIMUS SECUNDUM SPEM: iam incipiamus ſperare, & tendere ad hereditatem regni cæleſtis.

V. 8. FIDELIS SERMO; quaſi dicat, Vera ſunt, & certa quæ dixi. DE HIS VOLO TE CONFIRMARE: volo te hæc aſſeverare, prædicare. BONIS OPERIBUS PRAEESSE: *προΐςασθαι*, ita incumbere, & ſtudere bonis operibus, ut aliis ſint duces ad eadem bona opera, ſcilicet exemplo, & etiam adhortatione. HAEC SUNT BONA, ET UTILIA HOMINIBUS: hoc enim agere honeſtum eſt, & utile.

V. 9. GENEALOGIAS: vide dicta I. ad Tim. 1. 4. Docet Hieronymus morem fuiſſe iudaizantium, ut ab exordio Adam, uſque ad Zorobabel omnium generationes ita memoriter, velociterque percurrerent, ac ſi nomen ſuum referrent. PUGNAS LEGIS: futiles, & Rabbinicas quæſtiones circa legem.

V. 10. CORREPTIONEM: commonitionem, quæ leniter fit, docendo, & monendo ut reſipiſcant. DEVITA: *παραιτȣ̃*, reiice, averſare, reſpue.

V. 11. SUBVERSUS EST: *ἐξέςραπται*, eversus eſt, ſcilicet fide, ſpe, & bonis omnibus. DELINQUIT, id eſt peccat ſciens, & prudens, cum ſit in hæreſi obſtinatus. PROPRIO IUDICIO CONDEMNATUS: a ſeipſo condemnatus, nimirum per ea quæ facit, quia ſuo vitio fit, ut ab hæreſi non emergat, & reſipiſcat.

V. 12. CUM MISERO AD TE ARTEMAM, AUT TYCHICUM, ut ſcilicet tui abſentiam in Creta ſuppleant. NICOPOLIM: quæ civitas eſt Epiri. HIEMARE: hiemem tranſigere.

V. 13. LEGISPERITUM: iuris Moſaici non Romani, aut Græci. APOLLO: cuius frequens mentio in Actis Apoſtolorum, & Epiſtolis D. Pauli. UT NIHIL ILLIS DESIT: monit, ut ita viatico inſtructos mittat, ut nihil illis deſit in itinere.

V. 14. DISCANT NOSTRI: te hortante diſcant Chriſtiani. BONIS OPERIBUS PRAEESSE: vide dicta verſ. 8. UT NON SINT INFRUCTUOSI: ut etiam ipſi ad rem Chriſtianam promovendam concurrant, & ut poſſunt fructum faciant, iuvantes ſuis opibus Evangelicos prædicatores, & miniſtros Eccleſiæ. QUI MECUM SUNT, id eſt familiares, & adiutores mei. QUI NOS AMANT IN FIDE: illo amore, quem Chriſtiana fide profitetur. CUM OMNIBUS VOBIS, id eſt fidelibus, quia apud te ſunt.

TIRINI.

Verſ. 4. APPARUIT, ſeu illuxit *a*, HUMANITAS, *φιλανθρωπία*, id eſt *amor* ille ſingularis *erga homines*.

V. 7. NON EX merito *operum* noſtrorum *iuſtorum*, (quæ nulla ante erant,) SED SECUNDUM gratuitam SUAM MISERICORDIAM SALVOS NOS FECIT, id eſt iuſtificavit, PER LAVACRUM REGENERATIONIS, id eſt per baptiſmum, quo exterius abluimur, ſed interius per infuſam SPIRITUS SANCTI gratiam renovamur, ac regeneramur in filios Dei, & heredes vitæ ac gloriæ æternæ.

V. 8. FIDELIS SERMO, id eſt certa & indubitata ſunt quæ dico: ET DE HIS, atque per hæc, VOLO TE TUOS CONFIRMARE, UT CURENT BONIS OPERIBUS PRAEESSE, *προΐςασθαι*, id eſt inſtar ducum præſtare, præire ac præcellere aliis, non ſolo verbo, ſed & opere & exemplo: ita Theophyl.

V. 9. GENEALOGIAS, (de quibus alibi *b*) ET futiles PUGNAS Rabbinicas circa quæſtionis LEGIS, DEVITA, reiice, averſare.

V. 10. *Hereticum*, necdum tibi ſat perſpectum vel exploratum, admone, inſtrue, corripe: ſed ſi POST UNAM atque alteram CORREPTIONEM, (*νȣθεσίαν*, Hieron. vertit, *admonitionem*) pertinax maneat & contumax, DEVITA, nec ulteriorem operam perdas.

V. 11. SCIENS QUIA talis SUBVERSUS EST, *ἐξέςραπται*, id eſt *everſus eſt* & excidit gratia, fide, ſpe & omnibus bonis: ET DELINQUIT ac peccat, non ex ignorantia vel infirmitate, ſed ſciens, prudens,

atque ex malitia & obſtinatione in malo, CONDEMNATUS etiam PROPRIO IUDICIO & ſua ſponte, quia non vult iis auſcultare per quæ poſſit ex erroribus ſuis emergere & in viam redire.

V. 12. CUM MISERO AD TE TYCHICHUM *c*, ut tui abſentiam in Creta ſuppleat, FESTINA AD ME VENIRE NICOPOLIM Epiri.

V. 14. DISCANT NOSTRI Chriſtiani (quod & ſupra *d* monui) PRAEESSE aliis ac præcellere *bonorum operum* ſtudio, AD USUS aliorum NECESSARIOS, v. g. eleemoſynis occurrentes neceſſitati atque indigentiæ pauperum: UT ſic etiam ipſi in vinea Evangelica NON SINT INFRUCTUOSI, ſed ſinguli pro modulo ſuo rem communem promoveant.

(a) Hic cap. II. II.
(b) I. Tim. I. 4.
(c) II. Tim. IV. 12.
(d) Hic. verſ. 8.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. ADMONE. Obtemperent: πειθαρχεῖν, eſt ex animo id agere. AD OMNE OPUS BONUM. Nam non debent principes præcipere peccatum. Damnat hic impiam Galilæorum ſectam, docentem ſoli Deo obtemperandum eſſe. NEMINEM BLASPHEMARE. Blaſphemare eſt convitium in aliquem iacere aut maledicere, & I. Cor. IV. maledicimur, & benedicimus. Latinis eſt convitium in Sanctos, aut Deum proferre.

V. 3. ERAMUS. Probe diſponit lectorem Chriſtianum, & Titum ad præcepta hæc morum utiliter audienda: dum commemorando vitam præteritam malam, ſimul oſtendit bonum quod eſt præ manibus, ex gratia baptiſmi & vocatione. Nec omittit tertium de fine & adventu Chriſti, ut ſic triplici hac conſideratione (quæ efficaciſſima eſt) excitentur homines ad bona opera. Hoc tria tractat uſque ad verſum nonum.

V. 4. CUM AUTEM. Recte S. Thomas docet hic humanitatis vocem (φιλανθρωπία) non eſſe aſſumptionem humanæ naturæ, ſed deſignare ſingularem Dei Patris amorem & dilectionem, qua Deus Pater velut Salvator, filium ſalvatorem nobis dedit, qui præſtaret hominibus, quæ hic commemorat. Hinc docet Hieronymus hic notari Trinitatem. Hoc verſiculo 4. eſt Pater, verſu 5. Spiritus ſanctus, verſu 6. Filius. Ac ſicut filius vocatur Salvator in natura aſſumpta, ita Pater vocatur hic in ſuo ordine Salvator ex dilectione erga nos, quam habuit ab æterno; libera tamen, ex nullo etiam commodo ſuo. Nam quod ſint creaturæ, nullam affert Deo perfectionem, ſicut etiam ex nullo noſtro merito nos prædilexit. Quæres unde ergo hic amor, cum in hoc obiecto nihil boni præviderit? Reſpondeo dilectionem Dei primam, aut rationem commodi non peti a bonitate obiecti (quamvis ita ſit in nobis) ſed a ſua ipſius bonitate, ut docent Theologi ſuo loco.

V. 5. & 6. PER LAVACRUM REGENERATIONIS. Hinc aperte evincitur virtus baptiſmi. Mirum eſt Calvinum impudenter negare hic veram ſpiritualem renovationem, regenerationem, παλιγγενεσίαν. Lege Tertull. de Reſurr. carnis. Accedit ex verſ. 6. Spiritus ſanctus, quem ait effundi in nobis per baptiſmum Chriſti. De hac autem communicatione Spiritus ſancti, an ſit per dona eius, an etiam ratione perſonæ alibi diſputatum eſt.

V. 7. UT IUSTIFICATI GRATIA. Iuſtificatio hæc, ut iam docuit Paulus fit per gratiam inhærentem, & plenam extinctionem peccati. Inde vero ſequitur hæreditas, UT SIMUS HAEREDES, inquit, SECUNDUM SPEM, nempe ut iam incipiamus ſperare, & per bona opera tendere ad promiſſam vitam æternam. Sic, inquam, ſperamus nos fore hæredes vitæ æternæ, & ſperando operamur. Sane iuſtus quamdiu eſt in hac vita, non eſt reipſa hæres, ſed ſpe & deſtinatione Dei. Succedentibus vero bonis operibus & perſeverantia, iuſtus reipſa aſſequitur hæreditatem.

V. 8. FIDELIS SERMO; ac ſi diceret, Vera, certa & ſolida ſunt hæc quæ commendantur: talis nempe eſt tota Chriſtiana doctrina: Hæc, inquit, age BONIS OPERIBUS PRAEESSE, προΐστασθαι, ita ſcilicet incumbe bonis operibus, ut inde tibi & aliis proſint. Et hoc ſenſu προΐστασθαι, recte habet genitivum ex Budæo, quicquid dicat Beza.

V. 9. Fuge inania & fabulas Iudæorum.

De

De his fabulis ſupra I. Tim. IV. Pugnas legis vocat Rabinicas quæſtiones futiles. *Hæreticus ſubverſus* eſt, hoc eſt, ita funditus, ut ille qui bonis omnibus excidit, nec fidem aut ſpem retinens, pertinax, volenſque peccans, ſuo iudicio damnatus cenſeatur homo obſtinatus.

V. 12. CUM MISERO. Hoc eſt, feſtina ad me ſtatim ac venerint ad te in Cretam hi qui vicem tuam ſupplebunt. Nicopolis civitas eſt Epiri ſic dicta ab Actiaca victoria. Zenas legis Moſaicæ peritus. Apollo, eloquens de quo Act. XVIII. 24. Hos advocat ut adiutores. De viatico providendum eſſe monet, liberalitate Chriſtianorum, te hortante, ut diſcant hinc bonis præeſſe operibus (ut dixi verſ. 8.) erga Evangelicos prædicatores.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

PAULUS cum Romæ eſſet vinctus, hanc ſcripſit Epiſtolam ad Philemonem virum nobilem inter Coloſſenſes, & inſigni pietate ſpectabilem. Hanc una cum Epiſtola ad Coloſſenſes miſit per Oneſimum, qui ſervus erat Philemonis, quique corrogatis quibuſdam heri ſui rebus Romam confugerat, ubi ad fidem Chriſtianam converſus eſt ab Apoſtolo. Huic in prioribus ſuis vinculis magno fuit ſolatio & adiumento. Itaque Paulus in hac brevi quidem Epiſtola, ſed caritatis & divinæ eloquentiæ plena, Philemonem rogat, ut ignoſcat Oneſimo, benigne eum excipiat; quod non modo præſtitit Philemon, ſed & fugitivum ſervum libertate donavit; iſque tantos in religione chriſtiana progreſſus fecit, ut poſt Timotheum Epheſi Epiſcopus ordinatus fuerit. Hunc Ignatius martyr in Epiſtola ad Epheſios magnis effert laudibus.

Digitized by Google

CAPUT UNICUM.

Philemoni, cuius caritatem ac fidem collaudat, Oneſimum ſervum ipſius remittit; quem illi commendat, & eius culpam in ſe recipit; indicans ſe cupere ipſum habere, ut ſibi miniſtret in Evangelii prædicatione.

1. PAULUS vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater; Phi-
lemoni dilecto, & adiutori noſtro, 2. & Appiæ ſoro-
ri chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Ec-
cleſiæ, quæ in domo tua eſt. 3. Gratia vobis & pax
a Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. 4. Gra-
tias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in
orationibus meis, 5. audiens caritatem tuam, & fi-
dem, quam habes in Domino Ieſu, & in omnes ſanctos: 6. ut communi-
catio fidei tuæ evidens fiat * in agnitione omnis operis boni, quod eſt in
vobis in Chriſto Ieſu. 7. Gaudium enim magnum habui, & conſolationem
in caritate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater. 8. Pro-
pter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu imperandi tibi quod ad
rem pertinet: 9. propter caritatem magis obſecro, cum ſis talis, ut Pau-
lus ſenex, nunc autem & vinctus Ieſu Chriſti: 10. Obſecro te pro meo fi-
lio, quem genui in vinculis, Oneſimo, 11. qui tibi aliquando inutilis fuit,
nunc autem & mihi & tibi utilis, 12. quem remiſit tibi. Tu autem illum,
ut mea viſcera, ſuſcipe: 13. quem ego volueram mecum detinere, ut pro
te mihi miniſtrares in vinculis Evangelii: 14. ſine conſilio autem tuo nihil
volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed volunta-
rium. 15. Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam a te, ut æternum illum re-
ciperes: 16. iam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem, maxi-
me mihi; quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino? 17. Si
ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me. 18. Si autem aliquid nocuit
tibi, aut debet; hoc mihi imputa. 19. Ego Paulus ſcripſi mea manu, ego
reddam, ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes: 20. ita frater.
Ego te fruar in Domino: Refice viſcera mea in Domino. 21. Confidens in
obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id, quod dico, facies.
22. Simul autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras do-
nari me vobis. 23. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Ieſu,
24. Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei. 25. Gratia Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 6. In agnitione omnis operis boni. Correctores iudicarunt non eſſe omittendum *operis*.

Sequitur: *Quod eſt in vobis in Chriſto Ieſu*. Nec hic omittendum cenſuerunt *quod eſt in vobis*: immo *quod eſt* neutrum, prætulerunt quæ eſt feminino, & ſecundam perſonam *in vobis* primæ *in nobis*.

Notationes.

Verſ. 6. UT *communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione* (*agnitionem* 3. MS.) *omnis boni*, (*boni omnis* 0.) *quod eſt in vobis in Chriſto Ieſu*. Moguntina, & pleræque aliæ typographorum editiones cum uno atque altero manuſcripto exemplari addunt *operis*: *in agnitione omnis operis boni*; id quod & Græce legitur in primo & decimo Pariſienſium antigraphis: ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ. Primum eſt Complutenſe; cui adde ea quæ ex illo nuper expreſſa ſunt. Ceterum ut plerique omnes Latini codices manuſcripti id omittunt, ita & Græci alii quotquot vidi; quibus Syri, & Tractatores B. Hieronymus, Dionyſius Richelius, atque ætate intermedii Græci, & Latini quos conſuluimus, omnes volunt; quamquam Theophylactus frequentem operis faciat mentionem, forte quod ſubaudierit, ut quidam alii: nam in calce enarrationis ait: „ Sed omne „ potius bonum, quod in vobis eſt, hoc eſt „ quod tibi adeſt, effundas in egentes. " Hentenius itaque & Zegerus Latinæ noſtræ editionis caſtigatores id reiecerunt. Non tamen nuper adiectum eſſe, id quod Zegerus exiſtimat, ſatis loquuntur vetuſtiſſima manuſcripta, ſed noſtræ editionis minus ſtudioſa, Malmundarii maius & T, in quibus & quidem ſolis id invenimus hunc in modum: *In agnitione* (*agnitionem* T.) *omnis* (T. ſed male.) *operis boni quod in nobis eſt in Chriſto Ieſu*.

Tò *quod eſt*, quod ſequitur in impreſſis nullis reperi, niſi in Hentenii, & Zegeri opera emendatis, nec in manuſcriptis niſi duobus proxime commemoratis, Mal. ma. & T, diviſim *quod in nobis eſt*. In duobus aliis H. & Buſſ. atque Ambroſiaſtri textu, *quæ in nobis* (*vobis* H.) *eſt* legitur (verum H. 18. legit demum poſt *in Chriſto Ieſu*) in tribus E. Pl. m. I. ſuperflua cum coniunctione, *&* *quæ in nobis* (*vobis*.) *eſt*. A pleriſque autem nihil huiuſmodi agnoſcitur; Haymone, Auctore Gloſſæ, atque huius ſchola ſuffragantibus. Arbitror editioni noſtræ explicationis gratia hæc addita; ſubaudiendum enim eſt huiuſmodi aliquid, *quod eſt*, *quæ eſt*, *quod ſit*, aut *qui eſt*; ſiquidem addas *in nobis* aut *vobis*: idque Græca indicant. Sed cetera quidem Græco cougruere poſſunt: παντὸς ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ἡμῖν; *quæ eſt* vero non poteſt, niſi τοῦ articulo aut omiſſo, aut cum τῷ mutato. Hieronymus tamen licet textus *quod in vobis eſt* habeat, *quæ eſt* intelligit; *qui eſt* Scholiaſtes Hieronymi operibus iunctus; *quod eſt* Theophylactus atque Euthymius; *quod ſit* niſi *nobis* legerit, noſtra opinione Chryſoſtomus, ceteroqui *quod eſt*. Syrus ambiguus ex ſe eſt ad *quod eſt*, & *quæ eſt*.

In vobis quod proximum eſt, legunt ſeptem exemplaria manuſcripta Ge. l. Lob. Q. E. G. H. A. & excuſa a Quentelio Biblia, correctaque ab Hentenio, & Zegero. His adſtipulantur Græci codices complures Chryſoſtomus, & Theophylactus Græci enarratores, denique Syriaca antigrapha. *In nobis* porro habent ſeptem alia exemplaria manuſcripta, Mal. ma. mi. So- la. T. Pl. m. I. Bruſſ. His Græca Complutenſis, & Regia editio, omneſque Græci codices ad quos ſuam novi Teſtamenti Græcam editionem Pariſienſes contulerunt, auxiliantur; Hieronymus præterea, & Hieronymo iunctus Scholiaſtes, Latini tractatores (quamquam Hieronymi textus *in vobis* huius neutrum habeat) poſtremo Græcus Auctor Euthymius tametſi de hoc, an Thophylacto non debeat adiungi, vehementer dubitem: & de Chryſoſtomo id quod tandem ait: „ Si ſocius, inquit, es in fide, debes „ eſſe & in ceteris ſocius "; dubium nonnihil an *nobis* legerit, reddit. Maior vero Latinorum librorum pars tum ſcriptorum, tum impreſſorum neutrum legit, nec *in nobis* nec *in vobis*; tantum *in agnitione omnis boni in Chriſto Ieſu*; ex ſcriptis noſtris Brug. Leod. Q. L. &c. ex impreſſis Mog. Colon. Nuren. &c. Quibus Haymo, Auctor Gloſſæ, Anſelmus, Lombardus, pepetuus gloſſæ non ſectator tantum, ſed deſcriptor potius, Carenſis, Thomas, Lyranus, Gorranus, Bruno, Richelius concinunt. Auctoris commentariorum Ambroſio adſcriptorum textus, *quæ in nobis eſt* addit: ſed utrum Auctor ipſe hoc legerit, commentarius qui poſt agnitionem omnis boni nihil explicat incertum relinquit. Quæ nunc genuina ſit editionis noſtræ ſcriptura,

pru-

prudenti lectori iudicium relinquo. *Operis* & *quod eſt* ſive *quæ eſt* transfodienda eſſe ſatis certum videtur: ſed de tertio hoc quid verum ſit, mihi non conſtat, an: *Omnis boni in vobis in Chriſto Ieſu*; an: *Omnis boni in nobis in Chriſto Ieſus* an: *Omnis boni in Chriſto Ieſu*.

Sed necdum finis eſt varietatum in hac una pericope. Plerique Latini libri cum Græcis *in Chriſto Ieſu* habent; unus cum Syricis *in Ieſu Chriſto*; duo textus Hieronymo, & Ambroſiaſtro iuncti dumtaxat *in Chriſto*; quidam Atrebatenſis Collegii ſericatus, & ii quibus Ambroſius Catharinus eſt uſus abſque auctoritate, niſi forte Brunonis Carthuſienſis nihil horum.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 6. EVIDENS FIAT. Interpres legit, ἐναργὴς, Chryſoſt. ἐνεργὴς, id eſt efficax: & ſenſus eſt, UT COMMUNICATIO FIDEI TUAE, id eſt quam nobiſcum communem habes, evidens & efficax fiat: id eſt appareat in agnitione omnis boni operis, id eſt dum in bona opera exibit in Chriſto Ieſu, id eſt per Chriſtum.

V. 7. GAUDIUM. Interpres legit χαρὰν, id eſt gaudium: quidam χάριν, id eſt gratia. REQUIEVERUNT. Græce ἀναπέπαυται, quod etiam ſignificat, ſic ut refocillata ſint.

V. 9. QUUM SIS TALIS. Græc. legunt quum ego Paulus talis tu, nimirum ſenex: quamquam idem ſenſus.

V. 12. MEA VISCERA, id eſt mihi intime charum.

V. 14. NE VELUT EX NECESSITATE: ne tam coactus quam ultroneus & ſponte hanc mihi gratiam feciſſe videreris.

V. 15. AD HORAM, id eſt ad tempus: nam Græce ὥρα tempus ſignificat, ſed breve.

V. 16. IN CARNE ET IN DOMINO; id eſt & in temporalibus rebus & Domini negotio.

V. 18. IMPUTA. Græce ἐλλόγει, id eſt fer expenſum.

V. 21. SUPER ID QUOD DICO, id eſt pluſquam dico.

V. 23. EPAPHRAS: hic Coloſſenſis erat, unde & Coloſſenſem, ait Chryſoſt. fuiſſe Philemonem.

SA.

AD PHILEMONEM, ſcilicet Phrygem, & Coloſſenſem. Commendat ei ſervum eius fugitivum, a ſe ad fidem converſum, tanta porro caritate & modeſtia, ut mihi Epiſtola valde mirabilis videatur.

V. 1. CHRISTI, id eſt ob Chriſtum. ADIUTORI. Græc. *cooperario*.

V. 2. APPIAE. Uxor erat Philemonis. ARCHIPPO. Eum quidam putant de quo Coloſ. IV. ECCLESIAE, id eſt fidelium congregationis. TUA, ſcilicet Philemonis.

V. 3. DOMINO; pro, Dominum.

V. 6. UT; pro, adeo ut; vel, oro ut. COMMUNICATIO, id eſt participatio, ſcilicet qua præditus es fidei. EVIDENS, id eſt manifeſta, ſcilicet omnibus. IN AGNITIONE, id eſt per manifeſtationem. IN CHRISTO, id eſt ſecundum Chriſtum.

V. 7. IN; pro, de. REQUIEVERUNT, id eſt refocillata ſunt.

V. 8. AD REM PERTINET, id eſt convenit.

V. 9. PROPTER, &c. quaſi dicat, Malo uti caritate, quam auctoritate. SIS, Alii, *ſim*; quaſi dicat, Cum talis ſim, nempe Paulus ſenex, &c. ſed lectio noſtra probanda; quaſi dicat, Cum tu ſis ſenex; malo rogare, quam imperare.

V. 11. UTILIS. Alludit ad nomen *Oneſimi*, quod *utilem* ſignificat.

V. 12. UT MEA. Græc. *id eſt mea*. VISCERA; quaſi dicat, Dilectiſſimum mihi.

V. 13. EVANGELII, ſcilicet cauſa iniectis.

V. 14. CONSILIO, id eſt ſententia. BONUM, id eſt beneficium.

V. 15. HORAM, id eſt breve tempus. AETERNUM, id eſt numquam a te receſſurum.

V. 17. SOCIUM, ſcilicet in fide, ſeu religione.

V. 18. NOCUIT. Forte aliquid furatus aufugerat.

V. 20. ITA, ſcilicet ſi id feceris quod rogo. Græc. ναὶ, id eſt *certe*; quaſi dicat, Ita eſt ut dico. FRUAR, id eſt capiam

fructum ex te, ſeu voluptatem. VISCERA MEA, id eſt dilectum mihi.

V. 22. DONARI; pro, donatum iri.

V. 25. AMEN. Græc. & Syr. additur, *Miſſa e Roma per Oneſimum.*

MARIANAE.

Verſ. 1. ET TIMOTHEUS. Adiungit Timotheum, ut duorum preces ſint magis efficaces. PHILEMONI DILECTO. Benevolum eum reddit.

V. 2. ET APPIAE SORORI CHARISSIMAE. Goth. non eſt *charissima*, Græc. non eſt *ſorori*, ſed tantum *Appia dilectæ:* forte erat uxor Philemonis. Oro ut communicatio fidei tuæ.

V. 6. EVIDENS FIAT: noſter legit ἐναργὴς, id eſt *manifeſta*. Græc. modo ἐνεργὴς, id eſt *efficax*, ſic Chryſoſtomus, id eſt frugifera fiat operibus, & AGNITIONE OMNIS OPERIS BONI, id eſt agnoſcatis bonum omne quod Chriſtus attulit. QUOD EST IN VOBIS. Goth. & Græce *in nobis*, ſine *quod eſt*. Sententia non diſcrepat, ſive *evidens* legas ſive *efficax:* nempe fidem eius in opera prodire vult, & gaudeo quod per te

V. 7. VISCERA SANCTORUM REQUIEVERUNT. Benefecerat illis. Accedit ad preces.

V. 9. PROPTER CARITATEM, &c. Goth. *per caritatem magis obſecro*. Præpoſitio διὰ utroque modo verti poteſt. SENEX, NUNC AUTEM ET VINCTUS. Vinculorum & ætatis meminit, ut magis eum flectat. Obſecro ergo te pro Oneſimo,

V. 11. QUI TIBI ALIQUANDO INUTILIS FUIT. Paronomaſia; nam *Oneſimus*, *utilem* ſignificat. Porro de hoc *Oneſimo*, ut de viro gravi, fit mentio ad Coloſ. IV. 9.

V. 12. UT MEA VISCERA SUSCIPE, id eſt Goth. id eſt *mea viſcera:* ſic Græc. τυτέςι τὰ ἐμὰ σπλάγχνα.

V. 16. ET IN CARNE, id eſt temporalibus negotiis. ET IN DOMINO fratrem, ut talem ſuſcipe.

V. 17. SI ERGO HABES ME SOCIUM, id eſt ſi putas inter nos nihil eſſe diviſum. Si nocuit,

V. 18. HOC MIHI IMPUTA, id eſt mihi ſer expenſum. Volo in eo eſſe debitor tuus.

V. 23. SALUTAT TE EPAHRAS. Hic fuit Doctor & Apoſtolus Coloſſenſium, ut initio Epiſtolæ ad Coloſſenſes eſt dictum cap. 1. 7. & IV. 12. unde Chryſoſtomus Philemonem etiam Coloſſenſem fuiſſe putat: tum quia verſ. 2. Archippum ſalutat, qui in eo munere Epaphræ Coloſſis ſucceſſit. Ad Coloſſenſes IV. verſ. 17. ſed ad Coloſſenſes cap. IV. 9. de Oneſimo Philemonis ſervo ait, *qui ex vobis eſt*.

MENOCHII.

Verſ. 1. PAULUS VINCTUS IESU CHRISTI; quaſi tacite dicat, Per hæc vincula, quæ pro Chriſto patior, te obſecro. ET TIMOTHEUS: Timotheum addit ſignificans idem illum optare, & poſtulare. ADIUTORI NOSTRO: ita Philemonem appellat, quod opibus & opera in promovendo Evangelio Paulum iuvaret.

V. 2. APPIAE: erat hæc uxor Philemonis. SORORI: in Chriſto, erat enim Chriſtiana, ut maritus eius Philemon. ARCHIPPO: erat hic Epiſcopus Coloſſenſium. COMMILITONI NOSTRO: ſic I. ad Timoth. I. 18. de laboribus in propagando Evangelio loquitur ſub militiæ metaphora. ET ECCLESIAE, QUAE IN DOMO TUA EST, id eſt & univerſæ tuæ familiæ, quæ Chriſtiana eſt.

V. 4. SEMPER MEMORIAM TUI FACIENS, id eſt qui numquam oro, quin tui meminerim, tuamque ſalutem Deo commendem. Eidem Deo gratias ago, *audiens caritatem tuam*, &c.

V. 5. AUDIENS CARITATEM TUAM, ET FIDEM, &c. Ordo, & ſenſus eſt: Gratias ago Deo meo, de his quæ fama referente de te audito, ſcilicet de fide tua, quam habes in Dominum Ieſum, & de caritate, quam paſſim erga omnes ſanctos, id eſt Chriſtianos operibus ipſis exerces.

V. 6. UT COMMUNICATIO FIDEI TUAE, &c. Adeo, ut illa tua in ſanctos beneficentia, ex fide perfecta, neutiquam latere poſſit. IN AGNITIONE OMNIS OPERIS BONI, id eſt agnoſcentibus omnibus, & prædicantibus opera tua bona, quæ plurima facis. QUOD EST IN VOBIS: quod a vobis fit, ſcilicet a te, & a tuis. IN CHRISTO IESU, id eſt per Chriſti gratiam, vel in negotio fidei Chriſti Ieſu Domini noſtri.

V. 7. IN CARITATE TUA: de caritate tua. VISCERA SANCTORUM REQUIEVERUNT

RUNT PER TE, id eſt recreata ſunt, & refocillata; ſenſus eſt, Philemonem ſuam caritatem in eo declaraſſe, quod ſanctos, id eſt fideles, inopia, & miſeria corporali preſſos, miſericorditer refocillaſſet.

V. 8. FIDUCIAM: παῤῥησίαν, id eſt libertatem. IN CHRISTO IESU: per Chriſtum Ieſum. IMPERANDI TIBI QUOD AD REM PERTINET, id eſt quod decens, conveniens, & officii tui eſt, ut ſcilicet tuam caritatem in ſervum tuum pœnitentem oſtendas.

V. 9. PROPTER CARITATEM MAGIS OBSECRO: tamen, quamvis imperare poſſim, caritas, qua te ut fratrem amo, facit ut malim rogare. CUM SIS TALIS, UT PAULUS SENEX: cum ſis ſenex æque ut ego, ſenes enim non increpandi, ſed rogandi ſunt. ET VINCTUS IESU CHRISTI. Addit Paulus ſenio ſua vincula, ut efficacior ſit obſecratio; quaſi dicat: Da hoc ſenio meo, ſi non, da ſaltem hoc vinculis meis.

V. 10. QUEM GENUI IN VINCULIS: quem in carcere conſtitutus in fide inſtitui, & Chriſtianum feci.

V. 11. QUI TIBI ALIQUANDO INUTILIS FUIT: alludit ad nomen *Oneſimi*, quod *utilem* ſignificat. TIBI UTILIS: quia talis nunc eſt, ut ab eo utilitatem merito expectare poſſis. UT MEA VISCERA: viſcera ſua vocat filium ſuum, quem genuit in Chriſto.

V. 13. PRO TE; quaſi dicat, Ut ipſe id faceret, quod faceres tu pro tua caritate ſi hic eſſes.

V. 14. SINE CONSILIO TUO: te inconſulto, ac præter voluntatem tuam. UTI NE VELUT EX NECESSITATE, &c. ſcilicet ne tuum beneficium in me potius ex neceſſitate profectum, quam ex voluntate videretur.

V. 15. IDEO DISCESSIT: ideo permiſit Dominus a te diſcedere. AD HORAM: ad breve tempus. UT AETERNUM ILLUM RECIPERES, id eſt non amplius a te receſſurum.

V. 16. PRO SERVO. In Græco eſt ὑπὲρ δοῦλον, id eſt *plusquam ſervum*, ſcilicet chariſſimum fratrem. CHARISSIMUM FRATREM: quia ſcilicet Chriſtianus; vocabantur enim Chriſtiani fratres, ut ſæpe vidimus in his epiſtolis. QUANTO AUTEM MAGIS TIBI, &c. cum quo duplici vinculo aſtrictus eſt, & ſervitutis temporalis, & ſpiritualis fraternitatis. IN CARNE, id eſt in rebus, & fraternitate ſpirituali.

V. 17. SI ERGO HABES ME SOCIUM: ſi me inter amicos, & ſocios numeras.

V. 18. HOC MIHI IMPUTA; quaſi dicat, Furtum, & debitum eius in me tranſcribe, & ſi repetendum eſt, a me repete; me pro illo ſponſorem accipe.

V. 19. EGO PAULUS SCRIPSI MEA MANU; quaſi dicat: Accipe chirographum meum has litteras mea manu ſcriptas, quibus me fideiuſſorem interpono. EGO REDDAM: ego refundam quicquid ille tibi debet. UT NON DICAM TIBI, QUOD ET TE IPSUM MIHI DEBES: neque enim volo creditum hoc tuum elidere commemorando beneficia quæ in te contuli, & hoc pacto rationes inter nos æquare.

V. 20. ITA FRATER; quaſi dicat, ſane ego debitum ſolvam. Vel ſenſus eſt, Ita quæſo frater fiat, ut Oneſimum recipias in gratiam. EGO FRUAR IN DOMINO: ex te hunc fructum, & ex tua benignitate capiam; hunc conſolationis, & lætitiæ fructum referam, ut ſcilicet Oneſimum in gratiam recipias. REFICE VISCERA MEA: recrea hoc beneficio animum meum.

V. 22. DONARI ME VOBIS: a Domino concedi vinculis liberatum.

V. 23. IN CHRISTO IESU, id eſt propter Chriſtum.

V. 24. ADIUTORES MEI, ſcilicet in negotio Evangelii.

V. 25. CUM SPIRITU VESTRO, id eſt vobiſcum.

TIRINI.

Verſ. 1. PAULUS VINCTUS CHRISTI cauſa, per hæc vincula tibi ſupplicat & Timotheus Epheſiorum Epiſcopus: & ſupplicant unice ſibi DILECTO PHILEMONI, præ omnibus ADIUTORI NOSTRO in fidei & religionis Chriſtianæ promotione, ad quam ſpectat quod petimus. Idem commendamus

V. 2. APPIAE uxori Philemonis, SORORI noſtræ in Chriſto CHARISSIMAE, ET ARCHIPPO Coloſſenſium Epiſcopo, ut illos in hac cauſa fautores habeamus, ac pro Oneſimo deprecatores: ita S. Hieron. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Oramus autem

V. 5. Per FIDEM, QUAM eximiam HABES *in* Chriſtum; & per conſuetam CARITATEM, quam paſſim IN OMNES SANCTOS, id eſt Chriſtianos, excellentiſſimis miſericordiæ operibus demonſtras, adeo

V. 6. UT illa COMMUNICATIO FIDEI TUAE, id eſt beneficentia tua ex viva & ardenti fide promanans, FIAT toti orbi ἐναργὴς, id eſt EVIDENS; (iam legunt græce, ἐνεργὴς, efficax) agnoſcentibus omnibus & paſſim deprædicantibus opera tua bona, quæ ſane plurima a VOBIS per Chriſti gratiam & ex ſingulari in eum affectu proficiſcuntur.

V. 7. VISCERA SANCTORUM REQUIEVERUNT; Græce, *refocillata ſunt*, PER TE, id eſt intima conſolatione Chriſtianos recreaſti, ſubveniendo illis in ſumma fame ac neceſſitate: ita Theophylactus. En quanto artificio laudes accumulat Paulus Philemoni, ut quod ab illo poſtulabitur negare non poſſit, alioqui ſuis ſe laudibus ſpoliaturus, inquit S. Hier.

V. 8. MULTAM FIDUCIAM; παῤῥησίαν, id eſt *libertatem*, per *Chriſtum*, cuius legatus ſum, *habeo* IMPERANDI TIBI QUOD AD REM PERTINET: τὸ ἀνῆκον, id eſt quod decens, conveniens, & officii tui eſt, nempe ut pœnitentem in gratiam recipias. Sed

V. 9. *Caritas*, qua te ut fratrem amo, facit ut malim rogare, maxime CUM SIS SENEX æque UT ego. Da ergo hoc ſenex ſenio meo levando: da leniendis vinculis meis cauſa Chriſti, quam adeo zelaris, mihi iniectis.

V. 11. ALIQUANDO, ἀνόνητος, id eſt INUTILIS TIBI FUIT: NUNC AUTEM ὀνήσιμος, id eſt UTILIS ET TIBI ET MIHI.

V. 15. & 16. FORSITAN IDEO permiſit Deus, illum A TE AD HORAM, ſeu breve tempus, *diſcedere*, UT PRO temporaneo SERVO, AETERNUM FRATREM RECIPERES coheredem tibi futurum tota æternitate in cælis. Unde & mihi *chariſſimus* accidit, QUANTO AUTEM MAGIS TIBI, cui duplici iam vinculo adſtringitur, puta IN CARNE, id eſt ſerviture corporali, ET IN DOMINO, id eſt fraternitate ſpirituali? ita S. Hieron. & Theophyl.

V. 18. SI QUID NOCUIT TIBI furto ſuo, & hoc nomine DEBET tibi & pœnas dare, & quod abſtulit, reddere; HOC OMNE MIHI IMPUTA, in me tranſcribe, a me volo repoſcas, qui me pro illo ſponſorem facio. Et en chirographum meum, has litteras

V. 19. MANU MEA *Pauli* propria conſcriptas, quibus me fideiuſſorem interpono: EGO REDDAM tibi quidquid ab illo potes depoſcere. UT NON DICAM TIBI, id eſt ſileo iam & ſepono validiorem machinam qua poſſem elidere quidquid hic eſt debiti: immo ex creditore poſſem te mihi debitorem oſtendere: nam ET TEIPSUM MIHI DEBES, per me converſus ad Chriſtum. Quantillum vero eſt quod ab Oneſimo tibi debetur, præ hoc debito tuo, quo totus mihi tu ipſe obſtringeris? ita S. Hieron. & Anſelmus. Ergo

V. 20. ITA fiat, mi FRATER. EGO TE FRUAR IN DOMINO, id eſt ex te hunc fructum decerpam, hanc voluptatem ex te capiam; *ut* VISCERA MEA, id eſt filium meum intime dilectum Oneſimum poſtliminio recipias in gratiam.

V. 22. PARA HOSPITIUM MIHI, non ut Paulo, cellula una contento; ſed ut Apoſtolo, ad quem turbæ plurimæ convertendæ quotidie confluere ſolent, inquit S. Hieron. Sic & Religioſi qui proximorum ſaluti curandæ invigilant, ampla & opportuna quærunt in urbibus loca, non ut ſibi ſuiſve commodis, ſed civium bono conſulant. NAM SPERO ME brevi ex his vinculis educendum, vobiſque reddendum, ſed PER ORATIONES VESTRAS. Si talis tantuſque Apoſtolus egeat ope precum alienarum, quis noſtrum non egebit? Et ſi tanta vis precum mortalium, quid non obtinebit interceſſio Sanctorum iam immortalium & regnantium cum Chriſto?

V. 23. EPAPHRAS Epiſcopus fuerat Coloſſenſium, ſimulque invigilarat Eccleſiæ Laodicenſi & Hierapolitanæ, ut alibi Paulus inſinuat. Sed cum Romæ, IN CHRISTO, id eſt propter fidem Chriſti in vincula coniectus eſſet, ſuffectus ei videtur Archippus de quo verſ. 2. ita Ambroſ.

V. 24. DEMAS iſte in ſecundis Pauli vinculis ab ipſo defecit, II. Timoth. IV. 9.

GORDONI.

Verſ. 1. PAULUS VINCTUS. In primis, ut dixi, vinculis, & poſt adventum Timothei Romam: ſed quomodo in vinculis in adventu Timothei dixi in epiſtol.

epiſtol. II. ad Timoth. IV. 6. Adiutorem vocat Philemonem, quia opibus & opera iuvit Paulum in prædicatione & Evangelio: Appia uxor eſt Philemonis, & Paulo ſoror in Chriſto, hoc eſt, Chriſtiana. Archippus Epiſcopus eſt Coloſſenſium, & commilito Pauli in propaganda fide. Erat Philemonis familia Chriſtiana, & domus ipſa dicitur diu permanſiſſe in Eccleſia per aliquot ſæcula.

V. 5. Audiens. Dicturus de Oneſimo, orditur a commendatione fidei & caritatis, quam audit Paulus exerceri a Philemone erga Sanctos, quorum inopiam ſublevavit, & viſcera refocillavit, quo nomine gratias Deo agit.

V. 8. Propter quod. Rem iam aggreditur, memorans quod valet ad perſuadendum; quaſi diceret: Non iubeo, quamvis tibi ſim pater ſpiritualis, ſed obſecro ego Paulus ſenex [qualis & tu es] pro Oneſimo, ut eum in gratiam recipias. Da hoc Paulo ſeni, da ſaltem vinculis meis. Is eſt quem ego in vinculis genui Chriſto: tibi olim ſervus, nunc autem Chriſtianus & frater, futurus etiam utilis.

V. 11. & 12. Quem remisi. Poſt inſinuationem aptam huic petitioni, addit uſque ad verſum 19. momenta rationum, quæ ſuadent ut admittatur. Alludit etiam ad nomen: nam ὀνήσιμος ſignificat utilem: tibi nomine & re utilis eſt, & non tantum Chriſtus, ſed Chriſtianus. Accipe, inquit, eum, ut viſcera mea, hoc eſt, ut chariſſimum mihi. Cetera uſque ad verſum 19. ut pathetica ſunt, ita & clara.

V. 19. Ego Paulus. Suſcipit in ſe debitum Paulus; & ad ſecuritatem, en, inquit, epiſtolam ſignatam & chirographam: neque commemoratione beneficiorum in te volo inter nos æquare rationes.

V. 20. Ita frater. Græce ναί, *certe*; quaſi diceret, Debitum Oneſimi diſſolvam. Vel ex Hieronymo, ναί, *quæſo*, אנא *ana*, exaudi quod peto pro Oneſimo. Hinc ſubdit, ego te fruar in Domino, ſignificans, quam capiet conſolationem, ſi concedatur venia Oneſimo.

V. 24. Demas eſt qui poſtea reliquit Paulum. Vide II. Timoth. IV. 10. Epaphras Epiſcopus Coloſſenſis: ſed illo coniecto Romæ in vincula, ſubrogatus putatur Archippus, ut ait Ambroſius.

EPI.

Digitized by Google

EPISTOLA BEATI PAULI APOSTOLI AD HEBRAEOS.

SCRIPTA eſt hæc Epiſtola ad Iudæos Hieroſolymæ & in Paleſtina degentes: nam alii Iudæi per Græciam diſperſi Helleniſtæ dicebantur; unde Paulus in fine huius Epiſtolæ ſe una cum Timotheo ad eos venturum pollicetur. Hi quidem ad fidem converſi fuerant, ſed legis ritibus plus ſatis addicti moleſte ferebant gentiles ab obſervatione legalium factos immunes in Synodo Hieroſolymitana. Bonis ſuis ſpoliati in fide ipſa nutabant, exiſtimantes ſe in lege Moſis eadem commoda habituros, quæ cum bonorum & libertatis & vitæ periculo in Religione Chriſtiana poſſidebant. Eleemoſynis quidem in Macedonia collectis Apoſtolus mœrorem eorum lenierat, ſed veneratio legis Moſaicæ & Gentilium ab eius iugo ſolutio eos vehementer angebat. Scripſit ad eos Apoſtolus e primis Romæ vinculis hanc Epiſtolam Hebraica, ſeu patria lingua, quæ forſan Græce verſa eſt a Luca Evangeliſta, ut videtur Clementi Alexandrino; vel ut aliis placet, a Clemente Romano, cuius Epiſtola ad Corinthios & ſtylo & ſententiis ab hac Epiſtola non multum abhorret. Canonicam illam Græci pene omnes paucis exceptis agnoverunt: atque ad eam videtur Petrus alludere, Epiſt. 2. cap. 3. Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, *Iudæis nimirum. Nomen ſuum Epi-*

ſtolæ

Digitized by Google

ſtolæ non præfixit , ne forte eos offenderet , quod Paulum minus æquum eſſe cæremoniis Iudaicis perſuaſum haberent : ſed in calce Epiſtolæ ſatis ſe prodit . Clemens Romanus quædam huius Epiſtolæ citat teſtimonia. Ariani poſteriores eam reiecerunt , quod ſibi adverſa videretur : hanc citat Tertull. ſed ut Barnabæ . Euſebius Lib. 5. cap. 26. teſtatur quædam eius teſtimonia ab Irenæo referri. Hilarius & Ambroſius eam citant ut Pauli Apoſtoli . Auguſt. Lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. & paſſim aliis in locis ut canonicam agnoſcit, uti & Conc. Carthag. Innoc. I. Gelaſius. Ab Eccleſiis omnibus Græcis, & a meliori parte Latinarum ſemper ut genuina Pauli Epiſtola recepta eſt : tametſi tertio ſæculo ab omnibus non agnita eſt ut canonica .

Ex Italia ſcriptam eſſe , ex c. 13. 23. *colligitur* Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum, cum quo, ſi celerius venerit, videbo vos . *Quæ circumſtantiæ non in alium quam in Paulum Apoſtolum convenire poſſunt. Paulo familiaris ſtylus quidem ſublimior videtur, & terſior quam in aliis Epiſtolis , quod ad Iudæos ſubtiliores , & in Scripturis, ac ritibus veteris legis magis exercitatos ſcriberet. Neque aliud ex ſtyli diverſitate colligi poteſt, quam hanc Epiſtolam lingua apud Hebræos uſitata ſcriptam fuiſſe, & Græce translatam a* Luca, *aut ab alio . Paulus in hac Epiſtola Ieſum Chriſtum ut Deum & hominem præ Angelis omnibus , præ Abrahamo & Moſe extollit ; ſacerdotium eius , quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, Sacerdotio* Levitico *longe anteponit; ſacrificium eius victimis legalibus, Novum Teſtamentum veteri longe præſtantius eſſe demonſtrat : atque hac in prima parte ſuæ Epiſtolæ fuſius proſequitur, quod Iudæi legem Angelorum miniſterio datam, Moſis auctoritatem , Aaronis Pontificatum, Levitici ſacerdotii perpetuam ſucceſſionem ; Veteris Teſtamenti promiſſa & miracula a Deo facta opponerent ; in ſecunda Epiſtolæ parte, fidei neceſſitatem ſanctorum exemplis confirmat, conſolationes denique ſubiicit, ac mores inſtruit.*

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Tantum veteri teſtamento per Angelos dato novum per Chriſtum datum præfertur, quantum Chriſtus Angelis dignior eſt, quos origine, dominio, potentia & honore antecellit.

1. MULTIFARIAM, multiſque modis olim Deus loquens pa-
tribus in Prophetis: noviſſime, 2. diebus iſtis locutus
eſt nobis in filio, quem conſtituit heredem univerſorum,
per quem fecit & ſæcula, 3. (*a*) qui cum ſit ſplendor
gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia
verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens,
ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: 4. tanto me-
lior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit. 5.
Cui enim dixit aliquando Angelorum: (*b*) filius meus es tu, ego hodie ge-
nui te? Et rurſum: (*c*) ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in fi-
lium? 6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit:
(*d*) Et adorent eum omnes Angeli Dei. 7. Et ad Angelos quidem dicit:
(*e*) qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. 8.
Ad filium autem: (*f*) Thronus tuus Deus, in ſæculum ſæculi: virga æqui-
tatis, virga regni tui. 9. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propter-
ea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. 10.
Et: (*g*) tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tua-
rum ſunt cæli. 11. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut ve-
ſtimentum veteraſcent: 12. & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur:
tu autem idem ipſe es; & anni tui non deficient. 13. Ad quem autem an-
gelorum dixit aliquando: (*h*) ſede a dextris meis, quoadusque ponam ini-
micos tuos ſcabellum pedum tuorum? 14. Nonne omnes ſunt adminiſtrato-
rii ſpiritus, in miniſterium miſſi * propter eos, qui hæreditatem capient
ſalutis?

(a) Sap. vii. 26. (b) Pſalm. ii. 7. (c) II. Reg. vii. 14. (d) Pſalm. xcvi. 8.
(e) Pſalm. ciii. 4. (f) Pſ. xliv. 7. (g) Pſ. ci. 26. (h) Pſ. cix. 1. I. Cor. xv. 25.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 14. *Propter eos qui hereditatem capient ſalutis*. Retinendum eſt futurum *capient*, non ſubſtituendum præſens *capiunt*, multoque minus cupiunt, quod eſt deſiderant.

NOTATIO.

Verſ. 14. N*onne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Multi codices *capiunt* legunt eum Auctore Gloſſæ, Gorrano, & Richelio; multi & fide digniores *capiens* cum Haymone, Anſelmo, & Brunone. Carenſis utriuſque meminit le-

ctio-

Digitized by Google

ctionis. Græce, & Syriace (ex Græco noſtra eſt tranſlatio) eſt διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν: id quod κατὰ πόδα vertas, ita ut B. Auguſtinus legit libri 3. De Trinitate capite 11. *Propter eos qui futuri ſunt hæreditatem poſſidere ſalutis*. Quare recte correctores Hentenius, & Zegerus τὸ capient textu donarunt. *Capiunt* quod ſcribuat libri quidam, error eſt manifeſtus ex incommodo lectionis *capiunt* natus.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. MULTIFARIAM. Ab initio Chriſtianos Hebræos conſolatur, oſtendens maiore eos gratia dignatos quam patres, quod noviſſima ætate ad eos per unigenitum filium pater loquutus ſit, patribus autem in prophetis tantum, hoc eſt per prophetas; hic ἐν Græcum & *in* Latinum, pro *per* ſumitur.

V. 2. QUEM CONSTITUIT, &c. Chriſtus enim, tamquam homo, univerſi orbi a patre conſtitutus eſt dominus & hæres, ut Pſal. II. dicitur: *Poſtula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam*. Heredis autem nomen pene omnes ad Chriſti humanitatem referunt, Photius ad divinitatem; dicens eum heredem univerſorum a patre conſtitutum, quia ab æterno paternæ ſubſtantiæ & gloriæ omniumque ex æquo bonorum cum patre ſit particeps, & omnia eſt filius quæ eſt pater, præterquam quod non eſt pater, PER QUEM FECIT, inquit, ET SAECULA; id eſt, quicquid uſquam eſt factum. Ecce, inquit, quomodo δημιουργὸς eſt & omnium cum parte opifex. Si ergo per Chriſtum ſæcula pater fecit, convincitur Paulus Samoſatenus qui Chriſtum negat ante Mariam fuiſſe.

V. 3. QUI CUM SIT SPLENDOR GLORIAE. Græce, ὢν ἀπαύγασμα, id eſt exiſtens ſplendor & relucentia paternæ gloriæ, ſplendor autem procedentem a patre naturam ſignificat, ut Photius inquit, nec otioſum putat participium ὢν, exiſtimans illud eſſe nomen filii ſicut & patris qui Moyſi dicit, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, id eſt *ego ſum qui ſum*. Cyrillus coæternitatem cum patre hoc loco per ſplendorem ſignificari ait. FIGURA SUBSTANTIAE EIUS. Græce χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως. Eſt autem character forma ex alio expreſſa. Eſt ergo filius forma, character, imago, & omnimoda ſimilitudo patris. Idem enim eſt hoc loco figura ſubſtantiæ paternæ cum eo quo ad Philippenſes vocat, formam Dei: quoniam autem ſplendor iuxta humanam rationem non dicit ſubſtantiam, ne expertem illum putares paternæ ſubſtantiæ, addidit *& figura ſubſtantiæ eius*, id eſt omnimoda ſimilitudo & expreſſio; ut ſicut per ſe ſubſiſtit pater, & alio ad perfectionem non indiget, ita & filius. PORTANS OMNIA VERBO VIRTUTIS SUAE. Græce τῆς δυνάμεως, id eſt potentiæ; hoc eſt, omnia ferens, regens, & continens potenti verbo: vocabulo autem verbi & portandi, ut inquit Chryſoſtomus, facilitas omnia continendi & regendi intelligitur. PURGATIONEM PECCATORUM FACIENS. Græci habent, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν; id eſt, per ſemetipſum peccatorum noſtrorum purgatione facta ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis; id eſt, homo ille ratione humanitatis a verbo aſſumptæ, in eadem maieſtate & dignitate cum patre habitat in cælis. Nam *ſedere* pro habitare, & *dextera* pro ſummo honore & dignitate ſumitur.

V. 4. TANTO MELIOR ANGELIS EFFECTUS, QUANTO DIFFERENTIUS PRAE ILLIS NOMEN HAEREDITAVIT. Græc. pro *melior* eſt κρείττων, quod etiam præſtantiorem & potentiorem ſignificat; & pro *differentius*, διαφορώτερον, quod excellentius ſignificat. Senſus eſt ergo, quod Chriſtus tanto præſtantior factus eſt angelis, ſecundum humanitatem aſſumptam, & tanto illius hominis a verbo aſſumpti conditio potior quam angelorum fuit, quanto excellentius nomen hæreditavit quam illi nomen, ſcilicet filii Dei. Nam per incarnationem verbi factus eſt homo, Dei filius, & hoc nomen hæreditavit: angelus autem, ſervi tantum nomen habet.

V. 5. CUI ENIM DIXIT, &c. Probat præſtantiorem eſſe Chriſtum angelis, & excellentius filii nomen hæreditaſſe; quod a Deo Patre nullus angelorum vocetur filius: hoc autem loco, HODIE GENUI TE,

τὸ genui ſignificat, Chriſtum non adoptione aut gratia quatenus verbum eſt, ſed natura Dei eſſe filium, & *τὸ hodie* non tempus ſignificat, ſed æternitatem importat. Sic enim *τὸ ὢν* participium præſentis temporis, nomen eſt Dei, quia in Deo nihil eſt præteritum aut futurum, ſed præſentia ſunt omnia, ita hoc loco dicitur *hodie genui*, id eſt ſemper & ab æterno; quamquam Athanaſius ait *τὸ* FILIUS MEUS ES TU, ad divinitatem referri, *τὸ ego hodie genui te*, ad humanitatem: ut videbis in Gr. ſcholiis: Chryſoſt. autem, Theodorus, & Hilarius ad reſurrectionem Chriſti referunt *τὸ hodie genui te*, iuxta quod in evangelio de reſurrectione Chriſtus loquens ait, *In reſurrectione eum ſederit filius hominis*, &c. & Paulus Act. XIII. de Chriſti reſurrectione loquens ait, *Reſuſcitans Ieſum*, ſicut in Pſal. II. ſcriptum eſt; *filius meus es tu, ego hodie genui te*. EGO ERO ILLI IN PATREM. Hoc loco temporalem filiationem innuit.

V. 6. & 7. QUUM ITERUM INTRODUXIT PRIMOGENITUM IN ORBEM TERRAE, id eſt quum eum in poſſeſſionem orbis terrarum miſit: quod factum eſt, dum incarnatus eſt Chriſtus, nam ante incarnationem etſi mundi dominus eſſet Dei filius, nondum tamen hæreditatem ſuam adiverat: nihil commune habebat cum mundo, qui totus erat ſpiritus. Sic Cyrillus & Greg. Niſſen. Quum autem humanam noſtram naturam aſſumpſit, tunc inductus eſt in poſſeſſionem orbis terræ: hoc eſt quod Paulus ait, *Quum introduxit eum in orbem terrarum;* id eſt, quum illi viſum eſt ut primogenitus ſuus in carne appareret hominibus mundum incolentibus tunc dixit: ADORENT EUM OMNES ANGELI DEI. Ergo præſtantior eſt quem adorare iubetur; quod etiam confirmat dicens ET AD ANGELOS QUIDEM DICIT, id eſt de angelis: QUI FACIT ANGELOS SUOS SPIRITUS, ET MINISTROS SUOS FLAMMAM IGNIS. Qui locus ita ordinandus eſt, qui facit ſpiritus ſuos angelos, id eſt nuntios, Angelus enim officii nomen eſt, ſpiritus naturæ: *& miniſtros ſuos flammam ignis*, id eſt igneæ ac velociſſimæ naturæ. His autem verbis nihil aliud vult Paulus, niſi quod angelis filii nomen non tribuitur, ut Chriſto, ſed nuntiorum & ſervorum. Græca ſcholia aiunt ἀναγάγῃ, id eſt introduxit ſive induxit poſitum pro ἐγχειρίσῃ, id eſt in manus illi tradidit orbem terrarum, & regendum commiſit.

V. 8. & 9. AD FILIUM AUTEM. Sequentibus auctoritatibus comprobat Paulus Chriſti dignitatem & excellentiam. THRONUS TUUS, inquit, IN SAECULUM SAECULI, VIRGA AEQUITATIS, VIRGA REGNI TUI: *Thronus* autem vel regnum, vel iudicium ſignificare poteſt, & *virga æquitatis*, utriuſque poteſtatem executivam. DILEXISTI IUSTITIAM, &c. PROPTEREA UNXIT TE DEUS DEUS TUUS OLEO EXULTATIONIS PRAE PARTICIPIBUS TUIS: quamquam Græc. ſit ὁ Θεὸς ὁ Θεός, tamen Græca ſcholia dicunt prius ſumi pro ὦ Θεέ, id eſt *o Deus*, vocandi caſu; id eſt, propterea, o Deus Chriſte, Deus tuus ſcilicet pater, unxit *te oleo exultationis*, id eſt Spiritus ſancti gratia, & hoc ſecundum humanitatem *præ participibus tuis*, id eſt ſupra omnes conſortes tuos homines: quia Chriſto non ad menſuram data eſt gratia, ſed ad plenitudinem. Quod vero ait, *unxit te Deus*, interpretari poſſumus, meſſiam te & regem conſtituit, vel unxit *oleo exultationis*, id eſt Spiritu ſancto quem infudit, te inunxit: ſicut Lucæ quarto ait, *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me*. Nihil ergo vult Paulus, niſi tanto maiorem eſſe Chriſtum angelis, quod illi ſervi tantum ſint & miniſtri, Chriſtus autem rex & Deus: quod perſpicuum eſt ex loco Pſal. *Propterea*, o Deus, *unxit te Deus tuus*, &c.

V. 10. ET TU IN PRINCIPIO, &c. Excellentiam quoque hoc loco Chriſti oſtendit ex ipſius opificio, qui cælos & terram creaverit, & hoc ad divinitatem refertur: quum enim ante dixiſſet, quando introduxit eum in orbem terrarum, ne ex illis verbis quiſpiam exiſtimaret illum tunc primum cœpiſſe, quum aſſumpta carne in orbem terrarum introductus eſt, poſt habita de humanitate verba, nunc rurſus ad divinitatem redit, oſtendens eum terram feciſſe, & cælos, quos perituros dicit. Non quod eorum ſit deſitura natura, ſed quod in illam immutandi ſunt ſpeciem meliorem, & innovandi.

V. 13. AD QUEM AUTEM ANGELORUM, &c. Alio Davidis teſtimonio Chriſtum angelis præſtantiorem oſtendit, quod illi dictum ſit a Patre, SEDE A DEXTRIS MEIS;

id

id eſt, habita & quieſce in plenitudine meæ maieſtatis, *donec* PONAM INIMICOS TUOS SCABELLUM PEDUM TUORUM; ubi *τὸ donec*, non finem temporis ſignificat, ſed æternitatem potius: quo ſignificato aliquoties ſumitur in Scriptura: ut de Maria dicitur Mat. I. quod non cognovit eam Ioſeph, donec peperit filium ſuum primogenitum. Vel donec ponitur pro, ut, ſicut Pſal. CXXII. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, id eſt ut miſereatur: ſic, *ſede a dextris meis donec ponam*, id eſt ut ponam *inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, id eſt humanitai tuæ ſubiiciam: quando eam ſuper omnes cælos & Angelos exaltavero

V. 14. NONNE OMNES, &c. Angelos non filios Dei ſed hominum etiam tantum miniſtros docet, eorum ſcilicet qui hereditatem cæleſtem ſunt percepturi: non iubentur ergo ſedere ut Chriſtus, ſed miniſtrare, unde tanto illo ſunt inferiores.

S A.

NOmen non adſcribit in principio, more ſuo, (ut nec Ioannes in Epiſtolis) forte quod non ad certam aliquam Eccleſiam ſcribat: quamquam quidam putant ad Ieroſolymitanam ſcribere; vel, quod ſit velut Tractatus quidam ſeu Diſputatio de Lege veteri & nova, deque illius ceſſatione, & huius vi: ubi multa de Sacerdotio veteri, & Chriſti. Addit & multa ad mores pertinentia.

V. I. MULTIFARIAM, &c. duabus vocibus uſus eſt, ut totam varietatem temporum, perſonarum, & viſionum comprehenderet. LOQUENS; pro, locutus. IN; pro, per.

V. 2. CONSTITUIT, ſcilicet quatenus homo conſtitutus; ſed quia idem etiam Deus, omnium poſſeſſor & creator.

V. 3. SPLENDOR, ſcilicet lumen de lumine: ſignificatur etiam coæternitas. GLORIAE, ſcilicet paternæ, id eſt Patris], vel gloriæ, pro glorioſa. FIGURA. Græc. χαρακτὴρ, id eſt expreſſa imago. SUBSTANTIAE, ὑποςάσεως, id eſt *ſubſiſtentiæ*, ſeu *perſonæ*. PORTANSQUE, id eſt tenens, ſeu ſuſtentans, alioqui enim in nihilum cuncta reciderent. VERBO VIRTUTIS SUAE, id eſt potenti ſuo imperio, ſeu potentia ſua. Nam ipſe Verbum eſt. FACIENS; pro, poſtquam fecit, ſcilicet per paſſionem, quamquam etiam nunc perpetuoque facit.

V. 4. MELIOR, id eſt præſtantior. EFFECTUS, ſcilicet ſecundum quod homo. DIFFERENTIUS, id eſt excellentius. PRAE ILLIS, id eſt quam illi. HEREDITAVIT, id eſt ſortitus eſt, ſcilicet quatenus homo, nam etiam Deus eſt, quod non ſemper fuit; nec enim ſemper homo fuit, adeoque non ſemper homo Deus. Vide Rom. I.

V. 6. CUM ITERUM; pro, iterum cum; quaſi dicat, Alias etiam cum INTRODUCIT, &c. id eſt cum de Filii in mundum adventu loquitur. DICIT, ſcilicet Deut. XXXII. ſecundum LXX. Vide etiam Pſal. XCVI. ubi plane habetur.

V. 7. AD; pro, de.

V. 8. THRONUS, &c. Vide Pſal. XLIV.

V. 9. PRAE, &c. id eſt excellentius quam conſortes tui, ſcilicet iuſti, qui filii Dei per adoptionem.

V. 12. MUTABIS. Græc. *involves*, ſeu *vertes*; quaſi dicat, Poſſis cum velis auferre: vel ſignificatur renovatio mundi futura, velut accepta nova veſte.

V. 14. ADMINISTRATORII, id eſt Dei miniſtri. MISSI, id eſt mitti ſoliti. Non quidem mittuntur omnes per ſe, ſed quidam per alios, ſcilicet inferiores ſe, quibus revelant ad nos deferenda.

M A R I A N A E.

HEBRAEI vocabantur *Iudæi* qui Ieroſolymæ manſerant, nam diſperſi inter Gentes vocabantur *Græci*, Act. VI. I. Hæc epiſtola ad omnes Iudæos miſſa eſt, ſed præſertim ad Ieroſolymitas, ad quos ſe venturum cum Timotheo pollicetur cap. XIII. 23. Unde colligitur a *Paulo* fuiſſe ſcriptam, non a *Barnaba*, ut Tertullianus voluit Lib. de Pudicitia. Scripta eſt Hebraice, id eſt Syriace: qua lingua Iudæi poſt captivitatem Babylonicam loquebantur. Non præfigit nomen ſuum, ut in aliis Epiſtolis, quia invidioſum erat Iudæis. Porro elegantior eſt hæc epiſtola aliis, quoniam nativa lingua loquebatur, aut propter Interpretis elegantiam, Lucæ, uti ex Clemente Alexandrino Euſebius affert Lib. VI. Hiſt. cap. XI. aut Clementis, ut alii indicant. Verum de his

Digitized by Google

omnibus plura in noſtra Diſp. pro Editione Vulgata, cap. III. & IV.

Verſ. 1. MULTIFARIAM. Hebræos conſolatur, quod poſt Prophetas ad eos miſerit Filium ſuum. LOQUENS PATRIBUS: *locutus* Goth. & Syr. λαλήσας. QUEM CONSTITUIT. Chriſtus ut homo totius orbis princeps fuit. Pſal. II. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes.*

V. 3. ET FIGURA SUBSTANTIAE EIUS, character, hypoſtaſis Patris, id eſt imago perfecta & velut inciſa. Damaſc. Lib. de Imag. ex Baſilio: *Imago Regis vocatur Rex, non tamen ſunt duo Reges; ſic Filius imago Patris & Deus, non tamen duo Dii.* PORTANSQUE, id eſt regens omnia virtute ſua. Vox *verbo* redundat, ut *facies* ſæpe, & multæ aliæ.

V. 4. TANTO MELIOR ANGELIS. Multis teſtimoniis probat Chriſtum Angelis eſſe ſuperiorem.

V. 5. EGO ERO ILLI IN PATREM. De temporali paternitate intellige.

V. 6 ET CUM ITERUM; pro, & iterum cum INTRODUCIT, ſcilicet per incarnationem Filium ſuum: dicit AD ANGELOS, id eſt de Angelis.

V. 7. QUI FACIT ANGELOS SUOS, ſic ordina, *Qui facit ſpiritus ſuos Angelos*, id eſt nuntios, ut *ſpiritus* ſit nomen naturæ, *Angelus* officii. FLAMMAM IGNIS, ſcilicet ob velocitatem. Intendit Angelis numquam eſſe datum Filii nomen. Ad Filium:

V. 9. UNXIT TE DEUS, DEUS TUUS. Priori loco eſt in vocativo, ut ait Euſeb. IV. de Demonſt. cap. XV. & Hieronymus ad Principiam, ut ſcilicet duæ perſonæ divinæ notentur, Patris ungentis & Filii uncti. Si opponas Græc. ὁ Θεός, ὁ Θεός σου; utrumque in recto poni, Scholia Græca in hunc locum dicunt poni, ὁ Θεός, pro ὦ Θεέ, nominativum pro vocativo. Male ergo quidam novi Interpretes Pſal. XLIV. 7. verterunt, *Propterea unxit te Dominus Deus.* Nam præterquam quod nullum veſtigium eius myſterii manet, certe debuiſſent idem Dei nomen geminare, ut eſt Hebr. אלוהים אלוהיך *Elohim Elobecha*, & Græc. ὁ Θεός, ὁ Θεός: verum de hac re plura illa Diſp. pro Ediz. Vulg. cap. XXV. OLEO EXULTATIONIS, id eſt Spiritu ſancto unctus in Regem & Meſſiam. PRAE PARTICIPIBUS TUIS. Hebr. מחבריך *meba*berecha, id eſt *præ ſociis* ſeu *conſortibus tuis*, id eſt præ omnibus hominibus. Omnes Angeli ſunt miniſtri,

V. 14. PROPTER EOS, &c. Græc. *propter eos qui futuri ſunt hereditare ſalutem*, ſic Syr. Auguſt. III. de Trin. cap. XI. *propter eos qui futuri ſunt hereditatem poſſidere ſalutis.*

MENOCHII.

Verſ. 1. MULTIFARIAM: πολυμερῶς; quaſi dicas, *Multipartite*, per multas partes, & vices; neque enim omnia myſteria uni prophetæ revelavit. MULTIS MODIS: quia variæ fuerunt viſionum, & revelationum formæ. LOQUENS: λαλήσας, id eſt *locutus*.

V. 2. LOCUTUS EST NOBIS IN FILIO: miſit Filium ſuum, & per eum locutus eſt. HEREDEM UNIVERSORUM, id eſt Dominum totius mundi, quod ſimul cum patre immortali immortalis, & ipſe in æternum tenebit. Hoc eſt quod dicitur Pſal. II. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* PER QUEM FECIT ET SAECULA: ab humana Chriſti natura ad divinam progreditur. Per verbum ipſa ſæcula condidit, id eſt tempora, & temporaria omnia, ſcilicet mundum, & quidquid illo continetur.

V. 3. SPLENDOR; ἀπαύγασμα, *refulgentia*, quo modo radius a ſole reſplendet, eſt enim *lumen de lumine.* ET FIGURA SUBSTANTIAE EIUS: vera, & expreſſa immago ſubſtantiæ Patris. In Græco eſt χαρακτήρ, *character* ſubſtantiæ eius; quaſi dicat, Exculpta imago; hoc enim ſignificat χαράσσειν id eſt *exculpere*, notam ac formam imprimere: ſignificat eggo Apoſtolus Filium eſſe Patris imaginem, non inanem, umbraticam fugacem, & evanidam, ſed conſtantem, expreſſam, & quæ ad vivum Patrem repræſentet. PORTANS OMNIA, id eſt conſervans omnia quæ facta ſunt. VERBO VIRTUTIS SUAE, id eſt nutu potentiæ ſuæ, ſive potenti ſuo iuſſu, & imperio. PURGATIONEM PECCATORUM FACIENS. Iam deſcendit Apoſtolus ad humanam naturam. Chriſtus enim ut homo paſſione ſua remiſſionem, & abolitionem omnium peccatorum noſtrorum operatus eſt, ſatisfaciendo divinæ iuſtitiæ. MAIESTATIS: Dei. IN EXCELSIS: in cælo.

V. 4.

Digitized by Google

V. 4. Melior: præſtantior, excellentior. Effectus. Non ſignificat Apoſtolus Chriſtum antea fuiſſe minorem Angelis, & deinde iis maiorem effectum, ſed ſignificat Chriſtum hoc ipſo quod homo factus eſt maiorem factum eſſe Angelis. Differentius: *διαφορώτερο*, *excellentius*. Nomen: nimirum Dei. Hereditavit, ſortitus eſt.

V. 5. Cui enim dixit aliquando Angelorum; id eſt, cui Angelorum legitur Deus uſquam dixiſſe hoc quod ſequitur. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Pſalm. II. 7. Triplex eſt huius loci Pſalmi ſenſus litteralis; nam primo intelligitur de æterna verbi generatione, ut patet ex diſcurſu D. Pauli hoc loco. Secundo de nativitate Chriſti ſecundum carnem ex ſanctorum Patrum interpretatione, & accomodatione Eccleſiæ. Tertio de reſurrectione corporis Chriſti ex ſepulcro quæ eſt quædam regeneratio, ex eodem D. Paulo Act. XIII. Hodie. Per hanc vocem æternitas ſignificatur, quia æternitas unus dies eſt, idemque totus ſemper præſens, in quo non eſt aliud poſt aliud, ſicut in noſtro tempore. Ego ero illi in patrem, &c. Item de quo Angelorum legitur aliquando Deus Pater dixiſſe: *Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius?* De nullo Angelorum hoc dictum eſt; ergo Chriſtus eſt maior Angelis: ſumptum eſt hoc teſtimonium ex II. Reg. VII. 13. ubi ea verba in ſenſu litterali dicuntur de Salomone, ſed in ſenſu allegorico a Spiritu ſancto principalius intenro, de Chriſto Domino.

V. 6 Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae. Primo inductus eſt Chriſtus homo in orbem per incarnationem, paſſibilis, & mortalis; iterum vero, ſive ſecundo per reſurrectionem a morteglorioſus, & impaſſibilis inductus fuit. Vel ſenſus eſt, *cum iterum inducit*, hoc eſt *inducet*, ſcilicet tempore extremi iudicii. Et adorent eum omnes Angeli Dei. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Pſalm. XCVI. 7. *Adorate eum omnes Angeli eius*. Senſus ergo eſt, Angelos Chriſtum reſurgentem adoraſſe, vel adoraturos in adventu ad iudicium, ei hunc honorem, ut maiori, & digniori exhibentes.

V. 7. Et ad Angelos quidem dicit id eſt de Angelis dicit, vel Deus, ve Scriptura. Qui: ſcilicet, Deus. Facit Angelos suos spiritus, &c. qui quos decreverat eſſe ſuos nuncios, ac miniſtros, eoſdem fecit ſubſtantias penitus immateriales, ſeu plane ſpirituales; eoſdem fecit quaſi ignem urentem, lucidos nimirum cognitione, & caritate ardentes. Diſcrimen inter Chriſtum, & Angelos ex eo potiſſimum ſtatuit Apoſtolus, quod ille ſit Filius Dei, hi vero miniſtri.

V. 8. Ad filium autem, id eſt de Filio dicit Scriptura: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi: ſunt verba Pſalm. XLIV. 7. ſenſus eſt, O Deus, id eſt Chriſte ſponſe Eccleſiæ, qui es Deus, & Filius Dei, ſolium regni tui permanebit in ſæculum ſæculi, id eſt in æternum. Virga aequitatis, virga regni tui. Sceptrum regni tui eſt ſceptrum directionis, id eſt rectitudinis, æquitatis, iuſtitiæ; eſt phraſis Hebraica, ſic dicitur, *Deus ſcientiarum*, id eſt Deus ſcientiſſimus.

V. 9. Propterea unxit te Deus. Vel ſignificatur effectus, ut ſenſus ſit, Quia dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem obediendo uſque ad mortem crucis, propterea Deus unxit te oleo lætitiæ, id eſt glorificavit, & exaltavit te ad dexteram ſuam, quæ glorificatio recte dicitur unctio lætitiæ, quia per illam finem accepit omnis dolor. Vel ſignificatur cauſa, ut ſenſus ſit, dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem propterea quod Deus unxit te oleo eximiæ illius gratiæ ſpiritualis, id eſt unionis hypoſtaticæ. Prae participibus tuis: ſupra participes, ſocios regni, coheredes, & communicantes in regni poſſeſſione, quia ſcilicet inferiorem gloriæ gradum adepti ſunt, nec ullus eorum divinitati hypoſtatice unitus eſt.

V. 10. Et tu in principio Domine terram fundasti. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Pſalmo CI. 26. ubi ad litteram orat David ut Sion, & Templum a Chaldæis exuſta reædificentur; allegorico vero ſenſu præcipue intento, rogat ut Eccleſia vetus peccatis, & miſeriis obruta, a Chriſto liberatore inſtauretur, & in novam, hoc eſt Chriſtianam reformetur, ut patet ex verſ. 14. 16. 23. eiuſdem Pſalm. In principio, id eſt iam inde a princi-

pio

Digitized by Google

pio mundi. TERRAM FUNDASTI: terræ fundamenta iecisti, & eam firmam, & ſtabilem in centro mundi reddidiſti. MANUUM TUARUM: potentiæ tuæ.

V. 11. IPSI PERIBUNT: non quoad eſſentiam, & formam ſubſtantialem, ſed quoad formam externam, & accidentalem, quia nimirum quaſi veſtimentum immutabuntur. TU AUTEM PERMANEBIS: idem æternus, immutabilis. ET OMNES: cæli. UT VESTIMENTUM VETERASCENT: ſuo motu, & continua agitatione, ac mutatione, quaſi conſeneſcent, ut videantur veteraſcere, ſicut veſtimentum novum, quod deteritur, & veteraſcit.

V. 12. ET VELUT AMICTUM MUTABIS EOS, &c. & a cælo quaſi pallium, aut veſtimentum vetus removebis externum hunc habitum, quem nunc gerunt. TU AUTEM IDEM IPSE ES: idem ſemper, & immutabilis. ET ANNI TUI NON DEFICIENT: cum ſis æternus.

V. 13. SEDE A DEXTRIS MEIS: teſtimonium hoc ex Pſalmo CIX. 1. petitus eſt, ſunt verba Dei Patris ad Deum Filium; ſenſus eſt: Sede mihi modo a dextris meis, mecumque nunc quiete, in æquali poteſtate regna ſuper omnia. QUOADUSQUE PONAM, &c. uſque dum in noviſſimo die omnes inimicos tuos, quaſi ſcabellum humile ſubiiciam pedibus tuis.

V. 14. NONNE OMNES, ſcilicet Angeli. SUNT ADMINISTRATORII SPIRITUS: quorum officium eſt, non aſſidere, ſed miniſtrare; quaſi dicat: Quis fidelium ignorat omnes Angelos eſſe ſpiritus ad miniſterium deputatos? MISSI, id eſt mitti ſoliti in miniſterium Dei, tamquam eius miniſtri. PROPTER EOS QUI HEREDITATEM CAPIENT SALUTIS: ad procurandam electorum ſalutem. Mittuntur quidem etiam ad curandam ſalutem eorum qui damnandi ſunt, ſed commemorat tantum Apoſtolus electos, quia in eorum ſalute magis eminet beneficium Angelici miniſterii.

T I R I N I.

Verſ. 1. NOn præfigit S. Paulus nomen ſuum huic epiſtolæ, ut aliis præfixit, quia nomen Pauli apud Iudæos etiam Chriſtianos male audiebat *a*, eo quod paſſim haberetur hoſtis legis Moſaicæ: ita Clemens Alexand. *b* Hieron. & Theophyl. Sed in fine epiſtolæ *c* ſat maniſeſte ſe prodit. MULTIFARIAM MULTISQUE MODIS; πολυμερῶς, id eſt *multipartite* ſeu per multas partes ac vices, per varias figuras, oracula & viſiones, λαλήσας, id eſt *locutus eſt* OLIM DEUS per *Prophetas*, partem unam revelans Iſaiæ, partem Ieremiæ, partem aliis ſubſecutis Prophetis.

V. 2. AT NOVISSIME, DIEBUS ISTIS noſtris LOCUTUS EST NOBIS per *filium* ſuum unigenitum, legem Evangelicam totam ſimul & ſemel per unum illum nobis conſignans. Et hæc eſt prima antitheſis. QUEM CONSTITUIT HEREDEM UNIVERSORUM quæcumque in cælis ſunt & in terris *d*. *Heredem*, inquam, primarium ac naturalem, cum reliqui omnes, ſeu homines, ſeu angeli, ſolum ſint heredes adoptitii & ſecundarii. Eſt ſecunda antitheſis. Sed hic nota, Chriſtum ſecundum humanam naturam dici conſtitutum heredem; nam ſecundum divinam non conſtitutus, ſed ab æterno natus eſt hæres. (ita S. Chryſoſt. Theodor. Anſelmus.) De qua loquitur cum ſubdit: PER QUEM FECIT ET SAECULA, id eſt tempora & omnia temporaria; cum per angelos aut homines nihil umquam crearit. Tertia antitheſis. Sequitur quarta: Chriſtus eſt

V. 3. SPLENDOR: ἀπαύγασμα, id eſt *reſplendentia*, reſulgentia, GLORIAE, ſeu id in quo refulget glorioſa maieſtas Patris, idque totaliter & adæquate: cum in angelis & hominibus ſolum inadæquate & velut partialiter reſulgeat. Hinc S. Ambroſ. & alii Patres colligunt, Filium non libere (ut vult Calvinus,) ſed naturaliter ac neceſſario; non interrupte, ſed continuo, & quidem ab æterno, gigni a Patre, ſine ulla, ſeu gignentis, ſeu geniti mutatione; nec divelli Filium a Patre, ſed inſeparabiliter illi coexiſtere: ſicut lumen ſolis naturaliter, neceſſario, continuo, & ſoli coævum ac indiſſeparabile, ſine ulla ſolis mutatione a ſole procedit. Cui adde, ſicut ex ſole & ſplendore calor, ita a Patre & Filio Spiritus ſanctus procedit. Quinta antitheſis: Chriſtus eſt FIGURA SUBSTANTIAE Patris, χαρακτὴρ ὑποστάσεως, id eſt *expreſſa*, vel exſculpta, *imago ſubſiſtentiæ*,

ſeu

Digitized by Google

ſeu perſonæ Patris: ſicut enim ex imagine impreſſa ceræ agnoſcitur ſigillum, ita ex Filio Pater cæleſtis *e*, inquit Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus. *Imago*, inquam, non partialis, non umbratica, non accidentalis, non mutabilis, (qualis eſt in creaturis) ſed adæquata, ſubſtantialis, conſtans, æterna & immutabilis. Sexta: PORTANS OMNIA, id eſt ſuſtinens, fovens, baiulans, & inſtar Atlantis ſuſtentans totum pondus creaturarum, idque non alienæ (ut angeli,) ſed propriæ SUAE VIRTUTIS VERBO, ſeu potenti iuſſu, nutu, imperio, voluntate, inquit Theophyl. Quo fulcro ſublato, omnia ſtatim in nihilum ſuum relaberentur. Septima, PURGATIONEM, id eſt expiationem, abolitionem, PECCATORUM totius mundi FACIENS, morte ſua ſatisfaciendo divinæ iuſtitiæ: Græce, *ποιησάμενος*; id eſt, *poſtquam fecit*, ſeu poſtquam peccata noſtra expiavit (quod nulli puræ creaturæ poſſibile erat,) aſcendit glorioſus in cælum, *ſedítque* AD DEXTERAM divinæ MAIESTATIS, id eſt primo atque honoratiſſimo loco, IN EXCELSIS cælorum palatiis: ita Chryſoſtomus, Theodor. Theophyl quæ eſt octava antitheſis.

V. 4. TANTO MELIOR !, id eſt præſtantior, excellentior, ANGELIS, omnibus EFFECTUS (in quantum homo eſt,) QUANTO DIFFERENTIUS NOMEN, id eſt excellentiorem dignitatem *hereditario* iure adeptus eſt, nempe naturalis & unigeniti Filii Dei. Hæc eſt nona antitheſis.

V. 5. EGO HODIE ſecundum divinitatem tuam GENUI TE; quaſi dicat: Etſi, o fili, ex me perfectus ſis, utpote perfecte ex me genitus ab æterno; ſemper tamen adhuc & continuo, omni inſtanti a me gigneris ſicut lumen, etſi perfectiſſimum ſit, tamen continuo gignitur a ſole, ut ſupra *f* diximus: ita S. Chryſoſt. Anſelm. & S. Thomas. Quomodo hic idem locus aptetur ab Apoſtolo etiam nativitati Chriſti ſecundum carnem, imo & reſurrectioni, aliis locis *g* oſtendi. EGO ERO ILLI IN PATREM ad litteram dicitur de Salomon, cui id adaptant tam David *h* quam ipſemet Salomon *i*: ſed allegorico ſenſu & principalius intento a Spiritu ſancto accommodatur Chriſto, de quo Patres paſſim illud exponunt k. Sequitur decima antitheſis.

V. 6. CUM INTRODUCIT PRIMOGENITUM ſuum IN ORBEM TERRAE, primo, per incarnationem, quando venit paſſibilis. Secundo, per reſurrectionem, quando rediit glorioſus. Vel potius primo, in primo ſuo adventu, quando venit redempturus nos: & ITERUM in ſecundo adventu, quando redibit iudicaturus nos, DICIT, id eſt iubet ut ADORENT EUM OMNES ANGELI DEI, ſcilicet publice, toto mundo & toto cælo inſpectante: pſalmus enim XCVI. ex cuius verſ. 8. hæc verba deſumuntur, totus eſt de extremo iudicio. Iam vero præcellentior eſt qui adoratur quam qui adorare tenetur.

V. 7. AD ANGELOS, hebraiſmo *l*, id eſt de angelis, *dicitur:* ANGELOS SUOS FACIT SPIRITUS ET FLAMMAM IGNIS; id eſt, facit veloces, agiles, quaſi ventos: & ſubtiles, fervidos, impetuoſos: quaſi flammam ignis: ita Chaldæus *m*, Theodor. & Euthymius; quaſi dicat: Angelis ut ſummum demandatur munus miniſteriale (quod & verſ. ult. repetitur:) at Chriſto tribuitur munus regium. Quæ eſt undecima oppoſitio.

V. 9. VIRGA AEQUITATIS, vel *directionis* (ut habet Pſal. XLIV. ubi hæc explicui,) id eſt ſceptrum regni tui eſt æquiſſimum, id eſt iuſtiſſime gubernas & iudicas, ſive præmiando, ſive puniendo: ita Aquila, Symmachus, Cyrillus, Baſilius, Auguſtinus, & Anſelmus.

V. 10. TU, o Meſſia, TERRAM FUNDASTI: creatores, reliqui creaturæ ſunt. Hæc explicui Pſal. CI. 7. Eſtque hæc duodecima antitheſis.

V. 14. NONNE angeli, etſi SPIRITUS & nobiliſſimæ ſubſtantiæ, tamen OMNES SUNT ADMINISTRATORII, id eſt deputati ad miniſtrandum Deo: MISSI, id eſt mitti ſoliti (etiam a Chriſto) ad curandam ſalutem omnium quidem hominum, ſed maxime eorum qui aliquando *hereditabunt* vitam, ſalutem, gloriam æternam? Ex hoc & ſimilibus locis *o* colligunt S. Baſilius, Cyrillus, Procopius, Ambr. Chryſ. & plerique Doctores, angelos omnes aliquando actu mitti a Deo; contra ſententiam S. Dionyſii, Greg. (qui rem dubiam putant) item Anſelmi & S. Thomæ *q* qui volunt ſolos quinque inferiores choros mitti, reliquos quatuor ſoli Deo perpetuo aſſiſtere *r*. Sed an Seraph miſſus ad Iſaiam *ſ*,

Che-

Cherub ad paradiſum *t*. Michael ad Danielem & ad Iudæos ; Raphael ad Tobiam *u*, Gabriel ad B. Virginem *x*, non ſunt e primis & ſupremis angelorum choris?

(a) Actor. xxi. 20. &c.
(b) Hieron. ſup.
(c) Cap. ult. verſ. 23.
(d) Pſal. ii. 8.
(e) Ioan. xiv. 7.
(f) Hic verſ. 3.
(g) Pſal. ii. 7. & Pſal. cix. 3. & Actor. xiii. 33.
(h) I. Par. xxii. 10.
(i) III Reg. v. 5.
(K) II. Reg. vii. 14.
(l) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 12.
(m) Chald. in Pſa. cix. 4.
(n) Cyrillus & alii in Pſal. xliv. 7.
(o) Geneſ. iii. 24. & Iſaiæ vi. 6. & Daniel x. ult.
(p) Dion. cæl. Hierarchiæ cap. viii. & xiii. Greg. homil. xxxiv. in Evang.
(q) D. Tho. 1. p. quæſt. cxii. 4.
(r) Iſai. vi. 6.
(ſ) Geneſ. iii. 24.
(t) Dan. x. ult.
(u) Tobiæ v. 5.
(x) Lucæ i. 26.

GORDONI.

Verſ. 1. MULTIFARIAM : πολυμερῶς, velut per partes; quaſi diceret, Non per unum tantum, ſed nunc per hunc Prophetam, nunc per alium revelat ſua hominibus. Immo & multis modis, per ſigna, per figuras, πολυτρόπως. His vero noviſſimis diebus aliter & Evangelium revelavit; nempe per filium. In hac ſane duplici revelatione, priſca ſe & nova ſtat hæc antitheſis. Illa enim vetus nec palam, nec omnibus facta: hæc vero nova aperte, ſine velo & figuris; ac demum per filium.

V. 2. QUEM CONSTITUIT. Nunc per filium nobis locutus eſt, rerum omnium creaturarum dominum. Sic Pſalmo ſecundo: *Poſtula, & dabo tibi hæreditatem gentes*. Hoc de Chriſto ut homo eſt : nam ut Deus non eſt conſtitutus, ſed natus hæres & dominus, atque opifex omnium. Vide citatum Pſalmi locum. PER QUEM FECIT ET SAECULA. Hoc ad divinitatem pertinet; nam Pater per æternam generationem communicavit filio omnipotentiam, ut eiuſdem exiſtens virtutis conderet res omnes. Non ergo Pater creavit mundum per filium, ut per inſtrumentum. En iterim ut Paulus docet Hebræos utramque Chriſti naturam.

V. 3. QUI CUM SIT SPLENDOR. Ut radius a ſole, lumen de lumine relucentia gloriæ Patris, deſignant hæc modum æternæ illius communicationis, ſine labore, aut paſſione, pari, & cum æquali duratione, productione naturali, non libera. Male Beza hæc de Chriſto homine exponit. FIGURA SUBSTANTIAE EIUS, χαρακτὴρ, quaſi exſculpta imago & expreſſa. Filius ergo eſt imago non ficta aut adumbrata, ſed viva & ad vivum expreſſa. *Subſtantiæ*, Græce, ὑποςάσεως. Hieronymus ad Damaſum Epiſt. LVII. οὐσίας interpretatur, & eſſentiam. Sane eſſe imaginem Patris ait Paulus: ſed an imago eſſentiæ, an perſonæ Patris? priorem modum probaſſe putatur Hieronymus, non diſtinguens οὐσίαν & ὑπόςασιν. Hoc tamen rectius reiicitur ex Baſilio, Chryſoſtomo, & aliis, qui ὑποςάσιν accipiunt pro ſubſiſtentia. Itaque Filius non habet imaginem aut figuram eſſentiæ Patris, ſed identitatem, ſubſiſtit tamen Filius ſimilis Patri, ut dixi Lib. IX. quæſt. XIX. in fine. Itaque quatenus Filius a Patre communicante eſſentiam per generationem producitur, eſt realiter ab eo diverſus, ſicut imago diverſa realiter eſt a ſuo prototypo. Habens autem eandem cum Patre eſſentiam eſt illi perſimilis, Patrem perfecte repræſentans (fiat etiam ſimilitudo ex vi proceſſionis: non ſic eſt de Spiritu ſancto.) Itaque totus filius ſeu Verbum habens illa duo ad imaginem requiſita, eſt perfecta, & per generationem expreſſa Patris imago: nec ſola filii eſſentia eſt imago, utpote quæ per generationem non eſt expreſſe producta, aut diverſa. Utrumque ergo confert ad imaginis conſtitutionem. PORTANSQUE OMNIA. Omnia conſervans potenti ſuo nutu & imperio ſolo. En uti omnia pendeant ab eo, & ſimul late patentem providentiam. Vide Iſaiam, cap. XL. verſ. 12. PURGATIONEM PECCATORUM. In hoc redit ad humanam naturam: Chriſtus enim ut homo operatus eſt redemptionem noſtram, & remiſſionem ſolidam omnium peccatorum, dum abunde ſatisfecit divinæ iuſtitiæ. τὸ, FACIENS SEDET, ποιησάμενος. Hoc eſt, poſtquam fecit moriens remiſſionem peccatorum, ſe-

det a dextris. Hoc deſignat Aoriſtus Græcus, licet ſoleat noſter interpres vertere per preſens participium.

V. 4. TANTO MELIOR. Semper Chriſtus fuit melior Angelis, nec umquam minor a momento conceptionis: in quo errat Eraſmus. Nunc vero ut ſedet a dexteris, etiam ut homo factus eſt excelſior Angelis. *Sedens a dextris*. Symbolicum hoc eſt, explicans ſummum Chriſti honorem, & locum excellentiſſimum. Dices, an non hanc dignitatem habet ab inſtanti conceptionis? Hoc quidem ratione unionis hypoſtaticæ conveniebat: unde etiam anima revera erat beata: tamen poſt reſurrectionem aliquid ſpeciale eſt: & facta eſt acceſſio, ſaltem ratione corporis: & ſic poſt aſcenſionem humanitas Chriſti peculiari modo elevata dicitur in ſymbolo collocata ad dexteram Patris. HEREDITAVIT. Chriſtus eſt filius Dei naturalis, ut ſuo loco demonſtrant Theologi; non vero adoptivus; & proinde qua homo per unionem hypoſtaticam factus filius, evaſit hæres omnium bonorum.

V. 5. CUI ENIM DIXIT. Siſtens Paulus in probatione divinitatis Chriſti docet hic Chriſtum multis aliis titulis eſſe meliorem Angelis. Locus quo id probat, eſt ex Pſalmo ſecundo, de cuius ſenſu dixi ibidem, ut nihil ſuperſit addendum. Pſalmus ille ad litteram eſt de Chriſto. Secundus hic locus citatus eſt, EGO ERO ILLI, II. Reg. VII. 14. ſunt verba de Salomone ad ad litteram: ſed, ut ibidem monui ſunt etiam de Chriſto. Quod vero de Chriſto locus intelligatur, ſaltem allegorice, nemo negat. Et ex hoc ſenſu petitum Apoſtoli argumentum, eſt ſufficiens, & validum: nam non citatur in ſenſu litterali, quippe qui manifeſte eſt de Salomone. Cum ergo hoc citet Paulus iuxta ſenſum myſticum ad divinitatem Chriſti probandam, nemo iure poteſt negare, quia ex intentione Spiritus Sancti lateat etiam hic ſenſus ſub his verbis.

V. 6. ET CUM ITERUM. Intelligi poteſt Chriſtus in mundum introductus, primo quidem per incarnationem; iterum vero & ſecundo per reſurrectionem aſcenſurus comitantibus Angelis. Ad hanc dignitatem Chriſti ſupra Angelos demonſtrandam, citat Pſal. XCVI. 7. *Adorate eum omnes Angeli eius*: ubi iubentur Angeli adorare Chriſtum. Ex quo loco probavi ibidem demonſtrari divinitatem Chriſti.

V. 7. 8. & 9. ET AD ANGELOS. Locus eſt citatus ex Pſalmo CIII. verſ. 3. cuius ſenſum ibidem expoſui. AD FILIUM AUTEM. Componit cum Angelis filium; & ex verbis Pſalmi XLIV. 7. probat excellentiam Chriſti; ubi oſtendi colligi eius deitatem.

V. 10. ET, TU IN PRINCIPIO. Hæc quæ ſequuntur uſque ad verſum 13. ſumpta ſunt ex Pſalmo CI. 26. 27. & 28. quibus locis probat Apoſtolus inſtitutum ſuum, uti iam oſtenſum eſt verſ. 6. & 7. Et ne actum agam, non hæreo in citatis hic locis explicandis. Revolve paginam, & ad mentem Pauli ſingula reperies explicata. His adde quod citatur hic verſ. 13. ex Pſalmo CIX. 1. ubi divinitatem Chriſti probari apparuit.

V. 14. NONNE OMNES. Interrogatio hæc eſt affirmatio: & colligit Angelos adminiſtratorios ſpiritus ſubſervire Chriſto. Ceterum de Angelorum miniſterio, qui, & quo mittantur, ſuo loco Theologi.

C A P U T II.

Cum Angelicorum præceptorum tranſgreſſio dignam acceperit ultionem, multo magis ea ſequetur tranſgreſſores præceptorum Chriſti: qui per ſuſceptam humanitatem & crucem minoratus eſt ab Angelis, & ex eo factus auctor ſalutis in ipſum credentium.

1. PRopterea abundantius oportet obſervare nos ea quæ au-
divimus, ne forte pereffluamus. 2. Si enim qui per An-
gelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præ-
varicatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retribu-
tionem: 3. quomodo nos effugiemus, ſi tantam negle-
xerimus ſalutem? * quæ cum initium accepiſſet enarra-
ri per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos con-
firmata eſt, 4. (a) conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus,
& Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. 5. Non enim
Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. 6. Teſta-
tus eſt autem in quodam loco quis, dicens: (b) Quid eſt homo quod me-
mor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? 7. Minuiſti eum pau-
lominus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſu-
per opera manuum tuarum. 8. (c) Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. In
eo enim quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc au-
tem necdum videmus omnia ſubiecta ei. 9. (d) Eum autem, qui modico
quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum, propter paſſionem mortis,
gloria & honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem.
10. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui
multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum * per paſſionem
conſummare. 11. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno om-
nes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: 12.
(e) Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.
13. Et iterum: (f) Ego ero fidens in eum: Et iterum: (g) Ecce ego,
& pueri mei, quos dedit mihi Deus. 14. Quia ergo pueri communicave-
runt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: (h) ut per
mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum:
15. & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant
ſervituti. 16. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ ap-
prehendit. 17. Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors
fieret, & fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. 18. In
eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentan-
tur, auxiliari.

(a) Marc. xvi. 20. (b) Pſal. viii. 5. (c) Mat. xxviii. 18. I. Cor. xv. 26. (d) Philip. ii. 8.
(e) Pſal. xxi. 23. (f) Pſal. xvii. 3. (g) Iſaiæ viii. 18. (h) Oſee xiii. 14. I. Cor. xv. 54.

BRU.

Digitized by Google

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 3. *Quæ cum initium accepiſſet :* Numerus ſingularis *accepiſſet* non eſt mutandus in pluralem *accepiſſent*.

Verſ. 10. *Per paſſionem conſummare.* Nec hic mutandum eſt activum *conſummare* in paſſivum *conſummari*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. PROPTEREA ABUNDANTIUS; id eſt, quum ergo per proprium filium loquutus ſit nobis Deus, tanto abundantius, id eſt præſtantius ac maiori obſervatione obſervare nos oportet quæ ab eo audivimus; quanto præſtantior eſt evangelici verbi adminiſter Chriſtus, quam vel prophetæ, vel angeli legis adminiſtratores. NE FORTE PEREFFLUAMUS; Græce, παραῤῥυῶμεν; id eſt, inquit Chryſoſt. pereamus. Græca ſcholia, ne a recto ac via ſalutis excidamus, ad verbum ſignificat, ne perfluamus, id eſt morte præterfluentis aquæ dilabamur, ac prorſum pereamus. Aut forte alluſit ad metaphoram perfluentis chartæ, quæ receptos characteres minus retinet, ſed diffundit, ita ut evaneſcant, quod contingit minus attentis animis, qui ſuſceptam doctrinam non retinent, ſed ſtatim in ventos abire ſinunt, & præterfluere.

V. 2 SI ENIM, &c. Si lex miniſtrata per angelos, id eſt cæleſtes illos ſpiritus aut Moyſen, vel quodcumque aliud mandatum per angelos hominibus divulgatum, verax ac ſtabile permanſit, eiuſque prævaricatores, prout erant demeriti, Dei iudicium & vindictam effugere non potuerunt; quomodo nos effugimus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? ſcilicet evangelicam doctrinam, quæ nobis ſalutem adfert. Et ne excuſare poſſent, nequaquam illam eſſe ſibi ſufficienter traditam, ſubdit:

V. 3. QUAE QUUM, &c. quam quum prior ipſe prædicaſſet Dominus, ex ore illius excipientes diſcipuli, ad nos derivarunt: eam divinis ſignis & portentis ac virtutibus confirmantes, id eſt miraculis & ſpiritus ſancti diſtributionibus, hoc eſt, diverſis donis & gratiis, quæ enumerantur I. ad Cor. XII. non quod huiuſmodi ſigna ſuapte virtute ederent, ſed Deo pro ſua voluntate hæc in illis ob evangelii teſtimonium operante. Quod autem ait, IN NOS, non eſt exiſtimandus de ſe Paulus intelligere, ſed in perſona ſua de illis loquitur ut quum de iis qui tempore iudicii vivi erunt. Dicit deinde nos qui vivimus: ego vero puto quum ait, *ab iis qui audierunt in nos confirmata eſt*, *τὸ in nos*, & Græcum εἰς ἡμᾶς, ſumi pro eo quod dicimus, uſque ad noſtram ætatem, uſque ad hoc tempus, ſicut frequens eſt Græcis εἰς ἐμὲ, pro uſque ad meam ætatem. Senſus ergo eſt, quod ſalus noſtra primum ab ipſo Domino prædicata eſt, deinde ab iis qui prædicantem illum audierant *in nos*, id eſt uſque ad nos & noſtram hanc ætatem ſignis confirmata & portentis. Is mihi videtur ſenſus commodior propter eos qui dicunt hanc epiſtolam non eſſe Pauli, quod contra quam ad Galatas dicat doctrinam evangelicam in ſe ab Apoſtolis confirmatam: qui tamen non eſt ſenſus Pauli.

V. 5. NON ENIM ANGELIS, &c. Hunc locum Græci referunt ad præcedens caput; proſequitur enim his verbis excellentiam Chriſti ſupra Angelos, de quo quum dixiſſet, *quum introduxit in orbem terræ*, & allegaſſet illud, *Initio Domine terram fundaſti*, ſubdit, *non enim Angelis* SUBIECIT DEUS ORBEM TERRAE FUTURUM, id eſt cælum futurum novum & terram novam, vel *orbem terræ futurum*, regnum Chriſti ſpirituale dicere poſſumus, quod tale in omnium reſurrectione futurum eſt, de quo videtur Eſa. dicere IX. cap. *Princeps pacis*, *pater futuri ſæculi*.

V. 6. & 7. TESTATUS EST AUTEM. Davidis teſtimonio probat orbem terrarum Chriſto non Angelis ſubiectum. QUID EST HOMO, id eſt quam vilis & abiecta res eſt, QUOD MEMOR ES EIUS, id eſt quod

eius meminiſſe dignaris? AUT FILIUS HOMINIS, id eſt quivis & abiectus homo, QUIA EUM VISITAS? Filius autem hominis, Hebræis dicitur quivis e plebe & abiectus homo, atque ita ſe Chriſtus ubique vocat humilitatis gratia, non oſtentans quam communem cum patre habebat Dei æqualitatem, ſed hominem tantum atque ex abiectiſſimis unum ſe faciens. Sic Ezechiel ne magnitudine revelationum extollatur, filius hominis, ubique appellatur, id eſt vilis & abiectus, ut ſuæ, id eſt humanæ conditionis memor, non inſoleſcat ob revelationes. Hunc autem locum myſtice ad Chriſtum Paulus tranſtulit, & tunc admirative legendus eſt: *Quid eſt homo;* id eſt, quam magna res eſt, quod eius tu memor es? *aut filius hominis*, id eſt Chriſtus; quia tu eum viſitas? quando eum abiectum & velut leproſum habitum, viſitas, gloriaque & honore coronas? MINUISTI EUM, inquit, PAULOMINUS AB ANGELIS, ſive ut alii legunt, *a Deo*. Nam *eloym* hebræa vox Deum & Angelos ſignificat. Imminutus eſt autem Chriſtus *paulominus*, Græc. βραχύτι, id eſt modico ac brevi tempore ab angelis, quia immortales illi ſunt: Chriſtus mortalis ac mortuus, ſed βραχύτι, id eſt brevi tempore ſcilicet triduo: cum autem locum, *minuiſti eum paulominus ab angelis*, &c. adduxit Paul. ut inquit Photius, non ut eum ſimpliciter minorem oſtendat eſſe angelis, quem procul dubio ſuperiorem facit, ſed quaſi volens diluere quod ſibi ex hoc loco obiici poſſet, Chriſtum minorem eſſe angelis: qui non plane minor, ſed paulo minor breviſſima ſcilicet, ac triduana morte, & hæc illi temporaria imminutio ceſſit ad gloriam: cuius præmium ſequitur, GLORIA ET HONORE CORONASTI EUM. Nam gloria immortalitatis & reliquis dotibus in reſurrectione affectum eſt ipſius corpus: in aſſumptione autem honore coronatus eſt totus homo, ſuper omnes cælos, & angelos aſſumptus. OMNIA inquit, SUBIECISTI SUB PEDIBUS EIUS, id eſt eius humanitati ſubiecta omnia feciſti, quod licet nondum peractum eſt, futurum eſt tamen in aliis.

V. 8. IN EO ENIM. Quod dicit omnia, nihil dimiſit ei non ſubiectum: præter eum tamen qui ſubiecit ſibi omnia, ſcilicet Deum, ut primæ Cor. xv. ait; hoc autem dicit propter angelos, ut ipſos Chriſto homini ſubditos oſtendat. NECDUM AUTEM, inquit, OMNIA SUBIECTA ſunt EI, non repugnat hoc ei quod ante dixit, *omnia ſubieciſti ſub pedibus eius*, nam de futuro Chriſti poſt reſurrectionem generali imperio propheta loquebatur propter rei certitudinem quod futurum erat, præterito enuntians: ſed τὸ *omnia* quidam de omnibus electis tantum intelligunt, quia nondum ſunt omnes ſubiecti; necdum enim omnes Chriſtum agnoſcunt, quem in iudicio ſunt agnituri. Potes etiam generaliter intelligere, quod non nunc omnia ſunt ſubiecta, quia & dæmones ſeducendo electos, & perverſi bonos, nunc Chriſto repugnant: poſt iudicium autem omnia erunt illi ſubiecta, quia boni parebunt in amore, mali in tremore: neque enim iam bonos aut perverſi aut dæmones ſeducent.

V. 9. EUM AUTEM QUI; id eſt, Ieſum autem paululum ab angelis imminutum videmus propter paſſionem, id eſt per paſſionem mortis gloria & honore coronatum. Mihi enim videtur hoc loco διὰ pro *per* ſumi, & *mortis* referri poſſe non ad paſſionem, ſed ad τὸ *gloria* propter ſequentem locum, ut pro omnibus guſtaret mortem. Atque ita hic eſſet ſenſus: Ieſum autem paululum, ſcilicet triduana morte ab angelis imminutum, videmus vel propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, id eſt in crucem ſublevatum & exaltatum, ut illic pro omnibus, ſcilicet redimendis GUSTARET MORTEM, hoc eſt mortem pateretur ſed non diuturnam; hoc enim importat verbum *guſtus*; quod enim gloriam & honorem non reſurgentis Chriſti dotes, & glorioſam in cælum aſſumptionem, ſed ignominioſam mortem, pudendam crucem interpretor, cum Græcis facio qui gloriam & honorem crucem interpretantur hoc modo: Δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον δόξαν καὶ τιμὴν καλεῖ τὸν σταυρὸν, οὐ γὰρ οὕτως ἄξιον τοῦ θεοῦ καὶ ὑπερενδόξον, τοῦ ποιῆσαι οὐρανὸν καὶ γῆν καὶ ἄνθρωπον καὶ τὰς ἄνω δυνάμεις, ὡς τὸ καταξιῶσαι δι' ἡμᾶς σταυρωθῆναι, id eſt gloria & honore coronatum: gloriam & honorem crucem appellat. Neque enim tam glorioſum tantæque maieſtatis fuit Deum cælos, terram & hominem ac ſupernas illas condidiſſe angelorum virtutes, quam quod noſtra gratia cruci dignatus eſt affigi. Bene autem ait UT GRATIA

DEI,

Dei, id eſt ob gratuitam Dei in nos benevolentiam guſtaret mortem, non noſtris meritis. Hic autem velut correctione quadam Paulus utitur: quum enim dixiſſet ex Pſalm. Chriſtum angelis paulo minorem effectum, oſtendit illam imminutionem uſque adeo proprie imminutionem dici non debere, ut illi acceſſio etiam honoris & gloriæ fieret; pro eo vero quod hoc loco Græci & Latini habent, *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*, beatus Fulgentius ad Thraſimundum regem epiſt. III. legit pro *gratia Dei*, ut ſine Deo guſtaret mortem: atque ita pro χάριτι Θεῦ, quod interpres legit, habebat χώρις Θεῦ, id eſt *ſine Deo*: atque ex hoc loco probat Fulgentius deitatem paſſionis expertem fuiſſe.

V. 10. Decebat enim eum, &c. per passionem consummari: Gr. ſic habent, ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ δι' ὃν τὰ πάντα· καὶ δι' οὗ τὰ πάντα· πολλοὺς υἱοὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα· τὸν ἀρχηγὸν τῆς σωτηρίας αὐτῶν, διὰ παθημάτων τελειῶσαι, id eſt conveniebat enim illi, ſcilicet patri, propter quem omnia & per quem omnia, eum ſcilicet Chriſtum qui multos filios in gloriam adduxerat, utpote ſalutis illorum auctor, per paſſiones & afflictiones conſummare. *Conſummare* autem hic ſumitur pro perfecte glorioſum reddere, dum ſcilicet ex ſumma ignominia paſſionis ad ſummam reſurrectionis & aſcenſionis gloriam pervenit. Secundum interpretem ſenſus eſt, decebat Chriſtum propter quem, & per quem omnia qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum, conſummari, id eſt perfectum fieri: atque ita legit αὐτοὶ & τελειωθῆ, id eſt, decebat eum conſummari, pro quo alii, conſummare. Mihi etiam videtur τελειῶσαι ſumi poſſe pro ſacrificare & mactare in ſacrificium, unde & τελέτας ſacrificia vocant: ſic τελειωθεὶς, pro quo interpres vertit, conſummari, ſignificaret offerri in ſacrificium: & hoc modo ſenſus eſſet, decebat eum propter quem omnia, &c. per paſſionem offerri Deo Patri pro nobis in ſacrificium: ſic Hebr. v. *Et conſummatus factus eſt omnibus cauſa ſalutis æternæ*; pro conſummatus, Gr eſt τελειωθεὶς, quod mihi videtur aptius eo loco verti poſſe, immolatus.

V. 11. Qui enim sanctificat, &c. Non admodum apparet quo referatur illud *enim*, & plerumque Paulus γὰρ pro δὲ, id eſt enim pro autem ſumit, niſi referamus ad id quod paulo ante præceſſit, *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. Qui enim, id eſt nam & Chriſtus qui nos ſanctificat, & nos qui ab eo ſanctificamur, ex uno omnes, ſcilicet Deo Patre ſumus, omnes eius filii: & ideo oportebat Chriſtum pro omnibus guſtare mortem, quia omnes a Deo ſumus, ſed ille aliter, nos aliter: ille natura, nos creatione & gratia, & adoptione: vel intellige quod & ſanctificator Chriſtus, & nos ab eo ſanctificati, ſecundum carnem ex uno & eodem parente Adamo ſumus, adeoque eiuſdem iuxta corpus & animam naturæ. Itaque quum dixiſſet, Quod decens erat paſſione Chriſtum conſummari, ne dubitares poſſe pati qui Deus erat, ſubdidit: *Qui enim ſanctificat*, &c. id eſt, Chriſtus enim ſanctificator, & nos ſanctificati ab eodem Adamo parente ſumus, ergo eandem invicem habentes naturam, quapropter & ille ſicut & nos, morti temporali obnoxius. Quod autem cum Chriſto licet alia ratione Deum Patrem communem habeamus, ſive quod eodem parente Adamo orti eandem Chriſtus & nos naturam habeamus, probat ex Pſal. verbis in quibus *non confunditur*, id eſt erubeſcit nos vocare fratres. Locus autem quo ait, *Ego ero confidens in eum*, etſi non plane fratres nos illi eſſe manifeſtat, oſtendit tamen eiuſdem eſſe nobiſcum iuxta humanitatem naturæ: quod a ſui ſimilibus hominibus derelictus, omnem in Deum confidentiam ponat: quod & locus ſequens aperit.

V 13. 14. & 15. Et iterum, ecce, &c. Hic locus ex Eſa. VIII. cap. ſumitur, ubi pueri ad litteram intelliguntur prophetæ, & filii prophetarum; quem tamen locum etiam de Chriſto intelligi, aſſerente Paulo dubitare non oportet. Pueri autem hi ſunt Apoſtoli & diſcipuli Chriſti. Ex hoc autem loco nihil aliud probare Paulus intendit, niſi quod & nos & Chriſtus unius ſecundum humanitatem naturæ ſumus. Hoc enim indicat pronomen *mei*: ſuos enim vocat, id eſt eiuſdem cum illo naturæ. Quia ergo pueri (quos ſuos vocat) communicaverunt carni et sanguini, id eſt veram carnem & ſanguinem, hoc eſt animam habuerint (hic enim ſanguinis pro anima) ita & Chriſtus participavit eisdem, id eſt veram cum il-

lis

lis carnem habuit ; utpote ex eodem parente ortus : ſenſus ergo eſt ; quod ſi pueri, quos naturæ communione ſuos vocat, communicaverunt carni & ſanguini, id eſt corpore & anima conſtiterunt, ſimiliter & ipſe. Quid autem opus fuit eam illum habere? ut per mortem quam non niſi homo ſactus pati poterat, deſtrueret eum, id eſt diabolum, qui mortis habebat imperium, id eſt qui invecta per peccatum mortem, tyrannum agebat. Sicut ergo per Adæ mortem, imperium diabolus uſurpaverat in nos, ſic per ſecundi Adæ mortem deſtructum iri diabolum oportebat a Chriſto, UT LIBERARET EOS QUI TIMORE MORTIS PER TOTAM VITAM OBNOXII ERANT SERVITUTI, id eſt eos qui non habentes ſpem remiſſionis peccatorum nimium horrebant mortem, atque in eo timore per totam vitam obnoxii erant ſervitui, id eſt inſtar ſervorum erant, quibus iugis incumbit timor dominorum ; ut ergo nos & ab hac ſervitute, & ab hoc timore mortis Chriſtus liberaret, humanitatem noſtram aſſumpſit, in qua per mortem diabolum, & eius imperium enervaret.

V. 16. NUSQUAM ENIM, &c. Probat his verbis Paulus, quod corpus & animam Chriſti aſſumperit, quia nuſquam angelos apprehendit, ubi apprehendit præſentis eſt temporis, Græc. ἐπιλαμβάνεται ; ſed ſemen Abrahæ, id eſt Abrahæ filios. Quidam interpretantur apprehendere, pro labantes angelos reducere, quod non fecit ; bene autem periclitantem hominem reduxit, & apprehendit. Et bene ait, apprehendit, ut pote reluctantem & fugientem.

V. 17. UNDE DEBUIT, &c, id eſt, quum illi viſum ſit hominem aſſumere, par erat etiam, ut omnes illius infirmitates peccatum non importantes aſſumeret : ne miſericors fieret & fidelis pontifex, id eſt ut miſereri diſceret, intellecta per aſſumptionem illius hominis miſeria, & fieret fidelis pontifex ad Deum, vel ut Græci habent, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, id eſt in his quæ ad Deum pertinent, UT REPROPITIARET DELICTA POPULI, id eſt ad impetrandam delictorum veniam. Eſt enim Pontificis officium reconciliare *Deo* populum ; & ideo quo facilius id faceret, docuit eum ſimilem noſtri fieri, & pares nobiſcum ferre infirmitates : in eo enim in quo paſſus eſt & tentatus, potens eſt eis qui tentantur auxiliari, eaſdem ipſe tentationes & tribulationes expertus.

S. A.

Verſ. 1. ABUNDANTIUS, id eſt perfectius. AUDIVIMUS, ſcilicet a Deo per Filium revelata. PEREFFLUAMUS, id eſt pereamus, ſeu excidamus, ut ſolet quod effluit. Syr. *cadamus*.

V. 2. FIRMUS, id eſt tantam obtinuit auctoritatem. PRAEVARICATIO. Græc. *tranſgreſſio*. MERCEDIS, id eſt quam merebatur.

V. 3. EFFUGIEMUS, ſcilicet punitionem. INITIUM, &c. quaſi dicat, Primum eſſet per Chriſtum prædicata. IN NOS, ſcilicet Chriſtianos. CONFIRMATA EST, id eſt firmiter tradita. Audierat quidem a Chriſto Paulus, ſed & ab Apoſtolis etiam. Adde quod de aliis loquitur in perſona ſua, ut proxime indicavi.

V. 4. PORTENTIS, id eſt prodigiis. VIRTUTIBUS. Tribus his vocibus ſolet Scriptura omnia miraculorum genera ſignificare. SPIRITUS, &c. pro donorum Spiritus ſancti.

V. 5. NON ENIM, &c. Redit ad ſuperiorem diſputationem. ORBEM TERRAE, id eſt mundum. FUTURUM, ſcilicet poſt iudicium : tunc enim omnia plene Chriſto ſubiecta erunt, ut infra dicitur. DE QUO, ſcilicet orbe. LOQUIMUR, id eſt diſputationem inſtituimus.

V. 6. QUIS ; pro, quidam.

V. 7. PAULOMINUS, id eſt aliquantum, ſcilicet inferior eſt natura humana etiam in Chriſto Angelica, quod ad ipſam naturam pertinet. AB, id eſt præ.

V. 9. GRATIA, id eſt per gratiam. Iungendum autem cum *paſſionem* ; quaſi dicat, Quam ſuſtinuit pro ſalute hominum. GUSTARET, id eſt ſentiret, ſeu *pateretur*, Hebr.

V. 10. ADDUXERAT ; pro, adducturus eſſet. CONSUMMARE, id eſt fieri perfecte, vel vitam finire.

V. 11. UNO, ſcilicet Deo auctore, ſeu Patre ; quaſi dicat, Dedit Deus Filium ſuum unigenitum pro filiis adoptivis. OMNES, ſcilicet velut fratres. CONFUNDITUR, id eſt erubeſcit.

V. 13. EGO ERO, &c. ſunt hæc verba

Lia-

Iſa. viii. ſecundum LXX. ubi nos legimus, *Præſtolabor eum*; ſequiturque ſtatim, *Ecce ego*, &c. itaque eodem pertinet utraque hæc ſententia, qua de ſe Chriſtus loquitur ut homo eſt.

V. 14. PUERI, id eſt filii, ſeu ſervi. COMMUNICAVERUNT, &c. id eſt homines erant carnis participes. PARTICIPAVIT, &c. id eſt habuit etiam carnem & ſanguinem, ſcilicet factus eſt homo. MORTIS, ſcilicet ob peccatum quod induxit, ex quo mors, vel mortis peccati, quod hominibus perſuadebat.

V. 15. OBNOXII, &c. quaſi dicat, Vivebant vitam ſervilem, horrentes ſemper mortem, a qua ſervitute liberati promiſſa immortalitate.

V. 16 NUSQUAM, id eſt nullo modo, ſeu numquam. Græc. *non*. ANGELOS, &c, id eſt non Angelicam naturam aſſumpſit, ſed humanam.

V. 17. PER OMNIA, ſcilicet ad naturam humanam pertinentia, adeoque pati humanas infirmitates. MISERICORS, ſcilicet etiam per experientiam dolorum. AD; pro, apud. REPROPITIARET, id eſt expiaret.

V. 8. IN EO, id eſt per id; vel quaſi dicat, In iis rebus. TENTATUS, id eſt expertus mala noſtra. POTENS, id eſt aptus, ſeu promptus; vel quaſi dicat, Certe poteſt in rebus quas expertus eſt opem ferre ſuis.

MARIANAE.

Verſ. 1. PROPTEREA ABUNDANTIUS; quaſi dicat, ſi Deus per Filium eſt locutus, multo magis debemus obſervare quæ dixit. NE FORTE PEREFFLUAMUS, id eſt inſtar vaſis confracti decidat verbum: oportet enim illud retinere, & ſecundum illud operari.

V. 2. SI ENIM QUI PER ANGELOS DICTUS EST SERMO, id eſt lex lata per Angelos, non violabatur impune. Qui novam legem abiecerit, maiores pœnas dabit. Si neglexerimus ſalutem,

V. 3. QUAE .... AB EIS, QUI AUDIERUNT, IN NOS CONFIRMATA EST, id eſt nos homines confirmata eſt; aut *in nos*, id eſt tempore noſtro ſalus & redemptio confirmata variis miraculis. Non enim Paulus de ſe loquitur, qui ad Galat. 1. dixit, non ab hominibus, neque per hominem Apoſtolum eſſe. Male ergo quidam ex hoc loco contendunt, hanc Epiſtolam Pauli non eſſe.

V. 4. ET SPIRITUS SANCTI DISTRIBUTIONIBUS, id eſt donis linguarum & Prophetiæ.

V. 5. NON ENIM ANGELIS. Revertitur ad id quod primo cap. dixerat, Chriſtum maiorem eſſe Angelis. SUBIECIT DEUS. Vox *Deus* Græce deeſt & Syr. & Goth. ſcilicet orbem.

V. 6. QUID EST HOMO. Pſal. viii. 5. quam pulchra paronomaſia ſeu antitheſis his verbis contineatur, dictum eſt. In quo ſane agitur de hominis excellentia & dominio, quod habet in res alias. Paulus autem id ad Chriſtum refert, cum Scriptura divina ſecunda myſteriis & ſignificationibus ſit.

V. 7. MINUISTI EUM. Secundum humanam naturam Chriſtus minor eſt Angelis. *Omnia ſubiecisti ei*.

V. 8. NECDUM VIDEMUS OMNIA SUBIECTA EI. Occurrit tacitæ obiectioni, & ſane dæmones & pravi homines Chriſto repugnant. Quid ergo?

V. 9. GLORIA ET HONORE CORONATUM videmus; quaſi dicat, Etſi Chriſto quidam rebellant, ipſe tamen per mortem regni gloriam conſecutus. UT GRATIA DEI nobis conceſſa, & propter nos moreretur. Vigil. Lib. II. contra Eutychem, & Fulgentius Lib. III. ad Traſimundum legunt, pro *gratia Dei*, *ſine Deo*, nempe pro χάριτι Θεῦ Græc. legerunt χωρὶς Θεῦ, unde Chriſtum quoad divinam naturam non eſſe paſſum docent. Verum eius lectionis veſtigium non extat. PRO OMNIBUS moreretur. Decebat enim eum

V. 10. PER PASSIONEM CONSUMMARE. Goth. *conſummari*; ſed perinde eſt. Decebat ergo ut Chriſtum Deus perficeret in redemptionis officio. Ante mortem non erat perfecte redemptor.

V. 11. EX UNO OMNES ſumus. Chriſtus & nos, ſcilicet Deo, omnes ſumus fratres: ideo decebat ut pro ſuis fratribus Chriſtus pateretur. Aut *ex uno*, ſcilicet Adamo, eodem ſenſu.

V. 13. EGO FRO FIDENS IN EUM. Ex hoc probat Chriſtum eſſe hominem, ut nos, atque adeo fratrem, quando eget auxilios Dei. Aut David de ſe loquatur, fidere in Chriſto, quia frater eſt. ECCE

EGO,

Digitized by Google

EGO, ET PUERI MEI, id eſt filii, ergo eiuſdem naturæ. Iſa. VIII. 18. per ea verba filios Prophetarum intelligit, Paulus ad Chriſtum traducit.

V. 14. PUERI COMMUNICAVERUNT CARNI ET SANGUINI; id eſt ſunt eiuſdem naturæ cum Chriſto ipſorum patre. UT PER MORTEM; quaſi dicat, Factus eſt homo, ut mori poſſet, & per mortem diabolum vinceret.

V. 16. NUSQUAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT, id eſt redemit, liberavit; aut verius, non ſumpſit naturam Angelicam, ut eſſet frater Angelorum; ſed humunam. SED SEMEN ABRAHAE. *Abraham* pro homine ſumitur promiſcue: ſic Theodoretus hic innuit, *Rachel* etiam Matth. II. 18. pro qualibet muliere, *Aaron* pro Pontifice Pſal. CXXXII. *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Cantap. Lib. II. cap. I. idem etiam de *Ieruſalem* & *Babylone* ait ſumi pro civitate in genere. Verum ſigillatim *Abraham* nominat, propter promiſſionem illi factam.

V. 18. POTENS EST, id eſt proclivis auxiliari afflictis, Ambroſius Lib. III. de Fide, cap. V. aliter fidem huius capitis affert, & ſequentis initium.

MENOCHII.

Verſ. 1. ABUNDANTIUS, id eſt diligentius, & ſtudioſius. OBSERVARE: προσέχειν, attendere, mentem adiicere, & applicare. EA QUAE AUDIVIMUS: quæ a Chriſto Domino tradita ſunt. NE FORTE PEREFFLUAMUS: μήποτε παραῤῥυῶμεν, ne forte ſimus ad inſtar vaſis multas rimas habentis, ex quo omnis aqua diffluit, id eſt ne omnia quæ audivimus excidant e memoria.

V. 2. QUI PER ANGELOS DICTUS EST SERMO; id eſt, lex quæ data eſt per Angelos, Exod. XIX. & XX. FACTUS EST FIRMUS: ſanciente Deo legem ſuam punitione prævaricatorum. IUSTAM MERCEDIS RETRIBUTIONEM: condignam peccatis pœnam.

V. 3. QUOMODO NOS EFFUGIEMUS: pœnas. TANTAM SALUTEM: tam eximium beneficium ſalutis a Chriſto allatum. QUAE; ſcilicet ſalus, id eſt annunciatio ſalutaris Evangelii. CUM INITIUM ACCEPISSET ENARRARI PER DOMINUM, id eſt cum primum eſſet per Chriſtum prædicata, & hominibus explicata, & propoſita. AB EIS QUI AUDIERUNT, ſcilicet Apoſtolis. IN NOS, id eſt uſque ad noſtra hæc tempora.

V. 4. CONTESTANTE DEO, id eſt Deo teſtimonium præbente veritati Evangelii. VIRTUTIBUS: miraculis. ET SPIRITUS SANCTI DISTRIBUTIONIBUS, id eſt donis linguarum prophetiæ, & aliis, quæ Spiritus ſanctus cuique diſtribuit ſecundum ſuam voluntatem.

V. 5. NON ENIM ANGELIS SUBIECIT DEUS, &c. Non enim Angelis mundum illum, ac ſæculum futurum, de quo loquimur, voluit eſſe ſubiectum, ſed ipſi uni Chriſto, qui ab Iſaia Pater futuri ſæculi nuncupatur. Sermo igitur de orbe futuro poſt reſurrectionem, & iudicium generale, quem Deus Pater in ſuo decreto, & prædeſtinatione ſubiecit, & actu re ipſa ſubiiciet Chriſto in fine mundi; tunc enim Chriſtus victis plane omnibus ſuis hoſtibus, pleniſſimo triumpho, imperio, & dominio, cum ſuis ſanctis in hoc orbe regnabit. DE QUO LOQUIMUR: de quo locutus fuerat capite præcedenti verſ. 12. cum ait ex Pſalmo: *Et velut amictum mutabis eos*, &c.

V. 6. QUIS; quaſi dicat, Ille quem noſtis, & quotidie legitis, & teritis, ſcilicet David Pſal. VIII. 5. QUOD MEMOR ES EIUS; id eſt, ut tu Domine eius recordari digneris, & ita recordari, ut etiam illum extollere digneris per humanitatis aſſumptionem a verbo. FILIUS HOMINIS, id eſt homo. QUONIAM VISITAS EUM: tam ſtudioſe, ac tanta providentia proſequeris.

V. 7. MINUISTI EUM PAULO MINUS AB ANGELIS: τό, *paulo minus*, in Græco eſt βραχύ τι, quod referri poteſt ad rem; quaſi dicat, *Paulum quid*, & ad tempus, ut idem ſit quod *pauliſper*: ſi referatur ad tempus dicit Chriſtum brevi temporis ſpatio minorem fuiſſe Angelis, tantiſper ſcilicet quamdiu mortale corpus habuit, cum enim iam inde ab initio ſui conceptus quo Dei filius erat, ei deberetur gloria beatorum, tantiſper tamen, ut pro ſalute noſtra pati poſſet, quoad corpus caruit, & in hoc minor fuit Angelis. Si vero referatur ad rem, id eſt ad dignitatem, quod fere Latina verba ſonant, hac tantum re minor erat Angelis, quod pati, & mori po-

poterat; quaſi dicat, Longe eum Angelis ſuperiorem conſtituiſti, ſed in re parva eis minor fuit, quod corpus illi dediſti mortale, & paſſioni obnoxium. GLORIA, ET HONORE CORONASTI EUM. Gloria, ut eius nomen ubique prædicetur; honore, ut eum omnes adorent. CORONASTI EUM: recte dicit *coronaſti*, quoniam hæc duo paſſione ſua Chriſtus meruit, itaque illis coronatus eſt), quod legitime certaſſet, & corona dignus eſſet. ET CONSTITUISTI EUM SUPER OPERA MANUUM TUARUM: extuliſti eum ad te, & ſuper omnes cælos, & ſuper omnes Angelos & dexteram tuam collocaſti.

V. 8. OMNIA SUBIECISTI SUB PEDIBUS EIUS, id eſt omnibus creaturis præfeciſti. NUNC AUTEM NECDUM VIDEMUS OMNIA SUBIECTA EI. Poterant dicere Hebræi: Quomodo omnia ſubiecta ſunt Chriſto, cum Chriſtiani a ſuis hoſtibus multa mala patiantur? Huic tacitæ obiectioni reſpondet Apoſtolus nondum adveniſſe tempus, quo prophetia omnino expleatur, explendam tamen eſſe in fine ſæculi.

V. 9. EUM AUTEM QUI MODICO, &c. Clarius verſiculi huius verba hoc pacto ordinabuntur: *Ieſum autem illum videmus, gloria, & honore coronatum, qui modico* (id eſt paulo minus) *quam Angeli, minoratus eſt propter paſſionem mortis, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. Senſus autem eſt; quaſi dicat: Nondum quidem Chriſto ſubiecta ſunt omnia, at hoc vobis dicere poſſum, dum tempus advenit integræ ſubiectionis, illum ipſum Ieſum, in quem Iudæi uſque ad mortem crucis ſævierunt, gloria, & honore a Patre iam eſſe coronatum. PROPTER PASSIONEM MORTIS: ut aptus eſſet ad ſubeundam mortem. UT GRATIA DEI PROOMNIBUS GUSTARET MORTEM, id eſt ut per gratuitam Dei Patris bonitatem, ſeu beneficentiam, qua ille genus humanum dilexit, mortem pro omnibus guſtaret.

V. 10. DECEBAT ENIM EUM PROPTER QUEM; id eſt, decebat Deum Patrem Chriſtum paſſioni tradere. Deus enim Pater eſt is propter quem, & per quem ſunt omnia. FILIOS, id eſt iuſtos, & ſanctos. ADDUXERAT, id eſt adducere decreverat, & prædeſtinaverat. Adduxerat non actu, & re ipſa, ſed in æterno ſuo decreto, & prædeſtinatione. AUCTOREM SALUTIS EORUM, &c. Pro *auctorem* in Græco eſt ἀρχηγὸν, id eſt principem, & ducem; ſenſus eſt: Decebat Deum Patrem, qui multos homines per Chriſtum decreverat adducere ad cæleſtem ſuam gloriam, ut Chriſtum ipſum, quaſi auctorem, & ducem omnium paſſione, & morte conſummaret. CONSUMMARE: τελειῶσαι, *perfectum facere*, ut vertit Syrus, ut hæc perfectio opponatur, & rependatur quaſi præmium Chriſti minutioni, de qua dixit, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Conſummare ergo idem eſt, quod gloria, & honore coronare.

V. 11. QUI ENIM SANCTIFICAT, id eſt Chriſtus. ET QUI SANCTIFICANTUR, ſcilicet homines. EX UNO OMNES. Omnes enim ex uno principio, vel ex uno Adamo habent originem; id eſt, Chriſtus quoad humanitatem eiuſdem eſt naturæ cum ceteris hominibus. Probat his verbis Apoſtolus id quod dixerat, nimirum decuiſſe Chriſtum pati, & per paſſionem conſummari. Ratio autem ita formari poteſt. Decet Pontificem, qui ſanctificat, qualis eſt Chriſtus, & eos qui ſanctificantur ab eo, eſſe ex uno omnes, id eſt eſſe eiuſdem naturæ omnes: atqui homines qui ſanctificantur ſunt naturæ paſſibilis, multaque pati, ac mori. PROPTER QUAM CAUSAM; quia ſcilicet decebat, &c. ut explicatum eſt verſiculo ſuperiori. NON CONFUNDITUR: non erubeſcit Chriſtus. FRATRES SUOS VOCARE: homines ex uno patre Adamo ſecum natos.

V. 12. NUNCIABO NOMEN TUUM: o Pater æterne, ſumptum eſt ex. Pſal. XXI. 23. FRATRIBUS MEIS: Apoſtolis, aliiſque, quos fideles, & Chriſtianos prædicando eſficiam: cum dicit, *fratribus meis*, oſtendit ſe eiuſdem eſſe cum hominibus naturæ. IN MEDIO ECCLESIAE: Chriſtianæ a me congregandæ.

V. 13. ET ITERUM. Citat Iſaiam cap. VIII. 17. ut probat Ribera, non Pſalmum XVII. 3. ut alii exiſtimant, & ita eſſe patet ex textu Græco utriuſque loci, ubi enim dicit Iſaias, *præſtolabor eum*, in Græco eſt, πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ, quæ verba plane eadem habentur hic in textu Græco S. Pauli. EGO ERO FIDENS IN EUM. Quorſum hoc teſtimonium ab Apoſtolo citatur? ſuſceperat Paulus probandum Chriſtum eſſe ſanctificatorem hominum, atque eiuſdem naturæ cum illis, quod ut faceret retu-

Digitized by Google

retulit illud: *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*, ſed ſanctificaturum eſſe homines, non ſatis plene, atque aperte ex eo cognoſcitur. Propterea adiunxit aliud teſtimonium: *Ego ero fidens in eum*, ſcilicet, quamvis obdurati fuerint Iudæi, ad quos ego miſſus ſum, non tamen idcirco diffidam homines a me eſſe ſanctificandos. Breviter, & conciſe hæc citat Apoſtolus, quia loquebatur ſcientibus ſcripturas. ET ITERUM: citat ſequentia Iſaiæ verba eodem loco. ECCE EGO, ET PUERI MEI, &c. Senſus eſt: En ego, & pueri mei, id eſt filii mei Apoſtoli præſto ſumus, ut per nos homines vocentur, & ad Deum adducantur. QUOS DEDIT MIHI DEUS: *mihi*, ſcilicet homini.

V. 14. QUIA ERGO PUERI, &c. Senſus eſt, Quia illi, quos ipſe filios ſuos vocare dignatus eſt, vere homines fuerunt, ipſe etiam vere homo eſſe voluit, ut eos ad ſe alliceret, & ſanctificaret. COMMUNICAVERUNT CARNI, ET SANGUINI, id eſt homines fuerunt habentes carnem, & ſanguinem. Participes fuerunt carnis, & ſanguinis. ET IPSE SIMILITER PARTICIPAVIT EISDEM: etiam ipſe Chriſtus carnis, & ſanguinis particeps factus eſt, id eſt humanam aſſumpſit naturam morti, ac miſeriis obnoxiam. DESTRUERET EUM, &c. Dicitur Chriſtus deſtruxiſſe diabolum, quia eius regnum, & imperium deſtruxit, dum ſua morte homines a morte præſenti, & æterna, & conſequenter a poteſtate dæmonis liberavit, effecitque ut homines a morte ad vitam reſurgerent immortalem, & æternam. QUI HABEBAT MORTIS IMPERIUM: qui per peccatum nos trahebat in mortem corporis, & animæ, tam præſentem quam æternam.

V. 15. ET LIBERARET EOS, &c. & liberaret homines a metu, & horrore mortis, quæ illis ſemper obverſabatur oculis mentis, efficeretque ut fidentes, & alacres ad mortem, tamquam finem ærumnarum, & melioris vitæ initium accederent.

V. 16. NUSQUAM ENIM ANGELOS APPREHENDIT, &c. In Græco eſt, ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, eſt autem ἐπιλαμβάνεσθαι, manum iniicere, ut cum quis fugientem manu apprehendit, ut retineat, vel cum quis manu in rem ſuam iniecta illam ſibi vendicat. Senſus autem eſt: Alienati erant homines a Deo per peccatum, nec tamen umquam videmus Deum manum iniicere in eos tamquam in rem ſuam, ut eos retineat, & ad ſe revocet: at in ſemen Abrahæ, hoc eſt filios Abrahæ, manus iniicit quotidie, & eos per fidem ad ſe reducit. Vel ſenſus eſt: Angelos fugientes non apprehendit, homines vero, qui ſe fugerant, & abiecerant quotidie apprehendit, ut a fuga revocet, & ad ſe reducat. Præſertim autem apprehendit corporaliter ſemen Abrahæ, cum humanam carnem aſſumpſit.

V. 17. UNDE DEBUIT PER OMNIA FRATRIBUS ASSIMILARI: quia eorum Pontifex fieri voluit, oportuit ut naturam eorum aſſumeret. PER OMNIA ASSIMILARI: in omnibus, quæ redemptorem, & ſanctificatorem decent. UT MISERICORS FIERET: miſericos, quia ipſe labores, & dolores noſtros expertus eſt: ſic illa apud Virgil. AEneid. I. dicebat:

Non ignara malis miſeris ſuccurrere
diſco.

Vide ſequenti cap. IV. 15.

FIDELIS. Fidelis dicitur verus, qui vere efficit id, quod nomine, & officio ſuo pollicetur, id eſt vere nobis Deum placat, hoc enim eſt officium Pontificis. AD DEUM: ſecundum ea, & in iis, quæ ad Deum pertinent. Vel in iis quæ apud Deum agenda forent. UT REPROPITIARET DELICTA POPULI: ad propitiandum, id eſt ad expiandum peccata populi.

V. 18 IN EO ENIM IN QUO PASSUS EST IPSE, ET TENTATUS; ſenſus eſt; Quia ipſe paſſus eſt, & tentatus. TENTATUS, id eſt afflictus, & vexatus. POTENS EST: aptus eſt, & proclivis, ut tentatorum miſereatur, & illis auxilietur.

T I R I N I.

Verſ. 1. ABUNDANTIUS ac ſtudioſius OPORTET NOS OBSERVARE, προσέχειν, id eſt *attendere*, ſeu mentem adiicere iis QUAE a Chriſto nobis tradita AUDIVIMUS, NE, ſi non attenderimus, PEREFFLUAMUS *a*, παραῤῥυῶμεν, id eſt inſtar vaſis rimarum pleni, ſinamus Evangelii doctrinam recens hauſtam effluere: Sic Comicus *b*: *Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.*

V. 2. SI SERMO, ſeu lex vetus, PER ANGELOS promulgata in *Sinai* c *firma facta*

cta ſeu confirmata EST fulguribus, tonitruis, terræmotu: *& prævaricatores* illius tam graviter puniti ſunt *d*, *accepta iuſta* MERCEDIS *retributione*, id eſt condigna ſceleribus ſuis pœna:

V. 3. QUOMODO NOS Chriſtiani EFFUGIEMUS pœnas, SI TANTAM NEGLEXERIMUS SALUTEM? nempe ſi contempſerimus Evangelium Chriſti quod æternam animæ ſalutem omnibus offert & affert., quodque Chriſtus primum enarravit, deinde Apoſtoli proſecuti ſunt.

V. 4. DEO CONTESTANTE, id eſt certum teſtimonium præbente veritati Evangelii omnigenis VIRTUTIBUS, id eſt miraculis, & donis linguarum ac prophetiæ, aliiſque quæ SPIRITUS SANCTUS partim in Pentecoſte *e*, partim exinceps cuique diſtribuit pro placito ſuo.

V. 5. NON ANGELIS, quaſi ſupremis univerſi rectoribus ac redemptoribus (ut nugantur quidam hæretici *f*,) ſed uni Chriſto parendum, qui ſolus a Patre conſtitutus eſt Dominus & iudex totius orbis, non modo præſentis, ſed & futuri ſæculi poſt reſurrectionem: ita Theodoret. Lyranus, Caietan. & a Lapide. Et patet ex verſ. 8.

V. 6. TESTATUS EST ALIQUIS ſat vobis notus, nempe David Pſalm. VIII. 5. eximiam hominis, ac præ omnibus Chriſti Dei hominis, præcellentiam, cum ait: QUID ſeu quantula res eſt homo, QUOD tam ſingulari affectu & cura MEMOR ES EIUS? nempe collapſum in extremam miſeriam voluiſti erigere, Filio Dei unigenito hypoſtatice in Chriſto unire, & per Chriſtum æterna ſalute ac gloria donare: ita S. Hieron. Chryſoſt. Auguſt. Theodoret.

V. 7 MINUISTI quidem EUM PAULOMINUS AB ANGELIS; id eſt, pauliſper inferiorem angelis eum feciſti. Tam Hebræum *meat*, quam Græcum βραχύτι ſignificat *parvitatem*, ſeu quantitatis, ſeu temporis. Homo enim, ac præſertim Chriſtus, in re parva, puta mortali corpore: & parvo tempore, ſcilicet vitæ ſuæ, minor eſt angelis. Mox enim in altera vita, omni GLORIA ET HONORE, quaſi bravio victori debito, CORONASTI EUM, & omnes creaturas eius dominio ac nutui

V. 8. SUBIECISTI, non quidem apparenter ſeu ſenſibiliter in hac vita (ubi hoſtes eius adhuc tolerantur;) ſed tamen reipſa ac vere (neque enim poteſt quiſpiam; ſeu tyrannorum, ſeu dæmonum, vel feſtucam levare, ſine nutu aut permiſſione Chriſti:) atque etiam ſenſibiliter in futuro iudicio & ſæculo ſubſecuturo. Interea ſi non oculo corporis, certe oculo fidei,

V. 9. VIDEMUS IESUM ſumma GLORIA ET HONORE CORONATUM in cælis, QUI ante in terris ſingulari DEI GRATIA ac miſericordia erga homines PROPTER PASSIONEM MORTIS, id eſt ut aptus eſſet ad ſubeundam pro nobis mortem in mortali corpore, *minor angelis* brevi tempore factus fuerat.

V. 10. DECEBAT ENIM Deum Patrem, QUI per Chriſtum ADDUXERAT *g* æterno decreto & voto ſuo, id eſt perducere decreverat, *ad*, æternam ſalutem & GLORIAM MULTOS FILIOS, immo, quantum eſſe eſt, omnes homines *h*; *decebat*, inquam, ut AUCTOREM SALUTIS & gloriæ EORUM PER ſuam PASSIONEM & mortem, præ omnibus *conſummaret*, (Græcum τελειῶσαι ſignificat *perficere*, ſeu *perfectum reddere*, ut Syrus vertit) nempe ſupremo honore & gloria. *Conſummatio* enim hæc ſeu *perfectio* opponitur, & quaſi præmium rependitur *imminutioni* Chriſti, de qua verſ. 7. & 9. Et ratio eſt evidens: *propter quod enim unumquodque tale, & illud magis*, inquiunt Philoſophi: atqui propter Chriſtum omnes Sancti glorificantur: ergo ipſe præ omnibus glorificandus. Maxime cum ſit eiuſdem cum illis naturæ, etiam paſſibilis & mortalis durante vita ſua.

V. 11. QUI SANCTIFICAT, nempe Chriſtus, pontifex, mediator ac redemptor noſter: ET QUI per ipſum: SANCTIFICANTUR, ſcilicet homines, *& ab* UNO principio OMNES promanarunt, ex una ſtirpe & natura humana, ex uno Adamo prognati omnes. Neque contentus fuit eadem cum ipſis natura ſeu ſubſtantia, voluit etiam iiſdem accidentibus ſubiacere, puta infirmitati, mortalitati & miſeriis omnibus vitæ humanæ, ac tandem etiam morti: ut *per omnia* nobis aſſimilaretur, & quiſque noſtrum iure dicere poſſet illud Iſaiæ VIII. 17.

V. 13. EGO quantumvis miſer & peccator, ERO FIDENS IN EUM, utpote chariſſimum fratrem meum. Pro eo enim quod in Latino Iſaias habet, *præſtolabor eum*, apud LXX. eſt, *πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ*,

id eſt *confidam in eo*. Et iterum apud eumdem Iſaiam eodem loco ait Chriſtus hominibus, ut olim *i* Ioſeph fratribus ſuis in AEgypto furti accuſatis: ECCE EGO *frater veſter* adſum paratus vos liberare, exaltare, gloria & operibus augere; : ET PUERI, id eſt filii, ſervi, diſcipuli, Apoſtoli, clientes, MEI, ad nutum & obſequium veſtrum omnes: ita fere Origenes, Baſilius, Cyrillus in illum Iſaiæ locum.

V. 14. QUIA ERGO homines, quos Chriſtus ſuos *pueros* ac filios vocare dignatur, COMMUNICAVERUNT CARNI ET SANGUINI, id eſt conſtant una communi natura humana ex carne & ſanguine conflata, id eſt natura fragili, paſſibili, morti & mille miſeriis obnoxia; hinc etiam Chriſtus IPSE voluit SIMILITER IISDEM *participare*, ſeu conſtare, UT mori poſſet, & PER MORTEM ſuam DESTRUERE DIABOLUM, id eſt regnum & potentiam diaboli, QUI per peccatum HABEBAT MORTIS IMPERIUM, id eſt poteſtatem infligendi omnibus mortem corporis & animæ, præſentem & æternam.

V. 15. ET ut LIBERARET a miſeriis non angelos immortales, ſed miſeros homines, QUI OBNOXII ERANT SERVITUTI peccati & dæmonis, cruciabanturque perpetuo TIMORE MORTIS, non ſolum temporaneæ, ſed & æternæ. Iam enim per Chriſtum liberati a ſervitute & imperio mortis æternæ, fidentes & alacres properamus, immo anhelamus ad mortem temporaneam, utpote ad finem ærumnarum & initium vitæ melioris, immortalis & æternæ.

V. 16. NUSQUAM ENIM, ſeu nequaquam, ANGELOS, id eſt angelicam naturam, APPREHENDIT, id eſt hypoſtatice ſibi univit, Dei Filius: ita paſſim SS. Patres & interpretes etiam heterodoxi. Chryſoſt. tamen & a Lapide malunt *ἐπιλαμβάνειν* exponere ut idem ſit quod, fugientem *manu iniecta apprehendere*; quaſi dicat: Non peccantes angelos, ſed homines delegit ſibi Chriſtus redimendos ac ſalvandos. Sed videtur Paulus *apprehenſionem angelicam* opponere *communicationi carnis & ſanguinis*, de qua verſ. 14. quaſi dicat: Non voluit eſſe frater immortalium & impaſſibilium angelorum, ſed fragilium & miſerorum hominum, ut S. Bernardus k, & alii antiquiores Patres communiter exponunt.

V. 17. UNDE DEBUIT aſſumpta fratrum natura, PER OMNIA *ipſis* ASSIMILARI, id eſt omnes humanæ naturæ, ut natura eſt, communes conditiones ac paſſiones in ſe aſſumere. Alioqui non potuiſſet nobis conſtare, ipſum verum hominem, noſtrique ſimilem eſſe. Dixi, *ut natura eſt*, ut excludam morbos, ignorantiam, concupiſcentiam & peccata, quæ infra *l* excipientur: & in omnino excipienda docet Damaſcenus, S. Thomas, & alii apud Suarez *m*. Sed eſt & alia ratio, quare debuerit per omnia fratribus aſſimilari, nempe UT MISERICORS FIERET; id eſt, miſereri diſceret fratrum ſuorum per vivum ſenſum & experientiam miſeriæ eorumdem, inquit Theophyl. & Anſelmus. Longe enim vivacius ærumnas & miſerias agnoſcimus dum eas ipſi experimur, quam dum ſolum eas ſpeculamur, vel in aliis intuemur. Eſt & tertia ratio, nempe, ut *fieret* FIDELIS PONTIFEX, id eſt qui fideliter & reipſa, atque in rigore iuſtitiæ compleret id quod nomine & officio ſuo pollicetur: quod eſt, mediatorem agere inter Deum & homines, pro his Deo plene ſatisfacere, & hunc illis perfecte reconciliare: (hæc enim omnia includit officium pontificis:) atqui illa complere non potuit niſi patiendo & moriendo: ergo debuit naturam paſſibilem ac mortalem aſſumere.

V. 18. IN EO ENIM IN QUO PASSUS, id eſt ideo quia paſſus EST, ET TENTATUS *n*, id eſt vexatus, afflictus, exercitatus, POTENS EST, id eſt aptus, idoneus, facilis, proclivis *o* redditur, ut aliorum *tentatorum* ſeu afflictorum miſereatur, & illis *auxilio* ſit ac ſolatio. Nam *non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco*: ita Theophyl. *p*.

(a) Eccli. xxi. 17.
(b) Terentin Parmen.
(c) Exod. xix. & xx.
(d) Exod. xxii. &c.
(e) Actor II. 1. &c.
(f) I. Tim. iv. 1. &c.
(g) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 58.
(h) Ioan. 1. 9.
(i) Gen. xli. 3.
(k) Bernard. tract. de Gradibus humilitatis.
(l) Hic cap. iv. 15.
(m) Damaſc. apud S. Thomam III. p. q. xiv. a. iv. & Suarez ibid.
(n) Iac. 1. 2.
(o) Hic cap. v. 2.
(p) Virg. Lib. I, AEneid.

COR-

GORDONI.

Verſ. I. **P**ROPTEREA. Infert ex poſito antecedente retinendam & obſervandam eſſe hanc legem, ne bona quæ inde accepimus, excidant nobis, ſicut ſolet e vaſe perforato effluere aqua.

V. 2. SI ENIM QUAE PER ANGELOS. Suaſio eſt a timore pœnæ: ſi lex vetus data per Angelos, Exod. XIX. 20. habuit gravem punitionem prævaricationum, quanto magis hoc erit in lege, quam ipſe dedit Meſſias, & plenam afferens ſalutem, tot ſignis confirmata eſt. CONSESTANTE, verſ. 4. Deo tot modis teſtimonium perhibente de hac veriſſima lege. DISTRIBUTIONIBUS, linguis, prophetiis aliiſque donis. Sed quid eſt illud verſu 3. AB IIS QUI AUDIERUNT, IN NOS CONFIRMATA EST? Certe eſt illud quod dixi, legem hanc datam a Chriſto, firmatam ſignis, perveniſſe continua traditione ad hunc annum Chriſti 60. Nihil ergo hic eſt unde colligat Caietanus hanc Epiſtolam non eſſe Pauli.

V. 5. NON ENIM ANGELIS. Quæ ſequuntur uſque ad verſum decimum hunc habent ſenſum. Dixit verſ. 3. hanc doctrinam initium accepiſſe a Chriſto capite. Hoc ipſum eſt quod iam explicat; non enim fecit Deus, ut Angeli eſſent caput mundi, aut ut omnia illis ſubeſſent; atque tam leges, quam alia ab ipſis prodirent: nam teſtante Davide Pſal. VIII. 5. homo eſt, quem Deus his multis magnifique rebus præfecit. Et quicquid ſit de aliis hominibus, qui propter peccatum exciderunt plurimum ab hac dignitate, tamen Chriſtus homo licet propter hominis naturam ſit paulo minor, tamen per paſſionem mortis gloria & honore tanti im perii coronatus eſt: & qui pro omnibus mortuus eſt ſupra omnes conſtitutus eſt, qui omnibus legem dat, & operum præmia.

Plura de paſſione verſ. 10.

At quid eſt verſ. 5. ORBEM FUTURUM. Varie a multis. Puto idem eſſe ac illud Iſa. IX. 6. ubi Chriſtus vocatur Pater futuri ſæculi; hoc eſt, ut ibidem interpretor cum Bernardo (Serm. X. inter parvos) pater ſæculi futuri poſt reſurrectionem ſuam. Ad quod accedit hic Vaſquez intelligens ſæculum ſpirituale, & Chriſtianam Eccleſiam a Chriſto fundatam.

V. 6. QUID EST HOMO. Vide hæc Pſalmi huius verba explicata ſuo loco. Non moror, nec actum ago.

V. 8. & 9. NUNC AUTEM NECDUM VIDEMUS. Reſpondet tacitæ obiectioni, adhuc gravia patiuntur Chriſtiani; quomodo ergo omnia Chriſto ſubiecta? quomodo ſæculi & Eccleſiæ pater? Occurrendum eſt, patrem manere huius ſæculi & Eccleſiæ per gratiam, & in dies alios ſibi ſubiicit ad ſalutem. Et interim dum expectatur plena ſubiectio, videmus eum per paſſionem triumphaſſe, & gloria coronatum. Sane adhuc hoſtes Chriſto rebelles ſunt, necdum plene domini: hoc feret ſæculi finis. Hyperbaton hic agnoſcunt Auguſtinus Lib. III. contra Maximinum cap. XXV. & S. Thomas, legendumque eſt *guſtaret*, non *guſtarit*.

V. 10. DECEBAT ENIM. Pater eſt per quem & propter quem ſunt omnia (cauſa efficiens & finalis) & qui multos in gloriam adducit prædeſtinando. In hoc iam providentiæ ordine, & prædeſtinatione decebat ut pater Chriſtum, qui ſuis meritis & paſſione eſt fratrum Salvator, per paſſionem conſummaret; & quia paſſus eſt, exaltaret, ut quem minorarit infra Angelos, etiam ſublevaret. Mox probat decuiſſe porro pati Chriſtum.

V. 11. QUI ENIM SANCTIFICAT. Omnia uſque ad finem capitis ad idem tendunt, docentque decuiſſe, ut Chriſtus paſſionem ſubiret pro fratribus. Nam Chriſtus homo ſanctificator, & homines ſanctificandi ſunt ab eodem principio Adamo. Chriſtus porro quos ſanctificat, vocat fratres. Stat etiam ob carnem & ſanguinem coniunctio, cum ſit eiuſdem naturæ. Nec umquam ita conſociatus eſt Angelis. Ergo decuit ut Pontifex hic per omnia ſimilis factus fratribus, fieret miſericors, & per paſſionem veniret ad expiandum peccata populi, & ſic repropitiaret: nempe qui tentationes & difficilia paſſus eſt, ſit ad tentatos ſublevandos idoneus.

Citantur hic aliqua ex Scripturis, quæ ſuis locis a me explicata legi poſſunt. Sic verſ. 12. NOMEN TUUM, ſumptum eſt ex Pſalmo XXI. 23. Præterea citat hic alia ut iam dicam.

V. 13. ERO FIDENS IN EUM. Conciſe, & pe-

& pene obſcure hoc citat Apoſtolus, quando ad eos ſcribit, qui ſciebant Scripturas. Referunt aliqui hæc verba Iſai. cap. VIII. 17. rectius tamen ad Pſalm. XVII. 3. ubi Chriſtus ut homo cognoſcit ſe more hominum, miſeriis obnoxium, & ſocium, ac eiuſdem naturæ confidere in Deo. Probat hæc fiducia, antecedens illud poſitum verſ. 11. Per pueros hic intelligunt filii & Apoſtoli Chriſti.

V. 14. QUIA ERGO; quaſi diceret, Quia & filii illi homines ſunt, & Chriſtus eiuſdem naturæ eſt obnoxius miſeriis, concludit, decenter in aſſumpta natura per paſſionem miſeriarum, deſtructum eſſe imperatorem mortis, ut liberarentur qui erant obnoxii ſervituti, ut dixi verſ. 11. ubi explicata ſunt, quæ ſequuntur.

CAPUT III.

Longe excellentior eſt Chriſtus, utpote filius, quam Moyſes, qui famulus fidelis erat in domo Dei; curandum igitur ut huic in omnibus obtemperemus, ne in modum incredulorum Iudæorum ab eius requie repellamur.

1. UNde fratres ſancti, vocationis cæleſtis participes, conſi-
derate Apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum:
2. qui fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut & (*a*) Moy-
ſes in omni domo eius. 3. Amplioris enim gloriæ iſte
præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem ho-
norem habet domus, qui fabricavit illam. 4. Omnis nam-
que domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia crea-
vit, Deus eſt. 5. Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tam-
quam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant: 6. Chriſtus vero
tamquam filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam
ſpei uſque ad finem, firmam retineamus. 7. Quapropter ſicut dicit Spiri-
tus ſanctus: (*b*) Hodie ſi vocem eius audieritis, 8. nolite obdurare corda
veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto, 9. ubi
tentaverunt me patres veſtri; probaverunt, & viderunt opera mea 10. qua-
draginta annis: Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper
errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas, 11. * ſicut iuravi in
ira mea: Si introibunt in requiem meam. 12. Videte fratres, ne forte ſit
in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, diſcedendi a Deo vivo: 13. ſed
adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, ut
non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. 14. Participes enim Chriſti ef-
fecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius uſque ad finem firmum retineamus.
15. Dum dicitur: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda ve-
ſtra, quemadmodum in illa exacerbatione. 16. Quidam enim audientes exa-
cerbaverunt, ſed non univerſi qui profecti ſunt ex AEgypto per Moyſen.
17. Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis, qui pec-
caverunt, (*c*) quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto? 18. Quibus au-
tem iuravit non introire in requiem ipſius, niſi illis, qui increduli fue-
runt?

Digitized by Google

runt? 19. * Et videmus, quia non potuerunt introïre propter incredulitatem.

(a) Num. xii. 7. (b) Pſal. xciv. 8. (c) Num. xiv. 37.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 11. *Sicut iuravi in ira mea.* Pro adverbio *ſicut*, non ſcribas nomen *quibus*.

Verſ. 19. Et videmus, quia non potuerunt introire. Redundat quod quidam libri ſubiiciunt, *in requiem ipſius*.

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verſ. 1. UNDE FRATRES SANCTI, &c. Ante prædixit Chriſtum ſimilem noſtri effectum, ut fidelis pontifex eſſet pro nobis interpellans apud Deum: nunc hortatur nos in illum intendere præ Moyſe: quod longe præſtantior Moyſe ſit: unde inquit, quum ipſe ſit Pontifex noſter, vos fratres ſancti, id eſt baptiſmo ſanctificati, cæleſtis vocationis participes, id eſt qui una cum ceteris Chriſtianis ad cæleſte bravium vocati eſtis, conſiderate apoſtolum & pontificem confeſſionis noſtræ, id eſt fidei, Ieſum: vocationis autem cæleſtis mentionem faciens hortatur eos neglectis terrenis cæleſtia quærere. APOSTOLUM autem fidei Iudæorum Chriſtum vocat: quoniam ſicut ipſe teſtatur, ſpecialiter miſſus erat ad oves quæ perierant domus Iſrael. PONTIFICEM autem quia pro nobis interpellat apud Deum qui fidelis eſt, inquit, ei ſcilicet patri qui facit illum ſacerdotem & Pontificem, dum hominem fecit, ſicut & Moyſes fidelis erat in omni vel tota domo. Græce, ὅλῳ, id eſt in gubernatione totius Iſraelitis populi. Sicut enim per omnia Deo Moyſes paruit, ita per omnia Deo Patri Chriſtus.

V. 3. 4. 5. & 6. AMPLIORIS ENIM. Rurſum pergit oſtendere excellentiam Chriſti præ Moyſe, ex eo quod Moyſes miniſter tantum domus erat, Chriſtus autem dominus & opifex. Tanto ergo, inquit, maiore gloria dignus eſt Chriſtus quam Moyſes, quanto maiorem honorem domus habet qui illam fabricavit, quam qui in ea ſervit: etſi enim Græce τοῦ οἴκου τοῦ πλείονα referri poteſt, ut ſit ſenſus, quod maiorem honorem habet qui domum ædificavit, quam ipſa domus habeat, tamen hoc minus quadrare videtur: neque enim Chriſtum cum domo comparat, ſed cum Moyſe: quem eo excellentiorem oſtendit Moyſe, quod huius domus ſervus tantum erat Moyſes, ſicut poſtea dicet: Chriſtus autem opifex & dominus. Quod autem domum illam, ſcilicet Iudaicum populum ſabricaverit Chriſtus, hinc probat, quod omnis domus ab aliquo ſabricatur. Qui autem omnia creaverit, Deus eſt. Quum ergo omnia Chriſtus & Deus creavit, Iudaicæ domus opifex eſt Chriſtus. Ne autem Moyſem ſpernere videatur, & Moyſes, inquit, fidelis erat in tota domo eius (ſed tamquam famulus) IN TESTIMONIUM EORUM QUAE DICENDA ERANT, id eſt ut Dei voluntatem Iudæis aperiret: Chriſtus autem non ut ſervus, ſed dominus in domo ſua. QUAE DOMUS, vel Græce οὗ οἶκος, id eſt cuius Chriſti domus, NOS SUMUS, SI USQUE AD FINEM RETINEAMUS FIDUCIAM, Græce παῤῥησίαν, id eſt liberam loquendi confidentiam, & ſpei gloriam, Græce καύχημα, id eſt gloriationem, hoc eſt, ſi nihil trepidantes, non modo conſtanter ac libere Chriſtum prædicemus, ſed noſtram in illum confidentiam, ac ſpem palam iactemus, & de ea uſque in finem gloriemur, nihil crucis hoſtes veriti.

V. 7. uſque ad 12. QUAPROPTER; id eſt, quum nos ſimus domus Dei, modo permaneamus in ſpe illius, ut Spiritus ſanctus per os David vobis dicit, Ho-

DIE,

DIE, id eſt hac etiam tempeſtate, SI VOCEM EIUS AUDIERITIS, id eſt, quotieſcumque audieritis eius mandata, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA, agnitam veritatem ſponte reiicientes, SICUT IN EXACERBATIONE, id eſt quando exacerbaverunt & irritaverunt Deum patres veſtri, SECUNDUM DIEM TENTATIONIS IN DESERTO, id eſt in die qua tentaverunt Deum, id eſt de Deo diffiſi ſunt, ſicut Numeri decimotertio & decimoquarto legitur, quod reverſus Ioſue & Caleb de luſtranda terra promiſſionis, quum audiſſent ibi gigantes eſſe, noluerunt aſcendere, & murmuraverunt contra eos dicentes, *Odit nos Dominus, & ideo eduxit nos de terra AEgypti, melius eſt reverti in AEgyptum*, & ſimilia: & voluerunt Ioſue & Caleb lapidare. Hoc ergo murmur Iudæorum vocat David tentationem in deſerto. Nolite ergo, inquit, obdurare corda veſtra ſicut patres veſtri, quum me exacerbaverunt tentantes, & de mea poteſtate diffidentes in deſerto, ubi tentaverunt & viderunt opera mea quadraginta annis, propter quod offenſus fui illis: quia quum interim tot opera & miracula viderent, non credebant, ſed murmurabant: ideo offenſus ſum illis ET DIXI: SEMPER HI ERRANT CORDE, nec noſſe vias meas volunt, QUIBUS IURAVI: vel ut Græci habent ὡς ὤμοσα, id eſt adeo quod iuravi eis in ira mea, SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM, id eſt, quod non introibunt in requiem meam, ſcilicet terram promiſſionis, ubi requieturi erant a continuis bellis. Hic ergo recitat Paulus hiſtoriam Iudæorum, qui diffidentes de potentia Dei, non meruerunt ingredi terram promiſſionis, tunc eam explicat, dicens:

V. 12. & 13. VIDETE FRATRES. Propoſito exemplo patrum incredulorum, hortatur ne ſimiles illorum ſint, dicens: VIDETE NE IN ALIQUO SIT COR MALUM, id eſt perverſa voluntas diſcendi per deſperationem, & infidelitatem a Deo vivo, SED ADHORTAMINI, παρακαλεῖτε, vel cohortamini, vel conſolamini, & ædificate vos invicem PER SINGULOS DIES, DONEC HODIE COGNOMINATUR IN VOBIS; id eſt, quandiu vivitis, quandiu hodie, id eſt præſens tempus & vita ſuppetit vobis, & tempus pœnitendi ſupereſt, UT NE QUIS EX VOBIS FALLACIA PECCATI, id eſt peccato fallente, & per quandam ſuavitatem illiciente ac blandiente, OBDURETUR. Græca ſcholia exponunt: donec hodie cognominatur ſive vocatur, Græce καλῆται: uſque in finem: quia in finem uſque ſæculi, ſinguli dies dicentur hodie.

V. 14. PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SUMUS; id eſt, iam enim per fidem illi coniuncti ſumus, iam unum corpus in eo effecti ſumus, ipſe caput noſtrum, quapropter non ab eo diſcedendum, alioqui moriendum nobis erit: quum iam influere in membra a capite divulſa ſpiritus, qui a capite manat, non poterit: participes autem eius ſumus, ſi in illum credere, & ſperare perſeveramus, ſicut ſubdit: SI TAMEN INITIUM SUBSTANTIAE EIUS; id eſt, ſi fidem Chriſti uſque in finem firmam retineamus: nam fides initium eſt ſubſtantiæ ſpiritualis, per quam ſpiritualiter ſubſiſtimus, & vivimus: ſicut Heb. xi. dicitur, quod fides eſt ὑπόστασις, id eſt ſubſtantia rerum ſperandarum: & bene initium ſubſtantiæ eſt, quia ſicut per animæ infuſionem primum corporaliter, & in eſſe naturæ ſubſiſtere incipimus, ita per fidei infuſionem ſubſiſtere ſpiritualiter, & in eſſe gratiæ incipimus.

V. 15. DUM DICITUR HODIE. Quod hic Latini iungunt cum præcedentibus, ſi initium ſubſtantiæ retineamus, dum, id eſt quamdiu dicitur hodie, &c. id eſt, ſemper (ſemper enim eſt hodie) Græca lectio non fert, quæ non habet dum pro quandiu, ſed ἐν τῷ λέγεσθαι, & ideo hic Græci dicunt eſſe hyperbaton, & ad finem ſupplent timere vel timeamus: ut ſit ſenſus, dum intelligimus dictum nobis, *Hodie, ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*; timeamus ne illi præcepto contraveniamus; ne ſimiliter pereamus cum illis, qui Deum irritaverunt.

V. 16. QUIDAM ENIM, &c. quaſi diceret, Nihil proderit nobis, ſi vocem Chriſti audiamus, niſi & credamus & ſperemus. Audierant enim Dei promiſſiones veſtri patres, ſed tamen dum diffiſi de Deo murmurant, exacerbarunt eum, & irritarunt: quamquam non univerſi, qui duce Moyſe venerunt ex AEgypto, Ioſue nempe, & Caleb audierunt & crediderunt, nec murmurarunt, ideoque in terram promiſſionis intrare meruerunt.

V. 17. QUIBUS AUTEM INFENSUS EST. Oſten-

Digitized by Google

Oſtendit Deum inſenſum eſſe illis ſolis, qui peccarunt deſperationis, & murmurationis peccato, atque ob id terram promiſſionis non viderunt morientes in ſolitudine, eo quod iuraſſet Dominus non intraturos illos in requiem ac terram promiſſionis: in quam de potentia Dei diffidentes, & metuentes ab adverſariis, non intraverunt.

S A.

Verſ. 1. SANCTI, ſcilicet profeſſione. CONFESSIONIS, id eſt fidei quam profitemur.

V. 2. FECIT, ſcilicet Pontificem. OMNI, id eſt tota.

V. 3. AMPLIORIS; pro, tanto ampliore. DOMUS; pro, domo.

V. 4. CREAVIT. Græc. *conſtruxit*, ſeu *fabricavit*.

V. 5. TESTIMONIUM, id eſt teſtificationem. DICENDA, ſcilicet populo, ex parte Dei.

V. 6. SUA, id eſt propria. GLORIAM SPEI, id eſt ſpem in qua gloriamur. Græc. *gloriationem ſpei*.

V. 8. SECUNDUM DIEM, id eſt in die.

V. 10. INFENSUS, &c. Græc *tædio affectus a generatione*, &c.

V. 11. IN IRA, id eſt iratus. SI; pro, quod non.

V. 13. VOSMETIPSOS, id eſt vos invicem. COGNOMINATUR, id eſt vocatur.

V. 14. CHRISTI, id eſt gratiæ Chriſti, ſeu corporis Chriſti myſtici. INITIUM, &c. ſcilicet fidem per quam incipimus ſubſiſtere ſpiritualiter; vel quaſi dicat, Si eam vitæ ſubſiſtentiam in qua cœpimus cum Chriſto vivere uſque, &c.

V. 16. AUDIENTES, id eſt cum audiſſent, ſcilicet in Sinai, vel per Moyſen. PER MOYSEN, id eſt duce Moyſe.

MARIANAE.

Verſ. 1. CONSIDERATE APOSTOLUM. Sic Chriſtum vocat, quia nuntius & miſſus a Patre: ſicut ad Rom. xv. 18. vocat eum *miniſtrum circumciſionis*. CONFESSIONIS, id eſt doctrinæ quam confitemur. Qui fidelis eſt,

V. 2. SICUT ET MOYSES IN OMNI DOMO EIUS. *Domum Dei* vocat populum Iudaicum.

V. 3. QUANTO AMPLIOREM HONOREM HABET DOMUS: ſupple, miniſtro qui fabricavit illam; nec enim Chriſtum cum domo comparat, ſed cum Moyſe.

V. 4. QUI AUTEM OMNIA CREAVIT, DEUS EST: ipſe eſt Deus & Chriſtus, qui eam domum ut alia omnia fecit: Moyſes fidelis erat,

V. 5. IN TESTIMONIUM, id eſt ut teſtis Moyſes eſſet legis quæ ferebatur populo.

V. 6. QUAE DOMUS SUMUS NOS. Hebræi. SI FIDUCIAM, id eſt fidem. ET GLORIAM, ſeu *gloriationem*, καύχημα, ſpei, & laudem retinuerimus, in fide & ſpe conſtantes.

V. 7. HODIE, id eſt continuo ad vocem eius non obduretis corda, ſicut Iudæi. SECUNDUM DIEM TENTATIONIS, ſeu *rebellionis*, aut *diffidentiæ* in deſerto, qua Deo ſunt diffiſi, Num. XIII. & XIV. quando miſſi ſunt exploratores Terræ promiſſionis. Ubi tentaverunt me,

V. 9. ET VIDERUNT OPERA MEA, id eſt miracula quæ inter eos feci quadraginta annis; & nihilominus diffiſi ſunt. Ideo inſenſus illis,

V. 11. SICUT IURAVI. Sic lege, ſic Græc. & Goth. non *quibus iuravi*, ut Lovan. & Reg. SI INTROIBUNT. *Si* pro, non. Aut ſuppleatur, non exiſtimer verax. Modus iurandi per apoſiopeſim efficacior. IN REQUIEM MEAM, id eſt Terram promiſſam. Adhortamini ergo,

V. 13. DONEC HODIE COGNOMINATUR, ſeu *vocatur*, id eſt donec eſt tempus opportunum, & Deus vocat nos ut illos vocavit, quibus Moyſes dixit: *Hodie ſi vocem eius audieritis*.

V. 14. PARTICIPES ENIM CHRISTI, id eſt illi per fidem iuncti ſumus. SI TAMEN INITIUM SUBSTANTIAE, id eſt fundamentum, quod eſt fides & probitas, retinuerimus.

V. 15. DUM DICITUR, ſcilicet nobis, Hodie. Totum vitæ tempus vocationi & converſioni eſt opportunum. Semper dicitur nobis, ut continuo hoc die convertamur. Quibus autem iuravit niſi incredulis? quia

V. 19. NON POTUERUNT INTROIRE PROPTER INCREDULITATEM; quaſi dicat, Sic increduli Evangelio non introibunt in re-

requiem gloriæ , quam Terra promiſſionis ſignificat, in quam tunc increduli non potuerunt introire.

MENOCHII.

Verſ. 1. FRATRES SANCTI : Baptiſmo ſanctificati. VOCATIONIS CAELESTIS PARTICIPES, id eſt a Deo vocati ad hereditatem regni cæleſtis. APOSTOLUM, id eſt Legatum Dei , quem ſcilicet Deus legavit ad homines, maxime Hebræos, ut eos doceret, & Deo reconciliaret. PONTIFICEM : ſummum ſacerdotem. NOSTRAE CONFESSIONIS: confeſſionem vocat fidem, & religionem quam confitemur , & profitemur.

V. 2. QUI : Ieſus Chriſtus . FIDELIS EST EI, QUI FECIT ILLUM : ſcilicet Apoſtolum, & Pontificem. Chriſtus ergo fidelis Deo fuit Apoſtolus , quia fideliter nunciavit hominibus Dei voluntatem, & legem. Fuit fidelis Pontifex, quia fideliter redemptionem, & expiationem noſtrorum peccatorum , etiam cum vitæ ſuæ diſpendio, peregit. SICUT ET MOYSES ; ſcilicet, fidelis eſt. IN OMNI DOMO EIUS, id eſt in populo Iudaico, qui eſt domus, id eſt Eccleſia, in qua habitat, & colitur Deus creator.

V. 3. AMPLIORIS ENIM GLORIAE, &c. Quoniam dixerat, *Sicut*, *& Moyſes* , ne quis forte in hac ſimilitudine æqualitatem etiam intelligeret, docet Chriſtum tanto præſtantiorem gloriam Moyſe accepiſſe a Patre, quanto maior domo eſt, qui illam fabricavit ; Chriſtus enim fabricator eſt domus, id eſt Eccleſiæ fundator ; Moyſes autem illius tantum domus pars. DOMUS ; pro, domo.

V. 4. OMNIA CREAVIT ; domum , id eſt Eccleſiam, immo reliquas omnes creaturas.

V. 5. IN TESTIMONIUM EORUM, QUAE DICENDA ERANT: ut fideliter referret populo quæ a Deo nuntiare iubebatur, ut tamquam teſtis verax diceret quæ audierat, & viderat.

V. 6. CHRISTUS VERO TAMQUAM FILIUS IN DOMO SUA. Chriſtus tamquam filius præeſt Eccleſiæ, & eam tamquam Dominus admininiſtrat , cum Moyſes in ea tantum fuerit famulus. QUAE DOMUS SUMUS NOS: quæ domus, ſcilicet Eccleſia Dei, ſumus nos. SI FIDUCIAM : παρρησίας , id eſt *libertatem loquendi* , per quam intelligit liberam, & intrepidam fidei profeſſionem , ut nec minis , nec pœnis a fide Chriſti avellamur . ET GLORIAM SPEI. Pro *Gloriam* , in Græco eſt καύχημα , id eſt *gloriationem* ; quaſi dicat : Si ſemper in hac ſpe gloriemur, quod idem expreſſit D. Paulus ad Rom. v. 2. cum ait . *Et gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.*

V. 5. SICUT DICIT SPIRITUS SANCTUS: per Davidem prophetam Pſalm. XCIV. 8. SI VOCEM EIUS AUDIERITIS : ſcilicet Chriſti. NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA : ſed molli corde excipite dicto illius, illi obedite, nec ullo pacto ab eo diſcedite. SICUT IN EXACERBATIONE, &c. id eſt, ſicut olim fecerunt patres noſtri , qui ſua incredulitate Deum ad iracundiam provocaverunt in deſerto.

V. 9. TENTAVERUNT ME PATRES VESTRI: nunc ex diffidentia periculum facere volentes potentiæ, & veritatis meæ; nunc meis verbis obmurmurantes , nec dictis meis fidem accommodantes . Vide dicta Pſalm. LXXVII. 18. PROBAVERUNT ME : cum tamen experti eſſent, & vidiſſent opera mea mirabilia , quæ feceram coram eis.

V. 10. PROPTER QUOD INFENSUS FUI GENERATIONI HUIC : ideoque in terram promiſſam non introduxi toto illo tempore, ſed variis malis, & cladibus afflixi, donec omnes extinguerentur, Ioſue & Caleb excepto. SEMPER HI ERRANT CORDE : licet multis affecti beneficiis, & frequenter admoniti, ſemper tamen perſiſtunt in errore cordis ſui . NON COGNOVERUNT VIAS MEAS : legem meam , & præcepta mea admittere noluerunt.

V. 11. SICUT IURAVI . Vulgatus legit ὡς in Græco , ſed Pſalterium Romanum legit οἷς, *quibus* . Iuramentum hoc habemus Num. XIV. 28. *Vivo ego, dicit Dominus, ſicut locuti eſtis audiente me , ſic faciam vobis: In ſolitudine hac iacebunt cadavera veſtra.* IN IRA MEA: iratus . SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM ; quaſi dicat : Si ingredientur in terram promiſſam , in qua ſedes quietas illis pollicitus ſum, non exiſtimer verax.

V. 12. VIDETE FRATRES , &c. Docet cur ſuperiora dixerit ; cum enim Hebræi propter fidem Chriſti multa a Iudæis perſe-

Digitized by Google

ſequentibus mala tolerarent, ne forte victi, promiſſis Chriſti diffiderent, & ad Iudaiſmum redirent, accommodat ad eos verba prophetica, ac ſi diceret: Videte fratres ne forte increduli fiatis, ſicut Patres veſtri, & promiſſa Chriſti non credentes, recedatis corde malo, & incredulo a lege eius quam ſuſcepiſtis.

V. 13. SED ADHORTAMINI VOSMETIPSOS PER SINGULOS DIES: ad perſeverandum in fide, in ſpe, & tolerantia perſecutionum. DONEC HODIE COGNOMINATUR. id eſt donec vivitis. *Hodie* ſignificat tempus præſentis vitæ, gratiæ, & pœnitentiæ, quod cuique datur. ET NON OBDURETUR QUIS EX VOBIS FALLACIA PECCATI; id eſt, nec illecebris fallacibus peccatorum capti obdureſcatis ad vocem Dei.

V. 14. PARTICIPES ENIM CHRISTI EFFECTI SUMUS; quaſi dicat: Agnoſcamus dignitatem noſtram, iam enim per baptiſmum membra Chriſti ſumus, & participes ſpiritus, & gratiæ eius, ne perdamus tot bona, & ſpem cæleſtis hæreditatis recedentes ab eo. SI TAMEN INITIUM SUBSTANTIAE, &c. id eſt, ſi tamen ſuſceptam ſemel fidem, per quam in via hac ſpirituali ſubſiſtimus (aut quæ eſt ſubſtantia, id eſt baſis, & fundamentum ſalutis, ac ſpei noſtræ) firmam, & inconcuſſam retineamus uſque ad exitum vitæ.

V. 15. DUM DICITUR: HODIE, &c. Hortor vos ut fidem conſtanter retineatis uſque ad finem; hoc eſt, dum dicitur ſeu quamdiu dicitur nobis, *hodie ſi vocem*, &c. donec *hodie cognominatur*, id eſt hac vita durante.

V. 16. QUIDAM ENIM AUDIENTES EXACERBAVERUNT, &c. id eſt, non omnes qui ex AEgypto profecti ſunt exacerbaverunt Deum, quia non Ioſue, non Caleb, non parvuli, non mulieres, non Levitæ: hi enim non murmuraverunt contra Moyſen, nec exacerbaverunt Deum, ideoque uti culpæ, ita & pœnæ expertes fuerunt, ſalvique, & incolumes ingreſſi ſunt terram promiſſam Chanaam: Num. XIV.

V. 19. ET VIDEMUS QUIA NON POTUERUNT INGREDI; quaſi dicat: Ut Deus iuravit ita factum eſt. Ita illis nocuit incredulitas, ut eius cauſa in terram promiſſionis ingredi non potuerint. Multum immoratur in deteſtatione incredulitatis, quia eos maxime in fide confirmare contendebat.

TIRINI.

Verſ. 1. CONSIDERATE APOSTOLUM; id eſt, expendite qualis quantuſque legatus Dei ſit *Ieſus*, ad hoc miſſus a Deo ut nos doceret viam vitæ, redimeret a morte æterna, & cæleſtis gloriæ heredes faceret. Conſiderate PONTIFICEM *a* CONFESSIONIS NOSTRAE, id eſt ſummum Principem Sacerdotum eius religionis quam confitemur ſeu profitemur. Theodor. & Theophyl.

V. 2. FIDELIS autem per omnia EST Chriſtus Deo, QUI FECIT ILLUM legatum ſuum ac Pontificem noſtrum. Fideliter enim nuntiavit nobis omnem Dei voluntatem ac legem: fideliter redemptionem noſtram, etiam cum vitæ ſuæ diſpendio peregit. SICUT ET olim MOYSES fidelis Deo legatus fuit IN OMNI DOMO *b*, ſeu familia, EIUS, id eſt in tota Synagoga & populo Iudaico, inquit idem Theophyl.

V. 3. Immo tanto *ampliorem* dignitatem ac *gloriam* PRAE MOYSE accepit Chriſtus, QUANTO AMPLIOREM HONOREM HABET architectus QUI FABRICAVIT domum, præ *domo* ipſa quæ fabricata eſt. Nam Chriſtus eſt fabricator Synagogæ, fundator Eccleſiæ Dei, creator *c* totius univerſi: Moyſes tantum eſt una illius Eccleſiæ particula.

V. 4. & 5. QUI AUTEM OMNIA CREAVIT: puta Chriſtus, revera DEUS EST: MOYSES tantum creatura, nec niſi FAMULUS EIUS, IN TESTIMONIUM EORUM QUAE DICENDA ERANT, id eſt ut teſtificaretur, promulgaret & exponeret Iſraelitis voluntatem ac mandata Dei: Theophyl.

V. 6. CHRISTUS VERO TAMQUAM FILIUS Dei dominatur in omni Eccleſia tamquam IN DOMO SUA propria: QUAE DOMUS, ſeu Eccleſia, SUMUS NOS Chriſtiani, SI FIRMAM USQUE AD FINEM RETINEAMUS FIDUCIAM, παῤῥησίαν, id eſt intrepidam libertatem prophitendæ fidei, ET conſtantem GLORIAM; Græce καύχημα, id eſt gloriationem, SPEI, id eſt ſperatæ gloriæ cæleſtis, ut alibi loquitur *d*.

V. 7. & 8. SPIRITUS SANCTUS per os Davidis Prophetæ *e* DICIT: SI VOCEM

Digitized by Google

Chriſti AUDIERITIS, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA, SICUT olim obdurarunt patres veſtri, quibus extreme iratus,

V. 11. IURAVI. SI, id eſt quod non *f*, INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM, id eſt in terram Chanaan a me promiſſam ipſis, ut in ea tamquam in quieta & divite ſede ſuaviter deliciarentur: ita Anſelmus. Igitur

V. 13. ADHORTAMINI VOSMETIPSOS, & alii alios excitate ad viriliter & conſtanter colendum hunc Chriſtum, perſeverandumque in eius fide, in ſpe, & in forti tolerantia perſecutionum hoc nomine vobis obvenientium, DONEC HODIE COGNOMINATUR; id eſt, quamdiu durat tempus præſentis vitæ, gratiæ ac pœnitentiæ, quod cuique conceditur a Deo: UT ne contingat quemquam veſtrum *fallacibus* PECCATI illecebris captum *obdureſcere* ad vocem vocantis Chriſti. Agnoſcite, ſi ſapitis, dignitatem veſtram:

V. 14. PARTICIPES ENIM EFFECTI SUMUS corporis myſtici, id eſt Eccleſiæ, CHRISTI, membra & filii & fratres ipſius per baptiſmum: participes etiam ſpiritus & gratiæ & omnium theſaurorum ipſius: SI TAMEN INITIUM SUBSTANTIAE EIUS, id eſt fidem ac gratiam iuſtificantem quæ eſt baſis ac fundamentum ſalutis noſtræ, (qua per Chriſtum cœpimus de novo ſpiritualiter ſubſiſtere, & facti ſumus quaſi nova ſubſtantia ac cæleſtis creatura, nempe filii Dei adoptivi,) conſtanter USQUE AD FINEM vitæ RETINEAMUS: Chryſoſtomus, & Theophyl.

V. 16. NON UNIVERSI Iſraelitæ EXACERBAVERUNT Deum in deſerto, quia non *Ioſue* & *Caleb*, non parvuli, non omnes mulieres, non omnes Levitæ *g*, qui ut culpæ, ſic etiam pœnæ expertes fuerunt. Pari modo, licet multi veſtrum noluerint fidem Chriſti complecti, vel complexam metu perſecutionum abiecerint; ſi vos tamen conſtantes perſeveretis, non incurretis pœnas, quæ illos horrende manent tum in præſenti vita, tum maxime in futura.

(a) Hier. c. 11. 17.
(b) Num. xii. 7.
(c) Ioan. 1. 3.
(d) Rom. v. 2.
(e) Pſalm. xciv. 8.
(f) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 13.
(g) Num. xiv. 29.

GORDONI.

Verſ. 1. &c. UNDE, FRATRES. Hæc prior pars capitis eſt. Proponit Hebræis etiam ex baptiſmo & vocatione fratribus, quantus ſit præ Moſe Chriſtus, Pontifex confeſſionis, ſeu religionis, quam profitemur; & Apoſtolus, hoc eſt, legatus Dei ad ſalutem hominum obtinendam. FIDELIS (verſ. 2.) Chriſtus utroque titulo, Pontificis & legati, ſicut fuit Moſes in domo ſua & populo.

V. 3. & 6. AMPLIORIS. Ampliorem tamen gloriam accepit Chriſtus, quam Moſes, qui tantum fuit pars domus ſuæ; Chriſtus vero fundator domus & Eccleſiæ: Moſes ut famulus, Chriſtus ut filius in hac nova domo: quæ domus & Eccleſia ſumus nos, ſi maneamus in fide: quæ conditionalis vox ſatis docet poſſe hominem a fide deficere: quod etiam declarat tota poſterior pars huius capitis, quæ exhortatoria eſt ad perſeverantiam. Sed quorſum illud, QUI OMNIA CREAVIT, DEUS EST? verſ. 4. Certe ut inde ſubſumat ratiocinatio; ſed Chriſtus fabricator domus novæ eſt Deus ex verſu 6. Ergo maior Moſe, qui proinde & Moſen & domum eius fabricavit.

Nota verſ. 3. AMPLIOREM HONOREM HABET DOMUS; τὸ, *domus*, ex Græco eſt in gignendi caſu, ex græciſmo, ampliorem domus, eſt ampliorem domo: πλείονα τοῦ οἴκου.

V. 7. QUAPROPTER SICUT. Hæc altera pars capitis eſt, & citat quæ ſequuntur ex Pſalmo xciv. 8. & deinceps quæ ibidem ſunt explicata. Et afferuntur hic ab Apoſtolo, ut hoc exemplo punitionis Iſraelitarum in deſerto deterreat Hebræos ſuos converſos a defectione, ne pereant. Ergo ADHORTAMINI vos ipſos ad perſeverandum, DONEC COGNOMINATUR (verſ. 13.) HODIE, ſeu durat tempus præſentis vitæ. Quiſque habet ſuum hodie, unicum certe & finitum; quaſi diceret: Duret perſeverantia, quamdiu durat vita. Retinete, inquit, ſubſtantiam, ſeu fidem acceptam, quæ eſt hypoſtaſis ſperandorum. De his qui ſalvi terram ingreſſi ſunt, lege Num. xiv. Sæpe peccarunt alias; ſed Paulus hic notat peccatum incredulitatis, narrantibus exploratoribus terræ illius mirabilia. Quinam hi ſunt, dixi Num. xiv. 23.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quandoquidem Iudæi ob incredulitatem non introierunt in promiſſam requiem, & reliquum eſt ut alii ingrediantur, curandum eſt ne ea fruſtremur, ſed credentes, in ipſam admittamur: de vivo & efficaci Dei verbo quod omnia conſpicit, deque eius infirmitate, ut noſtris compateretur infirmitatibus.

1. Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe. 2. Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum & illis: ſed non profuit illis ſermo auditus, non admiſtus fidei ex iis quæ audierunt. 3. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: *(a)* ſicut iuravi in ira mea: ſi introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis. 4. * Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic: *(b)* & requievit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis. 5. Et in iſto rurſum: Si introibunt in requiem meam. 6. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem: 7. iterum terminat diem quemdam, hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupra dictum eſt: *(c)* Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. 8. Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur, poſt hac, die. 9. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. 10. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius; etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, * ſicut a ſuis Deus. 11. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. 12. Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. 13. *(d)* Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo. 14. Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Ieſum filium Dei: * teneamus confeſſionem. 15. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. 16. * Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

(a) Pſ. xciv. 11. (b) Gen. ii. 2. (c) Sup. iii. 7. (d) Pſ. xxxiii. 16. Eccli. xv. 20.

BRU-

Digitized by Google

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Dixit enim in quodam loco*. Non omittas præpoſitionem *in*.

Verſ. 10. *Sicut a ſuis Deus*. Non addas conjunctionem & ante præpoſitionem *a*.

Verſ. 14. *Teneamus confeſſionem*. Non interponas *ſpei noſtræ*.

Verſ. 16. *Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ*. Non ſubiicias pronomen *eius*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. TIMEAMUS ERGO, &c. Timeamus, inquit, ne neglecta promiſſione introeundi IN REQUIEM EIUS, ſcilicet Chriſti, id eſt in regnum cælorum, videatur aliquis ex nobis *defuiſſe*; id eſt, ne quis ex nobis inveniatur abeſſe, quando introeundum erit in illam requiem: pro deeſſe vero Græce ὑστερηκέναι, quod etiam ſignificatur tardius veniſſe, & pene relictum eſſe, quod hic quadrat.

V. 2. ETENIM ET NOBIS, &c. id eſt non nobis facta, & annuntiata eſt promiſſio ingrediendi in requiem æternam, ſicut & illis in terram promiſſionis: ſed illis non proficit ad præcedens, & ſequens. Alii legunt pro συγκεκραμένους, συγκεκραμένος, & tunc refertur ad ſermonem, ut ſit ſenſus, quod non profuit illis auditus, ſive auditæ promiſſionis ſermo, eo quod non eſſet huiuſmodi ſermo fide, ac per fidem admixtus & coniunctus iis qui crediderant, Ioſue & Caleb; id eſt, eo quod non perinde crediderunt ut Ioſue & Caleb. Puto autem hoc loco, vitio librariorum poſitum quæ pro qui, niſi interpres legerit, τοῖς ἠκουσμένοις. Et tunc ſenſus eſſet, ſed non profuit illis auditus ſermo ex his quæ audierunt, id eſt propter ea quæ audierunt, quia non eſſet admixtus fidei.

V. 3. INGREDIEMUR ENIM IN REQUIEM, &c. Iſtud enim referendum mihi videtur ad id quod præceſſit ab initio: timeamus ne exiſtimetur ex nobis aliquis deeſſe, & ne quis excludatur ab illo ingreſſu in requiem. Ingrediemur enim & ipſi in requiem eius, nos qui credidimus vel credimus. Quod autem ingrediemur probat a contrario, dicens: quemadmodum dixit, SICUT IURAVI IN IRA MEA, ſi, id eſt quod non introibunt in requiem meam; id eſt, ſi illi quia diffidentes, & increduli, non ingreſſi ſunt in requiem: ſupereſt, ut nos qui credimus ingrediamur, quemadmodum dixit, *ſicut iuravi ſi introibunt in requiem meam*, & id quidem dixit, operibus in inſtitutione mundi perfectis; id eſt, iam Dei requie conſummata; unde manifeſtum eſt non de prima illa requie, quæ iam peracta eſſet, Chriſtum illis promiſiſſe. Intendit enim Paulus hoc loco probare tres ex Scriptura eſſe requies, quarum prima ad unum Deum ſpectet, ſecunda ad Iudæos de terra promiſſionis, quæ fuit figura tertiæ ad omnes vere Chriſtianos. Unde & ſub. DIXIT ENIM ſcilicet Scriptura, QUODAM LOCO DE DIE SEPTIMA SIC: ET REQUIEVIT DEUS DIE SEPTIMA AB OMNIBUS OPERIBUS SUIS, quod factum eſt conſummatis mundi operibus. In quo intelligendum eſt requieviſſe Deum non laſſitudine, ſed operum completione, quæ de novo creare deſierit, non gubernare: de ſecunda autem requie quæ fuit in requie Palæſtina atque per eam: de tertia cuius & ipſa figura fuit, ſubdit, dicens: ET IN ISTO, ſub. loco iam allegato ex David. Rurſum de alia requie dictum eſt, *ſi introibunt in requiem meam*. Pro eo autem quod interpres habet: ET IN ISTO RURSUM. Gr. eſt, καὶ ἐν τούτῳ πάλιν: & quia ἐν τούτῳ ſumitur aliquando pro interim, poteſt hic eſſe ſenſus: interim vero rurſum, ſubaud. Scriptura ait; id eſt, interim vero dum de requie diei ſeptimæ in Deo Scriptura loquitur, rurſum de alia requie ait, *ſi introibunt*, id eſt non introibunt in equiem meam: QUONIAM ERGO SUPEREST QUOSDAM INTROIRE IN IL-

ILLAM

IAM requiem, ET HI QUIBUS PRIORIBUS ANNUNTIATUM EST; id eſt, Iudæi quibus promiſſa erat terræ ſanctæ requies, præter Ioſue & Caleb, NON INTROIERUNT in illam PROPTER INCREDULITATEM: ITERUM TERMINAT, id eſt definit, ſcilicet Scriptura, DIEM QUANDAM, HODIE, IN DAVID DICENDO, id eſt vocando eam per David, hodie, idque POST TANTUM TEMPORIS a Palæſtina requie. Definit autem quandam diem eam hodie appellando ac dicendo, ut SUPRA DICTUM EST, HODIE, SI VOCEM EIUS AUDIERITIS, NOLITE OBDURARE CORDA VESTRA. Arguit autem hoc loco Paulus ipſum David nomine requiei Palæſtinæ, figuraliter de alia requie intellexiſſe, quia longo tempore poſt ingreſſum Ioſue in Palæſtinam loquens David, præfinit nobis diem certum non ſeptimum vocans, ut Geneſis, ſed hodie, id eſt, hodiernum: unde nec de illa priori requie Dei intelligit, nec de poſteriore in Palæſtina, niſi typice: quum longo poſt tempore verba illa ſcripſerit in eadem terra habitans. NAM SI EIS IESUS, id eſt, Ieſus Nave, ſive Ioſue, REQUIEM veram PRAESTITISSET, NUNQUAM POSTHAC David DE ALIA LOQUERETUR DIE, admonens non obdurare corda noſtra, ne ab illa vera requie excludamur.

V. 9. & 10. ITAQUE RELINQUITUR SABBATISMUS POPULO DEI; id eſt, quia veram requiem Ioſue non præſtitit, relinquitur & ſupereſt populo Dei, id eſt fidelibus, alius ſabbatiſmus, id eſt alia requietio. Nam id Hebræa vox ſignificat. Iſte autem ſabbatiſmus vita æterna eſt, in qua perpetuum beati requieſcent a laboribus.

Qualis autem ſabbatiſmus ille futurus eſt, ſubdit dicens, QUI ENIM INGRESSUS EST IN REQUIEM EIUS, ETIAM IPSE REQUIEVIT AB OPERIBUS SUIS, ubi τὸ γὰρ pro δὲ poſitum eſt, id eſt enim pro autem: ſicut plerumque his coniunctionibus abutitur Paulus. Eſt autem huius ſenſus, quod qui ſemel ingreſſus fuerit in æternam illam Dei requiem, quieſcet ab omnibus operibus, ſuis ſcilicet ſervilibus, & moleſtiis, & omnibus omnino externis, atque a perſecutionibus, tentationibus & afflictionibus, SICUT ET A SUIS DEUS; id eſt, ſicut ſeptima die ceſſavit ab omni opere externo Deus, ſic in illo magno Sabbato, & æterna illa requie ab omni externo opere, & carnali requieſcemus, toti ſpirituales facti.

V. 11. FESTINEMUS ERGO INGREDI IN ILLAM REQUIEM. Dixerat, timeamus ne quis noſtrum videatur deeſſe, vel tardius veniſſe, ſicut etiam Græcum ὑστερηκέναι ſignificat. Nunc, inquit, feſtinemus ingredi in illam requiem, fide ſcilicet & bonis operibus; hoc enim modo vim verbi σπουδάσομεν, id eſt connitamur, & operam demus, Græci explicant. Propoſito autem ante præmio, nunc terrorem addit negligentibus, UT NE IN IDIPSUM QUIS INCIDAT, inquit, INCREDULITATIS EXEMPLUM; id eſt, ne quis eodem exemplo cum Iudæis per infidelitatem excidat, & pereat; id eſt, ne ſicut illi per incredulitatem in deſerto proſtrati, in Palæſtinæ requiem ingreſſi non ſunt; ita & nos per infidelitatem in peccati ſolitudine, ac deſerto morientes, excludamur ab illa requie æterna.

V. 12. & 13. VIVUS, &c. Hoc loco vel de verbo ingenito, vel de verbo quod interne homini inſpirat, intelligere poſſumus. Feſtinemus, dixit, ingredi in requiem, ne quando per incredulitatem excludamur. VIVUS ENIM ET EFFICAX EST DEI SERMO, id eſt, numquam intermoritur, ſed manet ſemper immutabilis, & quod pollicitus eſt, præſtat: promiſit autem non ingreſſurus in requiem qui increduli fuerint. Credamus igitur, ut ingrediamur. Proprie tamen hoc loco ſermo Dei pro verbo increato & filio Dei ſumitur, qui vivus & efficax dicitur propter vivificam eius operationem, & penetrabilior omni gladio ancipiti, id eſt utrinque ſcindente, PERTINGENS USQUE AD DIVISIONEM SPIRITUS ET ANIMAE, ubi nonnulli per animam, potentias animales; per ſpiritum, rationabilem facultatem intelligunt. Itaque ſermo Dei Chriſtus uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus pertingit, dum animales & ſpirituales diſcernit: COMPAGUM QUOQUE AC MEDULLARUM uſque ad diviſionem pertingit, id eſt interna & externa noſtra novit. Nam compagum nomine, quæ ſunt externæ membrorum colligationes, externa opera: medullarum autem quæ intus latent, internas intelligit cogitationes. His autem verbis nihil aliud vult Paulus, niſi quod ſermo Dei vivus Chriſtus omnia novit, etiam internas cordis cogitationes, unde in eandem

ten-

Digitized by Google

ſententiam ſubdit : ET NON EST ULLA CREATURA INVISIBILIS IN CONSPECU E-IUS, OMNIA AUTEM NUDA, ET APERTA SUNT OCULIS EIUS. Pro aperta autem Græci habent *τετραχηλισμένα*. Eſt autem *τράχηλος* ſpina dorſi quæ procedit a vertice uſque ad finem, inde *τραχηλίζειν* eſt medium animal per ſpinam dividere, ita ut interna, & inteſtina omnia pateant. Hac ergo metaphora uſus eſt Paulus, ut oſtenderet inteſtinas omnes noſtras cogitationes Deo patere. Hæc omnia ergo huc adducit Paulus, ut Hebræos terreat, ne de promiſſa requie æterna dubitent; quaſi diceret: Ne deſperetis, vivit enim adhuc vivetque æternum ſermo ille Dei unigenitus Chriſtus, qui cum tot millia incredulorum in deſerto proſtrarit, & vos etiam, ſi increduli fueritis, peſſumdabit. Neque eſt quod illum fallere poſſe putetis, ſi vel tantillum apud voſmetipſos deſperetis. Novit enim ille omnia etiam cordis intima. AD QUEM, inquit, NOBIS SERMO, Græc *ὁ λόγος* quem iſtic rationem Græci interpretantur, id eſt apud quem ratio nobis reddenda eſt recte aut ſecus geſtorum. Poſſumus etiam forte interpretari de quo nobis futurus eſt ſermo, ſicut ante ad angelos, pro de angelis dixit.

V. 14. & 15. HABENTES ERGO, &c. Quum ergo tantum habeamus Pontificem in cælis pro nobis interpellantem, confidamus in eum: quod qui in illam requiem introivit, in eam nos ipſe inducet, vel tanto Moyſe maior, quod ille in requiem Palæſtinæ ingredi non potuit, Chriſtus in æternam requiem ingreſſus eſt. Hunc ergo habentes, TENEAMUS. Gr. *κρατῶμεν*, id eſt apprehendamus confeſſionem ſpei noſtræ, id eſt profeſſionem fidei, & noſtram in illum fiduciam. Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, TENTATUM AUTEM, pro, ſed tentatum, PER OMNIA PRO SIMILITUDINE, Græce *καθ' ὁμοιότητα*, id eſt ad ſimilitudinem, ſcilicet noſtri, hoc eſt, omnibus modis tentatus, & afflictus eſt, quibus & nos homines affligi ſolemus: pro ſimilitudine ergo, id eſt ad inſtar noſtri, vel proinde atque nos: & id tamen abſque peccato, id eſt quum peccato non eſſet obnoxius.

V. 16 ADEAMUS ERGO; id eſt, nihil ergo in fide hæſitantes, ſed in promiſſionibus eius libere confidentes, adeamus cum fiducia, & animo confidente ad thronum gratiæ eius, ut miſericordiam conſequamur, id eſt remiſſionem peccatorum, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, id eſt quum tempus eſt in hac ſcilicet vita, quærendi, & inveniendi auxilii: non enim poſt hanc vitam ſeſe offeret occaſio ut adiuvari poſſimus, ſi ſemel ab hac requie excludimur.

S A.

Verſ. 1. RELICTA, id eſt neglecta. EXISTIMETUR, id eſt videatur, ſeu appareat. DESSE. Græc. *fuiſſe fruſtratus*, vel *non aſſecutus*.

V. 2. ADMISTUS. Syr. *coniunctus*. Græc. & Complut. *admiſtis*. Ex iis; pro, eorum. Græc. *iis*. QUAE. Græc. *qui*.

V. 3. QUEMADMODUM; pro, de qua. ET QUIDEM, ſcilicet id dictum eſt: vel iunge cum ſequenti, ſcilicet *dixit enim*, &c. quaſi dicat, De qua requie dixit, &c.

V. 5. ISTO, ſcilicet loco.

V. 7. TERMINAT, id eſt præfinit. IN; pro, per; vel DAVID, pro libro David.

V. 8. IESUS, id eſt Ioſue, qui apud LXX. dicitur *Ieſus*. Syr. *Ieſus filius Nun.* REQUIEM, ſcilicet veram, ſeu perfectam. POST HAC. Græc. *poſt hæc*.

V. 9. SABBATISMUS, id eſt requies.

V. 10. INGRESSUS EST: pro, ingredietur. REQUIEVIT; pro, requieſcet.

V. 11. FESTINEMUS. Græc. *ſtudeamus*. UT NE; pro, & caveamus ne. IDIPSUM, id eſt idem.

V. 12. VIVUS, &c. quaſi dicat, Sed credamus verbo Dei, vitam danti credentibus. ANCIPITI, id eſt utrimque acuto. ANIMAE, ſcilicet qua vivimus, ſeu ſenſitivæ. SPIRITUS, id eſt mentis; quaſi dicat, Diſcernit quæ ſunt ſenſus ab iis quæ mentis ſunt. COMPAGUM, &c. quaſi dicat, Et quorumque intimorum. Quidam *compages*, cogitationes intelligunt; medullas vero intentiones. DISCRETOR. Græc. *Iudex*.

V. 13. INVISIBILIS. Græc. *non manifeſta*. Apparet loqui de Dei Verbo, quod eſt Deus. OMNIA AUTEM; pro, ſed omnia. AD QUEM; pro, de quo.

V. 14. CONFESSIONEM, id eſt fidei profeſ-

feſſionem; vel quaſi dicat, Spem quam profitemur.

V. 15. Tentatum autem; pro, ſed tentatum. Pro similitudine. Græc. *iuxta ſimilitudinem*, ſcilicet noſtri. Syr. *ſicut & nos*.

V. 16. In; pro, cum quaſi dicat, Adiuvantem in opportunitatibus, ſcilicet cum opus eſt.

MARIANAE.

Verſ. 1. Timeamus ergo, ne ob incredulitatem ſimile contingat, & exiſtimetur. Aliquis ex vobis deesse, ſive *tardare*, ὑστερηκέναι. Dixerat *hodie*, id eſt continuo, *ſi vocem eius audieritis*, ſcilicet feſtinate ingredi in requiem.

V. 2. Non profuit. Sic ordina: *Non profuit illis ſermo ex iis quæ audierant* (id eſt *auditus*) *non admixtus fidei*, id eſt quia non crediderunt. *Nos ingrediemur in requiem*, *quibus iuravit denuo*.

V. 3. Si introibunt in requiem meam. Contendit aliam eſſe requiem præter eam quæ promiſſa erat Iudæis in Terra promiſſionis, quando tanto poſt tempore ad illam invitat Deus per os Davidis. Et quidem. Hinc ſententia incipit. Ab institutione mundi, id eſt ab initio mundi operibus perfectis.

V. 4. Dixit enim. Vox *enim* redundat. Loquitur enim his verbis de alia requie, ſcilicet qua Deus facto mundo requievit.

V. 5. Et in isto rursum. Hæc eſt alia requies, ſcilicet Terræ promiſſionis, a qua Iudæi ſunt excluſi.

V. 7. Iterum terminat, id eſt deſignat David tanto poſt tempore alium diem; quaſi dicat: David non de requie terræ Chanaan loquitur, ſed de cæleſti, quando iis qui iam erant in terra Chanaan, novam diem, novamque requiem proponit, dicens: Hodie.

V. 8. Nam si eis Iesus, id eſt Ioſue. Requiem; pro, hanc cæleſtem requiem præſtitiſſet, (certe requiem in Terra promiſſa Iudæis iam præſtitit) non loqueretur David de alia requie: non ergo Paulus de ea antiqua requie loquitur, ſed de cæleſti ad quam David invitat.

V. 9. Itaque relinquitur sabbatismus, id eſt nova requies. Populo Dei, id eſt credentibus, quando Iudæi illi ob ſuam in deſerto incredulitatem excluſi ſint a ſua requie.

10. Qui enim; pro, qui autem: non præceſſit aliquid, cuius reddatur cauſa. Ingressus est; pro, ingredietur, debet ingredi: præteritum pro futuro. Requievit; pro, requieſcet ab operibus ſuis, laboribus, moleſtiis, ſicut & Deus requievit a ſuis. Familiare eſt Hebræis præteritum ſumere pro futuro, & e contrario.

V. 12. Vivus est enim sermo Dei, præſtat quod promittit: promiſit autem novam requiem, cum dixit: *Hodie ſi vocem eius*. Penetrabilior, acutus, non ſolum exterius loquitur, ſed interiora penetrat, myſticas habet ſignificationes, Usque ad divisionem. Eaterna omnia & interna percurrit.

V. 13. Et non est ulla creatura, ſcilicet ei qui loquitur omnia ſunt nota, ad omnia oculos extendit, de omnibus loquitur. Ad quem nobis sermo, id eſt de quo nobis ſermo. De tali verbo loquor. Occurrit obiectioni. Diceret aliquis: Nimis recondita ſunt quæ dicis & abſtruſa; ex Dei requie & ex requie populi Iudaici, novam elicis requiem. Propterea verbum Dei omnia penetrare ait, plura in receſſu habere quam in fronte.

V. 14. Teneamus confessionem, id eſt fidem quam ſumus confeſſi. Habemus Pontificem qui compatiatur, quippe tentatum.

V. 15. Pro similitudine absque peccato, id eſt ſimilis nobis in omnibus præter peccatum. Ergo

V. 16. Ad thronum gratiae, id eſt benignum, non ſeverum adeamus. Ut miſereatur noſtri. In auxilio opportuno. Græc. *in auxilium opportunum*, id eſt inveniemus gratiam, ut opituletur in tempore opportuno, nempe afflictionis: aut, cum opportunum fuerit, & auxilio indigebimus.

MENOCHII.

Verſ. 2. Ne forte relicta pollicitatione: ne forte aliquando negligamus Chriſti promiſſionem de requie, quam daturus eſt nobis, atque illa ex-

excidat aliquis vestrum. Deesse ὑστερηκέναι, quod eſt privari, aut fruſtrari, aut deficere.

V. 2. Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis. Docet cur timere debeant. Putare poterant ſe non eſſe privandos hac requie, quandoquidem ſibi verbum Evangelii prædicatum eſſet. Non hoc, inquit, ſatis eſt, nam & illi audierunt, & multi ex eis non introierunt in requiem Domini. Sermo auditus: λογος ἀκοῆς, *ſermo auditionis*, nam *auditus* non eſt participium, ſed nomen ſubſtantivum, & caſus genitivi. Senſus eſt, non profuit illis ſermo auditionis, id eſt ſermo quem audierunt, quia non fuit ſermo *fidei admiſtus*, id eſt non contemperatus fidei eorum, qui crediderunt, & obedierunt. Ex iis quae audierunt. Ribera & Cornel. a Lapide legendum putant *admiſtus fidei, iis qui audierunt*, quod ſic habent Græci textus, & græci interpretes, & Syrus.

V. 3. Ingrediemur enim in requiem, &c. Hoc eſt, quia ſine dubio ingrediemur in requiem eius, ſi fidem vivam habuerimus, idque a contrario ſenſu probat; non enim eſt negata requies niſi incredulis; credentes ergo in eam admittentur. Et quidem operibus ab institutione mundi, &c. Docet quænam requies ſit, quam per David promiſit Spiritus ſanctus: & quia duplex requies poterat ex Scripturas intelligi nimirum vel requies ſabbati, vel requies in terra promiſſionis, oſtendit de neutra loqui Davidem, ſed de ſublimiori, hoc eſt, de requie in cæleſti regno. Operibus ab institutione mundi perfectis. Probat non eſſe requiem ſabbati, quoniam in hanc iam diu ingreſſi fuerant, ſcilicet ab eo tempore quo opus creationis Dominus abſolvit, & inſtituit ut dies ſabbati eſſet dies quietis. Cum ergo David quietem promittat, quam nondum ſint adepti, de quiete ſabbati non poteſt intelligi.

V. 4. Dixit enim in quodam loco; ſcilicet Gen. II. 2. Et requievit Deus die septima, &c. Requieſcens autem Deus die ſeptima inſtituit ſabbati ceſſationem.

V. 5. Et in isto; & in hoc Pſalmo XCIV. Rursum; quaſi dicat: Propter requiem ſabbati habet Deus aliam requiem, quam hominibus præparavit, & a qua incredulos excluſit.

V. 6. Quoniam ergo superest introire quosdam, &c. Senſus eſt; Quandoquidem ſuperſunt adhuc aliqui, qui ingreſſuri ſunt, quos nimirum deſignavit Deus, ut conſtituat beatæ illius requiei poſſeſſores. Quomodo adhuc ſuperſint aliqui ingreſſuri, oſtendet verſ. 7. & 8. Reſpondet Ital. phraſi qua dicimus, *Reſtano alcuni da entrare*. In illam; ſcilicet requiem a Davide promiſſam. Et ii quibus prioribus annunciatum est, &c. & Iudæi quibus terra Chanaan promiſſa fuerat mortui ſunt in deſerto, ideoque illa requie non ſunt potiti.

V. 7. Iterum terminat diem: ὁρίζει, præfinit, & determinat, hoc eſt ſignat quoddam ſpatium temporis. Hodie, id eſt tempus vitæ noſtræ, quo poſſumus ingredi in aliam meliorem requiem a propheta deſignatam. In David: in libro David. Post tantum temporis, id eſt tanto tempore poſt factam diſtributionem terræ promiſſæ. Hodie si vocem eius audieritis, &c. quaſi dicat: Cum David tanto tempore poſt factam terræ diſtributionem adhuc invitet ad requiem capeſſendam, verbis illis citatis, *Hodie ſi vocem eius audieritis*, &c. clarum eſt aliquam adhuc aliam requiem ſupereſſe, ad quam tendamus, præter illam, quam populus adeptus eſt in poſſeſſione terræ Chanaan; hæc autem eſt beata quies in cæleſti patria.

V. 8. Nam si Iesus, &c. Ioſue qui a LXX. & a Græcis ſemper appellatur Ieſus. Reſpondet obiectioni; dicere enim aliquis potuiſſet: ſi increduli ingreſſi non ſunt, at alii ſunt ingreſſi, nimirum Ioſue, & Caleb & qui vigeſimum annum non attigerant, cum egreſſi ſunt ex AEgypto. Reſp. ſi tempore Ioſue conſecuti fuiſſent requiem, de qua loquitur David, non eſſet opus illam tanto poſt tempore promittere. Signum ergo eſt aliam conſequendam ſupereſſe, de qua loquitur Pſaltes. Numquam de alia loqueretur posthac die: non amplius de alia die, ſive tempore loqueretur, quo vocem Domini audiamus, ut perveniamus ad requiem. Vel, non amplius loqueretur

de

de quietis die, ad quem aſpirare deberemus.

V. 9. Itaque relinquitur sabbatiſmus populo Dei; id eſt, itaque illi populo, qui non eſt incredulus, ſed fide viva adhæret Chriſto, relinquitur ſabbatiſmus, id eſt celebratio veri ſabbati, veræ, & perpetuæ quietis in cœlo.

V. 10. Qui enim ingressus est in requiem eius, &c. id eſt, quicumque ingreditur in hanc requiem Domini, requieſcit ab omni labore, & ab omnibus operibus, quibus in hac vita exercebatur.

V. 11. Festinemus ergo ingredi in illam requiem: nulla afflictio, nulla perſecutio curſum noſtrum retardet. Ut ne in idipsum, &c. id eſt, ne quis fiat ſimile incredulitatis exemplum, quales ſcilicet fuerint Hebræi, & ſimili clade pereat.

V. 12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax. Pro, *ſermo*, in Græco eſt, *ὁ λόγος; verbum*, & intelligitur de Chriſto, qui eſt vivus Dei ſermo, omnia conſiderans, & videns, & potens ad puniendos ſontes. Et penetrabilior omni gladio ancipiti. Illud penetrare dicitur, quod ingreditur profunda rei: nihil autem eſt tam profundum, quod Chriſtum lateat, & quo oculi eius non perveniant, ciuſque manus, & poteſtas, ſi ſupplicium ſumere velit. Et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus; id eſt, non obſcure aut confuſe cognoſcit quæ ſunt in homine, ſed in intima quæque penetrat, novit diſtinguere animam ab ſpiritu, novit quid anima cogitet, ac velit, quid ſpiritus cogitet, ac velit. Animae: animæ dicitur inferior pars, quæ cupiditates, & affectus habet, unde animales homines dicuntur in Scriptura. Spiritus: ſpiritus eſt ſuperior pars, fide & gratia illuſtrata, quæ Deo obedit, & meliora videt, ac ſequitur, unde ſpirituales appellantur. Compagum. Compages ligamenta illa ſunt quibus oſſa inter ſe ita valide colligantur, ut ſine magno labore dividi non poſſint. Medullarum. Medulla eſt ſubſtantia in intimis oſſibus latens. Hac congerie verborum res abditiſſimas ſignificantium, docet nihil eſſe in corpore, aut in anima tam abſtruſum, quo non perveniat Dei cognitio, & ubi non poſſit per ſupplicia ſuam declarare potentiam. Discretor cogitationum. Pro, *diſcretor*, in Græco eſt, *κριτικὸς*; critici autem dicuntur iudicio valentes iudices, & ſevere, ac cenſorie minima etiam reprehendentes. Intentionem cordis: *ἐννοιῶν καρδίας, conceptionem cordis*, quaſi dicat: Novit quid quiſque intra ſe cogitet, & quo animo quidque faciat, quo tendat cogitet, & quo animo quidque faciat, quo tendat cogitatione, & voluntate.

V. 13. Aperta sunt oculis eius. In Græco eſt, *τετραχηλισμένα*, eſt autem *τραχηλίζειν*, a cervice ad caudam uſque pellem detrahere, vel in cervicem vertere, & reſupinare, atque inde quidvis manifeſtum facere, ſic pecude aliqua mactata, pelle detracta, exemptis inteſtinis reſupinata, iam nihil eius latere poteſt. Ad quem nobis sermo; id eſt, cui reddituri ſumus actuum noſtrorum rationem. Vel, de quo Dei ſermone nobis inſtitutus eſt ſermo.

V. 14. Habentes ergo Pontificem magnum, &c. quaſi dicat: Agite Hebræi, perſiſtite in fide Chriſti, ad requiem in cælis properate, facile eo conſcendemus, & penetrabimus duce Chriſto, qui eos penetravit, eoſque nobis pervios fecit, dummodo confeſſionem, id eſt profeſſionem, ſcilicet fidei, & ſpei noſtræ conſtanter retineamus.

V. 15. Non enim habemus Pontificem, &c. Quoniam reſpondere poterant Hebræi, cupere ſe quidem tenere confeſſionem, ſed difficile eſſe non vinci perſecutionibus; pollicetur Chriſtum opem allaturum, nam ipſe etiam pro veritate tuenda, & pro ſalute hominum varie multumque afflictus eſt, ideoque experimento eo doctus, afflictorum miſerebitur, illiſque opportune ſuccurret. Qui non possit compati: qui ſit inexpertus afflictionum. Infirmitatibus nostris: ſic vocat Paulus afflictiones, perſecutiones, & dolores, ex Hebræorum locutione, qui dicunt *infirmari*, pro *dolere*, ut Amos VI. 6. *& nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph*, in Hebræo eſt, *& non infirmabantur ſuper contritione Ioſeph.* Tentatum autem per omnia, id eſt afflictum, atque ideo paratum nobis compati. Per omnia, id eſt per omnes afflictiones noſtras. Pro similitudine

DINE, id eſt quia ſimilis nobis fieri voluit. ABSQUE PECCATO, id eſt excepto peccato.

V. 16. ADEAMUS ERGO CUM FIDUCIA: μετὰ παῤῥησίας, non trepidi, & quaſi diffidentes eius miſericordiæ, ſed cum libera quadam audacia. AD THRONUM GRATIAE: ad Chriſtum ſedentem ad dexteram patris, & paratum noſtri miſereri, & cæleſtia ſua chariſmata largiri. UT MISERICORDIAM CONSEQUAMUR: a Deo per Chriſtum. ET GRATIAM INVENIAMUS, id eſt Chriſti favorem, & benevolentiam nobis concilicmus. IN AUXILIO OPPORTUNO: ut ſcilicet opportuno tempore, hoc eſt, tempore perſecutionis, aut tentationis, cum Chriſti auxilio indigebimus, illud ipſe nobis conferat, ad omnes difficultates ſuperandas.

T I R I N I.

Verſ. 1. TIMEAMUS ERGO, & timendo præcaveamus, NE vel per ignaviam, vel per inconſtantiam, RELICTA, ſeu neglecta POLLICITATIONE omnibus a Deo facta de æterna requie obtinenda in cæleſti palatio, EXISTIMETUR, δοκῇ, id eſt *videatur*, inveniatur, deprehendatur, ALIQUIS noſtrum DEESSE, ὑστερηκέναι, id eſt *fruſtratus*, vel excluſus illa *eſſe*. Neque enim ſatis eſt, quod

V. 2. NOBIS NUNTIATUM, ſeu prædicatum eſt verbum Dei: nam & illis ſub Moyſe nuntiatum fuerat: SED ſicut NON PROFUIT ILLIS SERMO AUDITUS; græce, ἀκοῆς, id eſt *auditionis*, id eſt quem audierant, quia *non* fuit ſermo ille ADMISTUS FIDEI, ſeu receptus fide, id eſt non fuit creditus EX IIS, id eſt ſecundum ea QUAE *audierant*, ſcilicet ſe Dei ope & ductu ſuperaturos Chananæos: ita neque nobis proderit audiſſe Evangelium; niſi etiam eidem credamus, obediamus & obſequamur.

V. 3. INGREDIEMUR ENIM ſine ullo dubio IN REQUIEM, non Chanaaniticam, ſed cæleſtem, *quicumque crediderimus* fide viva & conſtanti in Chriſtum. Neque enim iuravit ſe repulſurum a ſua requie, niſi incredulos ac rebelles. ET QUIDEM dictum eſt hoc a Deo per Davidem, OPERIBUS A prima MUNDI INSTITUTIONE iam PERFECTIS ac completis. Unde non loquitur de requie ſabbati ſeu ſeptimæ diei, (quo Deus, completo opere creationis novarum ſpecierum, legitur quieviſſe ab ulteriori novo opere:) nam hæc requies iam diu tranſierat: ſed neque loquitur de requie quam Iſraelitis præbuit *Ieſus*, ſeu Ioſue, in Chanaanitide; quia in hanc iam tum ingreſſi erant cum per Davidem Pſalmo XCIV. requiem de novo promittit.

V. 6. ERGO præter duplicem requiem iam dictam SUPEREST alia adhuc requies, in quam *introituros* promittit filios ſibi fideles: nam

V. 7. ITERUM, ſeu tertio, TERMINAT, ὁρίζει, eſt, *determinat*, definit, deſignat, DIEM QUEMDAM, ſeu ſpatium quoddam temporis, puta HODIE, id eſt præſens tempus vitæ noſtræ, quo, ſi Deo obſequentes fuerimus, transferemur in requiem.

V. 9. ITAQUE RELINQUITUR, ſeu reliquus adhuc ſupereſt, alius SABBATISMUS, id eſt alia requies, POPULO DEI, puta cæleſtis, ſolida & æterna quies, per duplicem prædictam quietem anagogice adumbrata.

V. 10. Quicumque ENIM *ingreditur* IN hanc cæleſtem REQUIEM, ETIAM IPSE *requieſcit* AB omnibus moleſtiis OPERIBUS & exercitationibus SUIS, ab omni labore & fatigatione, ab omni certamine & lucta contra vitia, tentationes & hoſtes, ab omni mortificatione activa & paſſiva; SICUT DEUS die ſeptimo quievit A SUIS operibus: ita Chryſoſt. & Thophylactus.

V. 11. FESTINEMUS ERGO, σπουδάσωμεν, id eſt *ſtudeamus*, INGREDI IN ILLAM REQUIEM: nulla moleſtia, nulla perſecutio, nulla alia remora curſum noſtrum retardet. UT NE QUIS fiat ſimile INCREDULITATIS, rebellionis, & conſequenter excluſionis ac damnationis, EXEMPLUM, inquit idem Theophylactus.

V. 12. SERMO ENIM DEI, ὁ λόγος, id eſt *Verbum* ſeu Filius *Dei* a, (ut paſſim Patres exponunt, & patet ex ſeq. verſu:) VIVUS EST ET EFFICAX, id eſt vivaciter atque efficaciter præſtabit quidquid ſeu per os Davidis, ſeu per alios Prophetas vel Apoſtolos ſuos promiſit aut comminatus eſt: ita Theodor. Oecumen. S. Thomas, Lyraous, Caietanus & alii: acutior ac PENETRABILIOR ad intima rei, quovis GLADIO quantumvis acuto & ANCIPITI: PERTINGENS USQUE AD DIVISIONEM ANIMAE

AC

Google

AC SPITITUS; id eſt, certiſſime ac diſtinctiſſime cognoſcens omnia quæ ſunt in homine, facillimeque diſtinguens cogitationes, actus & motus animæ ab actibus, cogitationibus & moribus ſpiritus. Per *animam* vero intelligit Scriptura partem inferiorem, quæ concupiſcentiis & affectibus naturalibus agitur, a qua homines dicuntur *animales*: per *ſpiritum* intelligit partem animæ ſuperiorem, fide ac gratia Dei colluſtratam, a qua homines vocantur *ſpirituales*. *Compages* ſunt ligamenta quibus oſſa colligantur. *Medulla* eſt pinguis ſuccus qui oſſibus includitur. Per hæc deſignat, omnia quæ in homine latent, etiam intima atque abditiſſima, patere oculis ac manibus Chriſti,

V. 13. AD QUEM *b*, id eſt de quo, NOBIS hic iam SERMO eſt. Quæ cum S. Auguſtino *c* nota pro omniſcientia & ubiquepræſentia divina. Porro ſicut Chriſtus penetrat intima cordis noſtri, ita

V. 14. PENETRAVIT etiam CAELOS omnes, eoſque reſeravit ac pervios nobis fecit, dummodo CONFESSIONEM *d* fidei, & executionem eorum quæ fides nos docet, conſtanter TENEAMUS. Sed infirmi ſumus, fragiles ac labiles. Ita eſt ſi naturam ſpectes: ſed

V. 15. PONTIFICEM, mediatorem, ſalvatorem & opitulatorem, HABEMUS NON talem QUI NON POSSIT, non norit, aut non velit, vel pronus *e* & facilis non ſit COMPATI & auxiliari INFIRMITATIBUS, miſeriis & afflictionibus NOSTRIS: ſed TENTATUM, afflictum, probatum PER OMNIA afflictionum genera, PRO noſtri SIMILITUDINE, id eſt omnino ſimiliter atque nos, excepto PECCATO. Atque utinam & vos in hoc quoque aſſimilemini Chriſto, ut peccato ad quod tentamini non ſuccumbatis, non conſentiatis. Quod ſi de tentatione proprie dicta ſit quæſtio, certum eſt, Chriſtum aliter quam nos tentatum fuiſſe, nempe ſolum exterius *f* a diabolo vel tyrannis: nam interius a carne, phantaſia vel concupiſcentia rationem prævertente aut rationi rebellante, (cum id Chriſto accidere non potuerit) numquam tentatus fuit: neque enim cum blaſphemo Luthero, Bucero & Calvino, admittimus in Chriſto *ignorantiam* aut gratiæ defectum, quia hæc non fuiſſent apta inſtrumenta, ſed impedimenta mediatori, doctori ac redemptori generis humani, ut bene probat Belarminus & Suarez, & alii Scholaſtici *g*,

V. 16 IN AUXILIO; græce & ſyriace, *ad auxilium opportunum* tempore perſecutionis & tentationis, ab eo impetrandum.

(a) Ioan. 1.
(b) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 12.
(c) Auguſt. Serm. II. de Tempore.
(d) Hic cap. III. 1.
(e) Cap. II. 18.
(f) Matth. IV. 1. &c.
(g) Bellar. Lib. IV. de Chriſto cap. II. Suarez & alii in 3. p. S. Thom.

GORDONI.

Verſ. 1. TIMEAMUS. Deſignat audiendum eſſe Chriſtum, ut per eum nobis obveniat requies vera & æterna. Initio hic inicit timorem, ſi negligatur promiſſio Chriſti nobis facta de requie. Illis nunciata fuit promiſſio, ſed fruſtrati ſunt expectatione, nec profuit ſermo hic auditionis, λόγος ἀκοῆς: quia non erat fides, non crediderunt poſt reditum exploratorum. Et nos etiam audivimus; ergo danda opera &c.

V. 3. INGREDIEMUR. Hoc infertur a contrario ſenſu; ſi audimus, ſi ſtamus perſeveranter, ingrediemur in requiem æternam; ſicut ſuo modo de illa requie dictum eſt antiquis. Meminit hic Paulus triplicis requiei: nempe ſabbati poſt creationem, & poſt opera ſex dierum. Item in terra promiſſionis. Ac demum illius æternæ quietis poſt hanc vitam. Infert in hanc tertiam requiem, quæ ſupereſt nobis, ingredi oportere. Deus itaque requiem ſabbati Gen. II. definivit, cum perfecit omnia opera ſua, & requievit. Et hæc omnibus data eſt. David agit de requie nondum accepta. Iterum Pſal. XCIV. propoſita eſt requies terræ promiſſæ. Et quando non omnes introierunt in illam requiem, & ſuperſunt aliqui qui ingrediantur in requiem tertiam & ſempiternam, ſane figuratam per terram promiſſionis; ideo ad hanc feſtinandum eſt: & ſic Paulus verſ. 7. accommodat verba Davidis de terra promiſſa ad hanc etiam deſignandam requiem æternam: terminat ὁρίζει.

V. 8. NAM SI IESUS. Hic eſt Ioſue, quem

Digitized by Google

quem ſemper Græci & Septuaginta nominant Ieſum. Occurrit obiectioni: An non Iſraelitæ Ioſue, Caleb, alii infra viginti annos, & fortaſſe etiam plures ſeniores non increduli conſecuti ſunt terram promiſſam? Nec tamen omnes hanc, nec perfectam inſuper illam, quam alio ſenſu intendebat David, & quæ nobis promiſſa ſupereſt obtinenda. FESTINEMUS ERGO (verſ. 11.) IN ILLAM INGREDI æternam, quam etiam attingit David. Nam Ioſue nec plenam nec perfectam requiem donavit: alioqui numquam loqueretur de alia.

V. 12. VIVUS EST SERMO. Sequitur ad priorem verſum, feſtinemus, vitemus pœnam incredulitatis: nam ſermo Dei eſt efficax & vindex apoſtaſiæ, potens ad puniendum, videns, penetrans ad profundum, ad diviſionem animæ & ſpiritus, dividens & diſcernens partem, qua communicamus cum brutis animalem a voluntate & ratione: latentia & abſcondita intuetur, ut ſunt medulla & compagines in corpore humano. Et ſimilia addit de intentione & cogitatione: talis eſt Deus vindex, de quo hic eſt ſermo. At in verbis his, VIVUS EST SERMO, quis eſt hic ſermo? Quamvis aliqui minas Dei & oracula intelligant, tamen puto accipi pro ipſo Deo, ubi per varias metaphoras explicat Paulus nihil eſſe Deo occultum.

V. 13. & 14. APERTA SUNT OCULIS EIUS. Locus Theologicus eſt ad multa; præſertim de ſcientia Dei & præſcientia ad omnia penetrante. Et is eſt, de quo eſt nobis ſermo, hoc eſt, cui reddenda eſt ratio nobis. HABENTES ERGO (verſ. 14.) PONTIFICEM non Aaronem, ſed Dei filium, hæreamus in eius ſuſcepta fide: e cælo iuvat, qua eſt potentia, pollicetur auxilium. Et præter alia ipſe plurima paſſus, experimento didicit, quam conveniat afflictis ſuccurrere in doloribus & perſecutionibus, quas Paulus vocat infirmitates: talis eſt Pontifex noſter, tentatus PER OMNIA, verſ. 15. per omnes afflictiones noſtras, excepto peccato. Qua ratione tentetur Chriſtus, dixi, in Matthæo. Et plura ſuo loco Theologi.

CA-

C A P U T V.

Chiſtus debito ordine factus noſter Pontifex, preceſque Patri offerens, exauditus eſt: & diſcens ex iis quæ paſſus eſt obedientiam factus eſt ob temperantibus cauſa ſalutis æternæ: ſed reconditorum de ipſo myſteriorum capaces non erant ii ad quos hic ſcribebat Apoſtolus.

1. OMnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro ho-
minibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut of-
ferat dona, & ſacrificia pro peccatis: 2. qui condolere
poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe
circumdatus eſt infirmitate: 3. & propterea debet, quem-
admodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offer-
re pro peccatis. 4. (a) Nec quiſquam ſumit ſibi hono-
rem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. 5. Sic & Chriſtus non ſe-
metipſum clarificavit ut pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: (b)
Filius meus es tu, ego hodie genui te. 6. Quemadmodum in alio loco di-
cit: (c) Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. 7.
Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit il-
lum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exau-
ditus eſt pro ſua reverentia. 8. * Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit
ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam: 9. & conſummatus, factus eſt omni-
bus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ, 10. appellatus a Deo pon-
tifix iuxta ordinem Melchiſedech. 11. * De quo nobis grandis ſermo, &
ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.
12. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis
ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis
quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. 13. Omnis enim, qui lactis eſt
particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ: parvulus enim eſt. 14. Perfecto-
rum autem eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent
ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.

(a) Exod. xxviii. 1. II. Par. xxvi. 18. (b) Pſal. ii. 7. (c) Pſal. cix. 4.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 8. *Et quidem cum eſſet filius Dei*. Correctoribus viſum eſt non eſſe omittendum genitivum *Dei*.

Verſ. 11. *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad diſcendum*. Servanda eſt Syllaba *in* duplicata in voce *ininterpretabilis*.

Notatio.

Verſ. 11. D*E quo nobis grandis*, (*grandis nobis* 20. MS. G. S. πολὺς) *ſer-*

ſermo & interpretabilis ad dicendum . (*diſcendum* o. *docendum* o.) Græce pro *interpretabilis* eſt δυσερμήνευτος , quod eſt *interpretatu difficilis* , ſive ut Syri dixerunt *aſper & negotioſus* . Quare coniiciunt plerique legendum nobis eſſe , *ininterpretabilis* duplicato *in* . Sic autem notarunt Pariſienſes in tribus manuſcriptis , ſe reperiſſe Di. o. l. Ge. l. quibus Hentenius quatuor addidit . Nos etiam in tribus ita invenimus , Q. Buſſ. So. au. , quinque vero ita correctum . Complutenſe exemplar & quædam alia poſt illud impreſſa hoc habent . Adſtipulantur enarratores Bruno , & Richelius Carthuſiani ; quamquam ille alterius lectionis *ininterpretabilis* meminerit . Sic & Auctor Gloſſæ , Carenſis , ac Gorranus prius *ininterpretabilis* , tum *interpretabilis* explicare videntur . Haymo ſi ad hunc modum non legit *ininterpretabilis* , in hunc ſenſum expoſuit : “ Illa , „ inquit difficultas interpretandi ſermonem „ &c. Similiter vel ita ut eorum recidit , & ceteri expoſuerunt , ſive *interpretabilis* legerint , ſive *ininterpretabilis* . Nam vel negative intellexerunt *in* vocis *interpretabilis* , vel indigentem interpretatione explicaverunt [, id quod idem unum eſt , quod obſcurum , profundum , atque intellectu difficilem . Utrumque explicandi modum D. Thomas adfert ; poſteriorem Lyranus , qui ſolum *interpretabilis* legerunt , quod in plerìſque eſt libris , atque antiquitatis ſpeciatæ , & a *Zegero* caſtigatore ſtudioſe ſervatum . Hoc ſi Interpres vertit , alterum haud dubie intellexit , *interpretabilis ad dicendum* dixit , pro *ininterpretabilis ad dicendum* , hoc eſt interpretatu atque explicatu difficilis . Iuvandus ſubinde eſt Latine loquens Græcus interpres , non lacerandus , nec qui voces iuxta eius explicant mentem , carpendi .

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verſ. 1. 2. 3. & 4. OMNIS NAMQUE PONTIFEX. Omnis , inquit , in lege pontifex EX HOMINIBUS , id eſt homo ac de numero hominum ASSUMPTUS , PRO HOMINIBUS CONSTITUITUR IN IIS QUAE SUNT AD DEUM , id eſt in ſacrificiis & orationibus publicis , quæ pro communi ſalute hominum fiunt , UT ſcilicet OFFERAT DONA , ET SACRIFICIA PRO PECCATIS , id eſt & ſtatuta in lege ſacrificia , & oblationes ſpontaneas . Accipitur autem talis , id eſt homo , hoc eſt , fragilis , ut ſuæ , id eſt humanæ conditionis memor facile condolere poſſit errantibus & ignorantibus ignoſcere : QUONIAM ET IPSE INFIRMITATE CIRCUMDATUS EST , id eſt , peccatrice natura , & ad delinquendum proclivi : propterea debet quemadmodum pro peccatis populi offerre , ita & pro ſuis . Munus ergo aſſumpti pontificis eſt orare & pro ſuis , ac populi delictis , ſacrificia offerre (ſicut Levitici IX. Aaron ſacerdos , & Pontifex pro ſuo peccato vitulum mactat , hircum pro peccato populi) & agnoſcere ſe peccatorem , atque ita populi peccatis condolere . NEC QUISQUAM , inquit , SUMIT SIBI hunc HONOREM , SED QUI VOCATUR A DEO TAMQUAM AARON . Non debet ſe pontifex intrudere , quomodo id ætatis Iudæorum Pontifices faciebant , ſed illos vocari a Deo oportet , vel per ſe , ut Aaron : vel per electionem aut ſucceſſionem ex Dei ordinatione factam . Pro eo autem quod eſt *condolere* . Græci habent μετριοπαθεῖν , id eſt moderate ferre , & cum moderatione aliorum delicta portare , ut ne nimium indulgentes , nimiumque ſeveri ſint : quomodo autem a Domino vocatus ſit Aaron virga germinante , vide Numer. XVII.

V. 5. & 6. SIC ET CHRISTUS . Sicut in in lege non oportebat intrudi Pontificem , ſed a Deo vocari ; ita & Chriſtus NON SEMETIPSUM CLARIFICAVIT , vel glorificavit , Gr. ἐδόξασε , UT PONTIFEX FIERET , id eſt non per gloriam Pontificatum ambivit , SED ille pater QUI LOQUUTUS EST AD EUM , & dixit , FILIUS MEUS ES TU , EGO HODIE GENUI TE , ſub. clarificavit , & ad gloriam Pontificii vocavit : & certe non ambivit hanc gloriam , qui ſe toties a Patre in hanc functionem miſſum oſtendit . Non veni , inquit , a memetipſo ſed ille me miſit . Iſte locus autem , ego hodie genui te , non facit ad probandum Chriſtum pontificem a Deo conſtitutum : ſed quia illud poſtea probatus eſt , præmiſit teſtimonium Chriſti divinitatis utpote

qui

qui filius Dei eſſet, ne ſimilem legalibus pontificem putarent, id eſt hominem tantum; & ſubdit: QUEMADMODUM IN ALIO LOCO DICIT, TU ES SACERDOS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. Senſus eſt ergo: non ſibi uſurpavit ſacerdotium Chriſtus, ſed pater qui ad eum dixit *filius meus es tu* is illum glorificavit & vocavit: quemadmodum alio loco ſcriptum eſt. Tu *es ſacerdos in æternum*, &c. Ecce ergo rationem veri Pontificis in Chriſto, quia Pontificatum non ambivit, ſed a Patre ordinatus eſt.

V. 7. 8. 9. & 10. QUI IN DIEBUS, &c. Dixi Pontificum eſſe pro delictis hoſtias offerre, nunc id Chriſtum feciſſe docet. *Qui in diebus* CARNIS SUAE, id eſt vitæ mortalis PRECIS SUPPLICATIONESQUE AD DEUM QUI POSSIT ILLUM SALVUM FACERE A MORTE CUM CLAMORE VALIDO ET LACRYMIS OFFERENS, EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA: tota autem vita pro nobis, ac pro ſua reſurrectione, aut magis pro noſtra in ſua patrem orabat Chriſtus: clamor autem validus non exaltationem vocis, ſed ingens deſiderium ſignificat. *Exauditus eſt* autem, inquit, *pro reverentia ſua*, id eſt ſui paſſive, Gr. εὐλαβείας, quo & pietatem, & reverentiam, ac venerationem ſignificat. Chryſoſt. reverentiam, ſeu venerationem interpretatur, & ad humanitatem refert, quod Chriſtus homo ratione tamen verbi dignus erat quem honore pater afficeret, adeo quod tam ex gratia patris exauditus eſt, quam ob ſuam dignitatem: quippe qui dignus eſſet qui pro ſui reverentia & dignitate exaudiretur. Quidam ſimul iungunt quod ſequitur: ET QUIDEM QUUM ESSET FILIUS DEI, id eſt & id quidem, quia non purus homo, ſed Dei quoque filius eſſet: ſed præſtat iungere cum ſequentibus. Photius autem hoc loco εὐλάβειαν, interpretatur pietatem, & φιλανθρωπίαν, ſive humanitatem Chriſti erga nos, & interpretatur hunc locum hoc modo: quod Chriſtus in paſſione duplicem orationem ad patrem fecerit, unam mortis deprecatoriam, alteram ſupplicatoriam. Deprecatoriam, cum diceret, *ſi poſſibile eſt tranſeat a me calix iſte*. Supplicatoriam, cum diceret, *non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Similiter cum diceret: *Pater clarifica filium tuum, ut & filius tuus clarificet te*; ubi clarificationem Chriſti crucem & mortem interpretantur. In hac autem ſupplicatione noviſſima exauditus eſt, inquit, ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id eſt pro ſua erga nos humanitate & pietate, vel pro ſua ſingulari religione & ſanctimonia.

ET QUIDEM QUUM ESSET DEI FILIUS, &c. id eſt, quamquam Dei filius eſſet omnia ab æterno intelligens, DIDICIT tamen EX HIS QUAE PASSUS EST OBEDIENTIAM; id eſt, experientia didicit quanta, & quam magna virtus eſt obedientia, propter quam exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; unde & ſubdit Paulus: ET CONSUMMATUS, Græce τελειωθεὶς, id eſt perfectus vel immolatus (paſſio enim Chriſti perfectio illius, & conſummatio fuit) conſummatus ergo, & ad ſummum honoris, & gloriæ gradum de cruce probroſa evectus, FACTUS EST OMNIBUS OBTEMPERANTIBUS SIBI CAUSA SALUTIS AETERNAE, quam in cruce operatus eſt, APPELLATUS A DEO PONTIFEX SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH, vere Pontifex, qui pro delictis populi hoſtiam Deo obtulit, idem ſuimetipſius hoſtia factus; quia autem de genere Levitico non erat Chriſtus, ſubdidit, *ſecundum ordinem Melchiſedech*.

V. 11. 12. 13. & 14. DE QUO NOBIS GRANDIS SERMO, ET ININTERPRETABILIS AD DICENDUM &c. Pro grandis Gr. πολὺς, id eſt multus, & ſenſus eſt, de quo multa dicenda ſunt nobis & interpretatu difficillima ob craſſum veſtrum ingenium, quia IMBECILLES FACTI ESTIS AD AUDIENDUM, qui antea mente integra fuiſtis, ſed eo per ignaviam recidiſtis. ETENIM CUM DEBERETIS MAGISTRI ESSE, & alios docere, non doceri propter tempus, id eſt vel ex ipſo tempore, quia dudum eſt quod crediſtis; RURSUM INDIGETIS, UT DOCEAMINI QUAE SINT ELEMENTA EXORDII SERMONUM DEI. Elementa autem Chriſti humanitatem dicit a qua rurſum initiandi erant rudiores effecti, ut inde ad divinitatem aſcenderent, ET FACTI ESTIS, inquit, QUIBUS OPUS SIT LACTE, id eſt humili & de minimis Chriſti operibus ſermone, NON SOLIDO CIBO, id eſt perfectiore doctrina, utpote quæ divinitatem concernit.

OMNIS ENIM QUI LACTIS EST PARTICEPS, id eſt qui lacte tantum veſcitur, inhærens humanitati Chriſti, neque altius quicquam in eo conſiderans, EXPERS EST SERMONIS JUSTITIAE, id eſt iuſtificationis, nec bene doceri poteſt iuſtificationem e Chriſto petendam, utpote quæ illi ratione divinitatis competat: quam in eo adhuc non intelligunt, qui parvuli ſunt, & infantes, nec tanti capaces myſterii. PERFECTORUM AUTEM EST SOLIDUS CIBUS, ſcilicet EORUM QUI PRO CONSUETUDINE, Græce διὰ τὴν ἕξιν, id eſt per longum habitum EXCITATOS HABENT SENSUS AD DISCRETIONEM BONI ET MALI, id eſt ad diſcernendum ſanane an hæretica ſit doctrina. Non paſſim ergo ea de re cuilibet credendum, ſed iis qui longa ſcripturarum verſatione exercitatos habent ſenſus.

S A.

Verſ. 2. CONDOLERE, id eſt compati.

V. 3. PRO PECCATIS, ſcilicet hoſtias.

V. 4. HONOREM, id eſt pontificatus.

V. 5. CLARIFICAVIT, id eſt glorificavit; quaſi dicat, Non ſibi aſſumpſit pontificalem gloriam. SED, ſcilicet illum clarificavit, id eſt dedit ei illam gloriam.

V. 7 CARNIS, id eſt vitæ mortalis. Vide II. Cor. v. A MORTE ſcilicet ſuſcitando. CLAMORE, &c. quando id factum, incertum. SUA REVERENTIA, id eſt honore ei debito; vel, quo Patrem ſemper eſt proſecutus.

V. 8. DIDICIT, ſcilicet experientia. OBEDIENTIAM, ſcilicet in paſſionibus.

V. 9. CONSUMMATUS; quaſi dicat, Cumque perfectus eſſet; vel, cum mortuus eſſet.

V. 10. PONTIFEX, Græc. ἀρχιερεύς, id eſt *ſummus Sacerdos*.

V. 11. DE QUO, ſcilicet Melchiſedech, vel Chriſto, vel Pontificatu. GRANDIS, id eſt copioſus, ſcilicet propoſitus eſt. ININTERPRETABILIS, id eſt difficilis explicatu. AUDIENDUM, id eſt capiendum.

V. 12. MAGISTRI, id eſt doctores. TEMPUS, ſcilicet quo eſtis in ſchola Chriſti. ELEMENTA EXORDII, id eſt prima rudimenta. SERMONUM DEI, id eſt inſtitutionis Chriſtianæ, vel ſacræ Scripturæ.

V. 13. ENIM; pro, autem. EXPERS, id eſt incapax. SERMONIS, id eſt inſtitutionis. IUSTITIAE, id eſt de iuſtitiæ perfectione.

V. 14. PRO CONSUETUDINE, id eſt per habitum mentis.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. OMNIS NAMQUE PONTIFEX. Dixerat Chriſtum eſſe Pontificem, & ut adiremus; nunc addit, etiam inter homines id eſſe Pontificis, ut offerat hoſtias pro peccatis, tùm populi, tum ſuis.

V. 4. NEC QUISQUAM SUMIT SIBI HONOREM. Non debet ſe intrudere, ſed conſtitui a Deo, aut per electionem.

V. 5. SIC ET CHRISTUS non honoravit ſe Pontificatu aſſumpto. SED QUI LOCUTUS: ſupple, illum clarificavit, honoravit. FILIUS MEUS ES TU; qui hoc illi dixit, ſcilicet Pater, fecit illum Pontificem. Quod autem ſit Pontifex, illa verba declarant:

V. 6. TU ES SACERDOS IN AETERNUM, non ut Levitici, ad tempus. SECUNDUM ORDINEM. Syr. *ſimilitudinem*, ad inſtar MELCHISEDECH, qui fuit Rex & Sacerdos, & alia habuit quæ in Chriſtum conveniunt.

V. 7. QUI, ſcilicet Chriſtus. IN DIEBUS CARNIS SUAE, dum vixit inter homines, & ipſe homo. PRECES, pro ſe, cum dixit: *tranſeat a me calix iſte*. Hoc illa verba explicant, *ad eum qui poſſit illum ſalvum facere a morte*. SUPPLICATIONESQUE pro aliis. CUM CLAMORE, id eſt magno affectu, aut quia vere clamavit in horto, etſi Evangeliſtæ id ſileant: clamavit in cruce, Matth. XXVII. 46. & 50. EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA. ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, ſcilicet aut active, qua Chriſtus Patrem eſt reveritus; aut paſſive, qua Pater Filium eſt reveritus.

V. 8. CUM ESSET FILIUS DEI: ſic Goth. at Græc. & Syr. vox *Dei* deeſt: ſic in Lovan. & Reg. Senſus: quamvis eſſet Dei Filius, ut homo tamen didicit obedientiam.

V. 9. ET CONSUMMATUS, id eſt perfectus, magnus evaſit apud eos qui illi obediunt, ſalutis ſuæ cupidi: tum a Patre vocatus

catus

catus eſt Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech.

V. 11. DE QUO, ſcilicet Melchiſedecho, aut Chriſto, aut de quo myſterio & argumento, GRANDIS SERMO, *πολὺς*, *multus*: multa dici poſſent. ET ININTERPRETABILIS, id eſt non accommodatus vobis, ut eum explicemus. QUONIAM IMBECILLES, aut *ſegnes* & *rudes*, *νωθροὶ*, ſacti eſtis: non capietis quæ dicentur.

V. 12. CUM DEBERETIS MAGISTRI ESSE PROPTER TEMPUS, id eſt ætatem; aut *propter tempus*, quod doctrinæ impenditis, opus eſt ut doceamini. QUAE SINT ELEMENTA. *Στοιχεῖα*, Alphabeti litteras ſignificat: ſic etiam elementa. Ergo opus eſt ut ad Alphabetarios redigamini ut pueri. Puer enim

V. 13. EXPERS EST SERMONIS IUSTITIAE, id eſt pueri Alphabetarii, & qui lacte opus habent, perfectiorem & altiorem doctrinam capere non poſſunt. *Sermonem iuſtitiæ* vocat, qui fit de perfecta iuſtitia, iuſtificatione, & ſanctitate.

MENOCHII.

Verſ. 1. PRO HOMINIBUS CONSTITUITUR IN IIS QUAE SUNT AD DEUM; id eſt, conſtituitur ut mediatorem agat inter Deum, & homines, & pro eis interpellet, eorumque curam habeat quæ ſunt apud Deum agenda. UT OFFERAT DONA. Dona ſunt quæ ſponte populus offert, cuiuſmodi erant hoſtiæ, quæ appellabantur pacificæ, Levit. III. 1. ET SACRIFICIA. Sacrificia, ſive victimæ ſunt quæ ex præſcripto legis pro peccatis offerebantur, de quibus Levit. IV.

V. 2. CONDOLERE. In Græco eſt, *μετριοπαθεῖν*; ille autem dicitur *μετριοπαθῶν*, qui non iraſcitur ob alterius peccata, ſed moderate, & ſubmiſſe ſe gerit, nec miratur, aut contemnit peccantem, ſed humaniter, & amice ſublevat, conſiderans fieri poſſe, ut & ipſe peccet, & ideo addidit, *quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate*. POSSIT, id eſt pronus, & facilis ſit ad condolendum. QUI IGNORANT: qui ex aliqua ignoratione peccant. ET ERRANT. In Græco eſt, *πλανωμένοις*, *ſeductis*, qui ſcilicet aliorum fraude in errorem inducuntur. ET IPSE CIRCUMDATUS EST INFIRMITATE: etiam ipſe ſuam infirmitatem circumfert, ſicut ceteri homines.

V. 4. NEC QUISQUAM SUMIT SIBI HONOREM, &c. Hoc etiam eſt veri Pontificis, eratque in uſu apud Hebræos olim, ut non qui vellet, ſed is quem Deus eligeret Pontifex eſſet. Elegit enim Deus Aaron, deinde eius filium natu maximum, & ſic deinceps.

V. 5. NON SEMETIPSUM CLARIFICAVIT: *ἐδόξασε*, *glorificavit*, extulit, non ſibi gloriam arrogavit, non ambivit munus hoc glorioſum Pontificatus. SED QUI LOCUTUS EST AD EUM, &c. ſed Pater illum glorificavit, & Pontificem elegit, ille, inquam, Pater, qui dixit ad eum: *Filius meus es tu*, &c. FILIUS MEUS ES TU, EGO HODIE GENUI TE. Eſt teſtimonium ſumptum ex Pſalm. II. 7. vide dicta ſupra I. 5. Senſus eſt; quaſi dicat, Mirari non debemus Chriſtum a Patre conſtitutum eſſe Pontificem, & Aaroni prælatum, quia Chriſtus eſt Filius Dei Patris.

V. 6. IN ALIO LOCO DICIT; hoc eſt, Pſal. CIX. 4. cum dicit Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem, id eſt ritum Melchiſedech, hoc ipſo præfert Chriſtum Aaroni, de quo plura diximus num. illo 4. Pſal. citat. CIX. quæ vide, ut etiam infra VII. 17.

V. 7. QUI IN DIEBUS CARNIS SUAE, id eſt dum in hac mortali carne viveret inter homines. PRECES, SUPPLICATIONESQUE: *δεήσεις*, id eſt *preces*, generale nomen eſt; *ἱκετηρία*, vero eſt ſupplicum precatio, qualis eſt eorum, qui ſe ad pedes abiiciunt eorum quos orant, aut genua tangunt, aut aliquid ſimile faciunt. AD EUM QUI POSSIT ILLUM SALVUM FACERE, &c. Videtur Apoſtolus loqui de oratione Chriſti in horto, & de oratione in cruce; ibi enim clamore valido clamavit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquiſti me*, & illud: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Hæc autem affert, ut probet Chriſtum Pontificem noſtrum circumdatum eſſe infirmitate noſtra, ideoque nobis facile condolere, & compati. ET LACRYMIS. Hinc patet Chriſtum in oratione habita in horto, & in cruce lacrymas fudiſſe, licet hoc non expreſſerint Evangeliſtæ. EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA. Reverantia hic active ſumitur,

ut ſit ſenſus: Exauditus eſt Chriſtus a Patre, quia reveritus eſt Patrem, quia reverenter, & obedienter erga Patrem ſemper omnia geſſit. Aliqui etiam ſumunt paſſive, ut ſit ſenſus: Tanta fuit eius reverentia erga Patrem, ut & ipſe Pater eum reveritus ſit, & quaſi pro reverentia non ſuſtinuerit quidquam illi negare.

V. 8. ET QUIDEM CUM ESSET FILIUS, &c. Senſus eſt, Cum eſſet Filius Dei, cui propterea immortalis, & gloria corporis, & exaltatio nominis ſui debebatur, pati voluit, & per paſſionem didicit obedientiam; id eſt, experimento cognovit vim, & præſtantiam obedientiæ, quam grata Deo ſit, & quanta bona conciliet, nam quod ei ut filio debebatur per obedientiam paſſionis meruit, & obtinuit.

V. 9. ET CONSUMMATUS: τελειωθεὶς, *perfectus*, *conſummatus eſt Chriſtus*, inquit Anſelmus, *cum conſummatis omnibus obedientiæ*, *patientiæ*, *& ſanctitatis actionibus clamavit in Cruce*, *conſummatum eſt*. OMNIBUS OBTEMPERANTIBUS SIBI: fidem, & legem Chriſtianam admittentibus.

V. 10. APPELLATUS, id eſt conſtitutus. IUXTA ORDINEM MELCHISEDECH: vide dicta verſ. *6*.

V. 11. DE QUO NOBIS GRANDIS SERMO; quaſi dicat, De Melchiſedech multa, & magna dicenda forent. INTERPRETABILIS: δυσερμήνευτος, id eſt *difficilis explicatu*. IMBECILLES: νωθροὶ, *ſegnes*, ignavi, negligentes.

V. 12. PROPTER TEMPUS. Pro longitudine temporis, quo tam in lege Moſis, quam in Chriſtianiſmo eſtis eruditi. ELEMENTA EXORDII SERMONUM DEI; id eſt, rudimenta, a quibus initium ſumitur inſtituendi homines in doctrina ſacra. ET FACTI ESTIS QUIBUS LACTE OPUS EST; id eſt, qui indigetis inſtructione ſimplicis, & puerilis doctrinæ. NON SOLIDO CIBO, id eſt non altiori, & perfectiori eruditione.

V. 13. QUI LACTIS EST PARTICEPS; id eſt, qui puerili inſtitutione, & doctrina eſt erudiendus. EXPERS EST SERMONIS IUSTITIAE: nondum capax eſt ſermonis, qui ſit de perfecta iuſtitia, & ſanctitate; hic enim ſolis perfectis convenit. PARVULUS ENIM EST, id eſt rudis in Chriſtianiſmo.

V. 14. SOLIDUS CIBUS, id eſt ſolida, & perfecta doctrina, & inſtitutio. QUI PRO CONSUETUDINE, &c. qui ſcilicet longo uſu, velut habitu comparato, mentem habent exercitatam ad diſcernendum in unaquaque re, quid bonum ſit, quid malum, verum, aut falſum.

TIRINI.

Verſ. 1. OMNIS PONTIFEX *pro* HOMINIBUS Deo reconciliandis CONSTITUITUR IN IIS negotiis QUAE APUD DEUM tranſigenda SUNT.

V. 2. QUI ſeductis CONDOLERE, compati, & ſuccurrere POSSIT, & ad id pronus ac facilis ſit *a*.

V. 4. NEC QUISQUAM SUMIT SIBI hunc Pontificatus HONOREM, SED QUI VOCATUR A DEO, v. g. ſicut AARON præ Moyſe, Eleazar præ Ithamare & aliis fratribus ſuis, Heli abnepos Ithamaris præ nepotibus Eleazari, Sadoc e poſteris Eleazari præ Abiatharo Ithamaræo *b*, &c.

V. 5. SIC ET CHRISTUS NON SEMETIPSUM CLARIFICAVIT: ἐδόξασε, id eſt *glorificavit*, ſeu gloriam Pontificatus ſibi arrogavit aut ambivit; SED a Patre dignitatem hanc accepit, ut pote filius *c* eius naturalis & unigenitus.

V. 6. SACERDOS IN AETERNUM, SECUNDUM ORDINEM, ſeu ritum, MELCHISEDECH, de quo alibi *d*.

V. 7. QUI IN DIEBUS CARNIS SUAE, id eſt tempore vitæ mortalis, maxime vero in horto *e* & in cruce *f*, ut palam nobis faceret, circumdatum ſe noſtra infirmitate, OFFERENS PRECES Deo Patri, QUI POSSIT, velit, pronus ſit *g*, ILLUM SALVUM FACERE, id eſt eximere vel reſuſcitare A MORTE; offerens, inquam, non frigide vel tepide, ſed calidiſſime ac ferventiſſime CUM VALIDO CLAMORE ET LACRYMIS (, etſi id ſiluerint Evangeliſtæ,) EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA: ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, id eſt *propter reverentiam* ſuam, ut fere omnes interpretes vertunt: ἀπὸ enim ſæpe pro διὰ uſurpatur *h*. Et εὐλάβεια proprie ſignificat *reverentia* vel timorem reverentialem *i*. Et poteſt hic accipi vel active pro *reverentia* qua Chriſtus Patrem ſemper proſecutus eſt: vel paſſive pro *reverentia* qua Pater ipſum proſequebatur, utpote conſubſtantialem ſibi Filium, qui ſanguine ſuo divino (re utique-

que-

Digitized by Google

que infiniti pretii) quidvis promerebatur, inquit S. Chryſoſt. Theophyl. & Oecumen.

V. 8. EX IIS QUAE PASSUS EST, experimentaliter DIDICIT, & novo atque exactiore modo k expertus eſt & exercuit OBEDIENTIAM, id eſt virtutem, & laborem arduum obedientiæ, inquit Photius & Anſelmus.

V. 9. ET CONSUMMATUS, id eſt conſummatis omnibus obedientiæ, patientiæ, caritatis partibus, FACTUS EST CAUSA SALUTIS OMNIBUS SIBI credentibus & OBTEMPERANTIBUS: ita S. Anſelmus.

V. 10. APPELLATUS, denominatus, conſtitutus A DEO ſummus PONTIFEX noſter, IUXTA ORDINEM NON *Aaronis*: ſed *Melchiſedeci*.

V. 11. DE QUO Melchiſedeco GRANDIS NOBIS reſtat SERMO, ſeu diſcurſus, ET ININTERPRETABILIS AD DICENDUM, id eſt difficillimus explicatu, propter indiſpoſitionem & incapacitatem veſtram: ita Syrus & Patres Græci. Et hæc ex parte cauſa eſt cur hic non explicet Paulus qua ratione panis & vinum Melchiſedeci l fuerint typus Euchariſtiæ, de quo infra m.

V. 12. CUM ENIM DEBERETIS MAGISTRI ESSE PROPTER diuturnum TEMPUS quo Deo ſerviſtis ſive in lege Moſaica, ſive in Chriſtianiſmo; RURSUM INDIGETIS UT DOCEAMINI ELEMENTA EXORDII SERMONUM DEI, id eſt prima rudimenta doctrinæ Evangelicæ quæ mox vocat *lac n*, id eſt puerile ac facile alimentum: altiorem vero ac ſublimiorem doctrinam vocat *ſolidum* adultorum *cibum*, inquit S. Anſelmus.

V. 13. QUI ENIM adhuc LACTIS EST PARTICEPS; id eſt, qui prima ac puerili inſtitutione adhuc indiget, EXPERS EST, *ἄπειρος*, id eſt inexpertus, rudis, incapax SERMONIS IUSTITIAE, id eſt doctrinæ quæ de perfecta iuſtitia ſanctitateque Chriſtiana traditur perfectioribus.

V. 14. QUI longo uſu & CONSUETUDINE, ſeu diſcendi, ſeu docendi, iam EXERCITATOS HABENT SENSUS, intellectum & mentem ad diſcernendum in quaque re, quid bonum ſit, quid malum; quid verum, quid falſum; quid ſolidum, quid vanum: ita Theophyl. & Anſelmus.

(a) Hic cap. II. 18. & IV. 15.
(b) Chronici XIII. claſſe 2. &c.
(c) Pſal. II. 7. & Pſal. CIX. 4. &c.
(d) Ibid. & hic cap. VII. 7.
(e) Matt. XXVI. 39.
(f) Cap. XXVII. 46.
(g) Hic verſ. 2. &c.
(h) Actor. XVIII. 14. & Lucæ XXII. 45.
(i) Sap. XVII. 18.
(k) Hic cap. II. 17.
(l) Gen. XIV. 18.
(m) Hic cap. VII.
(n) I. Cor. III. 2.

GORDONI.

Verſ. 1. PLene hoc capite tranſit a præcellentia Chriſti ſupra Moſen in ducatu & legiſlatione, ad excellentiam in Pontificatu ſupra Aaronitam. Oſtendit vero Chriſtum eſſe verum Pontificem, quod propoſuit in fine præcedentis capitis. Ponit ergo initio tres conditiones veri Pontificis, unde reſultat plena Pontificis definitio; & cum illæ conveniant Chriſto, ſequitur ipſum eſſe vere Pontificem. Illud ponitur ut fundamentum, debere eſſe hominem. Sequuntur alia tria; primo, ut ſit electus, & non ſe ingerat, verſ. 4. Secundo, conſtitutus ut mediator, qui offerat dona & ſacrificia pro peccatis, verſ. 1. Tertio, ut ſit proclivis natura ad miſerandum, verſ. 2. ubi ſubindicatur prudentia & aliæ virtutes requiſitæ. Porro ſub hoc membro comprehendit aliud (quod eſt verſ 5.) ut pro ſe offerat.

Quæ ſunt hic verſu 1. dona? Illa quidem quæ ſponte offerebantur, ut hoſtiæ pacificæ, Levit. III. 1. Sacrificia continebant victimas, quæ ex legis præcepto offerebantur pro peccatis. Vide Levit. IV. & quæ præfatus ſum ad initium Exodi.

V. 5. & 6. SIC ET CHRISTUS. Incipit dotes illas Pontificum accommodare Chriſto. Ille inquit, ab alio electus eſt ſacerdos; nempe a Patre, Pſal. II. 7. & iterum ex Pſalmo. CIX. 4. *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Vide illa loca ibidem explicata, & hic cap. VII.

V. 7. QUI IN DIEBUS CARNIS. Hoc eſt, id diebus vitæ ſuæ mortalis & paſſibilis. Hoc ſecundum eſt competens ſacerdotii, fuitque in Chriſto. Oſtendit hic Paulus cumulate hoc factum eſſe a Chriſto. Nam commodo aliorum, ut mediator proſpexit. PRECES, præſertim in horto & cruce deſignat ex Matth. XXVII. AD EUM qui poſ-

ſet

ſet eum ſalvum facere. Oſtendit Chriſtum etiam pro ſe oraſſe (in quo componit Chriſtum cum ceteris ſacerdotibus) non tamen pro ſe obtulit ſacrificium. EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA. Hoc eſt, quia ſanctè & reverenter ſe geſſit erga Patrem. Exauditus porro pro nobis, immo & pro ſe. Nam quamvis petierit liberari, tamen naturali voluntate factam petitionem correxit, & petiit, ut fieret voluntas Patris, obiret mortem, & hac paſſione ſua mundum redimeret. De oratione Chriſti ex metu damnationis, eſt blaſphemia Calvini, quam refutavi Matth. XXVII. 46.

V. 8. & 9. ET QUIDEM CUM ESSET FILIUS DEI. Hoc tertium eſt, quod præmiſit de aliis ſacerdotibus, nimirum Chriſtum eſſe propenſum ad miſerandum, omnique virtute requiſita comparatum eſſe ad ſublevandum. Et quidem ut homo didicit experimento exercere obedientiam, tum in his quæ Pater imperavit; tum in aliis laboribus perferendis pro ſalute hominum. Et per paſſiones conſummatus factus eſt volentibus auctor ſalutis. En Pontifiem bene comparatum ad compatiendum.

V. 10. APPELLATUS A DEO. Ergo vere dictus a Deo (Pſal. CIX.) Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech, ut ibidem declaravi. De quo multa, inquit, dicenda occurrunt, ardua, & δυσερμήνευτα, interpretatu difficilia, apud vos qui infirmi, & incepti eſtis ad audiendum & percipiendum, quod vobis annunciatur. Nam cum ratione temporis deberetis iam eſſe doctores, & veterani, adhuc eſtis rudes, & velut pueri, nutriendi non ſolido cibo, ſed lacte. Sic eos reprehendit ut rudes & negligentes in Chriſtiana vita & religione.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Non intendit de primis fidei initiis tractare, quandoquidem rebaptizari nequeunt qui poſt ſuſceptum Baptiſmum rurſum in peccata relabuntur, immo timenda illis eſt æterna maledictio: conſolando autem Hebræos hortatur ut Abrahæ longanimitatem imitantes, reddant ſe participes eorum quæ iureiurando promiſit illi Deus.

1. QUapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, * ad perfectiora feramur, non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, 2. baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicii æterni. 3. Et hoc faciemus, ſi quidem permiſerit Deus. 4. (*a*) Impoſſibile eſt enim, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, 5. guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, 6. & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. 7. Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur; accipit benedictionem a Deo, 8. proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cuius conſummatio in combuſtionem. 9. Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur. 10. Non enim iniuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis. 11. Cupimus autem unumquemque veſtrum eamdem oſtentare ſolicitudinem, ad expletionem ſpei uſque in finem: 12. ut non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promiſſiones. 13. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per ſemetipſum, 14. dicens: (*b*) Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. 15. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. 16. Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt iuramentum. 17. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit iuſiurandum: 18. ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: 19. quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam: & incedentem uſque ad interiora velaminis: 20. ubi præcurſor pro nobis introivit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus in æternum.

(a) Mat. xii 49. II. Pet. ii. 20. Infra x. 26. (b) Gen xxii. 16.

BRU-

Digitized by Google

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 1. Ad perfectiora feramur. Non eſt ſcribendum nmen ſubſtantivum *perfectionem* loco adiectivi *perfectiora*.

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verſ. 1. 2. & 3. **Qua propter intermittentes,** &c. Quum eos arguiſſet tamquam parvulos, & infantes, ne animum deſponderent tamquam altioribus diſciplinis indigni; nunc hortatur eos, ut omiſſis elementis ad perfectiorem diſciplinam ferantur. Omittentes ergo **inchoationis Christi sermonem**, id eſt initialem de Chriſto ſermonem, hoc eſt, elementa, & primordia Chriſtianæ fidei, ad perfectionem huius doctrinæ, & ſermonis de Chriſto feramur: vel omiſſis elementis fidei qua ſatis inſtructi ſumus, feramur ad imitandam Chriſti perfectionem: inchoatio enim & fundamentum, inquit Chryſoſtomus, eſt fides, ſine qua apprehendi boni nihil poteſt: ſed hic immanendum non eſt, non minus quam puero in prioribus elementis, ſed ad perfectionis apicem contendendum. Photius autem exponit quæ ſint iſta ſermonis de Chriſto initia, & quæ perfectio. *Sermo* ergo initii de *Chriſto*, ſive initialis de fide Chriſti ſermo, eſt per pœnitentiam renuntiare Satanæ, credere in Deum, baptizari, doceri Evangelium eſſe a Deo, Spiritum Sanctum accipere, noſſe reſurrectionem mortuorum, credere futurum iudicium. Perfectio autem eſt poſt pœnitentiam initialem, & inſtructionem in fide ac baptiſmum in virtutibus promovere, perſecutiones & tentationes patienter ferre, quantum humana fert infirmitas, Chriſti divinitatem comprehendere. Senſus ergo huius loci hic eſt: Omittamus iſta fidei elementa, & ad perfectiorem, ac ſolidiorem morum, ac fidei doctrinam feramur: neque rurſum **fundamentum** iaciamus **poenitentiae**, &c. id eſt, neque iam de innovanda per pœnitentiam vita vos moneamus, ut ab operibus mortuis peccati per pœnitentiam recedatis: id enim iam feciſtis, & facere ſatis eſtis inſtructi: neque fundamentum fidei ad Deum iaciamus, id eſt neque vos tamquam tyrones in fide erudiamus, qui iam dudum inſtructi eſtis. Neque iaciamus fundamentum **baptismatum**; id eſt, neque vos doceamus baptizari, qui iam baptizati eſtis, nec baptizari iterum poteſtis, *neque* **doctrinae**; id eſt, neque vos doceamus evangelium eſſe a Deo; id enim noſtis, neque **impositionis manuum**; id eſt, neque denuo de Spiritus ſancti gratia, quæ per impoſitionem manuum in baptiſmo confertur, vobis differamus; non enim indigetis: neque de reſurrectione mortuorum, neque de æterno iudicio. Omittamus ergo, inquit, de huiuſmodi omnibus quæ ſunt initia fidei Chriſtianæ vobis verba facere, ne fundamentum novum iacere videamur, hæc vos elementa fidei docentes: ſed ad perfectionem feramur, de perfectioribus vos inſtituentes, ſcilicet de affictionibus patienter ferendis, de Chriſti æterno ſacerdotio, & eius divinitate verba facientes; **et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus**: hoc enim referendum eſt ad id quod præceſſit, ad perfectionem feramur, ſic enim connectit Photius.

V. 4. 5. & 6. **Impossibile est enim.** Quoniam per baptiſmum ad novam vitam immutamur, erant qui confidentius peccarent, ſperantes poſt diu ductam in peccatis vitam, rurſus per baptiſmum innovatum, & omnia ſibi condonatum iri. Itaque quemadmodum in lege plura erant ſiguralium baptiſmatum, & lavacrorum genera; ita plures in Chriſto baptiſmos faciebant: contra quos hæc ſcribens Paulus: *Impoſſibile eſt*, inquit, **eos, qui semel illuminati sunt**, id eſt baptizati ſunt. Nam veteres ſacramentum baptiſmi ſacramentum φωτισμάτων, id eſt *illuminationum*

vo-

Digitized by Google

vocant]. GUSTAVERUNT ETIAM DONUM CAELESTE, ET PARTICIPES FACTI SUNT SPIRITUS SANCTI; id eſt, remiſſionem peccatorum, & Spiritus ſancti gratias in baptiſmo acceperunt; GUSTAVERUNT NIHILOMINUS BONUM DEI VERBUM, ſcilicet vel quam ſuavis Dominus his qui diligunt eum: vel Evangelicam doctrinam, VIRTUTESQUE VENTURI SAECULI, ſcilicet & reſurrectionem, & æternum iudicium, in quo vitæ noſtræ rationem reddituri ſumus. Qui guſtaverunt ergo virtutes venturi ſæculi, id eſt æterna ſupplicia, & præmia fixa habent in animo. Impoſſibile eſt ergo eos qui hæc guſtaverunt, & nihilominus PROLAPSI SUNT, RURSUM RENOVARI AD POENITENTIAM. Non ait impoſſibile eſt pœnitere, ſed renovari ad pœnitentiam, pœnitentiam, inquam, baptiſmatis, ut inquit Cyrillus; nam de ea intelligi ſatis indicat verbum ἀνακαινίσεως, id eſt *renovationis*; quando per ſolum baptiſmum vere innovamur ab omni proſus culpa, & pœna liberi: & de ea quoque pœnitentia intelligi indicat locus ſequens, RURSUM CRUCIFIGENTES SIBIMETIPSIS FILIUM DEI ET OSTENTUI HABENTES. Baptiſmus enim eſt nobis vice crucis Chriſti; quia ſicut Chriſtus ſemel crucifixus, peccata omnia noſtra abſtulit, ita baptiſmus in virtute crucis Chriſti, cuius eſt ſimilitudo, ſemel collatus ab omnibus nos delictis abluit. Sicut enim Chriſtus ſemel crucifixus & mortuus, nunquam iterum moritur; ita ſemel baptizatus in Chriſto numquam iterum baptizatur; quem qui iterare cupit, quantum in ſe eſt, Chriſtum rurſus ſibi crucifigi cupit, exiſtimans crucem Chriſti primo baptiſmo ſemel applicatam, non fuiſſe ſufficientem: & quantum in ſe eſt, oſtentui habet Chriſtum, & deriſioni. Id enim ſignificat verbum παραδειγματίζοντες, id eſt *ludibrio habentes*. Sunt qui hunc locum, nec male, interpretantur de peccato & blaſphemia in Spiritum ſanctum, quæ eſt recta Deum & agnitam veritatem impugnare, & peccatum etiam affectatæ incredulitatis, de quo peccato Ioannes in prima canonica, capite quinto: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis: vel quum quis deſtinata malitia nulla re illectus peccat, & de eo dicit Paulus, *quod impoſſibile eſt*, id eſt admodum difficile renovari ad pœnitentiam, quod hi pene a Deo deſerantur.

V. 7. & 8. TERRA ENIM SAEPE VENIENTEM. Hic locus magis quadrat cum expoſitione quæ impoſſibile pro difficile ſumit, ut difficilimum ſit eos qui tot bona receperunt, ex certa propriaque malitia peccantes, & in Spiritum ſanctum blaſphemantes, redire ad pœnitentiam: quod probat parabola terræ frugiferæ ac ſterilis, quia terra bona quæ ſuperne imbri recepto herbam bonam cultoribus ſuis generat, a Deo benedicitur: quæ autem tribulos ac ſpinas ſufficienter ac large ſuſcepta pluvia profert, reprobata eſt agricolis, atque adeo maledictioni propinqua; ut ſi pergat in ea ſterilitate, nihil aliud ſuperet, niſi ut eam ignis devoret; hoc eſt, quod ait, CUIUS CONSUMMATIO IN COMBUSTIONEM. Terra bona, anima bona eſt, quæ ſupernam ac cæleſtem pluviam vel gratiæ, vel prædicationis recte excipiens, herbam bonam germinat culto tibus ſuis, id eſt prædicatoribus. Terra autem mala, cui imber ſupernus non prodeſt, ſeu ſpinas tantum profert ac tribulos, anima eſt perverſa, quæ Spiritus ſancti munitionibus, & prædicatione neglecta, opera tantum peccati profert & emittit, & hanc toties imbræ prædicationis compluatam, totieſque negligentem, & infructiferam permanentem, certum eſt eſſe maledictioni æternæ proximam: quod ſi in ea ſterilitate permanſerit, finis eius eſt æterna combuſtio.

V. 10. 11. & 12. CONFIDIMUS ENIM, &c. His verbis conſolatur eos; quaſi dicat: Non hoc dico quod vos putem combuſtioni proximos, neque enim iniuſtus eſt Deus ut obliviſcatur operis veſtri & caritatis, quam in omnes ſanctos oſtendiſtis, & nunc quoque oſtenditis: quia autem qui perſeveraverit in finem, hic ſalvus erit, ſubdit: *Cupimus vos eandem oſtendere ſolicitudinem*; id eſt, idem ſtudium, eundem ſervorem, ad expletionem ſpei uſque in finem, ut vos nequaquam a ſpe in æternam requiem introeundi excidiſſe doceatis: UT NON SEGNES EFFICIAMINI; id eſt in benefaciendo deſides, verum imitatores eorum qui fide & patientia hæreditant promiſſiones. Quoniam enim valde affligebantur, nec patebat conſolatio proxima, conſolatur dicens: imitatores eſtote patrum veſtrorum qui iam hæreditant promiſſiones ſibi

ſibi factas. Græce enim eſt, *non hæreditabunt*, in futuro, ſed κληρονομούντων, id eſt *hæreditantium*; hoc eſt, qui iam hæreditatem ſortiuntur factam ſibi promiſſionem, verum in fide & patientia, quum longanimes fuerint in expectando. Ex longa enim expectatione probatur fides hominis & patientia, quam diutius habentes multi ex veſtris maioribus, hæreditatem tandem promiſſionum factarum ſunt conſequuti: unum autem ex omnibus opponit Abraham, dicens:

V. 13. ABRAHAE NAMQUE. Quod Deo in immolatione filii paruiſſet Abraham, promiſſiones illi fecit his verbis, Genes. XXII. *Per memetipſum iuravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non peperciſti unigenito filio tuo, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum*. &c. *& benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*. In verbis autem Pauli Hebræorum more τὸ *niſi*, affirmantis magis eſt particula quam dubitantis. Huiuſmodi ergo promiſſionem Abrahæ factam, cui vel ſimplici credi debuerat, iuramento confirmavit Deus. Quod ſi promiſſionem hominis iuſiurandum firmat ac ſtabilit, ut eo intercedente ceſſet omnis apud iudicem controverſia; longe ſtabilior eſt Dei promiſſio quam iuramento firmavit per ſemetipſum iurans, quum alium non haberet per quem iuraret, maiorem. IN QUO, id eſt in quibus verbis volens Deus abundantius immobilitatem conſilii ſui ac propoſiti HAEREDIBUS POLLICITATIONIS, id eſt his qui hæredes futuri ſunt promiſſionis factæ Abrahæ, oſtendere, UT PER DUAS RES IMMOBILES ſive immutabiles, QUIBUS, id eſt in quibus impoſſibile EST MENTIRI DEUM, ſcilicet per promiſſionem & per iuramentum illi accedens, FORTISSIMUM SOLATIUM HABEAMUS, ſi quando nonnihil differri promiſſionem videmus. Ut, inquam, ſolatium habeamus, nos QUI CONFUGIMUS AD SPEM PROPOSITAM TENENDAM. Græce, εἰς τὸ κρατῆσαι, id eſt ad apprehendendam ſpem æternæ hæreditatis nobis in Abrahæ promiſſione propoſitam: QUAM SICUT ANCHORAM ANIMAE TUTAM AC FIRMAM HABEMUS. Spes enim huius hæreditatis inter afflictiones ac mundi huius fluctuationes, eſt animæ noſtræ velut anchora, retinens eam ne vel in adverſitatibus ad imum deſperationis barathrum deiiciatur, neve proſperitatibus in altum ſuperbiæ evehatur. Et quam ſpem, inquit, habemus INCEDENTEM USQUE IN INTERIORA VELAMINIS. Alludit hoc loco Paulus ad velum quod in lege erat ante ſancta ſanctorum. Ipſa autem ſancta ſanctorum ſecreta regni cælorum ſignificant, & velum ante oppoſitum, cælum ſignificat. Hoc ergo potiorem Hebræorum Chriſtianorum conditionem facit Paulus, quam olim veterum in lege, quibus non licebat in ſancta ſanctorum introſpicere. Ipſi autem per ſpem ſibi in Abrahamo propoſitam incedunt, & inſpiciunt uſque in interiora velaminis, id eſt intima regni cæleſtis præmia, atque in his iam ſpe habitant, UBI, inquit, id eſt in quæ interiora, PRAECURSOR PRO NOBIS INTROIVIT IESUS. Si ergo ille præcucurrit nobis viam facturus, & nos indubie ſequuturi ſumus. Introivit autem conſtitutus a Deo patre & FACTUS IN AETERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH PONTIFEX, tanto præſtantior, ac nobis utilior quam legis olim pontifices; quod ii ſemel tantum in anno ſancta ſanctorum introibant, neque alios ſecum admittebant; Chriſtus autem in æternum ibi habitat, ac nobis quo ſequeremur, viam præcucurrit, quaque pergeremus, pontem effecit. Advertendum autem quod promiſſionis Abrahæ duplici de cauſa hoc loco meminit. Primum ut promiſſionis in Chriſto illos doceret eſſe participes, ſiquidem veſtigia patris ſui Abrahæ, id eſt fidem imitari vellent. Deinde ut non deſperarent dilatione promiſſorum, ſed per fidem & patientiam, ſe tandem ſperarent adepturos, ſicut de Abraham dicit. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem, quia (quod illi promiſſum erat) in temporalibus & ſpiritualibus benedictionem Dni expertus, & ſemen illius hæredem ſui agnovit. Aliæ autem promiſſiones in Chriſto ac per Chriſtum in nobis ſunt impletæ.

S A.

Verſ. 1. INTERMITTENTES, id eſt omittentes interim. INCHOATIONIS, id eſt in principio ſolitum tradi, ſcilicet fidei rudimenta. CHRISTI, id eſt de Chriſto. PERFECTIORA, id eſt perfectiorem, ſeu altiorem diſputationem, vel vitam perfe-

ſtio-

ctiorem. AB OPERIBUS MORTUIS, id eſt de peccatis animam interimentibus, vel quæ animæ mortuæ faciunt. AD; pro, in.

V. 2. BAPTISMATUM, id eſt de Baptiſmo. IMPOSITIONIS, ſcilicet in Confirmationis Sacramento.

V. 3. HOC, ſcilicet ferri ad perfectionem. PERMISERIT, id eſt conceſſerit.

V. 4. IMPOSSIBILE, ſcilicet niſi Deo concedente. ILLUMINATI, id eſt baptizati. SANCTI, ſcilicet per gratiam.

V. 5. DEI VERBUM, id eſt Chriſti doctrinam. VIRTUTESQUE, id eſt potentiam Dei, quam in Sanctis oſtendet, ſcilicet per immortalitatem, & gloriam.

V. 6. PROLAPSI, ſcilicet gravi aliquo peccato. AD; pro, per. CRUCIFIGENTES, &c. quaſi dicat, Cum per peccatum Chriſtum in ſe viventem, velut crucifixerint. OSTENTUI, id eſt ludibrio.

V. 7. TERRA, id eſt anima. IMBREM, ſcilicet gratiæ.

V. 8. SPINAS, &c. id eſt peccata. MALEDICTO, id eſt ſupplicio. CONSUMMATIO, id eſt finis.

V. 10. IN NOMINE IPSIUS, id eſt *propter ipſum*.

V. 11. EAMDEM, ſcilicet quam hactenus. OSTENTARE, id eſt oſtendere. EXPLETIONEM, id eſt complementum, ſeu perfectionem. FINEM, ſcilicet vitæ.

V. 12. UT; pro, ſic ut. PROMISSIONES, id eſt promiſſa bona.

V. 14. NISI; pro, certe. Omiſit autem Paulus iuramentum, de quo Gen. XXII. vel ſub hac particula intellexit: habet enim Hebr. formam iuramenti.

V. 15. SIC: abundat, more Hebr. REPROMISSIONEM, id eſt promiſſum a Deo.

V. 16. SUI, id eſt ſe. CONFIRMATIONEM, ſcilicet veritatis.

V. 17. POLLICITATIONIS, id eſt promiſſi.

V. 18. DUAS, ſcilicet promiſſionem, & iuramentum. CONFUGIMUS, præteritum eſt. SPEM, id eſt rem ſperatam, vel ſpei virtutem tenendam, id eſt retinendam.

V. 19. AD INTERIORA, id eſt quæ intra velum, ſcilicet cæleſtia, quæ occulta.

MARIANAE.

Verſ. 1. INTERMITTENTES INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, id eſt rudimenta Chriſtianæ doctrinæ. Dixerat eos eſſe incapaces altioris myſterii; nunc nihilominus pergit illud explicare, hortaturque ut relictis rudimentis ad perfectiora tendant, non iacientes fundamentum POENITENTIAE. Hæc ſunt redimenta quæ relinqui vult, converſio ab operibus malis, fides qua in Deum credebant, doctrina de Baptiſmo, impoſitio manuum, doctrina de mortuorum reſurrectione & iudicio extremo, quod *æternum* vocat, quia immutabile. Hæc omnia miſſa facit, ut ad altiora cum Dei auxilio feratur.

V. 3. ET HOC FACIEMUS, ſcilicet ad maiora pergemus relictis rudimentis. Vult agere de ſacerdotio Chriſti.

V. 4. IMPOSSIBILE EST ENIM. Quare de baptiſmo non agit? quia baptizati iam erant, nec iterum baptizari poterant. QUI SEMEL SUNT ILLUMINATI, id eſt *baptizati ſunt*, ut Syr. explicat. Dionyſius etiam de Eccleſ. Hierar. cap. III. Baptiſmum vocat φωτισμόν, id eſt *illuminationem*: vocant alii Patres, quia in eo fide illuminamur. DONUM CAELESTE guſtarunt: ſic gratiam Spiritus ſancti vocat, & peccatorum remiſſionem.

V. 5. GUSTAVERUNT NIHILOMINUS, id eſt etiam. DEI VERBUM, Evangelicam doctrinam. VIRTUTESQUE SAECULI VENTURI, id eſt cæleſtis felicitatis notitiam habuerunt.

V. 6. RURSUS RENOVARI AD POENITENTIAM, ſcilicet Baptiſmi, nam de eo agit, non de ſubſequenti poſt Baptiſmum pœnitentia, quod verbum *renovari* indicat: nam per Baptiſmum innovamur. RURSUM CRUCIFIGENTES. Per Baptiſmum commorimur Chriſto, & ipſe in nobis commoritur: ſi denuo baptizemur, Chriſtus denuo in nobis moreretur. Quod fieri nequit, quia *ſemel Chriſtus mortuus eſt*: I. Petr. III. 18.

V. 7. TERRA ENIM. Erant qui ſpe novi Baptiſmi licentius viverent. Hos terræ exemplo redarguit, qui accepto Baptiſmatis imbre, ſpinas tamen & tribulos, id eſt varia vitia proferebant.

V. 9. CONFIDIMUS. Mitigat increpa-

Digitized by Google

tionem, ne acerbitate eius amplius offendantur.

V. 10. NON ENIM INIUSTUS, ſcilicet eſt, DEUS, UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI, id eſt meritorum & bonorum quæ SANCTIS, id eſt fidelibus contulitis.

V. 11. CUPIMUS AUTEM. Hæc dicimus, ut in bono perſeveretis. OSTENTARE, ſive *oſtendere* eamdem ſolicitudinem quam ante. AD EXPLETIONEM, *πληροφορίαν*, *certitudinem plenam* SPEI, quam ſcilicet habetis. USQUE IN FINEM. Iunge cum verbo, *oſtentare uſque in finem*, id eſt ſemper. Ut imitemini eos qui promiſſiones

V. 12. HEREDITABUNT. Græc. *hereditant*. Syr. *hereditarunt*; ſed perinde eſt. Sententia eadem quocumque modo. Quæ ſcilicet promiſſiones certæ ſunt, quippe Dei iuramento confirmatæ.

V. 13. ABRAHAE: quod promiſit Deus, iuramento confirmavit: Gen. nempe XXII. 16. poſtquam voluit immolare Iſaac, dixit ei:

V. 14. NISI; pro, certe benedicam te iuravitque. Quid Abraham?

V. 15 LONGANIMITER FERENS, id eſt patienter expectans, adeptus eſt promiſſionem. Dixerat verſ. 12. *qui fide & patientia hereditarunt promiſſiones*: nunc ſignificat talem fuiſſe Abraham.

V. 16. PER MAIOREM SUI; quaſi dicat, Deus ſe maiorem non habuit, ſic iuravit per ſemetipſum.

V. 18. UT PER DUAS RES, ſcilicet promiſſionem & iuramentum, ſolatium habeamus & ſpem:

V. 19. QUAM SICUT ANCHORAM, ne ſcilicet fluctuemus dubitationibus. INCEDENTEM, ſcilicet ſpem. USQUE AD INTERIORA VELAMINIS, id eſt cæleſtem gloriam. Alludit ad velum quod ante Sancta ſanctorum prætendebatur, nec ulli licebat ultro ingredi. Nobis autem cælum ingredi datur, quod per Sancta ſanctorum ſignificabatur: Chriſtus enim pateſecit aditum.

V. 20. UBI PRAECURSOR. Ille prior introivit, ut nos ſequamur. PONTIFEX FACTUS; ut ſcilicet in cæleſti templo Pontificis officio in æternum pro nobis apud Patrem fungeretur. *Pontifex*, inquam, *ſecundum ordinem Melchiſedech*. De quo mox.

MENOCHII.

Verſ. 1. INTERMITTENTES: omittentes. INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, id eſt rudimenta Chriſtianiſmi. AD PERFECTIORA FERAMUR. Proponamus dogmata perfectiora: nominatim de Melchiſedech, eiuſque ſacerdotio, tamquam typo ſacerdotii Chriſti. NON RURSUM IACIENTES FUNDAMENTUM POENITENTIAE, &c. id eſt, non rurſum vobis tradentes doctrinam religionis Chriſtianæ fundamentalem, quæ eſt de pœnitentia, fide, &c. quaſi dicat: Hæc vobis ab initio tradita ſunt, nec ſunt modo repetenda, ſed potius ad altiora progrediendum. POENITENTIAE AB OPERIBUS MORTUIS, id eſt a peccatis, quæ non modo non proſunt ad vitam æternam, ſed ab illa etiam excludunt.

V. 2. BAPTISMATUM DOCTRINAE. Neque ſunt repetenda illa rudimenta, quæ tradi ſolent rudibus, qualis eſt doctrina explicans vim baptiſmi, &c. Dicit baptiſmatum in plurali, propter trinam baptizandorum merſionem in fontem baptiſmalem. IMPOSITIONIS QUOQUE MANUUM, id eſt ſacramenti confirmationis: IUDICII AETERNI: iudicii extremi, in quo feretur ſententia de tota æternitate beata, vel miſera cuiuſque hominis.

V. 3. ET HOC FACIEMUS: ut ſcilicet de perfectioribus agamus.

V. 4. IMPOSSIBILE EST; id eſt, difficillimum eſt, & ordinarie non fit. EOS QUI SEMEL SUNT ILLUMINATI: eos qui inſignia lumina, & dona cæleſtia a Deo acceperunt. GUSTAVERUNT ETIAM DONUM CAELESTE: divinarum conſolationum, & deliciarum ſpiritualium. ET PARTICIPES FACTI SUNT SPIRITUS SANCTI, id eſt donorum, & chariſmatum ſancti Spiritus.

V. 5. GUSTAVERUNT, &c. qui doctrinam cæleſtia bona promittentem cum ſuavitate, & gaudio perceperunt. VIRTUTESQUE SAECULI VENTURI. In Græco eſt, *δυνάμεις*, id eſt *potentias*, ſignificare videtur immortalitatem, & gloriam electis promiſſam in regno Chriſti. Vocantur autem virtutes, quia Dei virtus, & potentia, per ea mirifice declaratur. Guſtaſſe, dicuntur has virtutes, qui eas fide, amore, & deſidero perceperunt.

V. 6. ET PROLAPSI SUNT; id eſt, poſt hæc

hæc omnia, poſt tanta dona, lumina, ſuavitates, & dulcedines in apoſtaſiam a fide prolapſi ſunt. RURSUS RENOVARI AD POENITENTIAM, id eſt per pœnitentiam. RURSUM CRUCIFIGENTES SIBIMETIPSIS FILIUM DEI. Qui in peccata iterum relabitur dicitur Chriſtum iterum crucifigere, quia quantum eſt in ſe novo peccato dat novam cauſam crucis, & mortis Chriſti; facit enim rurſum id, propter quod Chriſtus crucifixus eſt. ET OSTENTUI HABENTES: *παραδειγματίζοντας*, id eſt paradigma, & exemplum ſtatuentes, quod ab omnibus videatur, & contemnatur; irriſioni, & ludibrio crucis exponentes.

V. 7. TERRA ENIM, &c. Hac terræ ſimilitudine ſignificat Apoſtolus homines, qui imbrem gratiæ divinæ excipiunt, eique cooperantes fructus bonorum operum producunt, a Deo benedici, id eſt maiori gratiæ, & conſolationis cæleſtis influxu, virtutum, & meritorum copia cumulari. HERBAM OPPORTUNAM: *εὔθετον*, id eſt utilem, & accommodam, qualem agricolæ volunt.

V. 8. PROFERENS AUTEM SPINAS, ET TRIBULOS; ſcilicet peccatorum. REPROBA EST: *ἀδόκιμος*, quæ omnibus diſplicet, & quam omnes reiiciunt, & improbant. ET MALEDICTA PROXIMA. Parum abeſt quin illi Deus maledicat, quomodo ficui maledixit dicens: *Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum:* Matth. XXI. CUIUS CONSUMMATIO IN COMBUSTIONEM; hoc eſt, cuius finis erit combuſtio. Ita homo qui fructum non tulerit maledicetur, & in ignem æternum comburendus mittetur.

V. 9. CONFIDIMUS AUTEM DE VOBIS DILECTISSIMI MELIORA; quaſi dicat, Non hæc dixi quod vos tales eſſe arbitrer, ſed ut Dei iuſtitiam conſiderantes timeatis, & magis in dies Deo placeatis. CONFIDIMUS. In Græco eſt, *πεπείσμεθα*, id eſt *perſuaſi ſumus, prò certo habemus*, ſcilicet poſſe nos de vobis ſperare, & expectare meliora. ET VICINIORA SALUTI: *ἐχόμενα σωτηρίας*, *coniuncta cum ſalute*, ſive, *adhærentia ſaluti*, id eſt vos per ſalutis viam inceſſuros. TAMETSI ITA LOQUIMUR: licet ita loquamur, ſoliciti de vobis, & ut filios chariſſimos monentes imminentis periculi.

V. 10. UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI: ut miſericordiæ, & fraternæ dilectionis veſtræ obliviſcatur; iuſtus enim eſt, & debitam mercedem vobis rependet. IN NOMINE IPSIUS, id eſt propter ipſum Deum. MINISTRASTIS SANCTIS: qui Chriſtianorum pauperum indigentiam veſtris eleemoſynis ſublevaſtis.

V. 11. CUPIMUS AUTEM UNUMQUEMQUE VESTRUM, &c. id eſt, cupio in hac ſolicitudine operum miſericordiæ, & reliquarum virtutum numquam defatigemini, ſed ad finem uſque perſeveretis. *Oſtentare* autem ſimpliciter dixit pro oſtendere, *ἐνδείκνυσθαι*. AD EXPLETIONEM SPEI id eſt, ut bonis operibus quotidie ſpes veſtra creſcat, & plenior ſit, tandemque re ipſa expleatur, cum eritis æternæ beatitudinis compotes.

V. 12. UT NON SEGNES EFFICIAMINI: in retinendo, & proſequendo Evangelio; nam qui præ torpore, & ignavia ceſſant a bonis operibus, expertes erunt promiſſæ hereditatis. FIDE, ET PATIENTIA: *διὰ πίστεως, καὶ μακροθυμίας*, *per fidem, & longanimitatem*; credere enim Deo oportet, & promiſſiones eius, ſi cito non dentur, patienter expectare. HEREDITABUNT PROMISSIONES: ea conſequentur, quæ Dominus ſancte viventibus promiſit.

V. 13. ABRAHAE NAMQUE PROMITTENS DEUS, &c. quaſi dicat: Quod iam dixi, *imitatores eſtote eorum qui fide, & patientia hereditabunt promiſſiones*: id ipſum exemplo Abrahæ confirmo, ipſumque Abraham patrem veſtrum, omniumque credentium, & patienter expectantium vobis imitandum propono: ut, ſicut ipſe fide, & patientia promiſſionem ſibi a Deo factam, & iuratam tandem a Deo conſecutus eſt, ita & vos eamdem longa fide, & ſpe, & patientia conſequamini. Promiſſio enim Abrahæ facta vobis quoque, & omnibus fidelibus eſt facta. QUONIAM NEMINEM HABUIT, &c. Oſtendit promiſſionem Dei eſſe certam, & firmam, nec quemquam de ea poſſe dubitare, quia Deus eam iuramento confirmavit. IURAVIT PER SEMETIPSUM: qui iurat per maiorem ſe iurat, ſed Deus cum ſit omnium maximus, non niſi per ſeipſum iurare poteſt.

V. 14. NISI BENEDICENS BENEDICAM TE, &c. quaſi dicat: Niſi te benedicens benedixero; id eſt, niſi beneficiis meis cumulate tibi benefecero, iiſque abunde te

co-

comulavero, non habear verax, vel non exiſtimer Deus.

V. 15. FERENS: expectans. REPROMISSIONEM: rem promiſſam.

V. 16. AD CONFIRMATIONEM: veritatis.

V. 17. IN QUO: in qua re: in qua promiſſione. Vel, *in quo*, id eſt propter quod. VOLENS DEUS OSTENDERE, &c. Cum Deus vellet oſtendere omnibus veris Abrahæ filiis, qui promiſſionis illius heredes ſunt, quam firmum & immutabile eſſet, quod Abrahæ, & eius filiis promittebat, & præter promiſſionem etiam iuſiurandum interpoſuit. HEREDIBUS: filiis Abrahæ, ſcilicet fidelibus. CONSILII SUI: promiſſionis ſuæ.

V. 18. UT PER DUAS RES IMMUTABILES: ſcilicet per promiſſionem & iuramentum. QUIBUS IMPOSSIBILE EST MENTIRI DEUM. *Senſus eſt*; Deum nec ſimplici promiſſione, nec iurata, mentiri, aut fallere poſſe, cum ſit ipſa veritas. FORTISSIMUM SOLATIUM: *παράκλησιν*, quod vertere etiam poſſis *exhortationem*. Senſus eſt. reſpicientes in tam certa promiſſa Dei, ſolatium, aut exhortationem habeamus, qua excitati alacres ardua aggrediamur, & feramus difficilia, & dura. QUI CONFUGIMUS AD TENENDAM PROPOSITAM SPEM: qui, ex quo Chriſti fidem ſumus amplexi, relicto fallacis ſæculi amore, confugimus ad ſpem bonorum cæleſtium, & æternorum, quæ nobis propoſita eſt, firmiter, ac mordicus retinendam.

V. 19. QUAM; ſcilicet, ſpem. SICUT ANCHORAM: ſpes autem in ſummo, ſcilicet in cælo, Deoque ipſo defigitur. ET INCEDENTEM USQUE AD INTERIORA VELAMINIS. Anchora animæ ſpes noſtra non ſatis habet in veſtibulum perveniſſe; id eſt, non eſt contenta bonis terrenis, & viſibilibus; ſed penetrat uſque ad ea, quæ ſunt intra velum, videlicet in ipſa ſancta ſanctorum, id eſt Deum ipſum, & cæleſtia bona apprehendit, atque in iis figitur.

V. 20. PRAECURSOR: Chriſtum intelligit, qui per aſcenſionem introivit in regnum cælorum. PRO NOBIS; ut ad cælum aditum pateſaceres. SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH PONTIFEX FACTUS EST IN AETERNUM: ut ſcilicet ibi, quaſi Pontifex æternus Patri aſſiſtat, illique ſuam crucem, & mortem repræſentet, & offerat; fidelibus vero ſuis omnem gratiam, omniaque media quibus in cælum contendant, impetret. Quæ res quantum ad ſpem noſtram corroborandam valeat, per ſe manifeſtum eſt.

T I R I N I.

Verſ. 1. INTERMITTENTES; Græce & Syriace, *omittentes*, INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, id eſt doctrinam initio ſolitam tradi de Chriſto, ſeu prima rudimenta doctrinæ Chriſtianæ, & fundamenta Chriſtianiſmi, verbi gratia, de inchoanda vita ſpirituali per *fidem*, de reſurgendo AB OPERIBUS MORTUIS, id eſt a peccatis, per *pœnitentiam*, per Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, &c. Quia hæc omnia ſat exacte iam tenetis; paulo altiora ac ſublimiora promamus. Ante omnia cavete a relapſu.

V. 4. IMPOSSIBILE EST ENIM, non quidem abſolute aut phyſice, ſed moraliter apud homines, & via ordinaria, vel certe difficillimum (& ita loqui ſolet Scriptura *a*,) *ut* QUI SEMEL perfecte SUNT ILLUMINATI per fidem in baptiſmo, per frequentes illuminationes & inſtructiones tum internas, tum externas; GUSTAVERUNT ETIAM ſuaviſſimum nectar divinarum conſolationum & ſpiritealium deliciarum, ac *cæleſtium* chariſmatum, ſeu *donorum* SPIRITUS SANCTI: ſimulque

V. 5. GUSTAVERUNT BONUM DEI VERBUM, id eſt paſti ſunt dulcedine medullæ Evangelicæ, robuſtoque alimento divinarum inſpirationum ac promiſſionum cæleſtium, maxime de *futuro ſæculo*; ſed, his omnibus contemptis ac reiectis, in antiquam perfidiam

V. 6. PROLAPSI SUNT, RURSUM SIBIMETIPSIS, ſeu quantum in ſe eſt, OSTENTUI, id eſt ludibrio, HABENTES, immo CRUCIFIGENTES FILIUM DEI (quia ſcilicet per horrendam apoſtaſiam ſuam rurſus novam cauſam dant crucis & mortis Chriſti;) his inquam, difficillimum eſt RURSUS RENOVARI & revocari AD POENITENTIAM ac reſipiſcentiam. Ex una enim parte retinet propria malitia & obſtinatio: ex altera obturatur hac exorbitante ingratitudine fons gratiarum divinarum, non quidem ordinariarum, ſed ſpecialium, potentiorum ac frequentiorum, ſine quibus ta-

les

Digitized by Google

les apoſtatæ non facile reſipiſcent. Simili phraſi dicet infra *b* Apoſtolus, *voluntarie peccantibus non relinqui hoſtiam pro peccato*: ita S. Anſelm. Lyranus, Hugo, Titelmannus, Carthuſian. Ribera, Vaſquez, & a Lapide. Et certe experientia conſtat, ex tot hæreſiarchis qui fuerunt in Eccleſia, neminem reſipuiſſe, præter unum Berengarium. Sed nihil hic pro *Tertulliano c*, & *Novatianis* hæreticis, qui tempore S. Cypriani ſub Decio, negabant relapſis pœnitentiam & veniam, etſi vellent reſipiſcere ac converti. Quem errorem damnavit iam pridem Eccleſia: & eumdem paſſim refellit S. Paulus eo ipſo quo lapſos ubique revocat ad pœnitentiam *d*. Et quacumque *e* hora ingemuerit peccator, venia illi certa promittitur.

V. 10. NON ENIM INIUSTUS eſt DEUS, UT OBLIVISCATUR OPERIS VESTRI, denegando piis veſtris operibus ac eleemoſynis IN NOMINE IPSIUS, id eſt propter ipſum factis promiſſam ac condictam mercedem, puta gratiam in hac vita, & gloriam in futura. Hinc SS. Patres & Concilium Tridentinum probant bona opera iuſtorum eſſe meritoria.

V. 11. CUPIMUS AUTEM & extreme deſideramus EAMDEM *vos* perpetuo OSTENTARE, ἐνδείκνυσθαι, id eſt *oſtendere* SOLICITUDINEM exercendi bona opera, AD EXPLETIONEM, ſeu complementum, SPEI, id eſt donec æternæ beatitudinis compotes reddamini.

V. 14. NISI BENEDICAM TE: ſupple, non habear verax, non exiſtimer Deus. Formula eſt iurandi *f*.

V. 15. SIC, accepta promiſſione divina, Abraham ADEPTUS EST REPROMISSIONEM, id eſt rem ſibi promiſſam *g* a Deo. *Adeptus eſt*, inquam, inchoative in ſe ſuiſque filiis ac poſteris carnalibus: ſed complete demum in Chriſto & Chriſtianis, filiis Abrahæ ſpiritualibus: unde & alibi paſſim *h* docet Apoſtolus in his completas fuiſſe promiſſiones factas Abrahæ, inquit Theophyl. & Anſelmus. Voluit autem Deus

V. 18. UT PER DUAS RES IMMOBILES, id eſt immutabiles, puta per *promiſſionem* & *iuramentum*, HABEAMUS FORTISSIMUM certiſſimumque SOLATIUM nos QUI ſpirituales Abrahæ filii & heredes ſumus, & nixi promiſſione ipſi facta, relicto cultu fallacis ſæculi CONFUGIMUS per continuum bonorum operum ſtudium *ad obtinendam* SPEM PROPOSITAM: nempe cæleſtem & æternam gloriam pro hereditate nobis promiſſam.

V. 19. QUAM ſpem, velut TUTAM AC FIRMAM ANCHORAM, in cælo, adeoque Deo ipſo defixam, HABEMUS: qua anima noſtra penetrat non ſolum uſque ad veſtibulum domus Dei; id eſt, non eſt contenta ſolis bonis terrenis, viſibilibus, præſentibus; ſed *incedit*, ingreditur que USQUE AD INTERIORA VELAMINIS, id eſt cælum & cæleſtia apprehendit, & in ipſo Deo defigitur: nam quæ intra velum erant templi Salomonici, id eſt *Sanctum ſanctorum*, ad quod hic alludit, anagogice ſignificabant Eccleſiam triumphantem, claram viſionem & fruitionem Dei, cæleſtes opes, delitias, gloriam Sanctorum.

V. 20. UBI, ſeu quo, PRAECURSOR IESUS primus (in aſcenſione ſua) INTROIVIT NOBIS aditum patefaciens, FACTUS iam pridem PONTIFEX, non amplius cruentus, ut Aaron; ſed incruentus, ut Melchiſedech, id eſt, redemptor, mediator, advocatus noſter apud Deum Patrem, cui crucem & mortem ſuam ſemel obitam perpetuo offert ac repræſentat, noſque illi reconciliat, & omnia inde auxilia ad cælum conſcendendum neceſſaria nobis ſubmittit. Quæ ſane ſpem noſtram mirifice confirmant.

(a) Matth. XII. 31. XIX. 24. & I. Ioan. V. 16.
(b) Hebr. X. 26.
(c) Tertull. Lib. I. de Pudicitia.
(d) I. Cor. V. & II. Cor. VII. &c.
(e) Ezech. XVIII. &c.
(f) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 13.
(g) Ibid. n. 47.
(h) Rom. IX. Galat. III. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. QUAPROPTER; quaſi diceret, Intermittam rudimenta in quibus adhuc hæretis, & ad ſolidiora vos promovebo. Hæc rudiora & prima elementa doctrinæ, quæ Catechumenis ante baptiſmum proponuntur, ſunt pœnitentia ab operibus mortuis, fides qua ad Deum accedimus, Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis per impoſitionem manuum, reſurrectio, iudicium ultimum.

V. 3. ET HOC FACIEMUS. Excitat ergo Hebræos ad perfectiorem cognitionem doctrinæ Evangelicæ, quam pollicetur: & nos

Digitized by Google

nos, inquit, quantum in nobis eſt, id diligenter præſtabimus, ſcilicet prælendo altiora documenta. Addit vero, *ſi Dominus permiſerit*, ſi conceſſerit: quæ addita conditio eſt, ob magnam quam videbat in Hebræis rudioribus moram in progreſſu ad perfectiorem vitam; & unde timendum erat ne laberentur in apoſtaſiam, a qua deterret verſu inſequente.

V. 4. Impossibile enim est. Sicut difficile eſt non progredientem diu ſtare; ita impoſſibile, hoc eſt, perdifficile eſſe experimur, ut qui a Chriſtianiſmo, & promiſſa fide in baptiſmo ſemel defecit, regrediatur ad iuſtitiam. Nam dum in illo ſtatu ſunt, addunt peccato peccatum, iterum quantum in ipſis, crucifigentes Chriſtum; quia novo peccato novam dant cauſam, cur crucifigatur Chriſtus, & cur crux ac mors Chriſti contemnatur.

V. 7. Terra enim. Conſentaneum hoc eſt his quæ iam dixit de facili caſu rudiorum Hebræorum, qui non quærunt progreſſum, & de perdifficili reditu a caſu, præſertim in apoſtaſiam. Eſt enim homo ut terra, quæ bene ſubacta & irrigata, eſt in benedictione: contra vero neglecta dat ſpinas in combuſtionem; terræ ſimilis eſt animus fertilis & ſterilis.

V. 9. Confidimus; quaſi diceret, Quamvis ita loquar ad excitandum timorem, & ſtudium ſalutis, tamen ſpero de vobis meliora, & vos propinquiores eſſe ſaluti. Non enim (verſ. 10.) est Deus iniustus, aut infidelis Deus, qui promiſit miſericordiam his qui miſericordes ſunt, ut non recordetur miſericordiæ veſtræ, & boni operis erga alios fideles. Deſidero autem (verſ. 11.) ut in hoc ſancto opere conſtantes ſitis uſque in finem, ne ſitis ſegnes in tam nobili opere, ſed imitemini potius eos qui excelluerunt hac in parte, & ſic hæreditarunt Dei promiſſionem. Hic an ſit exhortaturus ad perſeverantiam, & non ad pœnitentiam, iam dicam.

V. 10. Non enim iniustus est. Senſus iam dedi: ſed quæſtio hic naſcitur de reditu bonorum operum apud Theologos. Sane ſi (quod aliqui dicunt) Paulus hæc verba ſolum dirigit ad Hebræos lapſos in peccatum mortale, vel apoſtaſiam, non videtur ex hoc ſenſu colligi neceſſario reditus operum, ſeu meritorum, ſed ſolum ſic excitari eos ad ſpem veniæ a Deo, & pœnitentiam; quippe qui veniam promiſit pœnitenti, & fidelis eſt. Verum quia hæc Epiſtola eſt ad omnes Hebræos, in qua obiter ſignificat (ex rudioribus & tepidis) aliquos excidiſſe a gratia: concedi poteſt quod dicunt S. Thomas & Suarez, loqui hic Paulum iam ad ſtantes in gratia, quam ad lapſos, & de reditu meritorum (ubi redierint tamen ad gratiam) horum, inquam, per pœnitentiam reſtitutorum merita non perire, ſed manere colligi poſſet ex hoc loco, quia hoc promiſit Deus, & fidelis eſt. Sic certant Theologi de ſenſu huius loci: certe abſolute verum eſt non perire merita lapſorum, ſi moriantur in gratia, quod ex aliis Scripturæ locis habetur, tamen defendi poſſe videtur, hoc non evinci clare ex hoc loco Pauli. Ceterum Trident. Seſſ. vi. cap. xvi. attingens hunc locum non meminit lapſorum; ſed ait hæc verba iuſtificatis proponenda eſſe, ut excitentur ad ſtudium bonorum operum, ex ſpe mercedis, quam recipient. Porro ex verſu 11. colligitur Paulum non loqui de reditu meritorum, ſed hortari ad perſeverantiam, quia Deus eſt iuſtus retributor mercedis. Non eſt tamen improbabilis interpretatio S. Thomæ, vel ex eo, quod mens Pauli potuerit eſſe tam de lapſis, quam de iuſtis.

V. 13. Abrahae namque. Suaſit verſu 12. imitationem: nunc profert exemplum Abrahæ, quod imitentur, qui dictus eſt Pater credentium, eumque moribus ſequantur in fide, ſpe & patientia; ut promiſſionem etiam, inquit, conſequamini & vos. Conſtat enim promiſſionem factam Abrahæ, factam eſſe omnibus fidelibus. Nec eſt quod de promiſſione dubitent, eſt enim divina & iurata. *Niſi benedicam*; id eſt, vere benedicam. Et modus iurandi hic eſt Hebræis familiaris.

V. 15. Et sic longanimiter. Conſecutus eſt hanc inchoatam benedictionem in Iſaac, Gen. xxii. 16. & continuandam filiis Abrahæ ſpiritualibus Rom. cap ix. 6. Maiorem sui, verſ. 16. Græciſmus, pro maiorem ſe.

V. 17. & 18. In quo abundantius. Placuit Deo firmare iuramento immobilitatem promiſſionis ſuæ, ut per has duas res immobiles, promiſſionem & iuramentum, ſolatium, παράκλησιν haberent veri filii Abrahæ, & alacres ſint ad ardua ferenda, omnes qui

pro-

Digitized by Google

promiſſione Dei nituntur, ſperantes futura bona.

V. 19. QUAM (ſpem) SICUT ANCHORAM. Habemus, inquit, ſic ſpem futurorum bonorum & gloriæ, quæ ſpes eſt velut anchora tuta in fluctibus huius maris; qua penetramus ad intima illa, & Sancta Sanctorum, quæ in cælo ſunt nobis repoſita; ubi eſt nova acceſſione Chriſtus Pontifex mediator noſter.

CAPUT VII.

Cum Melchiſedech ſacerdotium ex decimarum acceptione & benedictione Leviticum excelleret, Chriſti ſacerdotium neceſſitate quadam ſecundum ordinem Melchiſedech in perpetuum inſtitutum, ac iuramento firmatum præcellit Leviticum, & ipſum una cum lege evacuat.

1. HIC enim Melchiſedech, rex Salem, (*a*) ſacerdos Dei ſummi, qui obiavit Abrahæ regreſſo a cæde regum, & benedixit ei: 2. cui & decimas omnium diviſit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex iuſtitiæ: deinde autem & rex Salem, quod eſt, rex pacis: 3. ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. 4. Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. 5. Et quidem de filiis Levi ſacerdotium accipientes, (*b*) mandatum habent decimas ſumere a populo ſecundum legem, id eſt, a fratribus ſuis: quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ. *6.* Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumpſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit. 7. Sine ulla autem contradictione, quod minus eſt, a meliore benedicitur. 8. Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit. *9.** Et (ut dictum ſit) per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt: 10. adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech. 11. Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici? 12. Translato enim ſacerdotio, neceſſe eſt ut & legis translatio fiat. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, * de qua nullus altari præſto fuit. 14. Manifeſtum eſt enim quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. 15. Et amplius adhuc manifeſtum eſt; ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, *16.* qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. 17. Conteſtatur enim: (*c*) quoniam tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: *19.* nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.

Digitized by Google

20. Et quantum eſt non ſine iureiurando (alii quidem ſine iureiurando ſacer-
dotes facti ſunt; 21. hic autem cum iureiurando, per eum, qui dixit ad il-
lum: *(d)* iuravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æter-
num) 22. in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. 23. Et
alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur
permanere: 24. hic autem eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet
ſacerdotium. 25. * Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſe-
metipſum ad Deum: † ſemper vivens ad interpellandum pro nobis. 26. Talis
enim decebat ut nobis eſſet pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegre-
gatus a peccatoribus, & excelſior cælis factus: 27. qui non habet neceſſita-
tem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, *(e)* prius pro ſuis delictis hoſtias
offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo. 28.
Lex enim homines conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes: ſermo au-
tem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, Filium in æternum perfectum.

(a) Gen. xiv. 18. (b) Deut. xviii. 3. Pſalm. xiv. 4. (c) Pſalm. cix. 4.
(d) Pſalm. cix. 4. (e) Levit. xvi. 6.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 13. *De qua nullus altari præſto fuit.* Pro *altari* non ſubſtituas *altario* vocem barbaram.

Verſ. 25. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum.* Legendum eſt numero plurali *accedentes*, non ſingulari *accedens*: qua de re legere licet noſtras Notationes.

Lectionum Varietas

Verſ. 25. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Multi libri pro *nobis* primæ perſonæ habent tertiæ perſonæ pronomen *eis*, ut Græca & Syra.

Notationes.

Verſ. 9. *Et, ut ita dictum ſit, per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt.* Manuſcripta exemplaria ſex Ge. l. Brug. Lob. P. Pl. la. So. ru. & impreſſa quædam, Ven. Quent. &c. pro *accepit* præſenti tempore ſcribunt *accipit*. quomodo & Haymonis, ac Gloſſæ ordinariæ deſcriptoris, Petri Lombardi, denique Brunonis Carthuſianorum Patriarchæ commentaria habent; quamquam Haymonis utramque explicare videantur. Huic lectioni Græci volunt; & B. Auguſtinus, cuius verbis Beda pro commentario utitur, Græcis conformiter legens libri X. de Geneſi ad litteram cap. xix. *Propter Abraham & Levi accipient decimam, decimatus eſt*: ὁ δεκάτας λαμβάνων eſt Græce; id quod Syri ſignificanter redideruut: " *Ille qui decimas accipiebat*. Nicolaus Zegerus *accipit* in textum retulit. Senſus is eſt, quem Haymo dedit: Abrahamo decimas dante Melchiſedeci, decimas dedit etiam Levi, eiuſque poſteritas, quæ hactenus iuxta legem a ceteris Iſraelitis decimas accipit, ſeu accipere conſuevit. Crediderim *accipit* cum *accepit* ab aliquibus mutatum fuiſſe, quod ſcirent iam tum cum Apoſtolus hæc ſcriberet abrogatum per Chriſtum fuiſſe Levitarum ius, exigendarum a reliquo pupulo Iſrael decimarum, ut cetera legis ſtatuta ac cærimonias.

V. 25. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum.* *Accedens* habent plerique libri; *accedentes* ſex Pariſienſium Di. l. Ge. l. Pau. Do. Conſt. Compl. ſex noſtri (Brug. ſed hoc eſt, id eſt, niſi fallor, quod Pariſienſes ſignarunt Do.; Mal. ma. So. la. Q. Quent. Reg.) duo Hentenii, quidam Lugdunenſium. Anſelmus, Lyranus, Bruno, & Richelius *accedens* legunt. Primaſius, Haymo, Auctor Gloſſæ, Lombardus, Carenſis, Thomas, Gorranus utrumque agnoſcunt, admittunt, & explicant. Græci codices Græcis Tractatoribus Chryſoſtomo, Theophylacto, Euthymio adſtipulantibus, τοὺς προσερχομένους, *accedentes* ſcribunt: ſimiliter Syrici, & Hebraice edita hæc epiſtola, ſi cuius eſt illa auctoritas בָּאִים; id quod quadrat ei quod ſequitur: *Semper vivens*

vens

vens ad interpellandum pro eis; quamquam in pleriſque Latinis codicibus ſit *nobis*; Ambroſius Catharinus, aliique *accedentes* non *accedens* veram nobis eſſe lectionem iudicant. Epanorthotes etiam noſter, qui quod mendoſe pleriſque locis viſus fuerit ſcriptus, tamdiu ſiluit, *accedens* modernis, ut ipſe loquitur, codicibus tribuit; *accedentes* iuxta antiquos, & Græcos probat. Zegerus arbitratur propter *τὸ ſemetipſum* in noſtra editione *accedentes* non poſſe legi: ego vero exiſtimarim *accedentes* in *accedens* propter *τὸ ſemetipſum* mutatum fuiſſe. Non eſt interpres anxius reciproci, & non reciproci pronominis obſervator. Opinor tamen non incongrue hic reciproci pronominis *ſe* uſum eſſe poſſe; verum ad evitandam amphibologiam, ne intelligas *ſe* ad *accedentes* referri, videtur interpres *ſemetipſum* dixiſſe. In impreſſis quibuſdam, Quenteliano nominatim, legitur *ipſum* ſed ex arbitraria, ut facile ſuſpicor, emendatione.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. HIc ENIM, &c. Oſtenſurus Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech,, ipſius hiſtoriam præmittit. Melchiſedech autem Hebræi tradunt eſſe Sem primogenitum Noe, qui rex Salem fuerit illius quidem quæ iuxta Scitopolin eſt, in qua etiam Hieronymo teſte Melchiſedech palatium oſtenditur, ex ruinis operis excellentiam præ ſe ferens: de hoc Melchiſedech neque nativitas, neque mors in ſcripturis invenitur, ſed tantum Gen. XIV. ſcribitur, quod Abraham revertenti a cæde Chodorlahomor, Melchiſedech rex Salem quum eſſet ſacerdos Dei altiſſimi, proferens panem & vinum, benedixerit, cui viciſſim pro accepta benedictione, tamquam ſacerdoti Dei ſummi omnium ſpoliorum, quæ habebat, decimas, Abraham dedit: quod non abs re Paulus allegat, ſed ut oſtendat, quod ſi Melchiſedech Chriſti tantum figura, Abraham dignitate anteierit, utpote cui benedixit & a quo decimas ille accepit, multo magis Chriſtus alios ſacerdotes & Pontifices qui ex Abraham deſcenderunt, antecellit: quem multis modis a Melchiſedech præfiguratum oſtendit dicens:

V. 2. & 3. PRIMUM QUIDEM, &c. Melchiſedech, inquit, interpretatur rex iuſtitiæ: Melec enim regem ſignificat, & Sedec iuſtitiam. Salem autem vel Solom pax dicitur, quibus nominibus recte Chriſtus exprimitur, veræ iuſtitiæ rex & pacis: cuius alia ratione verus typus fuit Melchiſedech. SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA, non quod patrem aut matrem non habuerit; ſed quia de illis nihil Scriptura dicit. Sic autem Chriſti typus eſt Melchiſedech, quia ſicut illius pater non invenitur, ita neque Chriſti ſecundum carnem, & ſicut illius mater non legitur, ita neque Chriſti ſecundum divinitatem: immo nec re ipſa habuit. Et ſicut Melchiſedech *ſine genealogia*, Græc. ἀγενεαλόγητος, id eſt cuius generis origo redi non poteſt, ſic neque divinæ Chriſti generationis origo & modus perfecte capi poteſt, dicente Eſaia, *Generationem eius qui enarrabit?* alia quoque ratione Chriſti figura eſt Melchiſedech, NEQUE INITIUM DIERUM NEQUE FINEM VITAE HABENS; id eſt, cuius ortus & interitus ignorantur: ſic & Chriſtus quatenus Deus, initium non habet, neque finem habiturus eſt. Atque ita Melchiſedech aſſimilatus filio Dei manet ſacerdos in æternum, non in ſe, ſed in Chriſto: aſſimilatur autem quod ad ſacerdotium attinet, quia ſicut Abraham panem & vinum obtulit; ita Chriſtus æternus ſacerdos ſub panis & vini ſpeciebus carnem ſuam & ſanguinem nobis obtulit, & patri qui verus eſt Abraham, id eſt gentium pater in ara crucis corpus ſuum obtulit.

V. 4. INTUEMINI AUTEM, &c. Probaturus Chriſti ſacerdotium Levitico præſtantius eſſe, hinc oſtendit, quod Melchiſedech ipſo Levitarum Patre Abraham præſtantior fuerit, cui nimirum ipſe Abraham de optimis ſpoliis decimas dedit; quanto magis ergo Sacerdotibus legis Chriſtus antecellebat? Ne vero ſacerdotium Leviticum contemnere videatur, de eius dignitate ſubdit:

V. 5. & 6. ET QUIDEM, &c. Non carebat ſane dignitate ſacerdotium Leviticum. Nam ſacerdotes qui de Levi filiis eligebantur, a reliquo populo ſecundum legis inſtitutionem decimas ſumebant: quum

ſecundum legis inſtitutionem: quia ſecundum eam de tribu Levi ſumendus erat, ipſe autem de tribu Iuda fuit, ex eo ergo manifeſtum eſt translatam legem, quod ſecundum ordinem Melchiſedech exurrexit Sacerdos Chriſtus, & non ſecundum legem, SED SECUNDUM VIRTUTEM VITAE INSOLUBILIS, id eſt Dei ordinatione ac virtute, qui vitam habet, & in ſe credentibus dat inſolubilem & perpetuam. Quod autem legem appellavit, legem mandati carnalis, hoc fecit, innuens, quod ceremoniæ & mandata legis pene tantum carnalia erant, ſicut de non attrectando, non edendo immundo, de lavando, & ſimilibus. Quod autem ſecundum virtutem vitæ inſolubilis factus ſit Sacerdos, id eſt non moriturus ut legalis, ſed perpetuus, oſtendit, dicens: CONTESTATUR ENIM patri filius, id eſt hoc de illo teſtimonium dat: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech*. Si in æternum, ergo virtutem in ſe habet vitæ inſolubilis.

V. 18. 19. 20 21. & 22. REPROBATIO QUIDEM. Pergit oſtendere legem eſſe abrogatam. PRAECEDENTIS, inquit, MANDATI, id eſt prioris teſtamenti, ac legis reprobatio & abiectio facta eſt, id eſt lex vetus abrogata & antiquata eſt ob ſui inutilitatem & infirmitatem, non quod plane inutilis eſſet (erat enim a Deo) ſed quia nihil ad perfectum adducebat, id eſt in ſe confidentes perficere non poterat, initiabat enim tantum Iudæos per ceremonias ab idololatria deterrens: nunc vero INTRODUCTIO, ſub facta eſt, MELIORIS SPEI; id eſt, lex evangelica introducta eſt ſpem habens annexam meliorem. Lex enim pene tantum temporalia habet præmia. Si audieritis me, ſi ſervaveritis, bona terræ comedetis, & ſimilia. At vero evangelium cæleſtia habet annexa præmia, & regni cæleſtis ſpem indubiam, *in qua* PROXIMAMUS AD DEUM, quia per fidem Chriſti & ſpem in eum, acceſſum habemus ad Deum. Reprobata ergo lege, introducta eſt per Chriſti Sacerdotium ſpes melior, ET QUANTUM NON SINE IUREIURANDO, hic enim locus continue legendus eſt, qui clarius habetur Græce καθ' ὅσον, id eſt quatenus non ſine iureiurando fuit inſtitutum Chriſti Sacerdotium: introducta eſt ergo melior ſpes, quatenus non ſine iureiurando firmatum fuit Chriſti Sacerdotium, quem vel ea ratione Leviticis Sacerdotibus preſtantiorem oſtendit, quod alii Sacerdotes nullo intercedente iuramento inſtituti ſunt, Chriſtus autem cum iureiurando, ut ſcriptum eſt, IURAVIT DOMINUS, &c. TU ES SACERDOS, &c. *Et* IN TANTUM MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR FACTUS EST IESUS: id eſt, adeoque tanto melioris & præſtantioris teſtamenti, id eſt ordinationis legis ſcilicet novæ, ſponſor, id eſt mediator & interceſſor factus eſt Ieſus, quod eius Sacerdotium iuramento firmatum eſt, non item legale.

V. 23. ET ALII QUIDEM. Et hac quoque ratione Sacerdotibus Leviticis Chriſtum præſtare oſtendit; quod Sacerdotes Levitici plures fuerunt, alio alii ſuccedente, eo quod morte interveniente vetarentur perpetuum manere in Sacerdotio: Chriſtus autem quia in perpetuum manet, Sacerdotium habet perpetuum. Græce ἀπαράβατον, id eſt incommutabile, quod ſucceſſione ad alium non demigrat. Unde quum immortalis ſit, accedentes per ſemetipſum, id eſt per fidem ipſius ad Deum, in perpetuum ſalvare poteſt, ſemper pro illis interpellans; ubi autem eſt in perpetuum, Gr. habent, εἰς τὸ παντελὲς, quod ſignificare poteſt ad perpetuum.

V. 26. TALIS ENIM. Talem non habere decebat Pontificem qui iuxta humanitatem non modo vitæ ſanctimonia ceteris præſtaret hominibus; ſed excelſior cælis eſſet, id eſt cæleſtibus ſpiritibus angelis, vel ſupra cælos etiam ad patris dexteram ſublimatus, cui non eſſet neceſſe pro ſuis delictis hoſtias offerre, quia peccatum non fecit, nec inventus eſt in ore eius dolus; ſed pro populi delictis; neque quotidie, ut veteres ſacerdotes, ſed ſemel: una enim ſui corporis hoſtia ſemel omnium delicta Chriſtus abſtulit: quare autem illis opus eſſet hoſtias ſæpe repetere, Chriſtus autem ſemel omnium delicta expiavit, hoſtia ipſe factus & ſacerdos oſtendit: quia lex ſacerdotes, homines infirmos & peccatores ſtatuit, ideo pro ſe, aliiſque & ſæpe ſacrificia facere indigentes. Sermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem, vel ſupra legem eſt; utrumque enim ſignificat τὸ κατὰ, ſacerdotem conſtituit in æternum filium Dei perfectum, adeoque nec ſui gratia neque pluries offerre indigentem.

SA.

Digitized by Google

S A.

Verſ. 1. SALEM, ſcilicet Ieruſalem. REX IUSTITIAE. *Melech* enim rex, *ſedech*, *iuſtitia*.

V. 3. SINE PATRE, &c. ſcilicet in Scriptura, quæ de iis nihil dicit. ASSIMILATUS, ſcilicet in eo quod ſequitur. IN PERPETUUM, ſcilicet nihil de eius morte ſcriptum.

V. 4. INTUEMINI, id eſt conſiderate. PRAECIPUIS. Græc. *ſpoliis*.

V. 5. IPSI, ſcilicet fratres.

V. 6. IN EIS, id eſt inter eos. QUI HABEBAT, id eſt cui ſactæ.

V. 7. MELIORE, id eſt maiore, ſeu præſtantiore.

V. 8. HIC, ſcilicet in lege. IBI, ſcilicet ubi agitur de Sacerdotio Melchiſedech. CONTESTATUR, ſcilicet Scriptura, quæ de eius morte nihil dicit.

V. 9. ET UT, &c. quaſi dicat, Atque ita quodammodo. ACCEPIT. Græc. *accipit*, id eſt ſolet accipere.

V. 11. CONSUMMATIO, id eſt perfectio, ſcilicet ſacerdotii, vel hominum per ſacerdotium.

V. 12. ENIM; pro, autem.

V. 13. IN QUO, id eſt de quo. ALIA, ſcilicet Iuda. PRAESTO FUIT, id eſt miniſtravit.

V. 15. MANIFESTUM EST, ſcilicet mutatam eſſe legem. St; pro, ſiquidem. EXURGAT; pro, exurgit.

V. 16. CARNALIS, id eſt circa corporeas cærimonias verſantis. VIRTUTEM, id eſt potentiam. INSOLUBILIS, id eſt æternæ; quaſi dicat, Eternam vitam dantem.

V. 17. CONTESTATUR, id eſt teſtatur.

V. 18. MANDATI, id eſt legis. INFIRMITATEM, id eſt imbecillitatem. INUTILITATEM, id eſt inſufficientiam, nec enim poterat reddere iuſtos, ſeu perfectos.

V. 19. SPEI, ſcilicet in Chriſto.

V. 20. QUANTUM; pro, inquantum.

V. 22. TESTAMENTI SPONSOR, id eſt pacti promiſſor.

V. 24. SEMPITERNUM, ſcilicet non migrans ad alios ſucceſſione.

V. 25. ACCEDENTES, &c. id eſt per ipſum ad Deum adductos.

V. 26. SEGREGATUS, ſcilicet vitæ puritate.

V. 27. HOC, ſcilicet pro populi delictis.

V. 28. LEGEM, ſcilicet latam; vel quaſi dicat: Qui de Sacerdotio loquitur poſt legis mutationem futuro.

MARIANAE.

Verſ. 1. HIC ENIM MELCHISEDECH. Oſtendere volens Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, maiorem legalibus ſacerdotibus, narrat hiſtoriam Melchiſedech ex Gen. XIV. 22. quem ait Abraham ſuperiorem fuiſſe, Chriſto in multis ſimilem. Ac primum

V. 2. DECIMAS OMNIUM, ſcilicet ſpoliorum, quæ de Regibus ceperat, dedit ei Abraham quaſi ſacerdoti & ſe maiori. QUI INTERPRETATUR REX IUSTITIAE: id eſt ſignificat *Melchiſedech*. *Melech*, *Rex*; *Zedech*, *iuſtitiæ*. *Rex Salem*, quod eſt *Rex pacis*, *Salim* Syr. pro *Salem*, & *Rex Selomo*, id eſt *pacis*. In utroque nomine ſimilis eſt. Chriſto. Verum ex hac nominum interpretatione quidam colligunt hanc Epiſtolam Hebraice non fuiſſe ſcriptam. Quid enim opus, cum in ea lingua notæ eſſent earum vocum ſignificationes? Nos reſpondemus, Non ita eſſe notas, ut declaratione opus non ſit, aut una voce diviſa in duas, aut aliis vocibus vulgo clarioribus. Quod in noſtro Syriaco fieri videmus, ubi pro *Melchiſedech* ponitur *Melech de Chanutha*. Pro *Melech Salim*, *Melech Selomo*, id eſt *pacis Rex*.

V. 3. SINE PATRE, &c. Non ſcribuntur: certe ſub nomine *Melchiſedech*. Quod dicimus propter eos, qui *Melchiſedech* putant fuiſſe Sem filium Noe. SINE GENEALOGIA. Nuſquam maiores eius & poſteri deſignantur. Syr. *cuius neque pater neque mater ſcribuntur in generationibus*, id eſt in Lib. Gen. ubi multæ genealogiæ ſunt. NEQUE INITIUM DIERUM. Ortus eius & obitus non ſcribuntur: ſic quaſi immortalis manet ſacerdos in æternum. In his omnibus ſimilis Chriſto, qui matrem in cælis non habuit, neque patrem in terris, ſine genealogia ut Deus. *Generationem eius quis enarrabit?* Iſai. LIII. verſ. ſine

iu-

initio, ut Deus; ſine fine, ut Deus, & ut homo poſt reſurrectionem.

V. 4. QUANTUS SIT HIC, ſcilicet Melchiſedech. CUI ET DECIMAS. Syr. *decimas & primitias*. DE PRAECIPUIS, ἐκ τῶν ἀκροθινίων: quæ vox *præcipua ſpolia* ſignificat. Simul docet, decimas e melioribus eſſe debere; nam, ut aiunt, etiam in mari decimus fluctus maior, ovum gallinæ decimum maius.

V. 6 DECIMAS SUMPSIT AB ABRAHAM; quaſi dicat; Sacerdotes Leutici a populo decimas accipiunt, Melchiſedech ab Abraham: ergo maior illo, maior Aaron, qui erat in lumbis Abrahæ. BENEDIXIT, in quo ſe maiorem oſtendit Melchiſedech. Quod minus eſt,

V. 7. A MELIORE BENEDICITUR. Quomodo maioris ſit benedicere, dixi Gen. XLVII. 7. ſane *a maiore benedicere*, eſt *benefacere*. Fortaſſis panem & vinum poſtquam obtulit Deo ut ſacerdos, militibus poſtea diſtribuit. Ea eſt benedictio, adiunctis placidis verbis & fauſtis.

V. 8. CONTESTATUR, QUIA VIVIT. Quis? nempe Melchiſedech, quia de eius obitu nihil.

V. 9. DECIMATUS EST, ſcilicet Levi, quia e poſteris Abrahæ. Sacerdotium Leviticum minus ſacerdotio Melchiſedech fuit.

V. 11. SI ERGO CONSUMMATIO, id eſt ſi ſacerdotium Leviticum perfectum erat, quid opus fuit novo ſacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech?

V. 12. TRANSLATO ENIM SACERDOTIO, de quo legis maior pars loquebatur. LEGIS TRANSLATIO, id eſt mutatio, fiat neceſſe eſt. Hoc argumentum contra Iudæos urget Euſebius de Demonſt. Evang. Conſtat

V: 14. QUOD EX IUDA ORTUS SIT DOMINUS NOSTER. Non fuit ergo Chriſtus ſummus ſacerdos Leviticus. Contra Bernard. epiſt. CCXLIII. *Ex utraque tribu* (ſcilicet Chriſtus) *ſummus ſacerdos & Rex*: ſic etiam Epiphanius Her. XXIX. DE SACERDOTIBUS. Græc. *de Sacerdotio*: nihil in tribu Iuda Moyſes dixit.

V. 15. SI SECUNDUM SIMILITUDINEM, ſeu *ordinem*, MELCHISEDECH. *Ordo & ſimilitudo* idem hoc loco ſunt. Alius exurgat ſacerdos: conſtat Chriſtum non eſſe ſacerdotem Leviticum.

V. 16. NON SECUNDUM LEGEM MANDATI CARNALIS, id eſt non de tribu Levi, morti obnoxius, ſed immortalis, qualis eſt Chriſtus poſt reſurrectionem.

V. 18. PROPTER INFIRMITATEM EIUS reprobatur. Lex non habet virtutem, niſi veniatur ad Chriſtum.

V. 25. UNDE ET SALVARE IN PERPETUUM POTEST ACCEDENTES. Sic lege, ſic Græc. & Gotth. non *accedens*, ut quidam legunt. Haymo tamen utriuſque lectionis meminit. SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDUM. Nazianz. III. Theolog. ait hoc loco ἐντυγχάνειν non ſignificare *ultionem deprecari*, ut vulgi conſuetudo habet, ſed *legatione fungi*, idque conciliatoris officio. PRO NOBIS. Græc. *pro eis:* ſic Gotth. pro accedentibus per ipſum ad Deum.

V. 26. SEGREGATUS A PECCATORIBUS. Gotth. *a peccatis*; ſed alii omnes codices reclamant.

V. 27. DEINDE PRO POPULI, ſcilicet delictis, non habet neceſſe quotidie offerre hoſtias, ut ſacerdotes Levitici. Syr. & Gotth. *pro populo*. Perinde eſt. Miror in hoc cap. inter tot ſimilitudines, quibus Melchiſedech Chriſtum repræſentat, nihil dixiſſe de ſacrificio panis & vini, quod Melchiſedech obtulit, ut diximus Gen. XIV. 18. Symbolum noſtri ſacrificii & Euchariſtiæ. De quo malo alios audire quam ipſe pronuntiare. Indicaſſe ſit ſatis.

MENOCHII.

Verſ. 1. REX SALEM, id eſt Ieruſalem. QUI OBVIAVIT ABRAHAE: hiſtoriam habes Geneſ. XIV. 18. BENEDIXIT EI: formulam verborum, quibus Abrahamo benedixit habes loco citato.

V. 2. DECIMAS OMNIUM: ſpoliorum, quæ cæſis quinque regibus ceperat. DIVISIT ABRAHAM; quaſi dicat: Abraham, licet eſſet ſacerdos, & ſæpe ſacrificaſſet, agnovit tamen Melchiſedech eſſe ſacerdotem & Pontificem ſuum; quare illi tamquam ſuperiori, & Pontifici ſuo decimas dedit. PRIMUM QUIDEM QUI INTERPRETATUR REX IUSTITIAE; quaſi dicat: Primum Melchiſedech ipſo nomine magnæ cuiuſdam rei figuram prætulit: idem enim valet quod *Rex iuſtitiæ*, id eſt Rex iuſtus, vel iuſtiſſimus, quod optime Chriſto

con-

convenit. REX PACIS, id eſt Rex pacificus eſt Rex iuſtitiæ, & Rex pacis, quia pacificator noſter eſt, reconcilians nos Deo, & Angelis eius, ad Epheſ. II. 14. *qui factus eſt nobis iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.*

V. 3. SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA: non quaſi iis caruerit, ſed quia eius pater, mater, & genealogia non deſcribitur in Scripturis. NEQUE INITIUM DIERUM, NEQUE FINEM HABENS; ſcilicet in Scriptura, quæ non narrat quando natus, quando mortuus ſit Melchiſedech, ut adumbraret Chriſtum, qui vere non habet initium, nec finem dierum, cum ſit æternus. ASSIMILATUS AUTEM FILIO DEI MANET SACERDOS IN AETERNUM. Syrus vertit: *Sed in ſimilitudinem filii Dei permanet Pontificatus eius in æternum.* Dicitur Melchiſedech manere ſacerdos in æternum, quia in Scriptura nulla ſit mentio mortis, nec finis Sacerdotii eius.

V. 4. INTUEMINI AUTEM QUANTUS SIT HIC; quaſi dicat: Hic mecum expendite quantus ſit Melchiſedech, videlicet in typo: & ſignificatione, ut qui ipſi etiam Abrahamo videatur prælatus, hoc enim eſt quod ſequitur: CUI ET DECIMAS DEDIT: vide dicta verſ. 2. DE PRAECIPUIS: ἐκ τῶν ἀκροθινίων, quod aliqui vertunt, *de ſpoliis*, Theophylactus interpretatur, *de eximiis præſtantiorum & honoratiorum*. Sunt ergo ἀκροθίνια, ſpolia, præcipua, & optima. ABRAHAM PATRIARCHA. Non ſine cauſa addidit *Patriarcha*, ſed quaſi diceret: Abraham ille pater Sacerdotum legis, & pater omnium tribuum, non dubitavit ei decimas de præcipuis, ſe minorem agnoſcens; quanto igitur magis Sacerdotes filii Abrahæ agnoſcere debent Sacerdotium Chriſti eſſe præſtantius Sacerdotio ſuo?

V. 5. ET QUIDEM DE FILIIS LEVI SACERDOTIO FUNGENTES. Hoc eſt, & ii quidem qui ex filiis Levi Sacerdotio funguntur. Ita loquitur, quia non omnes Levitæ Sacerdotes erant, ſed ex iis ſoli filii Aaron, eiuſque poſteri. MANDATUM HABENT, &c. Probat eum qui dat decimas minorem eſſe illo, qui eas accipit, ſcilicet Abraham minorem eſſe Melchiſedecho. SECUNDUM LEGEM, ID EST A FRATRIBUS SUIS, &c. quaſi dicat: Deus iuſſit omnibus Iudæis, etiam Leviticis Numer. XVIII. 26. ut decimas darent Sacerdotibus Aaronicis, volens hac ratione honorare, & præferre Sacerdotes, ac reliquos Iudæos illis ſubiicere, cum tamen Iudæi Sacerdotum eſſent fratres, utpote ex eodem Abraham, & Iacob geniti. Si ergo Iudæi licet fratres, fratribus ſuis, ſcilicet Sacerdotibus, ſunt ſubiecti hoc ipſo quo eis ex lege tenentur dare decimas; ergo pariter Abraham dans decimas Melchiſedech, hoc ipſo confeſſus eſt, ſe illo eſſe minorem, & hoc ipſo ſe illi ſubiecit. EXIERINT DE LUMBIS ABRAHAE, id eſt Abrahæ filii ſint.

V. 6. CUIUS AUTEM GENERATIO NON ANNUMERATUR IN EIS; id eſt, Melchiſedech, cuius genus, & genealogia non attexitur Hebræis filiis Abrahæ, id eſt qui ex Hebræis non fuit oriundus, hic decimas ſumpſit ab Abraham. ET HUNC QUI HABEBAT REPROMISSIONES, &c. quaſi dicat: Melchiſedech benedixit Abrahamum, quaſi ſe minorem, cui tamen Deus eximia bona promiſerat, adeoque in ipſo benedicendas eſſe omnes gentes, Gen. XII.

V. 7. A MELIORE: κρείττονος, *maiore, digniore.*

V. 8. ET HIC QUIDEM, &c. Alia ratione probat Sacerdotium Melchiſedech præſtantius fuiſſe Sacerdotio Levitico. HIC QUIDEM, id eſt in lege, & apud Leviticos Sacerdotes. MORIENTES HOMINES: homines mortales. IBI VERO, id eſt in hiſtoria Geneſis. CONTESTATUR QUIA VIVIT. Teſtimonium perhibet Scriptura quod Melchiſedech vivat, quatenus ſcilicet introducitur vivens, nulla de morte eius, aut ſucceſſore facta umquam mentione.

V. 9. UT ITA DICTUM SIT. In Græco eſt ὡς ἔπος εἰπεῖν, id eſt *ut ita loquar*, mollit autem hae dicendi formula quod erat dicturus, *Levi fuiſſe decimatum in Abraham*, qui modus dicendi non intelligentibus durus videri poterat. PER ABRAHAM, ET LEVI, QUI DECIMAS ACCEPIT, DECIMATUS EST: id eſt, ipſe Levi cui præcepto legis attributæ ſunt decimæ, quia in Abraham tamquam in progenitore continebatur, ipſi Melchiſedecho, una cum Abrahamo, quaſi minor maiori, decimas quodammodo perſolvit. LEVI: Leviticus quilibet ſacerdos. DECIMATUS EST: decimas ſolvit.

V. 10. IN LUMBIS PATRIS: Abrahæ.

ERAT;

Erat; ſcilicet, Levi. Obviavit ei: ſcilicet Abrahæ Melchiſedechus. Ratiocinatio ergo Apoſtoli eſt huiuſmodi: Agnoſcens Melchiſedech eſſe maiorem, & typum Chriſti, illi decimas dedit, & ab eo benedictionem accepit, ut profiteretur ſe, ſuoſque poſteros, ac conſequenter Levitas, & ſacerdotes Aaronicos ex ſe naſcituros, minores eſſe Melchiſedech, Chriſtoque ſubiectos: perinde enim Abraham ſe geſſit cum Melchiſedech, atque princeps, qui pro ſe, & pro tota ſua poſteritate, obedientiam regi præſtat, & offert.

V. 11. Si ergo consummatio, &c. Senſus eſt: Si ſacerdotium Leviticum, hoc eſt quo fungebantur filii Aaron, qui erant de ſemine Levi, conſummaſſet, atque perfeciſſet homines, id eſt ſi vim haberet iuſtificandi, & liberandi eos a peccatis, & ad vitam æternam perducendi, quæ maximæ, & ultimæ hominis perfectiones ſunt, quorſum expectabatur alias ſacerdos qui non diceretur, nec eſſet ſacerdos ſecundum ordinem Aaron, nec ſecundum ordinem Melchiſedech. Populus enim sub ipso legem accepit. Hæc per parentheſim dicuntur, & propterea adduntur ab Apoſtolo, quia non ſolum intendebat probare ſacerdotium fuiſſe transferendum, ut pro ſacerdotio Levitico introduceretur ſacerdotium Chriſti; ſed etiam docere legem quoque fuiſſe transferendam, ut pro lege Moſis lex Evangelica introduceretur, propter cognationem legis, & ſacerdotii, ſicut ait paulo poſt: *translato enim ſacerdotio neceſſe eſt ut legis translatio fiat*. Sub ipso; ſcilicet ſacerdotio: ἐπ' αὐτῇ ἱερωσύνῃ, *tempore ipſius ſacerdotii*.

V. 12. Translato enim sacerdotio, &c. Simul data ſunt lex, & ſacerdotium, & eiuſdem ſunt rationis, quia ſicut ſacerdotium inſtitutum eſt quale illi tempori conveniebat, ita & lex. Ipſa enim lex multa præcepit de genere ſacerdotum, de ritu initiationis, de ſacrificiis, de victu ſacerdotum, & miniſtrorum; quare ſi ſacerdotium abrogetur, legem quoque abrogari neceſſe eſt, etenim in lege naturali alii erant ſacerdotes, & alia ſacrificia. Succeſſit lex Moſis, & cum ea novum venit ſacerdotium. Ita contingit in lege Evangelica, & ſi poſt hanc novum ſacerdotium futurum eſſet, nova quoque lex eſſet.

V. 13. In quo enim haec dicuntur, &c. In Græco eſt, ἐφ' ὅν, *in quem*. Probat id quod dixit verſ. 11. ſcilicet Chriſtum fuiſſe alium ſacerdotem ab Aaronicis, quia ſcilicet hi omnes erant ex tribu Levi, Chriſtus autem fuit ex tribu Iuda. De qua nullus altari praesto fuit, id eſt aſtitit, acceſſit, miniſtravit altari, id eſt etiam ſacerdotio functus eſt.

V. 14. Nihil de sacerdotibus locutus est: non deſignavit ex ea ſacerdotes.

V. 15. Et amplius adhuc manifestum est; ſcilicet legem transferendam, atque mutandam eſſe. Si secundum similitudinem Melchisedech, &c. id eſt, ſi ſacerdos qui exurgit ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, Chriſtum autem eſſe huiuſmodi ſacerdotem dubitari non poteſt, cum illi ſoli dictum ſit: *tu es ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech*.

V. 16. Qui non secundum legem mandati carnalis factus est. Legem mandati carnalis appellat legem Moſaicam quæ carnem circumcidere, & mundare præcipiebat per ſuas lotiones, & luſtrationes, quæ corporis, non animi ſordes abluebant. Sed secundum virtutem vitae insolubilis, id eſt quæ dat vitam nullo tempore ſolvendam, ſed æternam. Senſus ergo eſt: Sacerdotes Aaronici carnales erant, temporales & mortales: Chriſtus autem per potentiam, & virtutem Patris factus eſt ſacerdos ſemper vivens, æternus, immortalis quique vitam ſpiritualem gratiæ, & per eam vitam æternam gloriæ nobis elargiatur. Præſtat ergo Chriſtus ſacerdotibus Aaronicis.

V. 17. Contestatur enim: Deus per Davidem loquens Pſalm. cix. Quoniam: ὅτι, *quod*. Tu es sacerdos in aeternum: quia Chriſtus æternus eſt, nec moritur, ut alii ſacerdotes. Secundum ordinem Melchisedech: vide dicta ſupra cap. v. verſ. 6. Potiſſima cauſa propter quam Chriſtus dicitur ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, eſt ſimilitudo in victima, quia ſicut Melchiſedech obtulit panem, & vinum in ſacrificium, ita Chriſtus in ultima cœna ſacrificium corporis, & ſanguinis ſui inſtituit, ſub ſpeciebus panis, & vini.

V. 18. Reprobatio quidem fit praecedentis mandati, &c. quaſi dicat:

Vis ſcire cauſam abolitæ legis, & ſacerdotii? cauſa eſt legis illius infirmitas, & inutilitas, quia ſcilicet lex illa non poterat peccata expiare, nec ſalvare, & beare homines. NIHIL ENIM AD PERFECTUM ADDUXIT LEX. *Nihil*, id eſt nullum hominem ad perfectionem adduxit, id eſt ad veram iuſtitiam, quæ conſtituit hominem Deo gratum, & acceptum ad vitam æternam.

V. 19. INTRODUCTIO VERO MELIORIS SPEI: ſupple, fit vel facta eſt per Chriſtum. PER QUAM PROXIMAMUS AD DEUM. Loco præcedentis mandati, id eſt legis Moſaicæ, introducitur aliquid multo melius, nempe lex, & ſacerdotium Chriſti, ſpem nobis certiſſimam faciens appropinquandi ad Deum, per veram iuſtitiam.

V. 20. ET QUANTUM EST NON SINE IUREIURANDO; id eſt, Quantum eſt hoc? quanti a nobis fieri debet, ut ſacerdos noſter, non ſine iureiurando factus ſit ſacerdos? ALII QUIDEM SINE IUREIURANDO, &c. quaſi dicat, Aaroni, & poſteris Deus dedit ſacerdotium ſine iuramento, quaſi rem minoris momenti, & temporariam, quam firmare iuramento Deus non eſt dignatus.

V. 21. HIC AUTEM; ſcilicet Chriſtus factus eſt ſacerdos a Deo patre, qui etiam iuramentum interpoſuit, ut habemus ex Pſalmo CXI. 4. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum*, &c. Chriſtus ergo cum iuramento ſacerdos factus eſt, quaſi res & negotium Chriſti Pontificis, ſcilicet hominum reconciliatio, & ſalus magni eſſet momenti, ut proculdubio eſt.

V. 22. IN TANTUM MELIORIS TESTAMENTI, &c. Senſus eſt: Tanto potioris fœderis ſponſor, ac fideiuſſor factus eſt Chriſtus, quanto ſanctiori auctoritate, hoc eſt iuramento interpoſito, ſacerdotium iniit, cum Levitici ordinis ſacerdotes, abſque iuramento inaugurarentur.

V. 23. ET ALII QUIDEM, &c. Oſtendit ſacerdotium Chriſti Aaronico præſtare, quanto mortali præſtat immortale. In lege non erat unus Pontifex, ſed multi, quorum alter alteri ſuccedebat; Chriſtus autem, quia eſt immortalis, ſemper manet, & eſt Pontifex æternus.

V. 25. UNDE ET SALVARE IN PERPETUUM POTEST. Græce eſt, *εἰς τὸ παντελὲς* id eſt *perfecte*; & plene, & perpetuo, non tantum in hac, ſed etiam in futura vita. ACCEDENTES PER SEMETIPSUM AD DEUM: fideles, qui per fidem, & obedientiam quam Chriſto præſtant, accedunt ad Deum Patrem eiuſque gratiam, & amicitiam. SEMPER VIVENS AD INTERPELLANDUM PRO NOBIS: ſemper vivens, & munus ſuum exercere paratus, ut ſcilicet pro nobis apud Deum interpellet, id eſt oret.

V. 26. TALIS ENIM DECEBAT, UT NOBIS ESSET PONTIFEX; ſcilicet qui ſemper vivens interpellare ſemper pro nobis. SANCTUS: *ὅσιος*, id eſt *purus*, & omnis labis expers, pius etiam erga Deum, colens, & timens Deum, devotus Deo, ſacer, & ſanctus, ipſaque pietate, & ſanctimonia venerandus. INNOCENS: *ἄκακος*, id eſt *carens malitia*, & noxa, innocens, qui nemini noceat, aut male velit, ſed omnibus benefacere ſtudeat. IMPOLLUTUS: *ἀμίαντος*; *immaculatus*. Hæc tria ita videntur diſtingui, ut ſanctus reſpiciat Deum; innocens proximum; impollutus, ſeipſum. SEGREGATUS A PECCATORIBUS, id eſt ab eorum vita, & moribus longiſſime diſtans, & nihil cum illis habens commune. EXCELSIOR CAELIS FACTUS, id eſt qui penetravit omnes cælos, uſque ad ſummum: qui ſecundum naturam aſſumptam ſupremum in rebus obtinet locum.

V. 27. QUEMADMODUM SACERDOTES: Levitici. HOC ENIM FECIT SEMEL, &c. Eſt aliud argumentum, quo probat Chriſtum præcellere Aaronis ſacerdotibus. Nam hi ſæpius hoſtias offerebant tam pro ſuis, quam pro aliorum peccatis; Chriſtus autem unica oblatione omnium hominum peccata expiavit.

V. 28. LEX ENIM HOMINES CONSTITUIT SACERDOTES, id eſt pontifices ſacrorum, & ſacerdotes principes. INFIRMITATEM HABENTES, id eſt mortales, miſeros, & peccatores, quique non valeant ſuis ſacrificiis peccata expiare. SERMO AUTEM IURISIURANDI, id eſt iuramento, quo Pſal. CIX. iuravit Dominus Chriſto: *Tu es ſacerdos in æternum*. FILIUM, id eſt Chriſtum Dominum. IN AETERNUM: conſtituit Pontificem. PERFECTUM: non infirmitatem habentem, ut Levitici ſacerdotes.

TI-

T I R I N I.

Verſ. 1. MELCHISEDECH, quod idem ſonat ac *rex iuſtitiæ*, id eſt rex iuſtiſſimus ac iuſtificans; REX SALEM, id eſt *rex pacis*, id eſt pacificus ac pacificator, nomine ſuo figuram præfert Chriſti, qui *factus eſt nobis iuſtitia*, & *ſanctificatio*, & *redemptio* a.

V. 3. SINE PATRE, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA: non quod his caruerit, ſed quod nobis ignoti ſint, cum nulla, ſeu avorum, ſeu parentum eius memoria fiat in Scripturis, quæ non Gentilium (qualis erat Melchiſedech, unus ex regulis Chananæorum, teſte Ioſepho, S. Dionyſio, Epiphanio *b* & Theodor.) ſed ſolorum Hebræorum genus & hiſtoriam pertexunt. Simili phraſi *terræ filium* vocamus qui ignotis & obſcuris parentibus natus eſt: ita Hippolytus, Euſebius, Irenæus & alii apud S. Hieronymum *c*: qui & repellunt fabulas Melchiſedechianorum hæreticorum, contendentium Melchiſedech eſſe *Spiritum ſanctum* incarnatum: itemque Origenis & Didymi, eſſe angelum: denique & Samaritanorum, & quorumdam modernorum, fuiſſe *Sem*: nam *Sem* in Scripturis vocatur *filius Noe d*: ergo non eſt *ſine patre*. NEQUE INITIUM, NEQUE FINEM VITAE HABENS in Scripturis, quæ non meminerunt, ſeu nativitatis, ſeu mortis Melchiſedechi, (ſicut meminerunt Aaronis:) & conſequenter nec meminerunt finis ſacerdotii Melchiſedechi, qui hoc etiam ipſo *aſſimilatus* eſt FILIO DEI, & figura fuit *æterni ſacerdotii* ſeu pontificatus ipſius: ita Syrus, Chryſoſt. Theophyl. & Oecumenius.

V. 4. INTUEMINI & ſerio expendite, quot nominibus Melchiſedech typus Chriſti, præcellat ſacerdotibus Aaronicis. Nam Primo, horum omnium pater ABRAHAM DECIMAS Melchiſedecho quaſi digniori DEDIT DE PRAECIPUIS, ἐκ τῶν ἀκροθινίων, id eſt ex optimis ſpoliis: ita Theophylactus & Anſelmus. Sicut ius decimarum, quas ſacerdotes Aaronici

V. 5. DE FILIIS LEVI a Deo ad id munus delecti, iubentur SECUNDUM LEGEM SUMERE A reliquo toto POPULO, etiam A FRATRIBUS SUIS, aliis Levitis; arguit, illos eſſe maiores ac digniores reliquis ex eadem alioqui ſtirpe prognatis, Quanto magis

V. 6. Melchiſedech, CUIUS GENERATIO NON ANNUMERATUR IN EIS, id eſt non attexitur genealogiæ Hebræorum, ſed ex alia ſtirpe oriundus fuit; & ex eo comprobatur præcelluiſſe Abrahamo, quod DECIMAS *ab* eo *acceperit*? Secunda præcellentia: Melchiſedech Abrahamum, QUI iam excellentes benedictiones a Deo ſibi *promiſſas* HABEBAT *f*, tamquam *minorem ſe* BENEDIXIT, utique illo *melior*, κρείττων: id eſt maior, dignior. Sequitur tertia præcellentia:

V. 8. HIC, id eſt in lege, ſeu in familia Aaronis, HOMINES qui DECIMAS a fratribus ſuis ACCIPIUNT, ſunt omnes mortales & ſuo tempore MORIENTES: IBI AUTEM, id eſt in hiſtoria & geſtis Melchiſedechi, Geneſ. XIV. 18. & Pſal. CIX. 4. ubi agitur de eius ſacerdotio, CONTESTATUR Scriptura, QUIA VIVIT, nempe eo ipſo quo de morte eius nihil commemorat, ſed quaſi immortalem & *æternum ſacerdotem* celebrat. Neque ſolum Abraham, ſed &

V. 9. & 10. PER ABRAHAM ET iam LEVI & Aaron omneſque Aaronici ſacerdotes, QUI nunc DECIMAS a reliquo Iſraele *accipiunt*, DECIMATI SUNT, id eſt decimas dederunt Melchiſedecho, nempe cum ADHUC eſſet *in Abrahæ* LUMBIS, id eſt in eius naturali vi ſeminativa, ſeu generativa, cuius prima origo eſt in lumbis. Perinde enim hic ſe geſſit Abraham cum Melchiſedecho, atque princeps qui pro ſe, & pro tot a poſteritate ſua, obedientiam regi præſtat & offert. Et hæc eſt quarta præcellentia.

Dices, Etiam Chriſtus fuit in lumbis Abrahæ: ergo æque ac Aaron ſic decimas dedit. Reſpondeo, nego antecedens: quia Chriſtus non eſt proſeminatus ex naturali vi ſeminativa Abrahæ, puta ex commiſtione maris & feminæ, ſed modo & vi prorſus ſupernaturali *g*: ita S. Aug. & D. Thom. *h*

V. 11. PER SACERDOTIUM LEVITICUM non ERAT CONSUMMATIO, id eſt *i perfectio*: nam nec ipſum ſacerdotium perfectum in ſe erat, ſed tantum typus, ſeu figura: nec perfecte expiabat peccata, nec reconciliabat homines Deo: (ut fit per ſacerdotium Chriſti figuratum ſacerdotio

Melchiſedechi. Et hæc quinta præcellentia:) ſicut nec *lex* quam POPULUS SUB IPSO; Græce, *tempore ſacerdotii eius*, ACCEPIT. Nam ſi *ſacerdotium Leviticum*, vel *lex* Moſaica, perfeciſſet homines, nempe ſi vim habuiſſet vere iuſtificandi & ad cælos perducendi, (quæ nobiliſſimæ hominis perfectiones ſunt;) QUID NECESSARIUM FUIT, ALIUM SURGERE SACERDOTEM, NON SECUNDUM ORDINEM AARON, ſed SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH? maxime cum

V. 12. TRANSLATO SACERDOTIO Aaronico, & altero ei ſuffecto, NECESSE *ſit* UT ET LEGIS TRANSLATIO FIAT? cum eiuſdem ſint rationis & conditionis, & maior legis pars occupetur in iis decernendis quæ ſacerdotes concernunt, v. g. de qualitatibus ſacerdotum, de ritibus initiationis & expiationis, de victimis, de victu, de amictu, de miniſtris, de opibus eorumdem, &c. quæ ſi abrogentur, legem quoque abrogari neceſſe eſt. Porro ſacerdotem qui Aaronicis ſucceſſit, nempe Chriſtum, prorſus alium eſſe ab Aaronicis ſacerdotibus, vel inde patet, quod is

V. 13. IN QUO, id eſt de quo, HAEC DICUNTUR, nempe Chriſtus, non ut illi ex tribu Levi, ſed DE ALIA TRIBU, nempe Iuda, oriundus ſit, DE QUA tribu NULLUS umquam ALTARI PRAESTO FUIT, ſeu aſtitit vel miniſtravit, vel ſacerdotio functus eſt: &c.

V. 14 DE SACERDOTIBUS IN ea TRIBU deſignandis, vel ex ea deſumendis, NIHIL umquam MOYSES LOCUTUS EST, aut decrevit Deus per Moyſen.

V. 15. & 16. AMPLIUS, ſeu magis adhuc, MANIFESTUM EST diſcrimen: (& hæc ſexta præcellentia) quod hic ALIUS SACERDOS, nempe Chriſtus, NON *ſit* FACTUS, ſeu creatus, SECUNDUM LEGEM MANDATI CARNALIS, id eſt ſecundum legem Moſaicam, quæ nonniſi carnales victimas & ceremonias præſcribit: SED SECUNDUM VIRTUTEM ſeu potentiam divinam & extraordinariam, non brevi interiturus, ut Aaronici, ſed VITAE INDISSOLUBILIS, ſeu immortalis, pontifex ſemper vivens, ſemper vigens, idque

V. 17. IN AETERNUM, ut infra videbimus. Sequitur ſeptima præcellentia.

V. 18. & 19. *Præcedens mandatum*, id eſt lex Moſaica, & legis proles ſacerdotium Aaronicum, erat *infirmum*, imbecille *&* *inutile*, id eſt inſufficiens ad iuſtificandum & ſalvandum: ideoque merito *reprobatum*, id eſt reiectum & abolitum fuit a Deo. INTRODUCTIO VERO, id eſt ſacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedechi ſubintroductum in locum Aaronici, eſt MELIORIS SPEI, quia potentiſſimum atque efficaciſſimum eſt ad iuſtificandum & ſalvandum: unde & per illud appropinquamus, immo proximi reddimur Deo, eiuſque amici, filii & hæredes. Vide & octavam præcellentiam.

V. 20. & 21. SINE IUREIURANDO SACERDOTES FACTI SUNT Aaronici: Chriſtus vero CUM IUREIURANDO, IN TANTUM MELIORIS TESTAMENTI SPONSOR, id eſt tanto potioris, firmioris, ſtabilioris fœderis fideiuſſor factus, quanto ſanctiori auctoritate, puta iuramento divino ſacerdotium & pontificatum ſuum iniit.

V. 23. ET ALII QUIDEM. Aaronici pontifices multi numero fuerunt, quorum unus alteri ſuccedebat, quia ſinguli ſuo tempore moriebantur:

V. 24. & 25. HIC AUTEM Chriſtus, quia eſt immortalis, etiam SACERDOTIUM, ſeu pontificatum (& hæc ſit nona præcellentia,) HABET SEMPITERNUM. Primo, quia ſacerdotio Chriſti nullum aliud umquam ſuccedet, inquit Theodoretus & S. Thomas: neque enim Petrus ſucceſſor Chriſti fuit, ſed ſolum vicarius. Secundo, quia (ut ſequitur v. ſeq.) ſacrificium paſſionis Chriſti (cuius commemoratio ac repræſentatio eſt ſacrificium Euchariſticum,) ex ſe habet intrinſecam virtutem æternam, *ſalvandi* omnes quotquot IN PERPETUUM *accedent* fide & piis operibus PER Chriſtum AD DEUM. Tertio, quia per miniſtros ſuos in Eccleſia perpetuo uſque ad finem mundi offeret ſacrificium Miſſæ, in quo Chriſtus ipſe & victima eſt & offerens principalis, ut docet Trident. *n.* Denique quia Chriſtus etiam in cælis perpetuo continuat ſacrificium ſuum, ſcilicet Deo Patri illud offerendo, PRO NOBIS orando & *interpellando*, quatenus nimirum homo eſt: quæ enim nunc in cælis, atque olim ſolebat in terris, eſt advocatus, mediator & pontifex noſter, cuius eſt orare, interpellare, poſtulare: ita S. Ambr. Nazianz. Aug. Ribera & Suarez.

Dices: Quidquid Chriſtus meruit & im-

impetravit, id omne in hac vita impetravit: ergo iam non orat pro nobis in cælo. Reſpondeo, nego conſequ. orat enim non ut denuo mereatur aut impetret, ſed ut id quod impetravit expleatur.

V. 26. SEGREGATUS A PECCATORIBUS; id eſt, a vita & moribus peccatorum longiſſime diſtans. En decimam præcellentiam: item undecimam: EXCELSIOR CAELIS, quos in aſcenſione omnes penetravit, & primum in eis locum tenet etiam ſecundum naturam humanam. Unde ſequitur duodecima:

V. 27. NON HABET NECESSITATEM PRO SUIS DELICTIS expiandis HOSTIAS OFFERRE DEO, ut debebant SACERDOTES Aaronici. Sed neque habet neceſſitatem (& hæc eſt decimatertia) *pro delictis* POPULI *quotidie hoſtias offerre*: HOC ENIM FECIT & perfecit SEMEL, nempe in cruce, OFFERENDO iſtic non bruta animalia, ſed SEIPSUM.

Obiicit Beza: Ergo Miſſa non eſt ſacrificium, quia Chriſti ſacrificium unicum eſt. Reſpondeo neg. conſ. Quia de ſolo ſacrificio Chriſti cruento dicit hic Paulus quod ſit unicum, non vero de incruento, quale eſt Miſſa. Quamquam etiam Miſſa cenſeatur unum idemque ſacrificium, tum cum ſacrificio Chriſti cruento, quia illius eſt commemoratio ac repræſentatio, & utriuſque eadem eſt hoſtia: tum inter ſe, quia in omnibus Miſſis una eademque hoſtia ab uno eodemque principali ſacrificante offertur, ut ſupra dixi *o*.

Petes, Quid opus tam frequenti reiteratione oblationis eiuſdem hoſtiæ. Reſpondeo, Ut frequentius applicetur nobis & aliis pretium ac fructus mortis Chriſti, ſicut applicatur etiam per Sacramenta & bona opera. Denique pro decima-quarta præcellentia,

V. 28. SERMO IURISIURANDI, id eſt iuramentum Pſal. CIX. 4. expreſſum, POST LEGEM, id eſt quo decernitur de ſacerdotio futuro poſt ſublatam legem Moſaicam, CONSTITUIT non plures SACERDOTES, ſed unicum; non Aaronis aut Levi, ſed Dei FILIUM; non ad breve tempus, ſed IN AETERNUM, non infirmum & ærumnoſum peccatorem, ſed ſanctum innocentem, impollutum, immortalem, & omni ex parte PERFECTUM, qui unico ſacrificio ſufficiens lytrum toti mundo redimendo ac ſalvando perſolvit; cum omnes ſimul Aaronici ſacerdotes innumeris ſuis ſacrificiis non poſſent vel unicum hominem a peccatis ſuis expedire: ita S. Chryſoſt.

Nota, ſæpius hic a S. Paulo (ut & a David *p*) Chriſtum vocari *ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech*, non quod Chriſti ſacerdotium fuerit inſtitutum a Melchiſedech, vel plane ſimile ſacerdotio illius: (nam conſtat ſacerdotium Chriſti, ut longe nobilius eſt, ita etiam excellentioris ordinis eſſe atque originis:) ſed quia illud ſimillimum fuit in aliquibus iam dictis, maxime vero in hoſtia panis & vini, ut vidimus in Geneſi *q*. Unde colligunt SS. Patres, oblationem Euchariſtiæ inſtitutam a Chriſto in ultima cœna, eſſe verum, proprie dictum & unicum ſacrificium novæ legis. Nullo enim alio loco, nullo alio modo declaravit Chriſtus ſe eſſe *ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech*, niſi in ultima cœna, offerendo ſeipſum ſub ſpeciebus panis, & vini. Nam ſacrificium crucis fuit potius ſecundum ordinem Aaron.

Petes, Cur hanc præcipuam ſimilitudinem, ſcilicet in hoſtia, omittit hic Paulus? Reſpondeo, Quia hic tantum enumerat ea quibus conſtabat Melchiſedechum præcellere Aaronicis: iam vero in hoſtia non videbatur præcellere, ſed cedere Aaronicis, quia hi animalia viva, ipſe aridum panem offerebat: deinde Hæbrei nondum ſat capaces videbantur Paulo tam ſublimis myſterii, ut ſupra indicavit *r*.

(a) Epheſ. II. 14.
(b) Ioſeph. Lib. I. Antiq. cap. VII. Dion. cæl. Hierar. cap. IX. Epiph. hæreſi LV.
(c) Hier. epiſt. CXXVI. ad Evagrium.
(d) Geneſ. VI. 18.
(e) Num. XVIII. 26.
(f) Gen. XII. 2.
(g) Lucæ I. 35.
(h) Auguſt. Lib. X. de Gen. ad litteram cap. X. D. Thom. III. p. q. XXXI. 8.
(i) Hic cap. II. 10.
(k) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 19.
(l) Hic verſ. 24.
(m) Pſal. CIX. 4.
(n) Trident. ſeſſ. XXII. cap. I. & 2.
(o) Hic verſ. 14.
(p) Pſal. CIX. 4.
(q) Geneſ. XIV. 18.
(r) Hic cap. V. 11.

COR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1. HIſtoriam hanc de decimis ſpoliorum, quas Abrahamus dedit Melchiſedecho vide Gen. cap. XIV. 18. quando victis quinque regibus Melchiſedech benedixit Abrahamo; ex citato loco Geneſcos. REX SALEM. Eſt Ieruſalem, ut ibidem in Geneſi, & cap. XXXIII. obſervavi, licet alicubi diſſentiat Hieronymus. Immo Ieruſalem conditam a Melchiſedecho, & nominatam Salem ſcribit Ioſephus Libr. VII. belli, cap. XVIII. שלם *Salem*. SACERDOS. Inepte Calvinus כהן *Cohen* vertit principem, cum hic Paulus vocet ſacerdotem Dei. Adde Pſalm. CIX. *Sacerdos* Chriſtus, *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Annon etiam hic offert panem & vinum in ſacrificium? τὸ ENIM initio verſiculi eſt cauſalis ex fine capitis ſexti.

V. 2. CUI ET DECIMAS.) Ex ſpoliis regum obtulit Abraham decimas Melchiſedecho. Dixi in Chro. XLIV. cap. V. Abrahamum multis videri primogenitum, ac proinde (ex more illorum temporum) eſſe ſacerdotem: tamen offert decimas Melchiſedecho, ut maiori, & Pontifici: in quo erat typus Chriſti. Addit hic Apoſtolus nominis interpretationem. Typus etiam in hoc Chriſti, qui eſt Rex iuſtitiæ & pacis. Notæ ſunt voces Hebraicæ: vide quæ dixi Gen. XIV. 18. in Calvinum.

V. 3. SINE PATRE, SINE MATRE.) Non ergo eſt Sem filius Noe, de cuius progenitoribus conſtat ex Scripturis: nec Angelus eſt; tam enim ex Geneſi, quam ex Paulo conſtat fuiſſe hominem. Reſtat fuiſſe unum ex Regibus Chananæorum, & ut dixi, Salem. Et quidem ideo proponitur ſine patre, quia eius genealogiam non dedit ſacra Scriptura. Ergo ἀγενεαλόγητος eſt. *Sine initio & fine dierum*, quia Scriptura nec meminit nativitatis, nec mortis. ASSIMILATUS AUTEM. Hoc dicitur de figura & typo Chriſti. Manet vero in æternum, quia in Scriptura nec mortis fit mentio, nec finis ſacerdotii eius. Compone iam omnia dicta de hoc ſacerdote cum Chriſto, conſtabit plene eſſe typum ſacerdotis Chriſti ex nomine, officio, generatione, duratione, ſacerdotio, pontificatu, & oblatione panis & vini. Vide Trid. Seſſ. XXII. cap. I. & II. quomodo ex his probetur optime Miſſam eſſe ſacrificium.

V. 4. INTUEMINI AUTEM. Huc uſque propoſuit hiſtoriam ad litteram de Melchiſedecho: nunc venit ad ſenſum allegoricum, & ſub hoc typo ad latentem Chriſtum ſacerdotem, ut oſtendat ſublimius eſſe ſacerdotium Chriſti, & ceſſaſſe Aaronicum. Conſiderandum eſt, quantus ſit Melchiſedech, maioris dignitatis, & cui obtulit non munera, ut ait Caietanus, ſed vere decimas Abrahamus Patriarcha (ex quo ſunt Levitici ſacerdotes) ut hinc quiſque intelligat quanto præſtantius ſit Aaronico ſacerdotio ſacerdotium Chriſti, utpote ſignificatum per ſacerdotium Melchiſedechi. Videmus in hoc argumento Abrahamum poni maiorem Aarone, minorem Melchiſedecho. Idemque eſſe ſacerdotium Abrahæ (ſi quod habuit) & Aaronis, & demum apud Chriſtianos eſſe ius ſacerdotii promanans a Chriſto.

V. 5. ET QUIDEM. Aliud argumentum: Qui dat decimas, minor eſt eo, qui accipit: Sacerdotes Aaronici accipiebant decimas a fratribus Iſraelitis, & licet eſſent fratres, ſacerdotes & populus, tamen populus hoc ipſo quod daret decimas, erat inferior accipiente: ergo etiam Abraham dans decimas Melchiſedecho erat inferior. Hinc ſtatue, ut dixi, de ſacerdotio Chriſti, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, comparato ad Aaronicum. CUIUS AUTEM (verſo ſexto) GENERATIO, hoc eſt, Melchiſedech poſitus ſine genealogia accepit decimas ab Abrahamo, & hunc Abrahamum habentem promiſſiones benedixit, Ergo. Adde, minorem a maiore benedici, verſ. 7.

V. 8. ET HIC QUIDEM. Iterum probat præſtantius eſſe ſacerdotium Melchiſedechi; quia ſacerdos Melchiſedech introducitur ut vivens, permanens nulla facta mortis mentione, & proinde ſine ſucceſſore; tale eſt ergo Chriſti ſacerdotium: ergo præſtantius Aaronico. CONTESTATUR, teſtimonium perhibetur.

V. 9. ET, UT ITA DITUM SIT. Explicat adhuc magis excellentiam ſacerdotii Melchiſedechi & Chriſti: Quando, inquit, Abraham ſolvit decimas Melchiſedecho, tunc in Abrahamo dante, decimatus eſt & Levi (nondum natus, ſed in lumbis Abrahæ.) Ergo & Abraham & Levitæ ſic decimati inferiores ſunt. PER ABRAHAM, in Abrahamo.

V. 11.

Digitized by Google

V. 11. SI ERGO CONSUMMATIO. Probat, quod volebat, ex infirmitate ſacerdotii Aaronici; quaſi diceret: Quorſum iuxta Pſalmum cix. promiſit Deus novum ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, ſi Aaronicum fuiſſet ſufficiens ad perficiendos homines ad vitam æternam per iuſtificationem ab impietate. Nihil, inquam, neceſſe fuit: *Populus enim ſub lege*. Hoc eſt, habebat enim populus & legem ſuam, & cum lege ſacerdotium: ſi ergo prius ſacerdotium, & lex vetus non ſufficiebat, debuit ſubſtitui aliud perfectum & promiſſum ſacerdotium: quia vero lex & ſacerdotium ſunt coniuncta, debuit (verſ. 12.) translato ſacerdotio, lex etiam transferri. An ſit mutatus decalogus, alibi.

V. 13. IN QUO ENIM. Probatum eſt eſſe excellentius novum ſacerdotium. Probat hic, quod inſinuatum eſt verſu undecimo, ſacerdotium Chriſti eſſe diverſum ab Aaronico. Sacerdotes enim Moſaici, ſunt ex tribu Levi: Chriſtus ſacerdos eſt ex tribu Iuda. IN QUO HAEC DICUNTUR, de quo dicuntur. Hinc uſque ad verſum viceſimum oſtendit ex Pſalmo eſſe novum & diverſum ſacerdotium: & quia mutatum eſt ſacerdotium, mutari legem, & utrumque denique mutari, quia utrumque infirmum erat, & non ſufficiens ad ſanctificationem.

V. 15. ET AMPLIUS. Porro, inquit, manifeſtum eſt eſſe diverſum ſacerdotium Chriſti & Leviticum, quia verum eſt, factum eſſe ſacerdotem novum & diverſum, qui non ſit ſecundum legem Moſis, & carnalis mandati; ſed ad ſimilitudinem Melchiſedech: alium, inquam, non deſinentem umquam, ſed ſecundum virtutem vitæ immortalis, per internam unctionem unionis hypoſtaticæ, reſtante citato Pſalmo cix. *in æternum*. Nota hic mandatum Moſaicum vocari carnale, propter carnis circumciſionem, lotiones & alias carnales ceremonias: Chriſti mandatum ſpirituale & æternum: nam Meſſias manet in æternum.

V. 18. REPROBATIO QUIDEM FIT. Probat abolitam etiam fuiſſe veterem legem propter eius infirmitatem: non enim poterat peccata expiare, & ſalvare homines. Lex ergo nova inducta eſt ſpem habens meliorem, nempe vitæ æternæ.

V. 20. ET QUANTUM EST. Redit ad probandam excellentiam ſacerdotii Chriſti, quod hoc mandatum, & hoc ſacerdotium ſpem augeat; quæ omnia firmata ſunt iureiurando. Hoc etiam confirmat quod dictum eſt, verſ. 18. de ſpe, quando fideiuſſor factus etiam eſt Chriſtus (verſ. 22.)

V. 22. 23. & 24. Omnia hæc novi fœderis etiam in hoc ſunt excellentiora, quod ſint firmata auctoritate illa ſanctiore (accedente iuramento) ſponſore ſeu mediatore Chriſto, & permanſura. Nam in veteri lege multi erant ſacerdotes ſibi ſuccedentes, & mortales: at Chriſtus manet ſine ſucceſſore. Moſaica vero non habebant ſponſorem permanentem. Chriſtus itaque cum ſucceſſorem non habeat, quia non moritur, ſed vicarium, & maneat ſponſor, fideiuſſorque; fiet ut firma nobis maneat promiſſio a Deo de vita æterna.

V. 25. & 26. UNDE ET SALVARE. Non ſic Aaronici ſacerdotes, qui tantum dant temporalia: Chriſtus æternam dat ſalutem. Lege autem ACCEDENTES, non vero accedens. Accedentes autem ſunt fideles, qui per fidem & gratiam ſequuntur Chriſtum. *Interpellat* ille pro nobis, ut Pontifex noſter. Et hoc illi proprium eſt: qui vero alii ſunt in cælo, orant pro nobis ut privati, non amplius ut ſacerdotes. Addit verſ. 26. ſacras dotes Pontificatus Chriſti. Orat vero Chriſtus, non oratione nova, ſed antiqua, quæ manet præſens ſemper in conſpectu Dei. Non quidem oratione meritoria, ut olim apud nos, ſed rogat & exigit ius pro merito, & ſibi promiſſum. EXCELSIOR CAELIS, cæleſtibus ſpiritibus: vel etiam penetrans cælos uſque ad ſummum.

V. 27. QUI NON HABET. Denique præcellit Chriſti ſacerdotium ſupra Aaronicum, quia Chriſtus offert ſacrificium pro peccatis non ſuis, ſed alienis, ſcilicet hominum, & hoc ſemel tantum fecit. Nec Chriſto profuit ut ſacrificium, ſed ut meritum. Non ſic Aaronitæ. Pro ſe ergo ne ſemel quidem obtulit.

Dicet Novator, Ergo unicum tantum habuit lex nova ſacrificium; unde ergo quotidianum in Miſſa ſacrificium? Reſpondeo, Unicum eſt reipſa ſacrificium redemptorium, quod fuit cruentum & in cruce peractum: quod vero in Miſſa repetitur & offertur, eſt ut applicatorium redemptionis

nis & ſatisfactionum. Sicut nempe etiam per baptiſmum & alia ſacramenta applicatur nobis ſacrificium illud redemptorium. Nec in Miſſa offerimus novum pretium pro peccatis, ſed illud pretium nobis applicamus: alioqui in utroque ſacrificio cruento & incruento idem eſt ſacerdos primarius, qui offert eandem hoſtiam, licet in modo ſit diſcrimen.

℣. 28. Lex enim. Pro coronide & fine capitis proponit collectam ex hac diſputatione antitheſin inter ſacerdotium Chriſti & Aaronicum. Sermo iurisiurandi (lex iuramento firmata) dat ſacerdotem æternum.

CAPUT VIII.

Excellentius eſt Chriſti Sacerdotium Levitico, cum ipſe in dextera Patris ſedeat in cælis, & maiorum ſacramentorum miniſter fuerit quam ſacerdotes veteris legis: oſtendit etiam novi Teſtamenti neceſſitatem ex imperfectione veteris, & ex promiſſione Dei per Ieremiam.

1. CApitulum autem ſuper ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, 2. ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. 3. Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur; unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat: 4. ſi ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos: cum eſſent qui offerrent ſecundum legem munera, 5. qui exemplari & umbræ deſerviunt cæleſtium. Sicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret tabernaculum: (a) Vide (inquit) omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte. 6. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediatore eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. 7. Nam ſi illud prius culpa vacaſſet: non utique ſecundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos, dicit: (b) Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda, teſtamentum novum; 9. non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de Terra Ægipti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. 10. Quia hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: 11. & non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me a minore uſque ad maiorem eorum: 12. quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. 13. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.

(a) Exod. xxv. 40. Act. vii. 44. (b) Ierem. xxxi. 31.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. & 2. CAPITULUM AUTEM SUPER EA; id eſt, ſumma & caput eorum, quæ dicta ſunt, hæc eſt; quaſi diceret: Multa de Chriſti pontificio & ſacerdotio diximus, omnium autem ſumma & ſcopus (nam utrumque ſignificat τὸ κεφάλαιον) huiuſmodi eſt, TALEM HABEMUS PONTIFICEM, id eſt, ſanctum, innocentem, impollutum, &c. qualem paulo ante deſcripſimus, vel talem qui conſedit IN DEXTERA SEDIS MAGNITUDINIS IN CAELIS; id eſt, qui in plenitudine divinæ maieſtatis habitat SANCTORUM MINISTER, id eſt ut quidam dicunt, qui ſanctis beatitudinem adminiſtrat, ſicut in parabola evangelica dicit, *Præcinget ſe & tranſiens miniſtrabit illis*: aut quia pro illis, quod pontificis eſt munus, apud Deum interpellat: vel melius ſanctorum vocabulo conformiter ad vetus pontificium veriſſima ſancta ſanctorum intelligere debemus, hoc eſt reconditiſſima Dei Patris arcana, quorum adminiſter & proxeneta Chriſtus eſt, his quibus vult. Horum ergo ſanctorum miniſter eſt Chriſtus, & tabernaculi veri quod fixit Deus & non homo, quod quidem tabernaculum nonnulli ſummum cælum, ipſam ſcilicet beatorum ſedem interpretantur: poſſumus quoque & ipſam beatitudinem qua fruuntur ſancti, & in qua habitantes quieſcunt, intelligere.

V. 3. OMNIS ENIM PONTIFEX. Probat hoc loco quod Chriſtus ad dexteram patris aſſumptus vere pontificis miniſterium agat & Deo patri pro nobis hoſtiam offerat: *Omnis enim pontifex* AD OFFERENDUM MUNERA ET HOSTIAS CONSTITUITUR & inſtituitur. *Hoſtias* autem carnales victimas quæ in cruore offeruntur intelligunt, *dona* autem indifferenter, & munera, quaſcunque oblationes. Quum ergo pontificis partes ſint offerre pro populo, neceſſe eſt hunc Chriſtum habere aliquid quod offerat, nimirum humanitatem aſſumptam, quam ſemel in ara crucis immolatam Deo patri pro nobis iugiter offert, ac præſentat. Vere ergo ſanctorum miniſter eſt; ne videatur autem mirum quod tunc pontificem noſtrum in cælis habitare dixerit, atque ita illum minime videamus, probat ex oppoſito nequaquam illum aliter verum pontificem, ac ſacerdotem futurum, dicens:

V. 4. SI ERGO ESSET SUPER TERRAM. Hunc locum ſic exponunt Græca ſcholia: Si in terris adhuc ageret Chriſtus, nec mortuus eſſet, ac per reſurrectionem in cælum aſſumptus, ne vere quidem ſacerdos eſſet; quoniam non haberet quam patri offerret ſufficientem hoſtiam: ſolum enim Chriſti corpus piacularis & expiatrix peccatorum noſtrorum victima ſufficiens eſſe potuit: mortuus eſt ergo, ut ſemetipſum hoſtiam pro nobis offerret; & a reſurrectione in cælum aſſumptus, ut vera ſancta ſanctorum cum corpore ingreſſus verus pontifex illo pro nobis ſacra faceret, hoc eſt, pro nobis apud Deum interpellaret: nam poſt peractum illud in cruce ſacrificium, nil ſupereſt niſi ut pro nobis ipſe interpellet. Si ergo eſſet adhuc ſuper terram nec mortuus eſſet; non eſſet verus ſacerdos, quippe cui nulla ſuppeteret vera hoſtia (quum præter eius mortem nulla eſſet digna) & eſſent alii ſacerdotes qui ſecundum legis inſtitutionem terrena offerrent munera & carnales hoſtias. Si ergo ſuper terram adhuc eſſet, & pontificium exerceret in terris nondum mortuus; nec perfectam illam ſui corporis hoſtiam immolaret, ſed ſimilem cum Leviticis ſacerdotibus: non eſſet plus quam illi verus ſacerdos, immo ne ſacerdos quidem eſſet; quia quum terrenum tantum offerret ſacrificium, non eſſet æternus ſecundum ordinem Melchiſedech ſacerdos, nec ſacerdos quidem Leviticus qui de tribu Levi non eſſet, unde legis aſſumuntur ſacerdotes, de quibus ſubdit:

V. 5. QUI EXEMPLARI ET UMBRAE DESERVIUNT CAELESTIUM, id eſt, qui tabernaculo legali deſerviunt: quod eſt exemplar & umbra rerum cæleſtium & tabernaculi illius cæleſtis. Quod autem tabernaculum exemplar eſſet cæleſtis probat dicens, SICUT RESPONSUM EST MOYSI, QUUM CONSUMMARET TABERNACULUM; VIDE, INQUIT, OMNIA FACITO SECUNDUM

DUM EXEMPLAR, QUOD TIBI IN MONTE MONSTRATUM EST. Aſſerunt enim doctores, & hoc loco Græci, quod Moyſi in monte Dominus non modo corporalem formam tabernaculi materialis oſtenderit, ſed etiam cæleſtis, & arcana illi cæleſtia aperuerit, ac ſpirituale tabernaculum; in cuius figuram & umbram quandam materiale tabernaculum ædificavit.

V. 6. NUNC AUTEM MELIUS. Antea dixit, ſi eſſet ſuper terram & needum mortuus eſſet, ne vere quidem ſacerdos foret, quum ſacerdotes legales eſſent, qui ſimiles cum illo hoſtias offerre poſſent: *nunc autem mihi*, inquit, *melius* SORTITUS EST MINISTERIUM, præſtantius ſcilicet ſacerdotium in cælis, quam illi in terris; & tanto præſtantius, quanto melioris teſtamenti mediator eſt & largitor, ſcilicet Evangelii. Quod autem præſtantius ſit Evangelii teſtamentum quam legis, oſtendit, dicens, QUOD IN MELIORIBUS PROMISSIONIBUS SANCITUM EST & confirmatum. Vetus enim teſtamentum temporalia aut terrena bona promittebat, dicens: *ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, & ſimilia*. Novum, cuius mediator eſt Chriſtus, æterna promittit, ac cæleſtia, ſcilicet regnum cælorum & ſalutem æternam: conſequenter quoque pergit oſtendere excellentiam novi ſupra vetus, dicens:

V. 7. NAM SI ILLUD PRIUS CULPA VACASSET. Græce *ἄμεμπτος ἦν*, id eſt irreprehenſibile fuiſſet, non equidem tamquam malum in ſe continens, ſed tamquam imperfectum; hoc eſt, ſi perficere ſui obſervatores potuiſſet & iuſtificare, non utique ſecundi locus inquireretur, id eſt neceſſe non fuiſſet novum, ac ſecundum teſtamentum accedere, quod tamen ex ordinatione Dei acceſſit.

V. 8. uſque ad 13. VITUPERANS ENIM EOS, &c. Græce *μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς*; id eſt, conquerens enim de ipſis Deus dicit per Hieremiam, ſcilicet, XXXI. cap. *Ecce dies veniunt*, &c quibus verbis novum teſtamentum ſe daturum Deus pollicetur domui Iuda ſpirituali, id eſt Chriſtum vere confitentibus, atque omnino aliud, unde addit, NON SECUNDUM TESTAMENTUM QUOD FECI PATRIBUS EORUM, IN DIE QUA APPREHENDI MANUM ILLORUM, UT EDUCEREM EOS DE TERRA AEGYPTI, id eſt, non ſecundum teſtamentum, id eſt non tale quale illis ab AEgypto liberatis in Sina monte dedi: hoc autem teſtamentum deſignavit, ne teſtamentum & pactum Abrahæ factum repudiaſſe videretur. Quale autem futurum ſit hoc novum teſtamentum, ſubdit, dicens: DABO LEGES MEAS IN MENTEM EORUM, ET IN CORDE EORUM SUPERSCRIBAM EAS. Lex enim Evangelica Apoſtolis & diſcipulis non eſt ſcripto tradita, neque velut olim Iudæis, litteris deſcripta in lapidibus, ſed per Spiritum ſanctum, Quod vero ait, ET NON DOCEBIT UNUSQUISQUE, non ad hæc tempora referendum eſt, quibus per malitiam hominum, & iam refrigeſcente caritate, doceri ac docere viciſſim indigemus; ſed ad tempora Apoſtolorum, in quibus ſtatim accepto Spiritu fideles nullo labore docebantur quæ ad fidem ſpectabant, & hoc, inquit: QUIA PROPITIUS ERO INIQUITATIBUS EORUM, *& peccata* EORUM NON RECORDABOR AMPLIUS; mens enim a peccatis mundata, prædicantibus Apoſtolis conſeſtim Chriſti fidem ſuſcipiebat. Hunc autem locum ex Hieremia adduxit Paulus, ut probaret prædictam eſſe veteris teſtamenti abrogationem, ſuccedente novo: unde ſubdit:

V. 13. DICENDO AUTEM NOVUM, VETERAVIT PRIUS: QUOD AUTEM ANTIQUATUR ET SENESCIT, PROPE INTERITUM EST; quaſi diceret: Nequaquam aliud teſtamentum novum appellaret, niſi vetus antiquando ſciret, ac proxime interiturum & ceſſaturum; quod utique factum eſt ſuccedente Evangelio.

S A.

Verſ. 1. CAPITULUM, id eſt ſummarium; quaſi dicat, Dicam breviter fuſius explicata. DICUNTUR; pro dicta ſunt. MAGNITUDINIS, id eſt maieſtatis, ſcilicet Dei.

V. 2. SANCTORUM, id eſt ſanctuarii, ſcilicet Eccleſiæ. VERI: ad differentiam figuralis.

V. 3. ENIM; pro, autem. OFFERAT, ſcilicet ſeipſum obtulit in cruce, & quotidie offert in altari.

V. 4. SUPER TERRAM, ſcilicet ut more aliorum Sacerdotum miniſtraret. NEC; pro, non. SACERDOS, ſcilicet quia non eſt

Digitized by Google

eſt de tribu Levi. ESSENT, ſcilicet ſacerdotes de tribu Levi.

V. 5. CONSUMMARET; pro, conſummaturus eſſet, id eſt perfecturus. EXEMPLAR. Intelligit Paulus etiam per id ſignificatum illud exemplar quoddam fuiſſe tabernaculi cæleſtis.

V. 6. MELIUS, id eſt excellentius. MINISTERIUM, ſcilicet ſacerdotii. TESTAMENTI, id eſt pacti. IN; pro, cum. REPROMISSIONIBUS; pro, promiſſionibus. SANCITUM, id eſt confirmatum.

V. 7. CULPA, id eſt defectu; vel quaſi dicat, Si homines faceret ſine culpa.

V. 8. CONSUMMABO, id eſt perficiam.

V. 10. QUIA: continuativum eſt, non cauſale. DANDO; pro dabo.

V. 13. VETERAVIT, id eſt antiquavit, ſeu vetus eſſe oſtendit.

MARIANAE.

Verſ. 1. CAPITULUM, id eſt ſumma & ſcopus eorum quæ de Pontifice Chriſto dicta ſunt, & dici poſſunt, hæc eſt: ſedere eum ad Patris dexteram illi æqualem, nec officium dimittere.

V. 2. SANCTORUM MINISTER, ſcilicet locorum eſt Chriſtus, Syr. *domus ſanctæ*, id eſt templi cæleſtis miniſter: quod Deus fabricavit, non homo, ut tabernaculum Moyſis. Nec eſt Chriſtus otioſus.

V. 3. OMNIS ENIM PONTIFEX; quaſi dicat: Alii Pontifices offerunt hoſtias, Chriſtus ſemper ſuam mortem offert Patri pro nobis.

V. 4. SI ERGO ESSET SUPER TERRAM, id eſt ſi non eſſet mortuus, non haberet quod offerret, nec adeo eſſet ſacerdos, ſed veteres ſacerdotes manerent.

V. 5. QUI EXEMPLARI.... DESERVIUNT CAELESTIUM. Erant illæ hoſtiæ figura cæleſtium, atque adeo in illis verus & perfectus Dei cultus non erat. SECUNDUM EXEMPLAR, ſcilicet fac. Moyſi non ſolum corporalem figuram tabernaculi oſtendit Deus, ſed etiam myſteria cæleſtia, quæ tabernaculo & ſacrificiis ſignificabantur.

V. 6. NUNC AUTEM, id eſt quia non eſt ſuper terram, ſed mortuus, tanto excellentior ſacerdos præ Leviticis eſt, quanto melius eſt Teſtamentum, cuius ipſe inter Deum & homines mediator eſt. In quo hoc Teſtamentum excellit? IN MELIORIBUS REPROMISSIONIBUS. In veteri Teſtamento temporalia, in novo cæleſtia & æterna promittuntur.

V. 7. NAM SI ILLUD PRIUS CULPA VACASSET, id eſt ſi defectum non haberet vetus Teſtamentum, ἄμεμπτος ἦν, non opus eſſet novo Teſtamento.

V. 8. VITUPERANS.... EOS, ſive *iratus illis*; μεμφόμενος. ECCE DIES VENIENT, DICIT DOMINUS. Græc. *venient* ἔρχονται. ſic Goth. In Ierem. etiam cap XXXI. 32. Hebr. באים *baim*, *veniunt dies*, pro, *venient*: ii autem dies ſunt adventus Chriſti, quo vetus Teſtamentum eſt antiquatum. ET CONSUMMABO, perficiam novum pactum, ſeu Teſtamentum. Quoniam ipſi

V. 9. NON PERMANSERUNT IN TESTAMENTO MEO. Cauſa mutati fœderis, quoniam illi prius pactum violarunt.

V. 10. QUIA; pro, *certe*: nempe כי *chi* Hebraicum id ſæpe ſignificat. Hoc eſt teſtamentum. DANDO. Græc. & Sept. διδοὺς, *dans*, Hebr. *dedi*, pro, dabo leges in mente. ET IN CORDE. Goth. *in corda*: ſic Reg. Vulg. ſed Hebr. & Græc. *in corde*: ſignificat autem, pro lege daturum Chriſtum Spiritus ſancti gratiam, qua corda hominum emolliantur, & ſua ſponte ad bonum ferantur.

V. 11. ET NON DOCEBIT. Non multo labore opus erit, quia pauca præcepta, vel pueri ea facile addiſcent: ſic Theodoretus & OEcumenius hic, tum Auguſtinus de Gratia Chriſti, cap. XII. OMNES SCIENT ME A MINORE USQUE AD MAIOREM EORUM, ſcilicet natu: pueri & ſenes omnes Deum cognoſcent.

V. 13. DICENDO AUTEM NOVUM, VETERAVIT PRIUS; quaſi dicat: Non diceret novum Teſtamentum, niſi ſciret aliud prius fore antequandum.

MENOCHII.

Verſ. 1. CAPITULUM AUTEM SUPER EA QUAE DICUNTUR: κεφάλαιον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις; quaſi dicat, Summa, & compendium eorum quæ dixi, & dico de præſtantia ſacerdotii Chriſti, eſt hoc quod ſequitur. TALEM HABEMUS PONTIFICEM, id eſt tantæ dignitatis, & excellentiæ. IN DEXTERA SEDIS MAGNITUDINIS IN CAELIS, id eſt ad dexteram ſolii maieſtatis divinæ in cælo.

V. 2. SANCTORUM MINISTER. Sanctorum hic non eſt maſculini generis, ſed neutrius, neque homines, ſed ſanctuarium ſignificat, & ſenſus eſt: Chriſtus eſt miniſter, id eſt ſacerdos, ſeu Pontifex ſanctorum, nimirum *ſancti*, & *ſancti ſanctorum*, non huius Levitici, a Moſe facti, ſed veri, id eſt Eccleſiæ, quæ per *ſanctum*, & *ſancta ſanctorum* ſignificabatur. ET NON HOMO; ſcilicet Moſes.

V. 3. MUNERA, ET HOSTIAS: hoſtiæ ſunt victimæ cruentæ, munera incruenta. NECESSE EST ET HUNC HABERE ALIQUID QUOD OFFERAT. Chriſtus licet in cælo ſedet ad dexteram Patris, eſt tamen Pontifex: atqui omnis Pontifex offert munera, & hoſtias: ergo & Chriſtus in cælo ſuas hoſtias, & munera offert, nimirum ſacrificia miſſæ, quæ toto orbe quotidie celebrantur; in his enim primus, & primarius ſacerdos qui conſecrat, offert, & tranſubſtantiationem peragit, eſt Chriſtus.

V. 4. SI ERGO ESSET SUPER TERRAM: ſi eſſet ſacerdos terrenus. NEC ESSET SACERDOS: non eſſet eiuſmodi, ut ſecundum legem victimas immolare poſſet, cum non eſſet ex tribu Levi. CUM ESSENT QUI OFFERRENT SECUNDUM LEGEM MUNERA; quaſi dicat: Nec enim neceſſe eſſet Chriſtum eſſe eo modo ſacerdotem, quia iam lex habebat ſacerdotes, qui ſuper terram tantum hoſtias offerrent.

V. 5. QUI EXEMPLARI, ET UMBRAE DESERVIUNT CAELESTIUM; quaſi dicat: Hi ſacerdotes conſtituti ſunt ut exemplar quoddam, & quamdam ſimilitudinem nobis exhibeant eorum, quæ per Chriſtum fiunt in cælo. Nam quod pontifex v. g. cæſa victima introibat in ſancta ſanctorum ſemel, hoc ſignificabat Chriſtum ſuſo ſanguine ſuo, ingreſſurum fuiſſe in cælum, ut appareret vultui Dei pro nobis, & ſic de reliquis. SICUT RESPONSUM EST, id eſt *divino oraculo eſt dictum*, hoc enim ſignificat Græcum κεχρημάτισται. CUM CONSUMMARET TABERNACULUM: *μέλλων ἐπιτελεῖν τὴν σκηνὴν*, id eſt *eum conſummaturus eſſet tabernaculum*, ſed interpres dixit, *cum conſummaret*, id eſt cum in eo eſſet, & ageret ut conſummaret, & perficeret tabernaculum. VIDE, INQUIT, OMNIA FACITO, &c. Sunt verba Dei ad Moyſen Exod. xxv. 40. Hoc tabernaculum idea erat Chriſti, & Eccleſiæ, adeoque ſignificat Apoſtolus Moſſem iuſſum fuiſſe fabricare ſuum materiale tabernaculum eo modo, & forma, ut Eccleſiam quaſi typus repræſentaret.

V. 6. NUNC AUTEM MELIUS SORTITUS EST MINISTERIUM. Dixerat, *ſi eſſet ſuper terram*, *nec eſſet ſacerdos*, quibus verbis nectendum eſt quod modo ait, *nunc autem melius* &c. ac ſi diceret: Atqui non ſolum eſt ſacerdos, ſed præſtantiori quodam modo ſacerdos eſt, quam omnes ſacerdotes Levitici. QUANTO ET MELIORIS TESTAMENTI MEDIATOR EST; id eſt, quanto novum teſtamentum, cuius Chriſtus mediator eſt, antecellit vetus, & maiora bona ſuis promittit, nimirum ſpiritualia, & cæleſtia, cum vetus teſtamentum bona tantum terrena proponat.

V. 7. NAM SI ILLUD PRIUS, id eſt vetus teſtamentum. CULPA VACASSET: *ἦν ἄμεμπτος*, *irreprehenſibile fuiſſet*; id eſt, niſi ei aliquid defuiſſet, quod poſteriori teſtamento reſervabatur. NON UTIQUE SECUNDI LOCUS INQUIRRETUR. Non fuiſſet neceſſarium aliud teſtamentum, non fuiſſet ſecundum in eius locum introductum; cum enim habetur quod optimum eſt, ceſſat labor aliud inquirendi. At introductum eſt ut ſuppleret quod deerat priori.

V. 8. VITUPERANS ENIM EOS, ſcilicet Iudæos. Cum Iudæos vituperat, legem eorum vituperat, quaſi infirmam, & imbecillem, quæ, ſcilicet Iudæos ſibi obſequentes, bonos efficere non potuerit. DICIT, &c. teſtimonium hoc ſumptum eſt ex Ierem. cap. XXXI. 31. CONSUMMABO, id eſt percutiam, & feriam teſtamentum, id eſt fœdus novum.

V. 9. NON SECUNDUM TESTAMENTUM QUOD FECI PATRIBUS EORUM; quaſi dicat, Novum hoc teſtamentum non erit tale, quale fuit vetus cum patribus initum, ſed longe illo præſtantius. IN DIE QUA APPREHENDI MANUM EORUM, &c. cum ſcilicet quaſi manu apprehenſa eduxi eos ex Ægypto. NON PERMANSERUNT IN TESTAMENTO MEO: non ſervaverunt pactum, quod mecum inierunt. NEGLEXI EOS: contempſi, & reprobavi eos.

V. 10. TESTAMENTUM QUOD DISPONAM: pactum, quod pangam, & ſanciam. Teſtamentum novum, quod pro vetere inducam, & ſtatuam. POST DIES ILLOS; id eſt, poſtquam a me, & a mea Eccleſia

rec-

reiecero Iudæos incredulos. DANDO LEGES MEAS IN MENTEM EORUM. Vulgatus Ierem. XXXI. 33. vertit: *dabo legem meam in viſceribus eorum*, quia per Chriſtum gratia, & caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris. ERO EIS IN DEUM: ero eis Deus, quem ipſi fideliter colent. ET IPSI ERUNT MIHI IN POPULUM; ſcilicet ſelectum, ſingularem, peculiarem.

V. 11. ET NON DOCEBIT UNUSQUISQUE PROXIMUM SUUM, &c. Quia magna erit Dei, & rerum credendarum, & ſperandarum cognitio in populo Chriſtiano, nec ut quis neceſſaria ad ſalutem percipiat erit opus longo labore, cum ad pauca capita revocentur, quæ etiam ſimplicibus, & pueris nota eſſe poſſint.

V. 12. QUIA PROPITIUS ERO INIQUITATIBUS EORUM, &c. Ut nihil deſit ad gratiam, nihilque relinquatur impedimenti ad vitam æternam, omnia eius peccata tam priora quam poſteriora condonabo.

V. 13. DICENDO AUTEM NOVUM, id eſt, cum Ieremias, ut vidimus num. 8. ait, *conſummabo teſtamentum novum*, VETERAVIT PRIUS: πεπαλαίωκε, id eſt vetus fecit, vetus eſſe declaravit. QUOD AUTEM ANTIQUATUR, ET SENESCIT PROPE INTERITUM EST. Quod vetus vere dicitur, ad finem, & interitum feſtinat. Teſtamentum igitur, quod Ieremias ſua ætate vetus vocavit, docuit ad interitum vergere, atque ita in paſſione Chriſti interiit.

TIRINI.

Verſ. 1. CAPITULUM SUPER EA QUAE DICUNTUR; Græce & Syriace, *caput*, compendium, ſumma *eorum quæ diximus*, hæc eſt. TALEM, tantæ dignitatis & excellentiæ, PONTIFICEM HABEMUS, ut thronum ſuum habeat ad *dexteram* ſolii maieſtatis divinæ IN CAELIS.

V. 2. MINISTER; λειτουργὸς, id eſt *ſacerdos* SANCTORUM, ſyriace. *Sancti ſanctorum*, ſeu ſanctuarii, *adminiſter*, nempe Eccleſiæ tum triumphantis, tum militantis.

V. 3. NECESSE autem EST, *etiam* HUNC noſtrum pontificem Chriſtum HABERE ALIQUID; ſeu aliquam hoſtiam, quam OFFERAT Deo in ſacrificium: nempe, ſeipſum habet, quem ſemel obtulit in cruce, & adhuc quotidie offert in Miſſa *a*.

V. 4. SI ERGO ESSET SUPER TERRAM, ſeu terrenus ſacerdos, & eius ſacerdotium & victima eſſent terrena, qualia vos requiritis; iam NEC SACERDOS quidem ESSET Chriſtus: tum quia non eſt de tribu Levi; tum quia nullus hominum ipſum initiavit, ſeu conſecravit; tum quia nulla terreſtris hic victima comparet; tum denique quia ſacerdotes Aaronici ſufficerent ad tale terrenum ſacerdotium obeundum, & per terrenas victimas terrena bona impetranda. Tales enim ſacerdotes ſat magno numero ſubminiſtrat lex Moſaica.

V. 5. QUI in templo quidem DESERVIUNT, ſed non niſi EXEMPLARI ET UMBRAE CAELESTIUM. Quæcumque enim fiebant in templo Salomonico, typum, figuram, ſimilitudinem quamdam nobis exhibebant eorum quæ per Chriſtum fiunt in Eccleſia & in cælo. V. g. quod pontifex cæſa victima introiret ſemel in Sanctum ſanctorum, præfigurabat, Chriſtum fuſo ſanguine ſuo ingreſſurum cælum, ut vultui Dei appareret pro nobis: & ſic de reliquis. SICUT RESPONSUM EST MOYSI, Exodi XXV. 40. cum ei oſtenderetur in monte Sinai idea fabricandi tabernaculi, arcæ, propitiatorii, Cherubim, &c. Tunc enim ſat intellexit Moyſes, non tantum materialem formam qua hæc omnia eſſent conficienda, ſed inſuper etiam formalem eorumdem ſignificationem, nempe quod typi eſſent & figuræ tabernaculi ſpiritualis & cæleſtis, quod Meſſias aliquando conſtructurus eſſet, puta Eccleſiæ, partim in terris: (eiuſque Sacramentorum & ſacrificii:) partim in cælis, huiuſque ſplendoris ac gloriæ: ita S. Anſelmus & Beda *b*.

V. 6. NUNC AUTEM conſtat, *ſortitum* Chriſtum non terrenum, ſed longe MELIUS ac nobilius MINISTERIUM pontificale, QUANTO nempe novum *teſtamentum*, ſeu fœdus, cuius Chriſtus MEDIATOR EST, præcellit veteri teſtamento, quod non niſi terrena bona promittit & præſtat, novum vero ſpiritualia & cæleſtia.

V. 7. NAM SI ILLUD PRIUS, ſeu vetus teſtamentum, CULPA VACASSET; Græce, ἄμεμπτος, id eſt *irreprehenſibile* fuiſſet; id eſt, ſi nihil in eo requiſitum fuiſſet, ut poſſet culpas & peccata ſufficienter abolere:

re: non opus fuiſſet novo alio fœdere: ita Theophyl.

V. 8. VITUPERANS; Græce & Syriace, *incuſans*, Iudæos Ieremiæ XXXI. 31. promittit illis novum fœdus & novam perfectiorem legem, qua redderentur obſequentiores Deo, quam per veterem legem imperfectam, infirmam, imbecillem. Vide hæc ibidem fuſius explicata.

V. 13. Deus AUTEM DICENDO apud Ieremiam, *Conſummabo*, ſeu perficiam, confectum vobis dabo *novum teſtamentum*; hoc ipſo VETERAVIT, antiquavit, abolevit PRIUS ſeu vetus teſtamentum Moſaicum: QUOD enim ANTIQUATUR, ſeu SENESCIT, (ut iſtud tempore Ieremiæ) PROPE INTERITUM EST, nec diu durabit. Quod ergo de facto antiquatum eſt tempore Chriſti, plane iam interiit, nec amplius durat. Hæc tanto ſtudio inculcat Paulus, ut Hebræos a Moyſe ad Chriſtum, a veteri teſtamento ad novum traducat: ne mirentur, vetus per novum abrogari, cum id non ſufficeret ipſis ad iuſtitiam & ſalutem conſequendam: & iam pridem aliud novum & nobilius atque efficacius teſtamentum per Meſſiam ipſis obventurum, a Ieremia & aliis Prophetis prædictum ac promiſſum fuerit.

(a) Hic cap. VII. 24. & 27.
(b) Beda Exodi XXV.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. CAPITULUM: ἀνακεφάλαιον, ſumma, inquit, eorum quæ hactenus dicta ſunt in Chriſto, hæc eſt: habemus Pontificem, qui conſedit in dextera maieſtatis Dei in cælis, auctor ſanctitatis, & miniſter in tabernaculo, quod fecit non homo, ſed Deus. SANCTORUM MINISTER, ut alii interpretantur, *in Sancto Sanctorum*, hoc eſt, in Eccleſia fabricata a Deo, & ſignificata per Sancta ſanctorum, & in qua Chriſtus Pontifex offert & miniſtrat.

V. 3. OMNIS ENIM PONTIFEX. Quamvis Chriſtus ſedeat a dextris Patris, eſt tamen ſanctuarii noſtri miniſter & ſacerdos offerens munera & hoſtias: eſtque primarius ſacerdos conſecrans, peragens conſecrationem & offerens. Hoc probat ſic Paulus: Omnis Pontifex offert, &c. Chriſtus eſt Pontifex, Ergo.

V. 4. & 5. SI ERGO ESSET. Dixit verſ. 2. Chriſtum eſſe miniſtrum Tabernaculi non Moſaici, ſed facti a Deo & cæleſtis. Hoc etiam hic probat: Quia miniſtri deſtinati ad terreſtre tabernaculum (Salomonicum vel Moſaicum) ſufficienter deſtinati iam erant, ſunt Levitici ordinis, at Chriſtus eſt ſecundum ordinem Melchiſedech: quare ſi tantum de terreſtri tabernaculo agitur: ſic iam Chriſtus ne quidem ſacerdos eſſet. Addit obiter verſ. 5. Sacerdotes veteris Tabernaculi, deſerviſſe umbræ cæleſtis Tabernaculi & exemplari futurorum in Eccleſia & cæleſti Tabernaculo. Citatur locus Exod. XXV. 40. ex quo ſignificat Paulus Moſen fuiſſe iuſſum fabricare materiale tabernaculum, unde extaret typus Eccleſiæ.

V. 6. NUNC AUTEM. Dixit verſ. 4. ſi eſſet ſuper terram, & de terreno tabernaculo ſermo, Chriſtus non eſſet ſacerdos: *nunc autem*, hoc eſt iam non ſolum eſt ſacerdos, ſed longe excellentiore modo, ubi eſt gratiæ moderator & miniſter: quod totum melioribus promiſſionibus eſt ſtabilitum: ubi cæleſtia & ſpiritualia bona præſtant terrenis

Docuit ſatis Apoſtolus Chriſtum Pontificem eſſe non tantum in terra, ſed etiam in cælo, & munus hoc offerentis exercuiſſe in cruce, & nunc exercere, ut dixi verſu tertio. Ut hinc videas damnatam impietatem, ſi quis diceret cum Paulo Soncina Senenſi Chriſtum non fuiſſe ſacerdotem in terra, ſed tantum in cælo, & in cruce non obtuliſſe ſacrificium. Unde impie infertur Chriſtum in terra tantum fuiſſe doctorem, & ſolum ſuis meritis obtinuiſſe ut eſſet in cælo Pontifex. Et cum dicat Soncinas Chriſtum tantum fuiſſe hominem, hoc ſolo nomine ſatis damnatus ille manet; & conceptis verbis damnatur infra cap. IX. 14. 26. & 28. Eſt porro hic impius ſimul Arrianus & Pelagianus.

V. 7. 8. & 9. Secundum Teſtamentum excellentius eſt, & ex verſ. 6. aliquid habet quod priori defuit. Et niſi aliquid defuiſſet (verſ. 7.) non fuiſſet aliud neceſſarium. VITUPERANS AUTEM (verſ. 8.) Docet aliquid defuiſſe illi legi, & unde vituperari poſſet, quod probat ex Ierem.

XXXI.

xxxi. 31. Vide locum Ieremiæ. Docet ergo aliquid defuiſſe, quia potens non erat culpam delere; quod autem futurum erat

in novo Teſtamento docet Paulus ex Ieremia citato, quem hic non explico, ne actum agam.

CAPUT IX.

Ex his quæ in veteri erant Teſtamento & imperfectione illarum hoſtiarum, oſtendit novi perfectionem, in quo Chriſtus Pontifex & hoſtia ſemel oblata emundat conſcientiam a peccatis: quem ad teſtamenti ſui confirmationem mori fuit neceſſe.

1. HAbuit quidem & prius, iuſtificationes culturæ, & Sanctum ſæculare. 2. (*a*) Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & menſa, & propoſitio panum, quæ dicitur Sancta. 3. Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum: 4. aureum habens (*b*) thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, (*c*) & tabulæ teſtamenti, 5. ſuperque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. 6. His vero ita compoſitis; in priori quidem tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes: 7. in ſecundo autem (*d*) ſemel in anno ſolus pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſua & populi ignorantia: 8. hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum: 9. quæ parabola eſt temporis inſtantis: iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, 10. & variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis impoſitis. 11. Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, 12. neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa. 13. (*e*) Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: 14. (*f*) quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, * emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi? 15. Et ideo novi teſtamenti mediator eſt; (*g*) ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis. 16. Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. 17. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt. 18. Unde nec primum quidem ſine ſanguine

guine dedicatum eſt. 19. Lecto enim omni mandato legis a Moyſe uni-
verſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua, &
lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſ-
perſit, 20. dicens: *(h)*. Hic ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.
21. Etiam tabernaculum & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſper-
ſit. 22. Et omnia pæne in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine
ſanguinis effuſione non fit remiſſio. 23. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem
cæleſtium his mundari: ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis quam iſtis.
24. Non enim in manufacta Sancta Ieſus introivit, exemplaria verorum:
ſed in ipſum cælum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis: 25. neque
ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per
ſingulos annos in ſanguine alieno: 26. alioquin oportebat eum frequenter
pati ab origine mundi: * nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum;
ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit. 27. Et quemadmodum
ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: 28. *(i)* ſic &
Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundo ſine
peccato apparebit expectantibus ſe, in ſalutem.

(a) Exod. xxvi. 1. & xxxvi. 8. (b) Num. xvi. Levit. xvi. (c) III. Reg. viii. 6. 11. Par. v. 10. (d) Exod. xxx. 10. Levit. xvi. 2. (e) Levit. xvi. 14. (f) I. Pet. 1. 19. I. Ioan. 1. 7. Apoc. 1. 5. (g) Gal. iii. 15. (h) Exod. xxiv. 8. (i) Rom. v. 8. I. Pet. iii. 18.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 14. *Emundabit conſcientiam noſtram*. Loco futuri *emundabit* non eſt ſcribendum præteritum *emundavit*; nec *veſtram* ſecundæ perſonæ pronomen, loco primæ *noſtram*.

Verſ. 26. *Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum*. Non mutes ablativum in accuſativum *conſummationem*.

Sequitur: *Ad deſtitutionem peccati*. Alii libri habent *deſtructionem*, eodem ſenſu.

Notatio.

Verſ. 26. Nunc *autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*. Impreſſi codices, & maior longe ſcriptorum (Mal. mi. So. la. T. Lob. Q. E. pl. m. L. &c.) pars cum Auctore Gloſſæ, Anſelmo, Carenſi, Gorrano, & Brunone *deſtitutionem* legunt; unus Pariſienſium Di. o. quatuor Hentenii, & decem noſtri ſcripti Brug. Leod. Mal. ma. O. P. &c. *deſtructionem*, Haymone, & Richelio ſuffragantibus, habent. Prior vox admodum ſimilis eſt Græcæ *ἀθέτησιν*, quaſi *depoſitionem* dicas; utraque convenit ſenſu. Bruno Carthuſienſis *deſtitutionem* exponit deſtructionem. Syrum, *ut aboleret peccatum* habet.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. & 2. HABUIT QUIDEM. Paulo ante dixit antiquatum eſſe vetus teſtamentum, & illi ſucceſſiſſe novum: nunc, ne vetus damnare videatur, ſubdit: *habuit quidem* ET PRIUS IUSTIFICATIONES CULTURAE. Græce λατρείας, quod Dei cultum ſignificat: iuſtificationes autem culturæ, Græci interpretantur leges ac ritus colendi Dei, & quicquid ad cultum Dei, & ſacrificium pertinebat: unde quum in genere dixiſſet, ſubdidit in particulari: ET SANCTUM SECULARE & duo tabernacula, &c. Ad intelligentiam huius loci notandum id quod hoc loco Oecumenius Græcus dicit: facit enim tria tabernacula. Prius, quod *ſanctum ſæculare* vocat Paulus, ſive ut Græci habent κοσμικόν, id eſt *mundanum*, ſic dictum quod, ut inquit Chryſoſt. in illud indifferenter intrarent Iudæi & Gentiles, in quo erat æneum altare holocauſtorum, ubi victimas immolabant. Secundum tabernaculum quod ſimpliciter ſanctum vocat Paulus, in quo erat ſeptem ramorum candelabrum, & menſa & duodecim panes propoſitionis. Tertium interius in quo erat propitiatorium, arca, & cetera quæ Paulus enumerat: in quod ſolus ſummus pontifex, idque ſemel tantum in anno, introibat ſacrificaturus: primum tamen non inter tabernacula ponit Chryſoſtomus; ſed locum ſub dio ante tabernaculum quod re vera unum erat triginta cubitos longitudinis habens, decemque latitudinis, totidemque altitudinis: & inter altare æreum, ubi ſub dio mactabatur, & hoc tabernaculum, velum erat diſtinguens. Deinde ſequebatur primum tabernaculum, in quo, inquit Paulus, erant candelabra, & propoſitio panum, quæ dicitur ſancta; ubi autem habemus QUAE DICITUR SANCTA, Græci habent ἡ τῆς λέγεται ἁγία, quod referri quidem poteſt ad τὸ propoſitio panum, ſed melius eſt referre ad τὸ tabernaculum, pro quo Græce eſt σκηνὴ femininum; & tunc ſenſus eſt, quod quidem tabernaculum dicitur ſancta, plurali numero, id eſt ſanctuarium: hoc prius tabernaculum viginti cubitos habebat longitudinis, poſt quod ſpatium, erat oppanſum velum dividens a priore parte reliquam partem longitudinis decem cubitorum, quæ dicebatur tabernaculum ſecundum & ſancta ſanctorum, ſive ſanctuarium ſanctuarii, & hoc dicit Paulus.

V. 3. 4. & 5. POST VELAMENTUM AUTEM SECUNDUM, ubi τὸ ſecundum ad velamen refertur, ut dicas, quod tabernaculum dictum ſancta ſanctorum, erat poſt ſecundum velum dividens a reliqua parte tabernaculi integri: nam Græce eſt μετὰ τὸ δεύτερον καταπέτασμα, id eſt *poſt ſecundum velum*: τὸ δεύτερον neutrum eſt, τὸ σκηνὴ, id eſt *tabernaculum*, femininum, quapropter inepte quidam vertit & explicavit, *poſt velum erat ſecundum tabernaculum*; quum δεύτερον neutrius generis non poſſit referri, niſi ad καταπέτασμα neutrum, id eſt *velum*: nam pro tabernaculo Græce eſt σκηνὴ femininum. In hoc tabernaculo ait Paulus fuiſſe aureum thuribulum, ET ARCA TESTAMENTI: quæ ita appellatur, quod in ea tabulæ legis Moyſi datæ reconderentur, in qua erat urna aurea, & virga Aaron, & tabulæ teſtamenti, tametſi ab initio in arca ſolæ poſitæ ſint teſtamenti tabulæ: verum, ut Theophylactus inquit, quum ingruentibus bellis abſcondi arcam oporteret, ut Ieremiæ temporibus factum eſt, forte una incluſa ſunt in arcam & urna mannæ, & virga Aaron, ſicut a Gamaliele didiciſſe poterat Paulus; ſuper quam arcam, inquit Paulus, ERANT CHERUBIM GLORIAE, id eſt glorioſe fabrefacta Cherubim, OBUMBRANTIA PROPITIATORIUM. *Propitiatorium* Theophilactus fuiſſe putat operculum arcæ. Oecumenius autem aſſerit propitiatorium fuiſſe, velut auream menſam quadrangularem arcæ ſuperpoſitam, quæ propitiatorium dicebatur, quod inde reſponſa daret Deus, & ex deductione Exodi id manifeſtum eſt: non quod propitiatorium ipſam arcam contingeret, ſed eminentius, perpendiculariter tamen, ſuper arcam collocaretur. De omnibus autem hic loquutus Paulus ſubdit, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula, id eſt quanquam hæc ænigmatice alia ſignificent, nunc tamen non eſt illa explicandi locus.

V. 6. & 7. HIS VERO, &c. Superius tabernaculum deſcripſit, & quæ in eo erant; nunc de ſacerdotibus & ſacrificiis: aſſerens quod in prius tabernaculum ſacerdotes, quoties viſum erat, intrabant, & illic ſacrificabant. In ſecundum autem ſolum pontifex intrabat, idque ſemel in anno NON SINE SANGUINE, quod notanter additum notare oportet. Nam Exod. xxx. iubetur Aaron adolere incenſum in ſecundo tabernaculo ſingulis diebus mane; & propterea non dixit Paulus ſimpliciter quod ſemel introibat, ſed ſemel cum ſanguine, hoc enim ſignificat *non ſine ſanguine:* unde Exod. xxx. dicitur, *Et deprecabitur Aaron ſemel per annum in ſanguine*, hoc eſt, cum immolatione victimæ, QUEM OFFERRET PRO SUA, ET POPULI IGNORANTIA; id eſt, pro delictis non ex certa ſcientia perpetratis, quæ huiuſmodi hoſtiis non expiabantur, ſed pro peccatis ex ignorantia & fragilitate factis: in quo præſtantior eſt Chriſtus pontifex, quam legalis, quod non pro ſuis delictis, quibus caruit, offerret: neque delicta tantum ex ignorantia, ſed etiam ex certo propoſito perpetrata expiaret.

V. 8. HOC SIGNIFICANTE, &c. Nunc aggreditur Paulus anagogice interpretari quæ de tabernaculis dicta ſunt: huiuſmodi ergo, inquit, erant tabernacula, huiuſmodi ritus. Hoc ſignificante Sp. ſancto, per quem ſcilicet quod in ſancta ſanctorum ceteris ſacerdotibus non patebat acceſſus, ſignificabat Sp. ſanctus, quod PRIORE TABERNACULO, id eſt lege adhuc STATUM HABENTE, id eſt ſtante, ac in ſuo robore perſeverante, ante Chriſti, ſcilicet mortem, *nondum propalata erat via ſanctorum*, id eſt nondum ad ſancta ſanctorum, id eſt ad ipſum cælum in illis figuratum patebat, vel ipſis Iudæorum præcipuis ſacerdotibus acceſſus, in quod ſolus ſacerdos ſummus Chriſtus prior ingreſſus, antiquata per mortem ſuam lege, nobis aditum fecit; unde ſubdit:

V. 9. & 10. QUAE PARABOLA EST, &c. Græce ἥτις παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν ἐνεστηκότα. Quoquo modo varii hunc locum exponant, hic mihi videtur eſſe ſenſus, quem tum ex Græca Pauli lectione, tum ex Græcis ſcholiis olfacio; primo ſic reddi Græca poſſunt, Quæ parabola vel ſimilitudo uſque ad præſens tempus, ſub. fuit vel duravit; nam εἰς pro *uſque ad*, poni frequens eſt. Eſt ergo ſenſus, Quæ ſimilitudo, vel qui typus tabernaculi legalis uſque ad præſens tempus duravit. Si enim omnia quæ de tabernaculo dicta ſunt, typus erant Chriſti, completa ſunt illa, ac finem habent: *iuxta quam*, ſcilicet ſimilitudinem, id eſt ſecundum quem ritum tabernaculi & ſacrificiorum, qui typus erant tantum noſtrorum, munera & hoſtiæ, id eſt oblationes, ac carnales victimæ offeruntur, quæ non poſſunt ſecundum conſcientiam, id eſt animam, & ſpiritualiter PERFECTUM FACERE SERVIENTEM: λατρεύοντα, id eſt huiuſmodi hoſtias offerentem. Et quare non poſſent perficere? quia carnalia tantum offerebant, quæ animam mundare non valerent: unde dixit, QUAE NON POSSUNT PERFECTUM FACERE SERVIENTEM SOLUMMODO IN CIBIS ET IN POTIBUS, ET VARIIS BAPTISMATIBUS, ET IUSTITIIS CARNIS USQUE AD TEMPUS CORRECTIONIS IMPOSITIS, id eſt quæ perficere hominem non poterant per ſola illa carnalia, quæ uſque ad tempus Chriſti, quo corrigenda erant, impoſita erant: tamen Græci ſecus legunt, pro impoſitis legunt ἐπικείμενα, id eſt *ſita*, & referunt ad munera & hoſtias, ut ſit ſenſus, Quæ munera non poſſunt hominem perficere in ipſis tantum carnalibus rebus & mandatis ſita. *In cibis & potibus*, id eſt mandatis, quæ quid edas, quo abſtineas, decernunt. *In variis baptiſmatibus*, id eſt ablutionibus; quia ſi quid immundum contigiſſent, ſtatim ablui illos oportebat. *Et iuſtitiis carnis*, vel iuſtificationibus. Carnis autem iuſtificationes generaliter dixit omnia ſacrificia, omneſque ritus ac ceremonias, quæ ab immunditiis tantum corporis mundabant, non autem animæ maculas abſtergebant. Bene autem *uſque ad tempus correctionis*, illa dona & ſacrificia in illis carnalibus ſita erant, id eſt uſque ad Chriſti adventum, qui omnia in meliorem formam erat emendaturus.

V. 11. & 12. CHRISTUS AUTEM ASSISTENS. Pro aſſiſtens Græce eſt παραγενόμενος, quod etiam ſignificat accedens; hoc autem loco pontificium Chriſti deſcribit Paulus dicens: Chriſtus accedens in hunc mundum, ut PONTIFEX eſſet FUTURORUM BONORUM, ſcilicet cæleſtium gaudiorum, PER AMPLIUS ET PERFECTIUS TABERNACULUM, id eſt corpus ſuum, quod eo amplius eſt & capacius tabernaculo Iudæo

rum,

Digitized by Google

rum, quod in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; & perfectius quia perfecte nos per carnem ſuam iuſtificavit. Per hoc ergo tabernaculum introivit in ſancta ſanctorum Chriſtus. Per tabernaculum autem NON MANUFACTUM, ID EST NON HUIUS CREATIONIS, hoc eſt, non cetera rum creaturarum more confectum, quia in utero virginis, ſine viri ſemine, Spiritus S. opera effigiatum eſt. Quemadmodum autem pontifici legali priuſquam ſecundum tabernaculum intraret, per primum tranſire opus erat; ita Chriſtus priuſquam in cælum aſcenderet, per tabernaculum ſui corporis introivit. Et rurſus quemadmodum pontifex non ſine ſanguine & præ immolata hoſtia introibat in ſancta; ita Chriſtus non PER SANGUINEM HIRCORUM AUT VITULORUM, quod legalis pontifex faciebat, SED PER PROPRIUM SANGUINEM immolatą, ſcilicet in ara crucis ſui corporis hoſtia, SEMEL INTROIVIT IN SANCTA ſanctorum, id eſt in cælum & æternam gloriam. Bene autem ait *ſemel*, quia ſicut pontifex legis ſemel tantum in anno cum ſanguine introibat in ſancta; ita Chriſtus ſemel tantum cum ſanguine introivit in cælum. Quod enim mortuus eſt, mortuus eſt ſemel. Introivit autem AETERNA REDEMPTIONE INVENTA, quia per illum ingreſſum, æternam nec opinantibus nobis redemptionem invenit, & perfectam iuſtificationem ac peccatorum emundationem peperit: quod re vera factum probat a fortiori, dicens:

V. 13. & 14. SI ENIM SANGUIS HIRCORUM; id eſt, ſi ſanguis & cinis irrationabilium animalium emundare carnem potuit, QUANTO MAGIS SANGUIS CHRISTI? qui quum pontifex eſſet, hoſtia quoque factus eſt, quando ſemetipſum per Spiritum S. immaculatum Deo patri obtulit in ara crucis, & emundavit non carnem tantum, ſed conſcientiam & mentem AB OPERIBUS MORTUIS, id eſt peccatis AD SERVIENDUM DEO VIVENTI, ut ab illis emundati vere Deo ſerviamus. Pro eo vero quod interpres noſter habet, PER SPIRITUM SANCTUM. Græc. habent *διὰ πνεύματος αἰωνίε*, id eſt *per ſpiritum æternum*: quamquam Græca ſcholia nullam æterni mentionem faciant, ſed ſancti: aiunt enim, *ὐ διὰ πυρὸς, ἀλλὰ διὰ πνεύματος ἁγίε προσήνεγκας, ἄμωμον τῷ θεῷ*; id eſt, non per ignem, ſed per Spiritum ſanctum inculpatum ſe Deo obtulit, & emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis. Alludit autem ad legem, in qua qui morticinium contigerat, immundus erat, & arcebatur a templo, niſi prius purgatione facta: ſic qui morticinium peccati per conſenſum attrectat, immundus eſt, arceturque a vero templo cæleſti; ſed ab illis nos immunditiis per ſuum ſanguinem Chriſtus emundavit. Quoniam vero erant qui exiſtimarent Chriſto mortuo iam non poſſe per eum peccata remitti, oſtendit vel hoc magis remitti poſſe dicens:

V. 15. ET IDEO NOVI TESTAMENTI. Emundavit nos antea dixit; nam quo facilius id faceret quum vetus teſtamentum præſtare illud non poſſet, novi teſtamenti mediator factus eſt nobis, quod ipſe nobiſcum pactus eſt, ſcilicet de peccatorum remiſſione; UT MORTE INTERVENIENTE IN REDEMPTIONEM EARUM PRAEVARICATIONUM QUAE ERANT SUB PRIORI TESTAMENTO, REPROMISSIONEM ACCIPIANT AETERNAE HAEREDITATIS QUI ad eam fide VOCATI SUNT; mors enim Chriſti neceſſaria erat ad æternæ hæreditatis & promiſſionis adeptionem prius per crucem deletis prævaricationibus legis, quæ in priori teſtamento erant, & per legem condonari non poterant. Hoc autem dicit ut admoneat eos nequaquam deinceps in lege confidere: quod autem morte Chriſti opus fuerit, probat humana ſimilitudine, dicens:

V. 16. UBI ENIM TESTAMENTUM, &c. id eſt teſtamentum numquam ratum eſt niſi teſtatoris morte intercedente, quod quandiu vivit immutare poteſt, & prorſus abrogare: ſic & teſtamentum vitæ & hereditatis æternæ, quod nobis teſtatus eſt Chriſtus, validum eſſe non potuit, niſi per mortem pſius, unde bene dixit, quod novi teſtamenti mediator factus eſt, ut morte intercedente promiſſam hæreditatem apprehenderemus; & idcirco morte Chriſti & ſanguine opus fuit, quemadmodum etiam ad veteris teſtamenti confirmationem; ſicut ſubdit:

V. 18. & 19. UNDE NEC PRIMUM QUIDEM SINE SANGUINE DEDICATUM EST, id eſt confirmatum. Nam Exod. XXIV. legitur quod Moſes lecto volumine fœderis coram omni populo ubi teſtamentum, & fœ-

dus Dei continebatur, quum populus ſe reſpondiſſet omnia ſervaturum, ſumptum ſanguinem reſperſit in populum dicens; hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit dominus vobiſcum. Hæc tantum in Exod. recitantur, unde quod Paulus ſanguinem certorum animalium nominat, hirci, ſcilicet & vituli, atque illum aquæ commixtum, nimirum quo liquidior fieret ad aſpergendum: ſimiliter quod lanæ coccineæ, & hyſſopi meminit, quibus confectum dicunt aſperſorium, veroſimile eſt Paulum legis peritum aut id ſcriptum legiſſe, aut a maioribus accepiſſe; non tantum autem teſtamentum vetus tunc a Moyſe ſanguine confirmatum eſt, ſed nulla pene in lege mundatio, nulla remiſſio ſine ſanguine fiebat. ET NECESSE erat, inquit Paulus, EXEMPLARIA CAELESTIUM, id eſt carnalia legis ſacrificia quæ typus & exempla ſunt cæleſtium & ſpiritualium noſtrorum ſacrificiorum, his aſperſionibus mundari, quæ Chriſti ſanguinis aſperſionem præfiguraret, IPSA AUTEM CAELESTIA, id eſt ſpiritualia Chriſtianorum ſacrificia melioribus ac perfectioribus hoſtiis: quod quidem per Chriſtum pontificem factum eſſe probat dicens:

V. 24. & 25. NON ENIM IN MANUFACTA, &c. Quum ſacrificia ſacrificiis, pontificem pontificibus legalibus comparaſſet, nunc ſancta cum ſanctis comparat, dicens: quod Ieſus nequaquam in ſancta hominum facta manibus intravit, quæ nec vera erant, ſed verorum tantum exemplaria, ſed in ipſum cælum per illa figuratum, ut illic habitans appareat vultui Dei pro nobis, ac pro nobis interpellet, non ut ſemetipſum ſæpius per ſui corporis hoſtiam & mortem offerat, quemadmodum Pontifex legalis per ſingulos annos intrare in ſancta debebat, *idque in* SANGUINE ALIENO, id eſt eum immolatione taurorum & hircorum; non ſic autem Chriſtus qui ſemetipſum obtulit in hoſtiam, idque ſemel tantum quum ſæpius non indigeret, ALIOQUI, inquit Paulus, OPORTEBAT EUM FREQUENTER PATI AB ORIGINE MUNDI. Si enim omnium delendis peccatis nequaquam ſufficit una mors, toties oportuit illum pati, quoties ab ipſo mundi initio peccaverunt electi. Nunc autem ſemel (ita ut numquam poſtea) IN CONSUMMATIONE SAECULORUM, id eſt in fine temporum ac noviſſima ætate, PER HOSTIAM SUAM, id eſt immolationem ſui APPARUIT AD DESTITUTIONEM PECCATI. Græce εἰς ἀθέτησιν, id eſt ad profligationem & extinctionem peccati.

V. 27. & 28. ET QUEMADMODUM. Probat exemplo noſtri qui ſemel tantum morimur, quod nequaquam ultra pro nobis ſit moriturus Chriſtus: quia ſicut ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori: POST HOC AUTEM IUDICIUM, id eſt & quum omnes mortui fuerint, tunc ſequetur iudicium: ſic & Chriſtus ad multorum exhaurienda, ac prorſus abolenda peccata, per mortem ſemel, adeo ut numquam poſtea oblatus, ſecundo expectantibus ſe in ſalutem, id eſt ad illorum ſalutem APPAREBIT SINE PECCATO, id eſt ſine ulla pro peccatis hoſtia. Peccatum enim pro expiatrice peccatorum hoſtia frequenter ſumitur: quando Chriſtus, qui non noverat peccatum pro nobis pater peccatum effecit. Apparebit ergo ſine peccato in ſecundo adventu, quia non iam peccata expiaturus veniet, ſed vindicaturus, ſic enim pluribus explicat Oecumenius Græcus.

S A.

Verſ. 1. PRius, ſcilicet teſtamentum. CULTURAE, id eſt cultus, quaſi dicat, Cultus quoſdam ſuo modo iuſtificantes. SANCTUM SAECULANE, id eſt templum, ſeu tabernaculum temporale.

V. 2. PRIMUM, ſcilicet prior pars tabernaculi, quæ Sanctum dicebatur, ut proxime dicetur. CANDELABRA, ſcilicet multæ erant in candelabro lucernæ. PROPOSITIO, &c. id eſt panes, qui ante Deum proponebantur.

V. 3. SECUNDUM: erat enim primum velum ante ipſum Sanctum.

V. 4. THURIBULUM, ſcilicet altari incenſi ſerviens, quod erat extra, ſeu potius ei ſuffitui quem faciebat Pontifex, ſemel in anno ingrediens in Sancta ſanctorum. Quidam tamen putant ſignificari thuribuli nomine altare thymiamatis, in quo incendebantur aromata, nec aliud fuiſſe thuribulum. IN QUA; pro, eum qua, id eſt iuxta quam, ſecundum quoſdam.

V. 5. GLORIAE, id eſt Dei gloriam repræſentantia. OBUMBRANTIA, ſcilicet alis.

V. 6. IN PRIORI, pro, in prius. OFFICIA, id eſt ritus.

V. 7.

V. 7. IGNORANTIA, id eſt, peccatis ignorantiæ.

V. 8. SIGNIFICANTE, ſcilicet expiationes. PROPALATAM, id eſt apertam, ſcilicet per plenam expiationem, quam Chriſtus erat facturus. SANCTORUM, id eſt in ſancta ſcilicet cæleſtia.

V. 9. PARABOLA, id eſt figuralis quædam ſimilitudo. INSTANTIS, id eſt præſentis, ſcilicet tempore quo hæc Paulus ſcripſit. IUXTA QUAM, id eſt cuius ritu. IUXTA CONSCIENTIAM, id eſt quod attinet ad conſcientiæ ſeu mentis puritatem. SERVIENTEM, id eſt per illa Deum colentem. SOLUMMODO, ſcilicet ſita.

V. 10. BAPTISMATIBUS, id eſt ablutionibus, ſeu purificationibus. IUSTITIIS, id eſt iuſtificationibus, ſeu cærimoniis. Græc. *δικαιώμασι* (quo verbo LXX. utuntur ubi nos legere ſolemus *cærimonias*) Syr. *præceptis*. CARNIS, id eſt corporeis, ſcilicet circa corpus adhibitis; quaſi dicat, Externis. CORRECTIONIS, ſcilicet per Chriſtum faciendæ.

V. 11. ASSISTENS ſcilicet Patri, Græc. *παραγενόμενος*, id eſt *factus*, vel *adveniens*. AMPLIUS, id eſt maius. TABERNACULUM, ſcilicet ſuam humanitatem, vel cælum: iunge cum *Pontifex*. HUIUS CREATIONIS, id eſt ſtructuræ ſimilis noſtratibus: humanitas quidem de Spiritu ſancto concepta, cælum vero a Deo creatum.

V. 12. SANCTA, id eſt cælum. INVENTA, id eſt parta. CARNIS, id eſt corporis, ſcilicet animam illa non emundabant. Ideo ſup. dictæ *iuſtitiæ carnis*.

V. 14. PER SPIRITUM, &c. id eſt movente Spiritu ſancto. SANCTUM. Græc. & Syr. *æternum*. OPERIBUS MORTUIS, id eſt peccatis. Vide ſup. cap. VI.

V. 15. PRAEVARICATIONUM. Græc. *tranſgreſſionum*; quaſi dicat, Ad expiationem peccatorum. ERANT, ſcilicet manebant non mundatæ. REPROMISSIONEM, &c. id eſt promiſſam hæreditatem.

V. 17. IN MORTUIS, id eſt teſtatoris morte. CONFIRMATUM, id eſt ratum.

V. 18. SANGUINE, ſcilicet mortem quodammodo repræſentante. DEDICATUM, id eſt confirmatum.

V. 20. TESTAMENTI, id eſt confirmator. Nota, *teſtamenti* vocem ſumptam ex LXX. qui ſic verterunt Hebr. vocem, quæ *pactum* ſeu *fœdus* ſignificat, ſcilicet pactum illud Dei, figura erat pacti per Chriſtum renovandi, quod eius morte velut teſtamentum firmatum eſt, noſque teſtamenti more fecit heredes. MANDAVIT. Exod. XXIV. legitur. Hebr. *pepigit*. LXX. *diſpoſuit*.

V. 22. IN; pro, cum; vel, per. ET SINE, &c. quaſi dicat, Nam revera nulla peccati remiſſio fieri poteſt ſine Chriſti ſanguine, cuius illa legalia figura erant.

V. 23. EXEMPLARIA, id eſt figuralem ſtatum. CAELESTIA, ſcilicet ſtatum Evangelicum, ſeu Eccleſiæ.

V. 25. OFFERAT, ſcilicet cruento ſacrificio.

V. 26. FREQUENTER, ſcilicet ad expiandum omnium hominum peccata. CONSUMMATIONE, id eſt fine, ſcilicet inſtante. DESTITUTIONEM, id eſt abolitionem. SUAM, id eſt ſui corporis.

V. 27. IUDICIUM, ſcilicet cuiuſque ſequitur particulare poſt mortem eius, & univerſale mortuis omnibus.

V. 28. MULTORUM. Omnium quidem quantum ad ſufficientiam, ſed multorum ſolum quantum ad efficaciam. EXHAURIENDA, id eſt tollenda, ſeu evacuanda ex cordium profundo. SECUNDO, id eſt deinde. SINE PECCATO, id eſt purgatis electorum peccatis. SALUTEM, ſcilicet æternam.

MARIANAE.

Verſ. 1. HABUIT QUIDEM ET PRIUS, ſcilicet Teſtamentum. Ne penitus contemnere illud videatur, deſcribit quæ in eo erant. IUSTIFICATIONES CULTURAE, id eſt præcepta colendi Deum. Syr. *præcepta miniſterii*. ET SANCTUM SAECULARE, ſcilicet, tabernaculum quod *ſæculare* vocat, ſeu ut Græce, *mundanum*, ad differentiam cæleſtis, ſeu potius ſic atrium vocat, primam tabernaculi partem, quoniam ad id populo aditus patebat, & Atrium Gentium vocabatur.

V. 3. TABERNACULUM ENIM; pro, autem. Non eſt cuius reddatur cauſa, id eſt prima tabernaculi pars facta eſt, ubi erant candelabra. Unum candelabrum erat, ſed ſeptem habens brachia, lucernas totidem. QUAE DICITUR SANCTA, ſcilicet *ædes*, ut Syr. refertur enim hoc ad tabernaculum,

cuius

Digitized by Google

cuius prima pars vocabatur Sanctuarium, ſed manſit genus Græcum, quia eſt femininum σκηνή.

V. 3. POST VELAMENTUM. Tertia & interior tabernaculi pars velo prætenſo diſtinguebatur a reliquo tabernaculo, & vocabatur Sancta ſanctorum.

V. 4. AUREUM HABENS THURIBULUM, id eſt altare thymiamatum, cum Origene Homil. IX. in Exod. nec erat intra, ſed prope. URNA AUREA III. Reg. VIII. 9. dicitur fuiſſe in arca tantum Moyſis tabulas, ſcilicet ex tota Lege non erat aliud præter eas tabulas, ut ibi diximus. Alioqui *urna* & *virga* erant. Aut erant urna & virga prope arcam, non intra, ut alii volunt.

V. 5. SUPERQUE EAM ERANT. Gotth. *ſuper quæ erant*. Erat tabula aurea ſuper arcam ſedis forma: arca ut ſcabellum pedum: Cherubim utrimque ut ſpondæ ſedis, in qua Deum ſedere putabant, inde reſponſa reddere.

V. 6. SACRIFICIORUM OFFICIA; pro, ſacrorum officia, Gr. τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες, *ſervitutes perficientes*. Syr. *miniſteria perficientes*. Intra tabernaculum non fiebant ſacrificia, ſed in atrio, ubi erat altare ſacrificiorum: ſed ii intrabant in tabernaculi primam partem.

V. 7. SEMEL IN ANNO. In Sancta ſanctorum ſemel tantum in anno introibat Pontifex cum ſanguine quem offerret; Exod. XXX. 10. PRO SUA ET POPULI IGNORANTIA, ſeu fragilitate; nam peccata ex certa ſcientia iis hoſtiis non expiabantur. Aut potius omne peccatum *ignorantiam* vocat: nam Levit. XVI. 30. dicitur: *In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris*. Loquitur de die expiationis hac, qua Pontifex expiabat populum, intrans in Sancta ſanctorum.

V. 8. HOC SIGNIFICANTE. Incipit de Chriſto & nova Lege interpretari quæ de tabernaculo & ſacerdotibus ſunt dicta. NONDUM PROPALATAM, ſeu *manifeſtatam*, ſeu *apertam*. SANCTORUM VIAM, id eſt perfectam viam, ſeu potius viam ad vera Sancta ſanctorum cæleſtia. TABERNACULO HABENTE STATUM, id eſt quamdiu ſtabat: nam poſt tenebras ſequitur lux, illa autem erant umbræ & figura.

V. 9. QUAE PARABOLA, id eſt figura. EST TEMPORIS INSTANTIS, id eſt præſentis Evangelici, ſed melius cum Chryſoſtomo, *inſtantis*, id eſt huius ſcilicet veteris legis. IUXTA QUAM ſcilicet figuram. Gr. *iuxta quod*, ſcilicet tempus. NON POSSUNT IUXTA CONSCIENTIAM, id eſt animam, perficere hominem.

V. 10. ET VARIIS BAPTISMATIBUS, id eſt ablutionibus, ſcilicet externa tantum lex curat. USQUE AD TEMPUS CORRECTIONIS, id eſt Evangelii, quo corrigenda & antiquanda erat: tamdiu ii ritus ſteterunt.

V. 11. PER AMPLIUS ET PERFECTIUS TABERNACULUM, ſcilicet introivit Chriſtus. NON HUIUS CREATIONIS, id eſt non factum ab homine, ſed cæleſte.

V. 12. INTROIVIT SEMEL. Ut vetus Pontifex ſemel in anno, ſic Chriſtus ſemel in omni tempore. AETERNA REDEMPTIONE, id eſt perfectæ iuſtificationis auctor effectus & æternæ, non temporalis. Quod a fortiori probat;

V. 13. SI ENIM SANGUIS HIRCORUM emundabat carnem, multo magis ſanguis Chriſti.

V. 14. PER SPIRITUM SANCTUM. Gr. *per ſpiritum æternum*. Noſter pro αἰωνίου legit ἁγίου, ſed idem eſt. EMUNDABIT. Sic Græc. & Gotth. at Lovan. *emundavit*. CONSCIENTIAM NOSTRAM. Gotth. *veſtram*. Græci codices variant. Robertus ὑμῶν, *veſtram*. Regia ἡμῶν, id eſt *noſtram*. AB OPERIBUS MORTUIS, id eſt peccatis.

V. 15. ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST, id eſt ſactor: novo Teſtamento opus fuit, ut per mortem remitterentur peccata facta tempore veteris Teſtamenti, quæ per illud remitti non potuerunt, iis QUI VOCATI SUNT AETERNAE, id eſt *ad æternam hæreditatem*, ut Syr. id eſt fidelibus ex Iudæorum gente; nam de illis & cum illis loquitur. Aut ſic ordina: *ut promiſſionem accipiant æternæ hereditatis qui vocati ſunt*.

V. 16. UBI ENIM TESTAMENTUM EST. Si quis dicat, Quid opus fuit morte Chriſti? nempe ut teſtamentum quod condidit eſſet ratum.

V. 18. NEC PRIMUM QUIDEM SINE SANGUINE. Ut illud teſtamentum fuit figura, ſic ſanguis ille pecudum, ſanguinis Chriſti. DEDICATUM EST. Syr. *confirmatum*. Morte pecudum confirmatur Vetus teſtamentum, quoniam Deus eius conditor

mori

Digitized by Google

mori non poterat. Lecta lege Moyſes accipiens

V. 19. SANGUINEM VITULORUM ET HIRCORUM CUM AQUA. Quorum animalium eſſet ſanguis ille quo Moyſes tabernaculum aſperſit; mixtus *vitulorum* & *hircorum:* & quod addit de *hyſſopo*, & *lana coccinea*, & *aqua*, in Scriptura non legitur; ea Paulus a maioribus accepit. Et ſane aquam miſceri, & quidem multam, opus fuit, ne ſanguine cuncta fœdarentur.

V. 22. NON FIT REMISSIO, id eſt purgatio & emundatio a carnis maculis, non fuit ſine ſanguine, ſcilicet in veteri teſtamento.

V. 23. EXEMPLARIA QUIDEM CAELESTIUM, id eſt tabernaculum & alia vaſa. IPSA AUTEM CAELESTIA, id eſt ſpiritualia Chriſtianorum ſacra. MELIORIBUS HOSTIIS, id eſt Chriſti ſanguine mundantur. Neque eſt opus ut Chriſtus

V. 25. SAEPE OFFERAT SEMETIPSUM. Chriſtus ſemel tantum ſe obtulit in cruce, ſed memoria eius inſtauratur in Sacrificio Chriſtiano. Alioqui oporteret

V. 26. FREQUENTER PATI, ſi una oblatio non ſufficeret, debuiſſet Chriſtus quoties homines peccant, toties mortem pati. AD DESTITUTIONEM PECCATI. Græc. *profligationem*. Syr. *abolitionem:* ſed utrumque *deſtitutio* ſignificat. Et ut aliis opus eſt,

V. 27. SEMEL MORI. Ut alii homines ſemel moriuntur, ſic Chriſtus.

V. 28. SECUNDO. *Apparebit in die iudicii Chriſtus in ſalutem ſe expectantibus:* ſic ordina, ſed SINE PECCATO, id eſt ſine ulla hoſtia, pro, peccato, non morietur in ſecundo adventu. Hic diſputari poſſit, an vox Hebraica *berith*, & Græca διαθήκη *teſtamentum* proprie ſignificent, an promiſcue quodcumque pactum: nam ſi ita eſſet, concidit argumentum Pauli. Alia enim pacta inter vivos rata ſunt. Iſid. Lib. V. Etymol. cap. XXIV. *Teſtamentum non hoc ſolum dicitur in Sacris, quod non valet ſine morte teſtatoris, ſed omne pactum & placitum teſtamentum vocatur: nam Iacob, & Laban teſtamentum fecerunt. Et illud: Teſtamentum diſpoſuerunt adverſum me:* Pſ. LXXXII. 6. Verum de tota hac re non pauca diximus in noſtra Diſputatione pro Editione Vulgata, cap. XII.

MENOCHII.

Verſ. 1. PRIUS: ſcilicet, teſtamentum. IUSTIFICATIONES CULTURAE: δικαιώματα λατρείας, id eſt mandata ad cultum Dei pertinentia a Moyſe data. ET SANCTUM SAECULARE: τὸ ἅγιον κοσμικὸν, *ſanctum mundanum*, id eſt templum, ſeu tabernaculum temporale, & caducum, ad hoſtias carnis offerendas.

V. 2. TABERNACULUM ENIM FACTUM EST PRIMUM. Vocat *tabernaculum primum*, primam partem tabernaculi, quæ dicebatur *ſanctum*. CANDELABRA. Unum erat candelabrum, quare in Gr. etiam eſt ἡ λυχνία, in ſingulari, ſed dicit *candelabra* in plurali, quia in eodem candelabro ſeptem erant lucernæ. ET MENSA: cui panes propoſitionis imponebantur. QUAE DICITUR SANCTA. Relativum *quæ* non refert *menſam*, nec *propoſitionum panum*, ſed σκηνὴ, id eſt *tabernaculum*; quaſi dicat, Quod ſcilicet tabernaculum, primum dicitur *ſanctum*.

V. 3. POST VELAMENTUM AUTEM: quod pendebat inter ſanctum, & ſancta ſanctorum, erat interior pars, & ſanctior tabernaculi, quæ, ut dixi appellabatur ſancta ſanctorum. Dicit velamentum ſecundum, quoniam prior tabernaculi pars etiam ipſa velamen ante ſe oppanſum habebat. SANCTA SANCTORUM, id eſt ſanctiſſima tabernaculi pars.

V. 4 AUREUM HABENES THURIBULUM: per aureum thuribulum intelligit altare thymiamatis. IN QUA URNA AUREA, &c. At III. Reg. VIII. 9. dicitur in arca nihil fuiſſe præter duas tabulas lapideas Moſis. Cornel. a Lapide, & Salianus, τὸ *in arca*, interpretantur, *ad arcam*, iuxta arcam, ſic dicimus habere galerum in capite, & calceos in pedibus, quo modo etiam dicimus Chriſtum paſſum fuiſſe in Ieruſalem, id eſt iuxta Ieruſalem. Theophylactus in hunc locum, & alii exiſtimant antiquioribus ſæculis non fuiſſe virgam Aaron in arca, nec urnam mannæ, ſed poſtea fuiſſe utraque in arca concluſa, ut quantum fieri poſſet ſubducerentur periculo, nec gentilium in templum, & locum ſacrum irrumpentium, ita facile præda fierent. ET TABULAE TESTAMENTI, id eſt legis datæ in Monte Sinai.

V. 5. SUPER EAM; ſcilic. arcam. CHERU-

RUBIM GLORIAE. Dixit *Cherubim gloria*, more Hebræo, id eſt Cherubim glorioſi, ſcilicet habentes multum maieſtatis, quæ eos reddebat venerabiles. OBUMBRANTIA PROPITIATORIUM: nam Cherubim alis expanſis tegebant propitiatorium. Eſt autem propitiatorium tabula aurea qua arca teſtamenti tegebatur. DE QUIBUS NON EST MODO DICENDUM PER SINGULAS; quaſi dicat: Hæc omnia plena ſunt myſteriis, ſed non ſunt a me omnia explicanda, ſatis erit ea attingere, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent.

V. 6. HIS VERO ITA COMPOSITIS, id eſt ita paratis, ſabricatis, & ordinatis. SEMPER, id eſt quotidie. Ex hoc indicat quanto ſanctius & auguſtius eſſet ſecundum illud tabernaculum, in quod non ſacerdotes, ſed ſolus pontifex introibat, nec is quidem ſingulis diebus, ſed ſemel ſingulis annis. SACRIFICIORUM OFFICIA CONSUMMANTES, id eſt ſacras ceremonias, & ritus in ſancto peragi ſolitos.

V. 7 IN SECUNDO; ſcilicet tabernaculo, id eſt in ſancta ſanctorum. SOLUS PONTIFEX; ſcilicet ingreditur, nimirum in feſto expiationum, ut eſt in Levitico cap. XVI. NON SINE SANGUINE: die enim expiationum pontifex ingreſſurus in ſancta ſanctorum, immolabat vitulum, orans pro ſe, & domo ſua. Pro peccato vero populi offerebat hircum, quorum animalium ſanguinem offerebat in ſancta ſanctorum, & eo illa aſpergebat. Ritus hic deſcribitur Levit. XVI. PRO SUA, ET POPULI IGNORANTIA: omnia peccata vocat *ignorantias* more Scripturæ. Sic Pſalm. XXIV. dicitur, *delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

V. 8. HOC SIGNIFICANTE SPIRITU SANCTO: dum vetat quemquam ingredi in ſancta ſanctorum præter pontificem. NONDUM PROPALATAM ESSE VIAM SANCTORUM. Nondum apertam eſſe viam cæli, quæ aperienda erat per ſanguinem Chriſti. ADHUC PRIORE TABERNACULO HABENTE STATUM, id eſt manente priori tabernaculo, lege, & ritibus Moſaicæ legis.

V. 9. QUAE PARABOLA EST TEMPORIS INSTANTIS: quod tabernaculum eſt parabola, id eſt typus, ſimilitudo, & exemplar, temporis inſtantis, id eſt temporis legis veteris, quod tunc inſtabat. IUXTA QUAM MUNERA, ET HOSTIA OFFERUNTUR, &c. id eſt, munera, & hoſtiæ, quæ offeruntur ſimilitudini, & parabolæ huic deſerviunt, & conveniunt; nam ut ſacerdotes ingredi non poterant in ſancta ſanctorum; ita neque ſacrificia quæ offerunt poſſunt iuſtificare homines & in cælum inducere. IUXTA CONSCIENTIAM, id eſt ſecundum interiorem hominem, vel ſecundum animam. SERVIENTEM: λατρεύοντα, eum intelligit, qui offert, & qui illis ſacrificiis, & ceremoniis Deum colit. SOLUMMODO IN CIBIS, ET POTIBUS: necte cum voce *ſervientem*. Senſus autem eſt, munera, & ſacrificia legalia non poſſunt expiare, & perfectum facere *ſervientem*, id eſt eum qui Deo ſervit, & eum colit, non ſpiritu, & interna pietate mentis, ſed tantum in cibis, & potibus, & cetera. IN CIBIS: cibi enim aliqui vetabantur in lege Moſaica, de quibus vide Levitici cap. XI. ET POTIBUS: potus per ſe, & communiter nulli vetiti erant, certis tamen perſonis, verbi gratia Nazaræis prohibitum erat vinum, & ſicera, ut etiam vinum ſacerdotibus tabernaculum ingreſſuris.

V. 10. ET VARIIS BAPTISMATIBUS, id eſt etiam ablutionibus quarum frequens mentio in ſacris litteris. Itaque Marc. VII. 3. legimus, *Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum; & a foro niſi baptizentur non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum.* ET IUSTITIIS CARNIS. Iuſtificationibus, & purgationibus carnem mundantibus, intelligit exteriorem emundationem, qualis verbi gratia in lege dabatur iis, qui immundum quidpiam tetigiſſent. USQUE AD TEMPUS CORRECTIONIS IMPOSITIS, id eſt, uſque ad tempus adventus Chriſti, qui vetera correcturus erat, novis ac melioribus inſtitutis.

V. 11. CHRISTUS AUTEM ASSISTENS PONTIFEX. In Græco eſt παραγενόμενος, id eſt poſtquam venit, & acceſſit, factuſque eſt pontifex. FUTURORUM BONORUM, id eſt ut nobis pontificatu ſuo futura bona compararet. Futura bona vocat ea, quæ Chriſtus nobis meruit, maxime gratiam, & gloriam PER AMPLIUS, ET PERFECTIUS TABERNACULUM. Pontifex ingreſſurus in ſancta ſanctorum tranſibat per primum tabernaculum, quod *ſanctum* dicebatur:

tur: Chriſtus idem fecit, nam ingreſſurus in cælum tranſivit per aliud tabernaculum *maius* (in Græco enim eſt μείζονος) & perfectius illo, per quod tranſibat pontifex. Hoc tabernaculum maius, & perfectius alii aliter interpretantur. Aptiſſima videtur eorum explicatio, qui putant per illud ſignificari Eccleſiam ab ipſo Chriſto collectam, & hic in terris militantem, per quam tranſivit ad triumphantem; cuius ſymbolum erant ſancta ſanctorum. NON MANUFACTUM: non hominum arte, & induſtria factum, ſed Chriſti, de quo tabernaculo dixit cap. VIII.

V. 12. TABERNACULUM; quod fixit Dominus, & non homo. NON HUIUS CREATIONIS, id eſt etiam non humani artificii, & fabricationis, ut erat primum tabernaculum fabricatum a Beſeleel.

V. 14. NEQUE PER SANGUINEM HIRCORUM, AUT VITULORUM: iuxta præſcriptum legis veteris, ut diximus ſupra verſ. 7. Sed Chriſtus ingreſſurus in cælum meliorem ſanguinem fudit, quo vere ſordes animorum eluuntur. SEMEL: non ut pontifex veteris legis, qui ſingulis annis ingrediebatur in ſancta ſanctorum. AETERNA REDEMPTIONE INVENTA, id eſt ſibi veram, ſolidam, ſemperque manſuram gloriam, nobis vero redemptionem a peccatis numquam defecturam.

V. 13. SI ENIM SANGUIS HIRCORUM, ET TAURORUM, id eſt vitulorum iuxta legem Levitici cap. XVI. de qua diximus ſupra verſ. 7. ET CINIS VITULAE: de qua libro Num. cap. IX. AD EMUNDATIONEM CARNIS: vide dicta verſ. 10.

V. 14. PER SPIRITUM SANCTUM, id eſt Spiritu ſancto eum ad id movente, & hortante. EMUNDABIT CONSCIENTIAM NOSTRAM: non carnem, ut ceremoniæ legis, ſed animam noſtram. AB OPERIBUS MORTUIS: ita etiam peccata vocavit ſupra VI. 1. AD SERVIENDUM DEO VIVENTI. Dixit, *viventi*, quoniam dixerat, *ab operibus mortuis*, quaſi docens Deo vivo non placere opera mortua.

V. 15. ET IDEO NOVI TESTAMENTI MEDIATOR EST. Particula, *& ideo*, hunc habet ſenſum: Quia ſanguis eius emundat conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, nec ſacrificia legis id præſtare potuerunt, mediator factus eſt novi Teſtamenti, quo non bona temporalia, ſed æterna promittuntur. Mediator teſtamenti dicitur is qui efficit ut alii conſequantur quod in teſtamento promittitur, ut patet ex ſequentibus. UT MORTE INTERCEDENTE: ὅπως θανάτου γενομένου, *ut morte facta*; cum prius ipſe teſtator mortuus fuerit. Quod cur dicat exponit paulo poſt: ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe intercedat teſtatoris. Ne quis putaret mortem Chriſti, aut dedecori Chriſtianis eſſe debere, aut ex imbecilitate eius eſſe, oſtendit nos non potuiſſe hereditatem conſequi, niſi per ipſam, & tantam fuiſſe eius potentiam, ut omnia peccata delere poſſit. IN REDEMPTIONEM EARUM PRAEVARICATIONUM, &c. Tantæ, inquit, virtutis fuit paſſio Chriſti, ut ne ſancti quidem, qui in veteri teſtamento fuerunt, ſalutem ſine ipſa conſequi potuerint, quoniam peccata illis remitti non potuerunt, niſi per ſanguinem Chriſti, qui fundendus erat in pretium redemptionis, cuius effuſionem ſacrificiis ſuis præfigurabant, & per eum delenda eſſe peccata profitebantur. REPROMISSIONEM ACCIPIANT, &c. id eſt, ut vocati accipiant æternam hereditatem ſibi promiſſam, ad quam vocati ſunt. QUI VOCATI SUNT; eos intelligit, qui tempore legis vocati ſunt ad vitam æternam.

V. 16. UBI ENIM TESTAMENTUM EST, &c. Oſtendit neceſſitatem mortis Chriſti, quæ idcirco non debet eſſe dedecori fidelibus, ſed gloriæ. Hereditas æternæ vitæ teſtamento promiſſa eſt hominibus; ubi autem teſtamentum eſt, id eſt cum teſtamentum fit, & cum bona alicui teſtamento legantur, neceſſe eſt ut prius teſtator moriatur, quam hereditas adeatur. Aliud eſt ſi non teſtamentum ſit, per donationem aliquid promittatur aut detur; tunc enim non eſt neceſſe mori eum qui donavit.

V. 17. ALIOQUIN NONDUM VALET, id eſt robur, firmitatem non habet, ius nullum tribuit.

V. 18. UNDE NEC PRIMUM QUIDEM: ſcilicet, teſtamentum, de quo deinceps loquitur ex libro Exodi cap. XXIV. 8. ſed videtur hic eſſe æquivocatio, nam loco citato Exodi loquitur Moſes de teſtamento, ut pactum ſignificat, non autem de teſtamento ut accipit hoc loco Divus Paulus, quod ut habetur Lib. I. ff. de teſtamentis, *eſt voluntatis noſtræ iuſta ſen-*

tentia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult. Reſpondeo, pactum, quod iniit Deus per Moyſem cum populo ſuiſſe etiam teſtamentum; nam fuit promiſſio de danda hereditate terræ Chanaan; quia vero Deus immortalis eſt, ne deeſſet mors ad teſtamentum firmandum neceſſaria, cæſæ ſunt victimæ, quarum ſanguine populus reſperſus eſt. Hoc vero pactum, & teſtamentum figura, & typus fuit pacti, & teſtamenti novi, quod intercedente Chriſti morte ſancitum eſt. SINE SANGUINE: victimarum.

V. 19. LECTO ENIM OMNI MANDATO LEGIS. Vide hiſtoriam Exod. XXIV. 7. & deinceps. CUM AQUA, ET LANA COCCINEA, ET HYSSOPO. Hæc non habentur loco citato Exodi, ſed ea ſupplevit Apoſtolus partim ex Spiritus ſancti inſtinctu, partim ex recepta praxi luſtrationum. Nam aquam miſceri ſolitam in ſacris aſperſionibus patet Exod. XII. 22. idem patet de cocco, ſive lana coccinea, & hyſſopo Numer. XIX. 6. & 18.

V. 20. HIC SANGUIS TESTAMENTI, QUOD MANDAVIT AD VOS DEUS, id eſt quod Deus nobiſcum ſanxit, ſuaque auctoritate ſervandum vobis, & retinendum præcepit.

V. 21. TABERNACULUM, ET OMNIA VASA. Hoc ipſum rurſus omiſit Moyſes, ſupplet tamen Paulus Lib. III. Antiq. cap. III. MINISTERII: ſacri, quo miniſtrabant Deo in victimis, & oblationibus.

V. 22. ET OMNIA PENE IN SANGUINE SECUNDUM LEGEM MUNDANTUR. Dixit *pene*, quia nonnulla emundabatur aqua aſperſionis, in quam miſſi fuerant cineres vitulæ rufæ: ut patet ex Numeror. cap. XIX. & alibi: immo videntur plura aſperſione aquæ mundata, quam ſanguinis. Sed dici poteſt etiam emundationem, quæ fiebat per aquam expiationis, non fuiſſe factam ſine ſanguine, quia ut fieret, prius ſanguis vitulæ rufæ fundebatur, & ex illius cineribus fiebat aqua illa purgatrix. ET SINE SANGUINIS EFFUSIONE NON FIT REMISSIO. Iuſſerat enim Moyſes Levit. IV. ſi quis peccaſſet, immolaret victimam pro peccato; per hanc autem victimam fiebat remiſſio non culpæ, & reatus coram Deo (culpa enim tollebatur contritione iuncta cum fide, & ſpe Chriſti venturi) ſed remiſſio quædam legalis, tollens culpam, & immunditiam legalem.

V. 23. EXEMPLARIA CAELESTIUM. Intelligit Apoſtolus Moſaicum tabernaculum, ac teſtamentum, ac populum ipſum, id eſt ipſos Iudæos, & omnia quæ in ipſo tabernaculo, & teſtamento erant. IPSA AUTEM CAELESTIA. Intelligit Eccleſiam Chriſti, quæ eſt quaſi quoddam cæleſte tabernaculum habens cæleſtem victimam, ſcilicet corpus Chriſti, cæleſtem doctrinam, populumque cæleſtis, & angelicæ vitæ, cui cælum pro æterna manſione, & retributione præparatur. Alii non ſolum de militanti Eccleſia accipiunt, ſed etiam de triumphanti, quod utraque mundetur, id eſt munditiam & ſanctitatem ſuam omnem continuo accipiat *ab hoſtia meliore*, quæ eſt Chriſtus in cruce, oblatus. Hæc explicatio facilius cohæret cum ſequentibus. MELIORIBUS HOSTIIS. Dicit in plurali *melioribus hoſtiis*, quia hæc hoſtia quotidie repetitur, & a multis ſacerdotibus offertur, ideoque quaſi multæ hoſtiæ cenſentur.

V. 24. SANCTA EXEMPLARIA VERBORUM. Intelligit ſancta ſanctorum, in quæ Pontifex ſemel in anno ingrediebatur, & erant exemplaria, id eſt typus, & figura cæli empyrei beatorum, quod eſt veriſſimum ſanctum ſanctorum. UT APPAREAT VULTUI DEI PRO NOBIS. Introivit in ſancta, ſed non ita ut cum introitu curam noſtri depoſuerit, nam nunc etiam cauſam noſtram agit apud Parrem.

V. 25. NEQUE UT SAEPE OFFERAT. &c. non ut ſe iterum patri offerat, quemadmodum Pontifices Moſaici repetebant ſactificia, quia unica, & æterna eſt redemptio, qua nos ſalvator redemit. IN SANGUINE ALIENO; hircorum videlicet, & vitulorum, quos ut in ſancta ingrederentur, immolabant.

V. 26. ALIOQUI OPORTEBAT EUM FREQUENTER PATI AB ORIGINE MUNDI; hoc eſt, nam ſi redemptio eius non eſſet æterna, ſed tantum prodeſſe poſſet iis qui tunc vivebant, & iterum mori cum oporteret pro iis qui ſequenti ſæculo viverent, atque ita de aliis, non ſatis hominum ſaluti conſuluiſſet, quoniam illi, qui ante eius incarnationem vixerant, ſine eius ſanguine ſalvi fieri non potuerunt: oportebat ergo, ut in ſingulis generationibus ab origine mun-

Digitized by Google

mundi pro hominibus illius temporis moreretur. IN CONSUMMATIONE SAECULORUM. Quomodo Chriſtus paſſus eſt in conſummatione, hoc eſt, fine ſæculorum, cum ab eius paſſione uſque ad noſtra tempora annos plures mille ſexcentis iam fluxiſſe videamus, & ignoremus, an multo etiam his plures ſuperſint? Reſpondeo, tempus quod a Chriſto uſque nunc decurrit, pertinere ad finem ſæculorum, quia ſæcula quæ fuerunt ab origine mundi ita dividi poſſunt, ut primum ſæculum ſit legis naturæ, ſecundum legis Moſaicæ, tertium, & ultimum legis Chriſti. Aliter etiam ſæcula dividi poſſunt, ſemper tamen ultimum eſt quod a Chriſto cœpit, in quo nos vivimus. AD DESTITUTIONEM PECCATI: *ἀθέτησιν*, *reiectionem*, reprobationem, profligationem peccati. PER HOSTIAM SUAM APPARUIT: apparuit Deo Patri ingrediens in ſancta ſanctorum cæleſtia, poſtquam ſeipſum obtulit in cruce.

V. 27. POST HOC AUTEM IUDICIUM, id eſt poſt mortem autem ſequitur iudicium de factis vitæ prioris.

V. 28. SIC ET CHRISTUS, &c. Sententia Apoſtoli eſt huiuſmodi: Quemadmodum propter peccatum primi hominis ſtatutum eſt, ut omnes moriantur, & poſtea ad iudicium veniant, ut digna factis recipiant, ita Chriſtus, qui peccata noſtra ſuſceperat, mori voluit, ut nos morte ſua a morte liberaret. Deinde ad iudicium veniet, non ut ipſe iudicetur, ſed ut omnes qui eius adventum expectant, ab omnibus malis eripiat, & in vitam æternam perducat. Oſtendit cauſam cur Chriſtus mori voluerit, ne eius mors Hebræis ſcandalo eſſet, aut dedecori. MULTORUM: omnium hominum, qui multi ſunt. SINE PECCATO: primo enim adventu quando ſe obtulit in cruce, portavit, ac ſuſtulit in ſe hominum peccata; at in ſecundo adventu nihil tale. APPAREBIT IN SALUTEM: afferens electis ſuis æternam ſalutem.

TIRINI.

Verſ. 1. HABUIT PRIUS, ſeu vetus teſtamentum, ſuas IUSTIFICATIONES, id eſt leges *a*, ritus, ceremonias, CULTURAE, λατρείας, id eſt quibus coleret Deum, & ſaltem exterius iuſtificaret hominem: ET SANCTUM, id eſt ſanctuarium, ſeu templum, SAECULARE, κοσμικόν, id eſt, *mundanum*, terreſtre, temporaneum, caducum & umbratieum: cum in Eccleſia Chriſti omnia ſint vera, ſpiritualia, cæleſtia, æterna: ut in decurſu capitis audiemus.

V. 2. TABERNACULUM PRIMUM; id eſt, prior, ſeu anterior pars tabernaculi, quæ vocabatur, *Sanctum*, continebat CANDELABRA, id eſt ſeptem lucernas ſepticipitis candelabri: (niſi malis alludi ad Salomonicum templum, in quo erant decem candelabra ſepticipitia *b*.) Item *menſam* auream, ſeu altare thymiamatis. Denique *propoſitionem* PANUM, id eſt panes *c* propoſitos coram Domino. De his, & horum allegoricis ſignificatis egi in Exodo *d*. QUAE prior tabernaculi pars DICITUR *ſanctum*, vel SANCTA. Altera ſeu interior tabernaculi pars erat.

V. 3. POST VELAMENTUM SECUNDUM: prius enim velum appenſum erat foribus *Sancti*, poſterius *e* foribus *Sancti* SANCTORUM, ſeu ſanctiſſimæ *f* partis tabernaculi. Ubi erat

V. 4. AUREUM THURIBULUM, quod ſerviebat ſuffitui quem excitabat pontifex ſemel in anno ingrediens *Sancta ſanctorum*: ita S. Thomas, Anſelmus, Lyranus, Galenus. Viegas *g* & Vilalpandus. Sed Origentes, Abulenſis *h*, Ribera & a Lapide per *thuribulum* intelligunt altare thymiamatis, ex lignis quidem ſetim, ſed auro undique tectis conſtructum, quod etſi eſſet in *Sancto*, proximum tamen erat *Sancto ſanctorum*, & inde fumus, ſeu ſuffitus ingrediebatur in *Sanctum ſanctorum*: unde & vocabatur *altare oraculi*, quia eius uſus non erat alius, quam Deo in oraculo reſidenti thus adolere. Habebat ergo Sanctum ſanctorum *altare* iſtud non in ſe, ut habebat ARCAM, ſed *ante ſe*, ſicut caput habet collum, domus habet atrium, civitas foſſam. Porro *in é*, id eſt cum. arca, vel iuxta arcam, erat URNA cum *manna*. Nam in ipſa præciſe arca non erant niſi tabulæ Moſaicæ, ut alibi *k* vidimus.

a *V.* 5. CHERUBIM GLORIAE, id eſt glorioſi, auguſti, ſplendidi, alis ſuis *obumbrabant* PROPITIATORIUM, id eſt tabulam auream quæ arcæ ſurſum (interiecto aliquanto ſpatio) imminebat & quaſi a longe tegebat, ut dixi in Exo-

do *l*, ubi & quid ſingula ſignificent explicui.

V. 7. PONTIFEX & quidem SOLUS, nec niſi SEMEL IN ANNO, die expiationis *m*, intrabat in Sanctum ſanctorum, NON SINE profuſo SANGUINE vituli PRO SUO, ET hirci *pro* POPULI IGNORANTIA, id eſt peccatis, quæ ſunt ignorantiæ practicæ. Et teſte Ariſtotele *n*, immo & S. Paulo & Sapiente, *omnis peccans* eſt *ignorans:* ita Anſelmus & S. Thomas. Porro per hoc quod nulli alteri pateret aditus in Sanctum ſanctorum,

V. 8. SIGNIFICABAT SPIRITUS SANCTUS, NONDUM PROPALATAM ESSE tempore legis Moſaicæ VIAM SANCTORUM, id eſt nondum hominibus patefactum eſſe aditum in vera *Sancta ſanctorum*, id eſt in cælum; quia nondum facta erat expiatio peccatorum per ſanguinem & mortem Chriſti: ita Chryſoſt. cum ſuis & Primaſius. Erat enim

V. 9. PARABOLA, id eſt figura, typus, ſimilitudo, repræſentatio, TEMPORIS tunc INSTANTIS, ſeu tunc præſentis. Nempe deſignabat, quod, ſicut ſacerdotes non poterant ingredi in Sanctum ſanctorum: ita nec MUNERA, nec HOSTIA quæ a ſacerdotibus OFFERUNTUR Deo, NON poſſint PERFECTUM FACERE SERVIENTEM, ſeu offerentem, id eſt iuſtificare, IUXTA CONSCIENTIAM, id eſt ſecundum interiorem hominem, vel ſecundum animam, & conſequenter nec in cælum inducere. Tantum enim ſerviebant procurandæ

V. 10. *iuſtitiæ* CARNIS, id eſt iuſtificationi; ſed purgationi exteriori in foro ſori, non in foro poli: *impoſita* rudi populo USQUE AD TEMPUS CORRECTIONIS, id eſt uſque ad adventum Chriſti qui corrigere debebat externos & carnales illos ritus, & ſubinducere cultum Dei internum ac ſpiritualem, inquit Theophyl.

V. 11. & 12. CHRISTUS ASSISTENS nobis; græce, *παραγινόμενος*, id eſt *poſtquam* in hunc mundum *advenit* & acceſſit nobis, PONTIFEX, *futuræ* vitæ theſauros, gratiam, iuſtificationem & gloriam æternam nobis comparaturus, ingreſſus eſt non per anguſtum *Sanctum* Moſaicum, ſed PER AMPLIUS, maius, vaſtius, PERFECTIUS TABERNACULUM, puta per Eccleſiam hic a ſe in terris collectam, quæ NON EST HUIUS CREATIONIS, id eſt opus humani artificii (uti erat Moſaicum tabernaculum) ſed divini *o*. Per hanc, inquam, militantem ſuam Eccleſiam INTROIVIT IN SANCTA ſanctorum, id eſt in Eccleſiam triumphantem: non quotannis, ut Aaronici, ſed SEMEL pro ſemper; INVENTA, id eſt magno ſtudio, labore, ac totius ſanguinis ſui profuſione, comparata nobis omnibus plena ſolidaque REDEMPTIONE, non ad breve tempus, ſed AETERNA, ſeu æternum duratura:

V. 14. PER SPIRITUM SANCTUM, qui ipſum ad id excitabat & movebat, *emundans* CONSCIENTIAM & animam NOSTRAM AB OPERIBUS MORTUIS, id eſt a peccatis *p*. Quod non poterant præſtare omnia ſacrificia legis veteris.

V. 15. ET IDEO factus EST MEDIATOR NOVI, melioris & efficacioris TESTAMENTI, perficiens ut ſpiritualia, cæleſtia & æterna bona, quæ novo teſtamento nobis tamquam heredibus promittuntur, certo & indubitato conſequamur. Perfecit autem illud MORTE ſua INTERCEDENTE.

V. 16. UBI ENIM *teſtimonio* aliquo hereditas legatur, NECESSE EST prius *mori teſtatorem*, quam hereditas adiri poſſit. Quod addit Apoſtolus, ut Hebræis ad oculum demonſtret, mortem Chriſti non fuiſſe, ſeu ipſi, ſeu nobis dedecori *q*, ſed lucro & gloriæ.

V. 18. & 19. UNDE NEC PRIMUM QUIDEM teſtamentum, mediante Moyſe in Sinai, DEDICATUM, id eſt ſolemniter confirmatum, eſt SINE SANGUINE & morte, non quidem teſtatoris (nam is eſt immortalis) ſed VITULORUM ET HIRCORUM, ipſo iubente neci datorum *r*.

V. 20. HIC eſt SANGUIS TESTAMENTI), id eſt quo ratificatur, ſolemnizatur, confirmatur fœdus, ſeu pactum Dei vobiſcum, de conſignanda tradendaque vobis hereditate terræ Chanaan. Allegor. hereditate cæleſti, inquit Theoph.

V. 22. SINE SANGUINIS EFFUSSIONE NON FIEBAT REMISSIO. Si quis enim peccaſſet, cogebatur *ſ* victimam pro peccato immolare: & per hanc accipiebat *remiſſionem* non culpæ vel reatus coram Deo (neque enim tolli poterat culpa, niſi per contritionem iunctam cum fide & ſpe venturi Meſſiæ:) ſed immunditiæ legalis & pœnæ alioquin in hac vita incurrendæ.

V. 23. HIS ERGO legalibus & carnalibus

bus hoſtiis neceſſe erat mundari exemplaria caeleſtium, id eſt vetus tabernaculum, veterem ſynagogam, & omnia quæ his continebantur, quæ erant exemplaria, id eſt typi & figuræ Eccleſiæ Chriſti, & novæ legis ac novi teſtamenti, quæ hic *cæleſtia* vocantur propter cæleſtem victimam, doctrinam, præmium & hereditatem: *mundanda* melioribus & nobilioribus *hoſtiis*, puta carne & ſanguine Chriſti, partim cruente in cruce, partim incruente in Euchariſtia oblato. Quæ hoſtia quia quotidie reperitur, & a multis ſacerdotibus offertur, ideo quaſi multæ hoſtiæ cenſentur & per illam Eccleſia tum militans, tum triumphans omnem ſuam munditiam & ſanctitatem continuo accipit.

V. 24. Sancta ſanctorum exemplaria verorum, erat illa interior templi pars in quam pontifex Aaronicus ſemel quotannis cum alieno sanguine vituli & hirci introibat, eratque figura cæli empyrei, in quod Chriſtus per proprium ſanguinem ſemel introivit, non tamen ita ut cum introitu curam noſtri depoſuerit: nam nunc etiam ut mediator, pontifex, advocatus, *apparet* vultui Dei, & cauſam noſtram agit apud Patrem. Interea morte ſemel obita ſufficienter ex parte ſua redemit univerſum mundum, omneſque homines, ſive ante, ſive poſt ipſum victuros.

V. 26. Alioquin ſi non omnibus ſufficeret, ſed ſolis iis qui tum temporis vivebant, oportebat eum (ſi ſaluti hominum plene conſultum volebat.) frequenter pati, immo ſingulis generationibus, ab origine uſque ad finem mundi, mortem pro hominibus illius ſæculi ſubire: nunc autem semel pro ſemper per hostiam suam, id eſt per oblationem ſui ipſius in cruce, ut redemptor totius univerſi, apparuit coram Deo patre ad destitutionem; Syrus, *ad abolitionem* & expiationem, omnis peccati, quantum ex parte ſua eſt, idque in consummatione, id eſt fine, saeculorum, id eſt noviſſima mundi ætate *t*.

V. 27. Quemadmodum propter peccatum primi hominis statutum est ut omnes semel moriantur, & post mortem *judicio* divino ſiſtantur, ut digna factis recipiant:

V. 28. Sic Christus, qui peccata multorum, id eſt omnium noſtrum, in ſe expianda & exhaurienda ſuſceperat, voluit etiam semel mori, & ſic Deo in lytrum *offerri*: dein ad iudicium venire, non iudicandus ipſe, ſed totum univerſum iudicaturus, non in exitium, (niſi ſolis rebellibus ſuis,) ſed in salutem iis qui integra fide, ſpe, caritate & debito obſequio *expectant* eum. Veniet, inquam, non iterum onuſtus noſtris peccatis, ut illa rurſus expiet, & ſe victimam pro illis abolendis offerat Patri, ſed sine tali ſarcina *peccati*, iudicem omnium aget, nempe vindicem malorum, remuneratorem bonorum: ita S. Chryſoſt. Theodoretus & Anſelmus.

(x) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 14.
(b) III. Reg. vii. 47.
(c) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 47.
(d) Exodi. xxv. & xxx.
(e) Exodi xxvi. 32. & 36.
(f) Proleg. ſuper. num. 50. Mxti.
(g) Galen. & xlij hic. Viegas Apoc. viii. parr. 385.
(h) Orig. hom. ix. in Exod. Abulenſ. in Exod. xxv. Exod. xl. 24.
(i) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 12.
(k) III. Reg. viii. 9.
(l) Exod. xxv. 16.
(m) Levit. xvi. 2. &c.
(n) Ariſt. Lib III.
(o) Hebr. viii. 2.
(p) Hebr. vi. 1.
(q) Ioan. xii. 24.
(r) Exodi xxiv. 8.
(ſ) Levit. iv. &c.
(t) Chronici exp. vii.

GORDONI.

Verſ. 1. Habuit quidem. In hac comparatione inter duo teſtamenta, incipit a veteris culturæ iuſtificationibus, ſeu mandatis pertinentibus ad cultum Moſaicum. Habuit, inquit, vetus lex ſanctum ſeculare, ſeu mundanum, κοσμικὸν Intelligit tabernaculum & templum temporale, & interitui obnoxium, hoſtiis oſferendis deſtinatum.

V. 2. Tabernaculum. Incipit a Tabernaculo primo, hoc eſt, a prima parte Tabernaculi, quæ erat anterior, & dicebatur *Sanctum*: in quo erant candelabra; certe unum candelabrum, ſed ſeptem ramorum, λυχνία, in ſingulari. Et mensa, cui imponi debebant panes propoſitionis:

Digitized by Google

nis : τὸ, QUAE DICITUR SANCTA, non refert menſam, ſed ut eſt in Græco, τὴν σκηνὴν, *tabernaculum:* nempe primum tabernaculum quod dicitur *ſanctum*. Vide Exod. cap. XXVI. 1.

V. 3. POST VELAMENTUM. Poſt velum ſequebatur Sancta Sanctorum: interior ſanctiorque pars tabernaculi. Eſt vero hoc velamentum ſecundum, quia prior illa pars tabernaculi etiam velum ante ſe oppanſum habebat. Hæc pars aureum thuribulum & arcam teſtamenti continebat auro tectam omni ex parte. In arca erat urna aurea habens manna, & virga Aaron, & tabulæ teſtamenti. Super arcam *Cherubim gloriæ*, gloriam Dei demonſtrantes. Ampliorem horum notitiam pete ex citato capite XXVI. Magna quæſtio eſt, an virga fuerit in arca, quam dedi explicatam, III. Reg. VIII. 9. Et quid ſi antiquioribus ſæculis dicamus cum Theophylacto non fuiſſe in arca, poſtea tamen poſitam.

V. 6. & 7. HIS VERO. In prius illud tabernaculum, quod dicitur Sanctum, introibant quotidie ſacerdotes: in illud ſacratius, & Sanctum Sanctorum, ſolus Pontifex, & ſemel in anno in feſto expiationis, Levit. cap. XVI. ubi de ſanguine. Per hæc duo deſignari poſſunt Eccleſia militans & triumphans.

V. 8. HOC SIGNIFICANTE SPIRITU. Parabolicum hoc eſt. Ille prohibitus ingreſſus deſignabat nondum apertam fuiſſe viam in cælum, & ſanguine Chriſti aperiendam.

V. 9. QUAE PARABOLA. Hic typus reſpiciebat noſtrum hoc tempus Evangelicum, ut dicitur verſ. 11. & iuxta hunc typum ſeu figuram offerebantur ſacrificia, quæ non potuerunt mundare conſcientiam, & ſanctificare. Ritus hos hic enumerat, verſ. 10. Per parabolam intelligit Paulus typum, ſeu exemplum. Sane alioqui parabola verborum eſt exemplar & typus rerum.

V. 11. & 12. CHRISTUS AUTEM. Oſtendit nunc vetera illa omnia, ut typum gerebant, expreſſa eſſe ſecundum veritatem in Chriſto, ſub quo Pontifice amplius & perfectius tabernaculum ſurrexit, nempe cælum, in quod introivit fuſo ſanguine proprio pro nobis, æterna redemptione: ubi & gloria illi æterna eſt, & nobis redemptio ſemper manſura. Futura vocat bona quæ Chriſtus nobis meruit, gratiam & gloriam. PERFECTIUS TABERNACULUM, eſt cælum: SEMEL, & non ſingulis annis, ut Moſaicus Pontifex.

V. 13. & 14. SI ENIM SANGUIS. Si hæc legalia valebant ad contaminationem corporis tollendam, quanto magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam ab operibus mortuis, & peccatis: qui cum eſſet Pontifex ſeipſum obtulit Deo in ſacrificium redemptionem operans; quod antiquarum victimarum ſanguis efficere non potuit. De ſanguine taurorum, id eſt vitulorum, lege Levit. cap. XVI. de cinere, Num. cap. XIX. PER SPIRITUM SANCTUM (v. 14.) Spiritu ſancto eum ad id movente.

V. 15. ET IDEO NOVI. Quia ſanguis Chriſti emundat noſtram conſcientiam, & veteres hoſtiæ id non poterant; ideo factus eſt mediator novi teſtamenti, qui perfectiora præſtaret. Mediatorem teſtamenti vocant communiter, qui ita omnia exequitur, & efficit, ut nominati conſequantur, quod in teſtamento promittitur. Sed quomodo eſt mediator in redemptionem veterum prævaricationum? Sane hoc explicat quantus ſit iſte mediator: tantam, inquit, paſſio Chriſti virtutem habuit, ut ne quidem in veteri teſtamento Patres aliter gratiam ſint aſſecuti & promiſſionem, ſeu promiſſam gloriam, niſi per Chriſtum. Chriſtus ergo qui in hac mortali vita tota (etiam in nativitate) & nunc in cælo Pontifex eſt; hic, inquam, conditor quidem novi teſtamenti, immo & teſtator eſt, redemptorem ſe fecit hominum ſub utroque teſtamento, immo etiam eorum qui vivebant ſub lege naturæ.

V. 6. UBI ENIM TESTAMENTUM. (uſque ad verſum 23.) Nec eſt, quaſi diceret, quod quiſquam miretur de morte Chriſti; teſtator enim mori debet, ut vim ſuam habeat teſtamentum: Chriſtus autem, ut dixi, teſtator eſt; ergo mori conveniebat. Atque ita *nec primum* teſtamentum fuit ſine ſanguine & morte, (verſ. 18.) ut vides Exod. XXIV. verſ. 8. NAM LECTO MANDATO LEGIS (verſ. 19.) opus erat ſanguine ex citato loco Exodi.

LANA COCCINEA. Habet hic Apoſtolus ritus aliquos, qui non ſunt apud Moſen, Exod. XXIV. ſed eos ſupplevit Paulus ex

gratia

Digitized by Google

praxi & traditione notos, nec ſine inſpiratione Spiritus Sancti. Ceterum de aqua eſt locus, Exod. XII. 22. Item de cocco abſque lana coccinea & hyſſopo, Num. cap. XIX. 6. & 18.

Sed in hac prolixa utriuſque teſtamenti comparatione apparet aliqua ratio ambigui: nam Paulus loquitur de teſtamento, quod morte confirmatur: Vetus autem teſtamentum Deum habuit conditorem, qui mori non potuit: immo pure pactum fuit, nec proinde requirebat mortem. Reſpondeo: Illud vetus fuiſſe & pactum (de poſſidenda terra promiſſa) & ſimul teſtamentum morte, ſanguine & cæſis hoſtiis firmatum. Immo etiam cum Chriſto pactum fuit.

V. 23. Necesse est ergo. Neceſſe ergo eſt per hoc Chriſti ſacrificium mundari ac renovari vetera omnia, quæ erant tantum exemplaria cæleſtium. Per cæleſtia intelligit Eccleſiam Chriſti, in qua ſunt meliores hoſtiæ. Tale eſt quotidianum in Eccleſia ſacrificium. His ſubiungit introitum Chriſti in cælum. Ergo Chriſtus Pontifex cælum ingreſſus eſt, interpellans pro nobis. Nec tamen more veterum Pontificum intrans ſemel quotannis, oblaturus ſanguinem alienum. Non introivit, ut iterum ſe Patri offerret, quod faciebant antiqui Pontifices, qui ſæpe, & ſaltem quotannis repetebant ſacrificium. Unica per Chriſtum ſufficiebat ſancta illa & æterna redemptio.

V. 26. Alioqui. Si redemptio non fuiſſet æterna, & valens pro omnibus ab origine mundi, & non tantum iis, qui tempore ſacrificii vivebant; oportuiſſet Chriſtum ſæpius mori, pro iis ſcilicet, qui inſequentibus ſæculis naſcerentur. Nunc autem ſemel mortuus eſt in conſummatione, & ultima ætate ſæculorum ad profligationem peccati.

V. 28. Et quemadmodum. Concludit in hac comparatione: ſicut homo moritur ſemel, & poſtea apparebit in iudicio: ita Chriſtus ſemel tantum mortuus eſt, & iterum redibit ad iudicium, ſed ſine hoſtia pro peccatis. Multorum, certe omnium, ac proinde etiam multorum; vel omnibus apparebit: & ſimul multis ad ſalutem, qui bene vixerunt.

Digitized by Google

CAPUT X.

Propter imperfectionem hoſtiarum veteris Teſtamenti neceſſarium fuit novum induci, cuius unica hoſtia auferrentur univerſa peccata: cui niſi fide, ſpe, caritate, ac bonis operibus adhæſerimus, acerbius puniemur quam veteris Teſtamenti tranſgreſſores: laudat interim Hebræos quod & multa paſſi ſint, & patientibus adſtiterint.

1. UMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam
imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis ho-
ſtiis, quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt acce-
dentes perfectos facere: 2. alioquin ceſſaſſent offerri:
ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati,
cultores ſemel mundati: 3. ſed in ipſis commemoratio
peccatorum per ſingulos annos fit: 4. impoſſibile enim
eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. 5. Ideo ingrediens mun-
dum dicit: (a) hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi:
6. * holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. 7. Tunc dixi: ecce
venio: (b) in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, volunta-
tem tuam. 8. Superius dicens: quia hoſtias, & oblationes, & holocautoma-
ta pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offerun-
tur, 9. tunc dixi: ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert
primum, ut ſequens ſtatuat. 10. In qua voluntate ſanctificati ſumus per
oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. 11. Et omnis quidem ſacerdos præ-
ſto eſt quotidie miniſtrans & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam
poſſunt auferre peccata: 12. hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam,
in ſempiternum ſedet in dextera Dei, 13. de cetero expectans (c) donec po-
nantur inimici eius ſcabellum pedum eius. 14. Una enim oblatione con-
ſummavit in ſempiternum ſanctificatos. 15. Conteſtatur autem nos & Spi-
ritus ſanctus. Poſtquam enim dixit: 16. (d) hoc autem teſtamentum, quod
teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit Dominus, * dando leges meas in cor-
dibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas: 17. & peccatorum,
& iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. 18. Ubi autem horum
remiſſio: iam non eſt oblatio pro peccato. 19. Habentes itaque fratres fi-
duciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti, 20. quam initiavit no-
bis viam novam, & viventem per velamen, id eſt, carnem ſuam, 21. &
ſacerdotem magnum ſuper domum Dei: 22. accedamus cum vero corde in
plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua
munda, 23. teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, (fidelis enim
eſt qui repromiſit) 24. & conſideremus invicem in provocationem carita-
tis, & bonorum operum: 25. non deſerentes collectionem noſtram, ſicut
conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tanto magis quanto vide-
ritis appropinquantem diem. 26. (e) Voluntarie enim peccantibus nobis poſt

acce-

Digitized by Google

acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, 27. terribilis autem quædam expectatio iudicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. 28. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione *(f)* duobus vel tribus teſtibus moritur: 29. quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? 30. Scimus enim qui dixit: *(g)* * mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: quia iudicabit Dominus populum ſuum. 31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. 32. Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, 33. & in altero quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem, focii taliter converſantium effecti. 34. Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. 35. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. 36. Patientia enim vobis neceſſaria eſt: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem. 37. *(h)* Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt, veniet, & non tardabit, 38. *(i)* iuſtus autem meus ex fide vivit: quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. 39. † Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.

(a) Pſ. xxxix. 7. (b) Ibidem. (c) Pſ. cix. x. 1. Cor. xv. 25. (d) Ierem. xxxi. 33. Sup. viii. 8. (e) Sup. vi. 4. (f) Deut. xvii. 6. Matth. xviii. 16. Ioan. viii. 17. 1. Cor. xiii. 1. (g) Deut. xxxii. 35. Rom. xii. 19. (h) Hab. ii. 3. Rom. i. 17. (i) Gal. iii. ix.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 6. 8. Holocautomata pro peccato. Alii libri ante præpoſitionem *pro*, Græco conſentanee, interponunt coniunctionem *&*: quam Syrus cum Correctoribus omittit.

Verſ. 16. Danao leges meas. Non mutes gerundium *dando* in futurum indicativi *dabo*.

Verſ. 30. Mihi vindicta, & ego retribuam. Neque hic mutes nominativum *vindicta* in accuſativum.

Lectionum Varietas

Verſ. 39. N*OS autem non ſumus ſubtractionis filii*. Vocem *filii* omittunt Latini quidam libri, nominatim Biblia manuſcripta S. Audomari cum Græcis & Syricis.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. UMBRAM ENIM HABENS, &c. Lex, inquit, umbra tantum erat, & non imago FUTURORUM BONORUM: futura autem bona ſunt, vel Chriſti immolatio pro nobis, & peccatorum remiſſio, vel cæleſtis patriæ præmia; & ſecundum hoc, duplex eſt ſenſus. Prior, quod lex umbram tantum habebat veri ſacrificii & remiſſionis peccatorum, & non ipſam verorum donorum imaginem, id eſt veritatem. Sic enim Chryſoſt. nec enim in lege vera peccatorum remiſſio erat, ſed corporales quædam mundationes illius umbræ & figuræ, neque verum ſacrificium, quod omnia ſemel exhaurit peccata, ſed illius tantum umbra carnales quædam victimæ. Secundo modo ſenſus eſt, ad quem accedit Gregorius Nazianzenus, *futura bona*

gaudia ſunt cœleſtis patriæ: *illorum imago*, evangelica lex, & vita: quæ illa nobis, quam proxime fieri in hac vita poteſt, repræſentat. Novum ergo teſtamentum futurorum bonorum imaginem habet, lex autem umbram: quum ænigmatice tantum & obſcure illa nobis præferret ad quæ per fidem evangelicam ſpe contigimus: immo illorum prægustamenta quædam habent, qui guſtaverunt quam bonus & ſuavis eſt Dominus. Lex ergo umbram tantum, & non imaginem futurorum habens, numquam poteſt accedentes ad ſe, & in ſe confidentes perfectos facere, eiſdem ipſis hoſtiis & victimis, quas indeſinenter offerunt ſacerdotes per ſingulos annos. Neque enim huiuſmodi hoſtiæ toties repetitæ iuſtificare poterant: quod probans Paulus ſubdit:

V. 2. ALIOQUIN CESSASSENT OFFERRE: IDEO, &c. Græc. legunt *ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο*, &c. id eſt, alioquin nonne ceſſaſſent offerri? IDEO QUOD (ſi legis hoſtiæ veræ iuſtificarent) NULLAM HABERENT CONSCIENTIAM PECCATI CULTORES; id eſt, qui Deum huiuſmodi ſacrificiis colerent, ſemel per huiuſmodi hoſtias purgati? quemadmodum enim Chriſti ſacerdotium, quia omnium expiandis peccatis ſufficiens fuit, iam non amplius immolatur; ita ſi ſufficienter illæ hoſtiæ a peccato offerentium conſcientiam emundaſſent, quotannis offerri deſiiſſent. Non ergo in ipſis, & per ipſas conſcientiæ fit emundatio, ſed peccatorum tantum commemoratio, & accuſatio, non remiſſio. Per legem enim, inquit alibi Paulus, cognitio peccati, non item ablatio. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata, & ideo huiuſmodi ſacrificia abrogata probat, dicens:

V. 5. uſque ad 11. IDEO INGREDIENS MUNDUM, &c. id eſt, quum aſſumpta humanitate in mundum venit Dei filius, per os David patri inquit: HOSTIAM ET OBLATIONEM NOLUISTI, pater; id eſt, neque carnales victimæ legis, neque expertes ſanguinis oblationes tibi placuerunt: ſicut Ierem. VI. dicitur: *holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi*; quia ergo, inquit, noluiſti huiuſmodi hoſtias: CORPUS APTASTI MIHI, ſive ipſam ſacrificiorum veritatem, & non umbram (nam corpus ſolida veritas evangelii dicitur) ſive magis corpus humanitatis meæ, quod tibi in ſacrificium offerrem: HOLOCAUSTOMATA PRO PECCATO NON TIBI PLACUERUNT. *Holocauſtomata* differunt ab hoſtiis, quod quæ in holocauſtomata offerebantur animalia, tota incendebantur: hoſtiæ non item, ſed Deo oblatæ ſacerdotum cibus erant. Oſtendit ergo nulla omnino veteris legis ſacrificia ita Deo placuiſſe, ut per ea peccatum remitteretur. Sacrificia ergo, inquit Chriſtus patri, quum ſcirem tibi non placere, TUNC DIXI, ECCE, VENIO, ut ſcilicet me tibi verum ſacrificium offeram; hoc eſt enim quod inquit, UT FACIAM DEUS VOLUNTATEM TUAM: ſicut ipſe ait Ioan. IV. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem patris mei, & perficiam opus* ſcilicet *redemptionis*. *Venio* ergo, inquit, *ut faciam voluntatem tuam*. IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME, & hoc per parentheſim legendum Græci docent; id eſt, nam in capite libri ſcriptum eſt de me, ſive ut Hebræi habent, *in volumine libri*: in capite autem, id eſt in ſumma libri, ſcilicet in lege ipſa, quia omnia veteris legis ſacrificia de me ſcripta ſunt, id eſt in figuram veri ſacrifici, quod eram in cruce oblaturus. Quum autem hoc teſtimonium Chriſti de ſacrificiis legis Paulus attuliſſet, ſubdit, dicens, AUFERT PRIMUM, UT *ſecundum* STATUAT; id eſt, priores legis immolationes abrogavit, ut ſecundum ſui corporis ſacrificium ſtatuat ac ſtabiliat; quod eſt intelligendum per voluntatem patris, cui per filii mortem redimere nos viſum eſt, ſicut ipſe declarans ſubdit, IN QUA VOLUNTATE SANCTIFICATI SUMUS PER OBLATIONEM CORPORIS IESU CHRISTI SEMEL; ſemel autem, quia amplius non eſt immolandus, nec moriturus.

V. 11. uſque ad 19. ET OMNIS QUIDEM SACERDOS, &c. differentiam facit ſacerdotis legalis & Chriſti, quod ſacerdos legalis quotidie præſto eſt. Græc. *ἕστηκεν*, id eſt ſtat MINISTRANS ſive ſacrificat, ET EASDEM HOSTIAS SAEPE OFFERENS, id eſt taurum aut hircum: QUAE quidem hoſtiæ AUFERRE PECCATA NON POSSUNT: HIC AUTEM ſcilicet Chriſtus, UNAM non ſæpius, ſed ſemel IN SEMPITERNUM PRO PECCATIS noſtris OFFERENS, ſui corporis HOSTIAM, SEDET IN DEXTERA DEI: & hinc ſacerdote legali ſuperior, quod ille tantum ſtat per hoc miniſtrantis habitum præ ſe

ſe-

Digitized by Google

ferens. Chriſtus autem quod regnantis eſt, ſedet DE CETERO EXPECTANS DONEC PONANTUR INIMICI EIUS SCABELLUM PEDUM EIUS, id eſt, tempus iudicii expectans, in quod poſtquam plenitudo gentium intraverit, & omnis Iſrael ſalvus fuerit, completo electorum numero, omnes inimici eius & dæmones & increduli ſubiicientur illi, quando iam ſeducendis, ſi fieri poteſt electis, illi repugnare ceſſabunt, ac vel inviti Dominum gloriæ cognoſcent: qui quidem UNA OBLATIONE CONSUMMAVIT IN SEMPITERNUM SANCTIFICATOS, id eſt baptizatos in ſuo ſanguine, ſui corporis oblatione, in ſempiternum conſummavit, & perfecit, ut nunquam in æternum, ſi velint, illis peccata imputentur: quod per Ieremiæ verba probat dicens: CONTESTATUR AUTEM nobis SPIRITUS SANCTUS; id eſt, teſtimonium nobis præbet, quod non imputanda ſint ſanctificatis peccata, qui quum dixiſſet per Ieremiam, HOC AUTEM TESTAMENTUM QUOD TESTABOR AD ILLOS POST DIES ILLOS, DICIT DOMINUS: DABO LEGES MEAS IN CORDIBUS EORUM, ET IN MENTIBUS EORUM SUPERSCRIBAM EAS, ET PECCATORUM, &c. Eſt in his verbis Pauli eclipſis: nam poſt hæc verba, *ſuperſcribam eas*, ſupplent Græci προσέθηκε, id eſt quum dixiſſet, hoc autem & cetera, addidit, & peccatorum, ſcilicet poſtquam hæc dixit Spiritus ſanctus, addidit, ET INIQUITATUM EORUM NON RECORDABOR AMPLIUS, oſtendens per hæc noviſſima verba iam oblitis & oblitteratis in novo teſtamento Chriſti per hoſtiam peccatis, non opus eſſe alio ſacrificio: unde ſubdit, UBI AUTEM HORUM, id eſt peccatorum facta eſt REMISSIO, IAM NON EST OBLATIO PRO PECCATO neceſſaria.

V. 19 HABENTES ITAQUE, &c. Oſtenſa Chriſti ſacrificii efficacia, per quem remiſſa nobis ſunt peccata hortatur nos ad ſperandum in illo, dicens, *habentes*. Eſt autem hic locus paululum hyperbaticus, quem nos quo dilucidior eſſet, ita vertimus: Itaque, fratres, quum liber nobis in ſancta ſanctorum aditus per Chriſti ſanguinem pateat, quo nobis ille viam fecit, & innovavit, novam ac viventem & virentem, eo per carnis ſuæ velamen ingreſſus, quumque ſacerdotem magnum Ieſum domui Dei præfectum habeamus, nihil hæſitantes, ſed certiſſime nos exauditum iri perſuaſi, vero ac non ficto corde ad eum accedamus, ab iniqua conſcientia puram aſperſamque mentem habentes, & aqua munda corpus abluti, conſtantem ſpei noſtræ profeſſionem, ac non nutantem retineamus. Fidelis enim Deus eſt, qui adiutorem ſe fore promiſit. Auget autem Hebræis ſpem Paulus iis verbis, quod non quemadmodum olim ſoli pontifici in ſancta ſanctorum patebat aditus, ita & nunc ſed in vera ſancta, id eſt, cælum ipſum via pateat omnibus, quo pontem ſtravit verus pontifex Chriſtus, ac novam viam dedicavit domui Dei præfectus; ubi per domum Dei vel fideles ipſos in quibus habitat Deus, vel etiam regnum cælorum intelligere potes. Et ſicut per velamen in ſancta ingrediendum erat, ſic Chriſtus *per velamen* in cælum intravit, hoc eſt, per carnem ſuam quæ divinitatem ipſius nobis velabat & occultabat, quo nos ingreſſuri ſumus, mente purificati, & aqua baptiſmatis abluti, modo in ſpe percepta perſeveremus, neque vacillemus: fidelis enim adiutor Deus, modo conſtanter propoſitam ſpem retineamus: quo autem id pacto fiat, admonet dicens:

V. 24. ET CONSIDEREMUS INVICEM, id eſt ut Græca ſcholia dicunt: agnoſcamus nos invicem, & conſideremus quod unius paſtoris grex unus ſumus, vel *conſideremus invicem*, alter alterius perfectiones, in provocationem caritatis & bonorum operum; Græce, εἰς παροξυσμὸν, id eſt *ad incitationem*; hoc eſt, ut incitemur ad mutuam caritatem, ac viciſſim bona opera imitanda ac facienda. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM. Gr. ἐπισυναγωγὴν, id eſt aggregationem tum corporum, tum animorum, & ut Photius interpretatur, mutuam conſenſionem. Admonet autem ne ſint ſingulares & per ſectas diviſi, ſed ſæpius in Domino conveniant ad mutuam caritatem retinendam, & non diſcedant ab eccleſiæ communione: SICUT, inquit, EST CONSUETUDINIS QUIBUSDAM nolle cum communi eccleſia ſentire, ſed ab ea ſemet ſegregare, & diſcedere. CONSOLANTES invicem, QUANTO MAGIS VIDERITIS appropinquare DIEM, vel diem iudicii, vel extremum cuiuſque diem.

V. 26. uſque ad 31. VOLUNTARIE ENIM. Quia dixerat ſufficientem eſſe Chriſti hoſtiam hominum expiandis peccati, ne in-

de fiduciam peccandi ſumerent, ſperantes rurſum pro ſuis peccatis oblatum iri Chriſtum, aut rurſus per baptiſmum, quod ex ſacrificio Chriſti vim habet, ſeſe ad novam vitam immutandos; hanc opinionem tollit, dicens: *voluntarie enim*, & cetera: & referendum eſt ad id quod præceſſit: *teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem*, & invicem caritatem cuſtodiamus & conſolemur, *voluntarie enim* PECCANTIBUS NOBIS, id eſt poſt agnitam Chriſti veritatem, ſi voluntarie peccamus, id eſt de induſtria peccatorum pœnitere nolimus. vel ut explicat Oecumenius: Si uſque ad finem in peccatis permanemus: & immorimur, vel ſi ex certa malitia agnitam veritatem impugnamus: nam hos poſtea vocat adverſarios; hoc autem videtur eſſe peccatum ad mortem, de quo Ioannes, IAM [NON RELINQUITUR PRO PECCATIS HOSTIA; id eſt, iam non eſt ſperandum pro illorum ablutione rurſus crucifixum & oblatum iri in crucem Chriſtum, vel non relinquitur hoſtia, id eſt mors Chriſti per baptiſmum applicanda. Sic enim Chryſoſt. & ſancti omnes doctores explicant, & hoc ſatis coarguit, quod toties ante prædixit ſemel oblatum Chriſtum, ne rurſus oblatum iri ſperemus. Non ergo relinquitur hoſtia, SED TERRIBILIS QUAEDAM EXPECTATIO, &c. Si enim legis tranſgreſſor ſine miſeratione moritur, quanto graviora meretur ſupplicia, QUI FILIUM DEI CONCULCAVERIT, id eſt deſpectui habuerit, mandata illius negligendo? ET SANGUINEM TESTAMENTI POLLUTUM DUXERIT, id eſt immundum exiſtimarit, ac pro re vili habuerit, quo tamen redemptus eſt: pro pollutum Græce κοινὸν, quod alias Hebræis immundum ſignificat; Græca tamen ſcholia interpretantur κοινὸν id eſt *communem*, id eſt qui Chriſti ſanguinem, in quo teſtamentum vitæ æternæ habuimus, communem duxerit, nihilque ab aliorum animalium, vel hominum ſanguine differre putarit, & quod Paulus ait, *non diiudicans corpus Domini*. ET SPIRITUI GRATIAE CONTUMELIAM FECERIT, id eſt Spiritui ſancto, dum acceptam gratiam reiicit. Deinde quod animadverſurus ſit in huiuſmodi, probat teſtimonio ſcripturarum dicens: ex Deuter. & Pſal. *Mihi vindictam*, &c.

V. 32. & 33. REMEMORAMINI AUTEM. Quum [nonnihil præcedentibus eos verbis terruiſſet ignis & vindictæ Dei], & horribilis iudicii mentione facta, nunc conſolatur dicens, *Rememoramini* PRISTINOS DIES veſtræ converſionis ad fidem, IN QUIBUS ILLUMINATI fide ſcilicet in baptiſmo, MAGNUM CERTAMEN SUSTINUISTIS PASSIONUM. Opponit eis iam ab initio fidei propter Chriſtum toleratas afflictiones, ut ne animo deficiant; quaſi diceret: Si adhuc neophyti tantum pertuliſtis, indignum eſt ut iam veterani ſuccumbatis, qui tam dura ſuſtinuiſtis. IN ALTERO QUIDEM, id eſt partim quod OPPROBRIIS ET TRIBULATIONIBUS SPECTACULUM FACTI, id eſt traducti mundo, & per opprobria ac diverſas afflictiones ſpectaculo & deriſui habiti omnibus eſtis. IN ALTERO AUTEM, id eſt partim etiam SOCII TALITER CONVERSANTIUM EFFECTI, Græce τῶν ἀναστρεφομένων, id eſt eorum qui in ſimilibus opprobriis & afflictionibus verſantur ſocii facti vel compatiendo, vel veſtra illis elargiendo, prout κοινωνοὶ ſignificare poteſt vel ſocios, vel eos qui libenter ſua aliis impartiuntur. Nam κοινωνεῖν *impartiri* ſignificat. Effecti ergo, inquit, ſocii eſtis aliorum qui ſimiliter affligebant, vel ſimul cum illis patiendo & ipſis condolendo, vel ſocii κοινωνοὶ, id eſt eſt *communicatores*, veſtra illis elargiendo.

V. 34. NAM ET VINCTIS COMPASSI ESTIS. Græca ſecus habent, nimirum, καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε; id eſt, *nam & vinculis meis compaſſi eſtis*, ex quo loco probe coniicit Valla eius epiſtolæ auctorem eſſe Paulum: quis enim alius in Italia vinctus, miniſtro Timotheo præter Paulum uti potuit? Noſter interpres non legit μοῦ, id eſt *meis*, & pro δεσμοῖς legit δεσμίοις, id eſt *vinctis*: quin etiam Græca ſcholia ſic explicant, quamquam legunt τοῖς δεσμοῖς μου, cui addunt in explicationem, οὐ μόνον φησὶν ὑμεῖς οὐκ ἐδεήθητε παρακλήσεως, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις δεδεσμένοις χεῖρας ὠρέγετε; id eſt, non ſolum, inquit, conſolatione opus non habuiſtis, ſed & aliis vinctis manus porrexiſtis. Amplius autem illos collaudat, ſubdens: ET RAPINAM BONORUM VESTRORUM CUM GAUDIO [SUSCEPISTIS. [Proſcribebantur enim fidelium Iudæorum bona ab infidelibus, quam bonorum iacturam non modo, inquit, non ægre tuliſtis, ſed cum gaudio ſuſcepiſtis. COGNOSCENTES VOS HABERE MELIOREM ET MANENTEM SUBSTANTIAM, id eſt numquam

quam interituras gloriæ cæleſtis divitias, præ quibus terrena omnia bona neglexiſtis.

V. 35. uſque ad finem NOLITE ITAQUE. Hortatur eos his verbis ne a ſpe excidant, ſed quicquid adverſi acciderit, omnem in Deum confidentiam ponant, & patienter ferant: id enim Deo placere, nec ſine remuneratione eſſe: venturum enim iudicem qui afflictionum illis præmia reddat, probat ex Abacuc dicente, ADHUC ENIM &c. verba ſunt Abacuc II. cap. quæ ad litteram de primo Chriſti adventu in hunc locum Hieronymus exponit. Paulus autem ad ſecundum adventum transfulit; quaſi diceret: Nolite deficere in afflictionibus, neque deſperate ADHUC ENIM MODICUM tempus SUPEREST, & tunc QUI VENTURUS EST in iudicium Chriſtus bona præmiaturus & mala puniturus, VENIET, ET NON TARDABIT: IUSTUS AUTEM EX FIDE VIVIT, vel ſua quam habet in Deum, ut Hebræi legunt; vel ut LXX. ex fide mea, id eſt illi a me infuſa vivit; quaſi diceret: Quamdiu credit iuſtus & ſperat in Deum, vita vivit ſpirituali. Et vos itaque credite in Deum Chriſtum, remuneratoremque eum ſperate & vivetis, nec deficietis in tentationibus. Ut autem vehementius illos ad ſperandum inviiet, ſubdit ad teſtimonium Abacuc, QUOD SI SUBTRAXERIT SE NON PLACEBIT ANIMAE MEAE; id eſt, ſi ſe ab hac ſpe & expectatione Chriſti præmiatoris ſubtraxerit, non placebit animæ meæ, id eſt mihi. Nos AUTEM, inquit, NON SUMUS SUBTRACTIONIS FILII IN PERDITIONEM, SED FIDEI IN ACQUISITIONEM ANIMAE. Græci hoc loco non habent *filii*. Pro vocabulo *ſubtractionis autem*, quo Septuaginta uſi ſunt ὑποστολῆς Hebræi *incredulitatem* habent, unde & hic ſenſus eſt: Non ſumus ſubtractionis ſive infidelitatis in perditionem, id eſt quæ ad perditionem ducit, hoc eſt, infideles non ſumus, ſed fidei, id eſt fideles *in acquiſitionem animæ*, hoc eſt, vel ut animas Chriſto acquiramus, vel ut anima noſtra Deo acquiratur.

S A.

Verſ. 1. IMAGINEM, ſcilicet perfectam repræſentationem, qualis eſt in ſtatu Evangelico, in quo eſt gratiæ copia, & velut initium quoddam æternæ felicitatis. ACCEDENTES, ſcilicet per illa ad Deum. PERFECTOS, id eſt perfecte a peccatis liberatos pleneque iuſtos.

V. 2. OFFERRI, ſcilicet pro iiſdem peccatis.

V. 3. IPSIS, ſcilicet hoſtiis. PECCATORUM, ſcilicet eorumdem. Quid ergo, nonne illi per ſacrificia vere mundabantur? ſane, ſed non vi ſacrificiorum, ſed oblationis Chriſti quam repræſentabant; ideoque illa tamquam per ſe inefficacia ſæpe repetebantur.

V. 5. INGREDIENS, &c. quaſi dicat, Ad eius in mundum ingreſſum pertinent verba illa Pſalmi. CORPUS, ſcilicet quod tibi offerrem. APTASTI. Syr. *induiſti*.

V. 6. PRO PECCATO, ſcilicet ſacrificia. PLACUERUNT, ſcilicet per ſe, ſed propter me, cuius figuræ erant.

V. 7. VENIO. Iunge cum *ut faciam*. CAPITE, id eſt ſumma ſcilicet tota Scriptura Chriſtum prædicat.

V. 9 TUNC; pro, deinde vero. PRIMUM, ſcilicet ſtatum, ſeu teſtamentum.

V. 10. IN QUA; id eſt per quam. SEMEL, ſcilicet facta.

V. 11. SACERDOS, ſcilicet *ſumus*, ut eſt Græc. loquitur enim de annua expiatione.

V. 12. UNAM, ſcilicet ſufficientem ad omnia peccata expianda. OFFERENS; pro, ubi obtuliſſet.

V. 13. DE CETERO, id eſt in poſterum.

V. 14. CONSUMMAVIT, id eſt perfecit ſcilicet quantum ex ſe. SANCTIFICATOS, id eſt eos qui ſanctificantur.

V. 15. CONTESTATUR, id eſt teſtando monet.

V. 16. TESTAMENTUM, &c. id eſt fœdus quod feriam.

V. 17. ET PECCATORUM, &c. ſcilicet addit.

V. 18. OBLATIO, id eſt opus oblatione alia.

V. 19. IN INTROITU, &c. pro, introeundi in ſancta, id eſt cæleſtia. IN; pro, per.

V. 20. INITIAVIT, id eſt aperuit, ingrediens ipſe. VIVENTEM, ſcilicet via in cælum eſt vita bona.

V. 22. PLENITUDINE, id eſt perfectione. Græc. *plena certitudine*. Syr. *fiducia*.

ASPER-

Digitized by Google

ASPERSI, ſcilicet Chriſti ſanguine; quaſi dicat purificati. AQUA, ſcilicet baptiſmi. MUNDA, id eſt mundante.

V. 23. CONFESSIONEM, id eſt profeſſionem. INDECLINABILEM, id eſt firmam. REPROMISIT; pro, promiſit.

V. 24. INVICEM, id eſt alii alios. PROVOCATIONEM, id eſt imitationem.

V. 25. COLLECTIONEM, id eſt congregationem. CONSUETUDINIS, ſcilicet deſerere. CONSOLANTES, ſcilicet invicem. Verti poterat *adhortantes*. VIDERITIS; pro, videtis. DIEM, ſcilicet tribulationis.

V. 26. HOSTIA, ſcilicet quæ totos abluat, ut fit in Baptiſmo: etſi enim Chriſti hoſtia ad omnia peccata purganda valeat, at non applicatur niſi ſemel per baptiſmum ad eiuſmodi purgationem; quare ſatisfaciendum poſtea pro peccatis per opera pœnalia, quod ſemper in Eccleſia obſervatum.

V. 27. IUDICII, ſcilicet divini. AEMULATIO, id eſt vis, & velut indignatio. ADVERSARIOS, ſcilicet Dei, qui hinc ſine pœnitentia diſceſſerint.

V. 28. IRRITAM, &c. id eſt tranſgrediens. MORITUR, id eſt interficitur, ſcilicet in certis caſibus.

V. 29. CONCULCAVERIT, id eſt contempſerit. POLLUTUM; pro, velut pollutum; quaſi dicat, Ut rem pollutam tractaverit. IN QUO, id eſt per quem. GRATIAE, ſcilicet auctori.

V. 30. VINDICTA; quaſi dicat, Meum eſt ulciſci.

V. 31. HORRENDUM, id eſt terribile. DEI, ſcilicet irati.

V. 32. ILLUMINATI. Syr. *baptizati*.

V. 33. IN ALTERO, id eſt partim.

V. 34. SUBSTANTIAM, id eſt divitias.

V. 35. AMITTERE, id eſt abiicere.

V. 36. PATIENTIA, ſcilicet qua ſpe præmii duratur in malis.

V. 37. MODICUM, &c. id eſt poſt breve tempus.

V. 38. SUBTRAXERIT, ſcilicet a fide, & recto.

V. 39. SUBTRACTIONIS, id eſt qui nos ſubtrahamus. ANIMAE, ſcilicet ſalutis animæ.

MARIANAE.

Verſ. 1. UMBRAM ENIM. Lex obſcure bona cæleſtia repræſentabat. NON IPSAM IMAGINEM. Evangelium expreſſe illa bona monſtrabat: ideo eadem ſacrificia ſæpe repetuntur, quia per ea non remittuntur peccata. Id ſignificat, NUMQUAM POTEST ACCEDENTES PERFECTOS FACERE: in eo eſt legis obſcuritas.

V. 3. COMMEMORATIO PECCATORUM, & accuſatio fit per ſacrificia, non remiſſio. *Per legem enim cognitio peccati*, ad Rom. III. 20. *Oblationem noluiſti*, ait Chriſtus,

V. 5. CORPUS AUTEM APTASTI MIHI, ut illud tibi offeram pro peccatis, quæ aliæ hoſtiæ non auferunt. Ideo tibi non placuerunt.

V. 7. ECCE VENIO: præſto ſum ut me offeram. IN CAPITE LIBRI, id eſt initio, quod ad Gen. initium Tertul. contra Praxeam, & Hilar. in Pſal. II. referunt, ubi de verbo Dei ſcriptum eſt. Aut *in capite*, id eſt in ſumma libri, in libro. Sic Pſ. XXXIX. 7. unde hic locus eſt, Hebr. legitur, *in volumine libri*, ſcilicet legis, *eſt ſcriptum*. UT FACIAM, ſeu *ut facerem*, ut Goth. VOLUNTATEM TUAM, ſcilicet ut ſe pro electis offerret. Hoc toto Veteri teſtamento ſignificatur & continetur.

V. 9. AUFERT primum, ſcilicet hoſtias. UT SEQUENS STATUAT, nempe impletionem divinæ voluntatis Chriſto factam.

V. 10. IN QUA VOLUNTATE, ſcilicet obediendi Patri, offerendi ſe, ſanctificati ſumus. SEMEL, non eſt opus repetitione, quando una oblatione remiſſa peccata ſunt.

V. 11. ET EASDEM SAEPE OFFERENS HOSTIAS, ſacerdos vetus præſto eſt; quaſi dicat, Offerant ſæpe veteres ſacerdotes, quando ſuis oblationibus nihil faciunt. Hic una hoſtia oblata,

V. 12. SEDET IN DEXTERA DEI, quaſi perfecto iam opere, parta victoria.

V. 13. EXPECTANS, donec hoſtes & rebelles ſibi homines & dæmones ponat ſub pedibus quaſi ſcabellum, quod fiet in die iudicii.

V. 14. UNA ENIM OBLATIONE, CONSUMMAVIT, id eſt perfecit. SANCTIFICATOS, id eſt electos data illis remiſſione. Ideo opere perfecto ſedet.

V. 15.

Digitized by Google

V. 15. CONTESTATUR AUTEM NOS ET SPIRITUS SANCTUS. Gotth. *conteſtatur autem & nos Spiritus ſanctus*. *Nos*, pro nobis, teſtis eſt Spiritus ſanctus. Quid conteſtatur?

V. 16. DANDO. Gotth. *dabo leges*. De quo ſuperius VIII. 10.

V. 17. ET PECCATORUM non recordabor. Si ergo peccatum eſt deletum,

V. 18. IAM NON EST OBLATIO, ſcilicet nova, non eſt opus nova oblatione pro peccato. Habeamus ergo fiduciam.

V. 19. IN INTROITU. Græc. *in introitum*: ſic Gotth. quod Iudæis negabatur. SANCTORUM. Syr. *ædis ſanctæ*. Ergo cum ſperemus introire in Sancta ſanctorum, quod Iudæis negabatur. IN SANGUINE CHRISTI, id eſt per ſanguinem Chriſti.

V. 20. QUAM INITIAVIT NOBIS VIAM. Syr. *dedicavit*, id eſt aperuit, complanavit nobis viam NOVAM: ipſe primus aperuit. ET VIVENTEM, id eſt permanentem: ſemper aperta eſt. PER VELAMEN. Alludit ad velum, quod tegebat Sancta ſanctorum. CARNEM SUAM. *Carnem* vocat velum, quia ea Divinitas tegebatur & per eam eius morte ipſe ingreſſus eſt, & alii ingredientur.

V. 21. ET SACERDOTEM MAGNUM, ſcilicet habentes: eſt hyperbaton.

V. 22. ACCEDAMUS CUM VERO CORDE: ſincero, non fucato. IN PLENITUDINE FIDEI. Syr. *cum fiducia fidei*, *ἐν πληροφορίᾳ πίστεως*. Hoc Eraſmus & Centuriatores Magdebur. I. IV. col. 264. referunt ad fiduciæ certitudinem & gratiæ, ſed male. ASPERSI CORDA, id eſt mundati a conſcientia mala, id eſt nequitia. ET ABLUTI CORPUS AQUA MUNDA, id eſt ſpiritu Dei, Ezech. XXXVI. 25. Zachar. XIII. 1. Itaque mente & corpore puri.

V. 23. TENEAMUS SPEI NOSTRAE CONFESSIONEM, ſeu *profeſſionem conſtantem*, non nutantem.

V. 24. ET CONSIDEREMUS INVICEM, id eſt agnoſcamus eiuſdem corporis membra nos eſſe, aut conſideremus alter alterius dona, ut amemus inter nos.

V. 25 NON DESERENTES COLLECIONEM NOSTRAM, id eſt unitatem, concordiam, ſeu collectionem & Eccleſiam. SED CONSOLANTES, vel *exhortantes* alii alios ad bonum. ET TANTO MAGIS QUANTO VIDERITIS APPROPINQUANTEM DIEM, id eſt iudicii aut excidii Ieruſalem appropinquare.

V. 26. VOLUNTARIE ENIM PECCANTIBUS, id eſt induſtria. NON RELINQUITUR PRO PECCATIS HOSTIA, ſcilicet per Baptiſmum applicanda. Quod dixit cap. VI. 4. *impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati*. Aut voluntarie ſic peccare peccato ad mortem cui remedium nullum ſupereſt. Franc. Turrianus de Euchariſt. Tract. 1. hoc intelligit de excommunicatis, qui nimirum ſunt extra collectionem, pro quibus non relinquitur hoſtia, quia pro illis ſacrificium non offertur in Eccleſia. Quid ergo relinquitur? Iudicium

V. 27. ET IGNIS AEMULATIO, id eſt ſævitia ſeu zelus, quem contra peccatores ignis oſtendet. Proſopopœia eſt. Qui legem violat, occiditur: deteriora meretur

V. 29. QUI FILIUM DEI CONCULCAVERIT, id eſt contempſerit. ET SANGUINEM TESTAMENTI POLLUTUM DUXERIT, id eſt pro re vili & nihili habuerit.

V. 32. REMEMORAMINI. Ad memoriam revocat quæ paſſi olim erant, ut ea memoria a malis revocet. IN QUIBUS ILLUMINATI. Syr. *in quibus recepiſtis Baptiſmum*.

V. 33. ET IN ALTERO, id eſt partim ea mala vos paſſi eſtis, partim ſocii fuiſtis eorum qui ea patiebantur. TALITER CONVERSANTIUM, id eſt eorum qui verſabantur in iis afflictionibus.

V. 34. NAM ET VINCTIS. Græc. *vinculis meis*. Noſter pro δεσμοῖς μου legit δεσμίοις, id eſt *vinctis compaſſi eſtis*: & bona auferri tuliſtis, conſiderantes vos habere MANENTEM SUBSTANTIAM, id eſt divitias non caducas ut præſentes.

V. 36. PATIENTIA, id eſt expectatione opus habetis, non tardat Dominus.

V. 38. IUSTUS AUTEM MEUS. Hæc verba Habacuc II. 4. citantur ad Rom. I. & Galat. III. & hic. Lectio eorum triplex, Hebr. *Iuſtus autem ex fide ſua vivet*: hæc eſt prima lectio: ſic etiam Hieron. vertit. Secunda Sept. *Iuſtus autem meus ex fide mea vivet*. Paulus tertiam, *Iuſtus autem meus ex fide vivit*, ſeu *vivet*, ut alii legunt: ſic Theophylactus legit in eum locum Habacuc. Variant enim Græca exemplaria, ut in Græc. Bibliis Romæ editis notatur. Porro quæ Propheta dicit de malis quæ minatur, & quæ credens erat evaſurus, aut quæ loqui-

quitur de Cyri adventu, Paulus tranſtulit allegoriee ad Chriſti adventum. *Fides* autem & *ſua* dici poteſt, quia eam qui credit habet; & *mea*, quia Dei donum. Porro Hebraice mutatio *Iod* in *Vau*, qua utraque lectio *mea* & *ſua* redditur, facilis eſt. QUOD SI SUBTRAXERIT SE, id eſt a bono & fide diſceſſerit, non mihi placebit.

V. 39. NOS AUTEM NON SUMUS SUBTRACTIONIS FILII. Vox *filii* Græce non eſt, nec Syr. nec Goth. ſed ſuppletur. SED FIDEI IN ACQUISITIONEM ANIMAE, id eſt vitæ, ut vivamus ex fide. Alludit ad verba Habacuc paulo ante allata.

MENOCHII.

Verſ. 1. UMBRAM ENIM HABENS LEX, &c. Particula *enim* probat, & dat cauſam cur lex, & legis ſacrificia non potuerint peccata expiare, & homines ſanctificare. Cauſa eſt, quod lex tantum fuerit umbra bonorum futurorum in novo teſtamento, ſcilicet iuſtitiæ, gratiæ, & ſalutis dandæ per Chriſtum; umbra autem non eſt ipſa res, ſed eius tantum imago, & figura. EISDEM IPSIS HOSTIIS, id eſt hoſtiis eiuſdem generis. PERFECTOS FACERE, id eſt perfecte expiatos, & a peccatis purgatos, iuſtos, & ſanctos.

V. 2. ALIOQUIN CESSASSENT OFFERRI, &c. Senſus eſt; Si vim habuiſſent Leviticæ illæ victimæ homines a peccatis purgandi, iampridem deſiiſſent offerri, quia illi propter quos offerebantur, iampridem eſſent expiati, & luſtrati. Dices: Si hæc Apoſtoli ratio valet, etiam probat quod hæretici volunt, ſcilicet tollendum ex Eccleſia ſacrificium miſſæ, quia Chriſtus unica oblatione plane pro peccatis ſatisfacit. Reſpondeo, Paſſionem Chriſti cauſam ſalutis, & redemptionis noſtræ fuiſſe, ſed cauſam univerſalem; huiuſmodi autem cauſæ nihil efficiunt, niſi particulares cauſæ adhibeantur. Sol enim, & homo generant hominem, non ſolus ſol ſine homine: ita paſſio Chriſti, quæ cauſa univerſalis eſt, & in ſe ſufficiens ad omnia peccata tollenda, ut ſalutem in homine efficiat neceſſe eſt, ut per cauſas particulares illi applicetur. Propterea igitur corpus, & ſanguis Chriſti quotidie in Eccleſia offeruntur, ut quoniam quotidie peccamus, quotidie virtutem paſſionis Chriſti participemus. NULLAM HABERENT ULTRA CONSCIENTIAM PECCATI: quia plane ſatisfactum eſſet pro peccatis illorum, ſi ſacrificia illa redemptoria & ſatisfactoria fuiſſent. CULTORES: λατρεύοντες, ſic vocat Iudæos, qui ſuis victimis, luſtrationibus, & ceremoniis colebant Deum. SED IN IPSIS: ſacrificiis diei expiationis. COMMEMORATIO PECCATORUM PER SINGULOS ANNOS FIT. Quod dicit, *per ſingulos annos*, in Græco eſt, κατ᾽ ἐνιαυτὸν, id eſt *per annum*, & ſenſus eſſe videtur; peccata per annum admiſſa, & ſacrificiis item per anni decurſum oblatis expiata, iterum purgantur in die expiationis, & fit illorum commemoratio, id eſt etiam pro illis ſacrificium expiationis offertur: ſignum ergo eſt ſacrificia illa per annum adhibita, vim non habuiſſe purgandi peccata, alioqui fruſtra in die expiationis facta fuiſſent ſacrificia pro peccatis iam expiatis.

V. 5. IDEO INGREDIENS MUNDUM. Chriſtus ut peccata auferret veniens, & ingrediens mundum per ſuam incarnationem, dicit Deo Patri. HOSTIAM, ſcilicet cruentam hircorum, atque taurorum. OBLATIONEM, ſcilicet incruentam ſimilæ, vini, panis, olei, &c. NOLUISTI, o Pater. CORPUS AUTEM APTASTI MIHI: quod tibi in ſacrificium pro peccato offeram. In Pſal. xxxix. 7. unde hæc petita ſunt, vulgata editione habemus, *Aures autem perfeciſti mihi*: quod quomodo intelligendum ſit, & cum divi Pauli lectione conciliandum, ibi diximus.

V. 6. HOLOCAUTOMATA: holocauſta. PRO PECCATO: & hoſtiæ pro peccato, ſacrificia pro expiando peccato, de quibus vide Levit. IV. II. NON TIBI PLACUERUNT: *Non poſtulaſti*; ut habet alia verſio, nec placita ſunt tibi, quaſi ea per ſe tibi ſint adeo grata, ut peccatis hominum offenſum placerent.

V. 7. TUNC DIXI: ECCE VENIO: Quia vidi legis ſacrificia non tibi placere, nec illis placari te poſſe, ideo me ipſum, aſſumpto corpore, quod mihi aptaſti, paratum obtuli ad faciendam tuam voluntatem. IN CAPITE LIBRI SCRIPTUM EST DE ME. In Hebræo eſt, *in volumine libri ſcriptum eſt de me*. Itaque illud *in capite*, idem eſt ac, *in ſumma*, & ſignificat, ſummam totius Scripturæ Chriſtum eſſe, quia ut dixit Dominus Luc. ult. *Oportet impleri*

quæ

quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & prophetis, & Pſalmis de me: & Ioan. v. dicebat idem Chriſtus: *ſcrutamini ſcripturas, quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* UT FACIAM, DEUS, VOLUNTATEM TUAM, id eſt, ſcripturæ omnes teſtantur me ad hoc venturum eſſe in mundum, ut facerem voluntatem tuam.

V. 8. SUPERIUS DICENS, id eſt cum dixiſſet, ſcilicet David Pſal. xxxix. citato, in perſona Chriſti. Senſus eſt: Chriſtus qui paulo ante dixerat hoſtias, & oblationes noluiſti, quia videbat ea Deo non placere, nec eum placare, tunc dixit: *ecce venio*, ut faciam voluntatem tuam, o Deus, & in ara crucis immoler.

V. 9. AUFERT PRIMUM; id eſt, auſert prius, & vetus ſacerdotium, & ſacrificium, per hoc quod dicit, ſacrificia Deo non placere. UT SEQUENS STATUAT; ſcilicet Chriſti obedientiam, & ſacrificium cum dicit, *ecce venio*, &c.

V. 10. IN QUA VOLUNTATE SANCTIFICATI SUMUS; quaſi dicat, Atque ita factum eſt. Nam per illam voluntatem Patris, ad quam faciendam venit Chriſtus, ſanctificati, & iuſtificati ſumus, & obtinuimus per unum ſacrificium, quod per tot legis ſacrificia obtinere non poteramus. Nam Chriſtus, ut voluntatem Patris perficeret, obtulit ſe ſemel in cruce, & illa oblatione ſanctificavit nos.

V. 11. ET OMNIS QUIDEM SACERDOS: veteris legis. PRAESTO EST QUOTIDIE: frequenter, aut ſingulis diebus ſiſtit ſe alteri ſacrificaturus. EASDEM: eiuſdem generis.

V. 12. OFFERENS: προσενέγκας, id eſt *cum obtuliſſet*. IN SEMPITERNUM SEDET IN DEXTERA DEI; quaſi dicat: Chriſto non eſt opus pluribus hoſtiis, nam unica omnia expiavit, cælumque ſibi, & nobis reſeravit, ut in eo iam glorioſus ſedeat a dextris Dei.

V. 13. DE CETERO: τὸ λοιπόν, id eſt *quod ſupereſt*. DONEC PONANTUR INIMICI EIUS, &c. id eſt, donec omnes adverſarii eius perfecte illi ſubiiciantur, velut pedibus calcandi, ita ut amplius nocere non poſſint, quod fiet in die iudicii.

V. 14. UNA ENIM OBLATIONE CONSUMMAVIT IN SEMPITERNUM SANCTIFICATOS. Dat cauſam cur Chriſtus iam ſedeat a dextris Dei, tantumque expectet, ut inimici ſuis pedibus ſubiiciantur. Cauſa hæc eſt, quia una ſui oblatione Chriſtus omnia conſummavit, ut nihil iam ei offerendum, laborandum, perficiendum reſtet. CONSUMMAVIT; id eſt, dedit conſummatam oblationem, conſummatum, & perfectum pretium redemptionis, & ſanctificationis noſtræ. IN SEMPITERNUM: nam hæc oblatio uſque ad finem mundi, & in omnem æternitatem eſt valitura. SANCTIFICATOS: τοὺς ἁγιαζομένους, *eos qui ſanctificantur*, nam oblatione illa in cruce facta, qui ad Chriſtum per fidem, & baptiſmum accedunt ſanctificantur; fit enim illis applicatio eius oblationis, ut etiam per alia ſacramenta, & bona opera quibus applicat nobis generale, & conſummatum ſacrificium, pretium, & meritum ſuæ crucis.

V. 15. CONTESTATUR AUTEM NOS ET SPIRITUS SANCTUS. Græce μαρτυρεῖ, id eſt teſtimonium perhibet eius veritatis, ſcilicet veteris teſtamenti ſacrificia non potuiſſe auferre peccata; ſed hoc beneficium ſervari novo. POSTQUAM ENIM DIXIT. Ierem. xxxi. 33. Hic eſt ille idem Ierem. locus, quem ſupra citavit cap. viii. 8.

V. 16. HOC AUTEM TESTAMENTUM QUOD TESTABOR. Teſtamentum, & pactum quod inibo cum populo meo erit huiuſmodi. POST DIES ILLOS; id eſt, poſtquam a me, & a mea Eccleſia reiecero Iudæos incredulos. DANDO LEGES MEAS IN CORDIBUS EORUM: quia per Chriſtum gratia, & caritas diffuſa eſt in cordibus noſtris.

V. 17. ET PECCATORUM, &c. id eſt ſubdit, *& peccatorum*, &c.

V. 18. UBI AUTEM HORUM EST REMISSIO, &c. id eſt ubi peccatorum facta eſt remiſſio, nullum locum amplius habet oblatio, ſeu victima pro peccato, qua lytrum condignum perſolvatur pro peccatis pretiumque comparetur, cuius applicatione omnes re ipſa a ſervitute diaboli, & peccati liberemur, iuſtificemur, & ſanctificemur. Vide dicta ſupra hoc eod. cap. verſ. 11.

V. 19. HABENTES ITAQUE FRATRES, Hic incipit pars moralis Epiſtolæ, qua hortatur illos ad conſtantiam in fide, & pietate Chriſtiana, ne ſcilicet ob Iudæorum perſecutiones, odia, & bonorum expilationes, ab ea deſciſcant. Senſus autem eſt: Cum per Chriſtum veram peccatorum remiſ-

miſſionem conſecuti fuerimus, & ipſe redemptione noſtra peracta in cælum aſcenderit, & nos fiduciam habeamus introeundi in ſancta, hoc eſt, in cæleſtem beatitudinem. INTROITU SANCTORUM: quaſi dicat: In ipſo Chriſti introitu in ſancta ſanctorum, id eſt in cælum, habemus ſpem nos etiam in illud ingreſſuros. IN SANGUINE CHRISTI: per ſanguinem Chriſti, non per ſacrificia legis.

℣. 20. QUAM INITIAVIT NOBIS VIAM: quam primus aperuit, & calcavit. NOVAM: nullius adhuc veſtigiis impreſſam. VIVENTEM, id eſt permanentem, perpetuæ efficaciæ, vigentem ſemper, & florentem, quæ ad vitam æternam ducit. Vel dicit *viventem*, quia hæc via vivens, & animata eſt caro Chriſti, & Chriſtus ipſe, qui de ſe ipſo dixit, *Ego ſum via*, &c. PER VELAMEN, ID EST CARNEM SUAM. Caro Chriſti recte per velum ſignificatur, quia ſicut velum operiebat arcana ſanctuarii, & tamen ingreſſum illuc præbebat; ita caro Chriſti divinitatem quodammodo obtexit, latebat enim in homine Deus, & tamen per eam ad Deum adducimur.

℣. 21. ET SACERDOTEM MAGNUM, id eſt habentes Chriſtum ſacerdotem magnum. SUPER DOMUM DEI: Eccleſiæ univerſæ, quæ eſt domus Dei, præfectum.

℣. 22. CUM VERO CORDE, id eſt recto, & ſincero corde ad Deum accedamus. IN PLENITUDINE FIDEI, id eſt cum plena fide, nihil de Chriſti promiſſionibus dubitantes. ASPERSI CORDA; id eſt, in cordibus, & mentibus noſtris luſtrati ſanguine Chriſti, eoque emundati. Alludit ad aſperſionem ſanguinis, qua in lege mundabantur, quæ erant immunda. A CONSCIENTIA MALA, id eſt a peccatis quæ conſcientiam malam, & vitioſam efficiunt; quaſi dicat, Puris cordibus accedamus ad Deum. ET ABLUTI CORPUS AQUA MUNDA, id eſt accedamus cum fiducia cum aqua baptiſmi, quæ peccatorum maculas abſtergit, mundati ſimus. TENEAMUS SPEM NOSTRAE CONFESSIONIS; id eſt, nullo modo deſeramus fidem, quam ſuſcepturi baptiſmum coram Eccleſia publice confeſſi ſumus. Hanc vocat *confeſſionem ſpei noſtræ*, quoniam fide, quam confitemur, nititur ſpes, & illa confeſſionem profitemur nos per fidem, & bona opera ſperare vitam æternam. INDECLINABILEM, id eſt firmam, & inconcuſſam quæ non vacillet. FIDELIS ENIM EST QUI REPROMISIT: verax, & conſtans in promiſſis.

℣. 24. CONSIDEREMUS INVICEM IN PROVOCATIONEM CARITATIS, id eſt ſecundum ea quibus ad caritatem, & bona opera præſtanda excitemur. Non conſideremus proximum, ut illi invideamus, aut noceamus, ſed potius ut incitemur ad eadem bona opera aggredienda, in quibus ille ſe exercet.

℣. 25. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM; quaſi dicat, Non alienantes vos a cœtibus, ad quos Chriſtiani conveniunt. SICUT CONSUETUDINIS EST QUIBUSDAM, id eſt ut faciunt aliqui tepidiores. Vel etiam notat aliquos, qui ab Eccleſia receſſerant reverſi ad Iudaiſmum. SED CONSOLANTES: conſolationem concipientes ſpe vicinæ retributionis. In Græco eſt, παρακαλοῦντες, quod verti poteſt *exhortantes*, excitantes, ſcilicet vos mutuo ad patientiam adverſorum, & ad ſpem bonorum, quæ expectamus. APPROPINQUANTEM DIEM: iudicii ſcilicet vel mortis.

℣. 26. VOLUNTARIAE ENIM PECCANTIBUS: peccato, ſcilicet apoſtaſiæ, & voluntarie diſcedentibus a Chriſto, & Eccleſia. IAM NON RELINQUITUR PRO PECCATIS HOSTIA; id eſt, ægre, & vix relinquitur hoſtia pro peccato, qua peccatum illud expietur, tum quia tales apoſtatæ plane indigni ſunt venia, licet auxilia ſufficientia illis non denegentur; tum quia ſua certa malitia, & infidelitate claudunt fontes divinæ miſericordiæ.

℣. 27. TERRIBILIS AUTEM QUAEDAM EXPECTATIO IUDICII, id eſt ſed relinquitur expectandum terribile iuditium, damnatio, & punitio. ET IGNIS AEMULATIO, ſcilicet relinquitur. Ignis æmulationem, id eſt zelum, vocat eius vehementiam peccatorum ultricem. Vel igni veluti ſenſus, & impatientia tantæ moræ & dilationis attribuitur.

℣. 20. IRRITAM QUIS FACIENS LEGEM MOYSI; id eſt, ſi quis legem Moſaicam violaverit.

℣. 29. DETERIORA SUPPLICIA, id eſt graviora. QUI FILIUM DEI CONCULCAVERIT: illum deſeruerit, & abiecerit per apoſtaſiam ab eius fide. SANGUINEM TESTAMENTI, id eſt ſanguinem quo fœdus inter Deum, & homines percuſſum eſt. POL

LU-

Digitized by Google

LUTUM DUXERIT: ita contempſerit ac ſi res eſſet immunda, & polluta. IN QUO SANCTIFICATUS EST: per quem tamen ſanguinem redemptus eſt, & emundatus a peccatis. ET SPIRITUI GRATIAE, id eſt Spiritui ſancto gratiæ auctori. CONTUMELIAM FECERIT: iniuria afficit Spiritum ſanctum is, qui recedit a Chriſto, propter quem ipſe ſpiritus venerat ad ipſum ſanctificandum.

V. 30. SCITIS ENIM QUI DIXIT; quaſi dicat: Vobis loquor Hebræis, qui in Scripturis eruditi noſtis cum qui dixit, &c. ſcitis hanc eſſe Dei vocem. MIHI VINDICTA: mihi vindictam reſervo. Ex eo autem quod ſibi Deus vindictam reſervat, indicatur punitionem fore terribilem. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Deut. XXXII. 35. ET ITERUM: eodem ſcilicet Deut. 36. IUDICABIT DOMINUS POPULUM SUUM, id eſt puniet, & plectet.

V. 31. HORRENDUM EST INCIDERE IN MANUS DEI VIVENTIS. Viventem appellat, quia omnia peccata videt, contra illa iraſcitur, & punit, contra quam faciunt cæca, & mortua idola Gentium.

V. 32. REMEMORAMINI AUTEM PRISTINOS DIES, id eſt revocate vobis in memoriam quales vos olim exhibueritis. ILLUMINATI, id eſt baptizati; olim enim qui baptizabantur dicebantur illuminati. MAGNUM CERTAMEN SUSTINUISTIS PASSIONUM: multa forti animo toleraſtis.

V. 33. ET IN ALTERO QUIDEM: τῦτο μὲν, id eſt *partim quidem*. SPECTACULUM FACTI: θεατριζόμενοι, metaphora ſumpta ab iis, qui in theatrum, in publicum omnium conſpectum, aut cum gladiatoribus, aut cum beſtiis pugnaturi mittebantur. IN ALTERO AUTEM: τῦ τὸ δὲ, id eſt *partim vero*. SOCII TALITER CONVERSANTIUM EFFECTI; id eſt, ultro ſocii fieri voluiſtis eorum, qui ſimilia patiebantur, tum e Iudaiſmo, tum e Gentilitate converſorum, illis compatiendo, & eos quantum poteratis iuvando.

V. 34. NAM ET VINCTIS COMPASSI ESTIS. In Græco eſt, δεσμοῖς μȣ, id eſt *vinculis meis*, vulgatus legit δεσμίοις. ET RAPINAM BONORUM VESTRORUM, &c. & paſſi eſtis bona veſtra diripi, patienti, & gaudenti etiam animo. MELIOREM, ET MANENTEM SUBSTANTIAM: divitias meliotes, & theſaurum in cælo, ubi nec fures effodiunt, nec furantur.

V. 35. NOLITE ITAQUE AMITTERE CONFIDENTIAM VESTRAM: μὴ ἀποβάλητε, *nolite abiicere*. Nomine *confidentiæ* divitias illas cæleſtes intelligit, quas ſibi patientia illa eximia comparaverunt. Vel ſenſus eſt, nolite abiicere eam confidentiam, quam ex conſcientia bonorum operum concepiſtis.

V. 36. PATIENTIA ENIM VOBIS EST NECESSARIA; quaſi dicat: Nulla re porro indigetis alia, præterquam ſola patientia, cetera habetis omnia. UT VOLUNTATEM DEI FACIENTES, &c. ut cum uſque ad finem manſeritis in fide, & in ſtudio bonorum operum, participes ſitis promiſſionis bonorum cæleſtium. FACIENTES: ποιήσαντες, *cum feceritis*.

V. 37. ADHUC ENIM MODICUM ALIQUANTULUM. In Græco eſt, μικρὸν ὅσον ὅσον, id eſt *parum tantum tantum*, id eſt tantillum, perpuſillum. Ital. ſimili geminatione dicimus, *ancora un poco, poco*: ſunt verba deſumpta ex Abacuc II. 3. QUI VENTURUS EST: ὁ ἐρχόμενος, id eſt *veniens*, eſt Chriſti periphraſis: ſic appellatur Matth. XI. 3. & Apocal. I. 4. ET NON TARDABIT, nec multum differet ſuum adventum ad iudicium, quia quantumlibet longa mora intercedat, totum hoc tamen intermedium ſpatium Deo breve eſt, nam, *mille anni in conſpectu tuo ſicut dies heſterna, quæ præterit*. Pſalm. LXXXIX. 4. Vel non tardabit, quia tardare dicitur non qui cito non venit; ſed qui tempore quo venturus erat, non venit.

V. 38. IUSTUS AUTEM MEUS EX FIDE VIVIT: interim dum advenit Chriſtus liberator. Apoſtolus hoc loco præcipue ſpectat illud officium fidei, quod eſt erigere, ſuſtentare, & ſolari hominem in mediis malis, ne in iis ferendis fatigetur, & deficiat; ſed cum patientia duret uſque in finem, donec apprehendat bona promiſſa. QUOD SI SUBTRAXERIT SE: ſcil. per incredulitatem, diffidentiam, puſillanimitatem. NON PLACEBIT ANIMAE MEAE: non mihi placebit.

V. 39. SUBTRACTIONIS FILII: filii ſubtractionis Hebraico more dictum eſt pro filii ſubtrahentes ſe, id eſt non credentes. IN PERDITIONEM; quaſi dicat: Si enim

ſubtrahimus nos Deo per infidelitatem, peribimus, vitam gratiæ amittentes. SED FIDEI: filii ſumus. IN ACQUISITIONEM ANIMAE, id eſt ut non pereamus, ſed ſervemus a morte ſpirituali, & a damnatione æterna animas noſtras.

T I R I N I.

Verſ. 1. LEX Moſaica NUMQUAM POTEST ACCEDENTES ad altare, ſeu offerentes ſacrificia, PERFECTOS FACERE, id eſt perfecte a peccatis expedire, iuſtificare & ſalvare, quia tantum erat *umbra*, ſeu rudis delineatio, non vero *imago*, id eſt perfecta & plena ad vivum repræſentatio FUTURORUM, ſpiritualium ac cæleſtium BONORUM, qualis eſt in ſacrificio & Sacramentis novi teſtamenti & legis Evangelicæ: ita S. Chryſoſt. qui per IMAGINEM vult ipſam rei veritatem, &, ut Syrus vertit, *ſubſtantiam* intelligi, metaphora a pictoribus deſumpta, quorum ultima manus, ſeu perfectio, eſt pictura lineamentis ſuis & coloribus omnibus abſoluta. Sed Nazianzenus, Theodor. Theophyl. legi Moſaicæ tribuunt *σκιὰν*, id eſt *umbram*. Evangelio *εἰκόνα*, id eſt *imaginem*: cælo *ἀλήθειαν*, id eſt *veritatem*.

V. 2. ALIOQUI ſi ſacrificiis Moſaicis perfecte expiata fuiſſent peccata, CESSASSENT OFFERRI nec iterari iuſſa fuiſſent a Deo pro iiſdem peccatis pro quibus ſemel ſacrificatum fuerat. Quod enim ſemel perfecte expiatum & abolitum eſt, non eget ulteriore expiatione aut abolitione; ita Chryſoſt. Theophyl. Anſelmus. Atqui

V. 3. PER SINGULOS ANNOS, iubente Deo Levit. XVI. IN IPSIS, ſeu per ipſa ſacrificia, in die expiationis *a*, COMMEMORATIO fiebat PECCATORUM omnium, etiam pro quibus ſemel fuerat ſacrificatum, id eſt inſtituebatur generalis expiatio, qua ſimul pro omnibus totius præteriti anni peccatis rurſum commemoratis hoſtiæ de novo offerebantur. Quod certum erat indicium, peccata prioribus ſacrificiis non fuiſſe expiata, ſed neque præſentibus illis (nihilo quam priora efficacioribus) vere expiari: ſed ſolum *commemorari*, & accuſari, ut ſcilicet homines illorum recordati ſcirent, ſibi ad Chriſti crucem & ſacrificium per fidem & ſpem recurrendum eſſe, ita iidem Patres.

V. 5. IDEO; ut peccata noſtra expiaret Chriſtus, INGREDIENS, ſeu ſimul atque per incarnationem ingreſſus eſt MUNDUM, obtulit ſe ad id Patri promptiſſimum ac paratiſſimum, ut conſtat ex Pſalmo XXXIX. 7. & 8. ut ibi explicui. Sed ſimul

V. 8. DICENS, Chriſtus Patri, HOSTIAS legis Moſaicæ PRO PECCATO NOLUISTI, NEC *placent* TIBI, eo ipſo

V. 9. AUFERT, antiquat, annullat PRIMUM illud genus ſacrificiorum & ſacerdotii, UT SEQUENS Chriſti ſacerdotium & ſacrificium STATUAT ac ſtabiliat, quo ſecundum VOLUNTATEM & decretum Dei offerat ſeipſum in victimam expiatoriam.

V. 10. QUA VOLUNTATE, id eſt qua unica victima ſecundum Patris voluntatem a Chriſto in ara crucis ſemel oblata nos omnes perfecte SANCTIFICATI & iuſtificati SUMUS, nempe quantum eſt ex parte victimæ, ad omnes iuſtificandos ſufficientiſſimæ: nam ex parte noſtra curandum, ut victima hæc ſingulis ſuo tempore per ſacrificium Euchariſticum & Sacramenta, aliaque media ad id a Chriſto inſtituta ſpeciatim applicetur.

V. 12. Pluribus ergo hoſtiis PRO PECCATIS totius mundi, ex parte ſua expiandis, non eguit Chriſtus, ſed UNAM ſemel OFFERENS, *προσενέγκας*, id eſt *poſtquam obtuliſſet*, plene ſuo munere redemptoris perfunctus, SEDET iam glorioſus IN DEXTERA DEI, ſedebitque *æternum* in cælis quos ſua illa oblatione ſibi nobiſque reſeravit.

V. 14. UNA ENIM hac ſua OBLATIONE ita CONSUMMAVIT SANCTIFICATOS. Græce, *eos qui ſanctificantur*, id eſt tam plenum, tam uberem fontem inſtituit ut omnino homines, ſi velint, mundari & ſanctificari poſſint, & licet infiniti naſcerentur, nullo alio opus haberent, ſed ex hoc uno (per Sacramenta, per ſacrificium Euchariſticum, per pia opera, quæ ſunt quaſi ſitulæ noſtræ) haurire poſſent quæcumque ipſis ad perfectam iuſtificationem & ſalvationem neceſſaria ſunt: ita SS. Patres, & Tridentinum *b*.

V. 15. CONTESTATUR AUTEM, *μαρτυρεῖ*, id eſt *teſtatur* nobis eandem veritatem, nempe veteris teſtamenti ſacrificia non potuiſſe auferre peccata, ſed hoc beneficium

rcler-

Google

reſervari novo teſtamento; SPIRITUS SANCTUS etiam alio loco, puta per Ieremiam [e] Prophetam, cuius ore cum promiſiſſet,

V. 16. & 17. POST DIES ILLOS, id eſt poſt repudiatam Synagogam & legem Moſaicam, ſe novum TESTAMENTUM, ſeu pactum cum populo ſuo initurum; mox explicat quale ſit illud futurum, nempe, quo IN CORDIBUS EORUM abundantiſſimæ gratiæ per Chriſtum ſcaturiant, & peccata ita ex eis eliminentur & aboleantur, ut illorum AMPLIUS NON recordetur Deus.

V. 18 UBI AUTEM plena peccatorum eſt REMISSIO, ſeu abolitio facta, IAM NON EST neceſſaria alia OBLATIO PRO PECCATIS, qua novum rurſus pretium illis remittendis comparetur: ſed ſolum neceſſaria eſt applicatio pretii ſemel per mortem Chriſti comparati: ita paſſim Patres & Doctores Orthodoxi, immo & Calvinus & Beza. Sed inferunt, ergo fruſtra eſt Miſſa: addit Lutherus [d], Miſſam ideo eſſe magnam abominationem, & ſe hoc a diabolo didiciſſe. Reſpondeo, neg. conſequent. diabolicam: quia Miſſa non affert novum pretium (quod unicum hic negat Paulus:) ſed tantum applicat pretium quod morte Chriſti ſemel comparatum eſt, ut etiam faciunt omnia bona opera, & ex Lutheri, Calvini, ceterorumque hæreticorum confeſſione, etiam fides & Sacramenta.

V. 19. ITAQUE cum iam per Chriſtum conſecuti ſimus veram peccatorum remiſſionem, atque ita FIDUCIAM plenamque libertatem habeamus INTROITU, græce, *in introitum*, ſeu introeundi in Sanctum SANCTORUM, id eſt in cælum per *ſanguinem* & mortem Chriſti;

V. 20. QUAM VIAM NOVAM, id eſt noviter patefactam, nullius veſtigiis preſſam, ET VIVENTEM, id eſt perpetua energia, ſeu efficacia vigentem, Chriſtus NOBIS INITIAVIT, id eſt primus ingreſſus eſt, primus calcavit, aperuit ac reſeravit, PER VELAMEN, id eſt CARNEM SUAM in cruce immolatam. Quia ſicut velum in paſſione Chriſti diſciſſum patefecit Sanctum ſanctorum; ita caro Chriſti per mortem diſciſſa patefecit nobis cælum, inquit S. Chryſoſt. Cum item habeamus Chriſtum.

V. 21. SACERDOTEM MAGNUM, id eſt pontificem, mediatorem, & advocatum apud Deum toti DOMUI, id eſt Eccleſiæ ſuæ, perpetuo invigilantem atque opitulantem;

V. 22. ACCEDAMUS ad Deum CUM CORDE VERO, id eſt minime ſubdolo vel fucato, ſed recto, ſincero, & ipſi vere addicto, cum plena item fide: ASPERSI CORDA [e] (græciſmus eſt;) quaſi dicat: In cordibus luſtrati ſanguine Chriſti, & per eum purgati A CONSCIENTIA MALA, ut Syrus vertit.

V. 23. TENEAMUS SPEI NOSTRAE CONFESSIONEM [f] INDECLINABILEM: id eſt, nullo modo declinemus a fide & ſpe quam in baptiſmo publice confeſſi & profeſſi ſumus, quando *corpus aqua munda*, anima Spiritus ſancti gratia *abluta fuit*.

V. 24. CONSIDEREMUS INVICEM, non ut alter alteri invideamus, detrahamus, noceamus, ſed IN PROVOCATIONEM CARITATIS, & æmulationem bonorum operum tam activam, quam paſſivam.

V. 25. NON DESERENTES COLLECTIONEM NOSTRAM, id eſt, cœtus & conventus publicos: multo autem minus apoſtatantes a fide Chriſti ad iudaiſmum vel gentiliſmum: quod ſtudioſius inculco, propter APPROPINQUANTEM DIEM iudicii, quo cuiuſque, ſeu conſtantia, ſeu inconſtantia eluceſcet, & condignam mercedem accipiet.

V. 26. VOLUNTARIE ENIM tali apoſtaſia PECCANTIBUS, & ſumma ingratitudine a Chriſto deſciſcentibus, NON RELINQUITUR PRO PECCATIS HOSTIA, id eſt ægre ac vix reliqua eſt ſpes veniæ, ut ſupra [g] expoſui. Vel etiam proprie ac rigide, nulla eſt ſpes apoſtatis aut remedium veniæ: nam in tali ſtatu manentibus nec Chriſtus (quem abnegant:) nec alius Meſſias (quia nullus venturus:) nec legis ſacrificia (ut pote infirma & iam abolita) umquam prodeſſe poterunt: ita Corn. a Lapide. Sed manet illos

V. 27. IGNIS infernalis, TERRIBILIS AEMULATIO, id eſt horrendus impetus & violentia, qua inſtar lictoris vehementiſſime exacerbati, geſtiet admiſſa in Deum peccata, quanto poterit furore vindicare [h] Eo quod talis ſua apoſtaſia

V. 29. FILIUM DEI CONCULCAVERIT, ſpreverit, deſeruerit, ET SANGUINEM eius, quo *teſtamentum*, id eſt fœdus inter Deum & homines, de novo ſancitum eſt, POLLU-

LUTUM DUXERIT, id eſt velut rem profanam ac ſordidam contempſerit & abiecerit.

V. 32. REMEMORAMINI potius, ſeu in memoriam revocate, PRISTINOS DIES, id eſt præteritum tempus primi veſtri fervoris, quo recens ILLUMINATI lumine fidei, & baptiſmo luſtrati, MAGNUM CERTAMEN pro fide hac tuenda SUSTINUISTIS, tum ab aliis tyrannis, tum a contribulibus veſtris *i*.

V. 33. IN ALTERO: Græce, τῦτο μὲν, id eſt *partim* QUIDEM, vos ipſi variis OPPROBRIIS affecti, & tribulationibus exhauſti, SPECTACULUM Deo & hominibus FACTI digniſſimum ac score glorioſiſſimum: τῦτο δὲ, id eſt *partim vero* SOCII; ultro effecti aliorum qui ſimilia pro fide Chriſti ſubibant.

V. 35. NOLITE per fœdam apoſtaſiam AMITTERE; græce, *abiicere*, CONFIDENTIAM VESTRAM, id eſt opes, merita, theſauros ſpirituales tot laboribus, tot præliis partos, ex quibus ingentem fiduciam obtinendæ aliquando vitæ æternæ haurire ſoletis.

V. 36. PATIENTIA ENIM ad finem uſque vitæ continuata; VOBIS plane NECESSARIA EST, UT REPORTETIS, ſeu compotes reddamini cæleſtium bonorum certantibus ac vincentibus *promiſſorum*. Neque erit adeo diuturna vobis lucta:

V. 37. ADHUC ENIM MODICUM ALIQUANTULUM (ſunt verba Habacuc *k* Prophetæ) & VENIET ad iudicium QUI VENTURUS EST *l*, Chriſtus, præmia conſtantibus, pœnas apoſtatis repenſurus. Interea temporis

V. 38. IUSTUS MEUS EX FIDE VIVIT, & in mediis tribulationibus hoc ſeipſione ſe fulciet.

Ubi contra hæreticos nota, non excludi, ſed neceſſario includi hic bona opera, quia fides hæc præſcribit & imperat. Sicut cum quis ex arte pictoria vivere dicitur, non excluditur, ſed plane includitur exercitium eiuſdem artis.

V. 39. NON SUMUS FILII SUBTRACTIONIS *m*, id eſt qui nos ſubtrahamus fidei per apoſtaſiam, diffidentiam vel puſillanimitatem: SED FIDEI filii ſumus, id eſt fideles eſſe volumus, non IN PERDITIONEM, ſed IN ACQUISITIONEM ANIMAE, id eſt ut non perdamus, ſed certo acquiramus nobiſque ſtabiliamus æternam animæ noſtræ ſalutem: ita S. Anſelmus.

(a) Levit. xvi. verſ. 2. 17.
(b) Trid. ſeſſ. xxii. cap. 1.
(c) Ierem. xxxi. 33.
(d) Luther. Lib. de Miſſa privata, anno 1534.
(e) Hebr. ix. 23.
(f) Cap. iii. verſ. 1.
(g) Cap. vi. verſ. 4.
(h) Sap. viii. 18.
(i) Actor. viii. 1. &c.
(k) Habacuc ii. 4.
(l) Matt. xi. 3. & Apoc. 11. 4. &c.
(m) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 40.

GORDONI.

Verſ. 1. UMBRAM ENIM HABENS. Perſiſtens Paulus in iam propoſito argumento rationem reddit, cur cum toties repeterentur vetera ſacrificia, non ſufficerent, & tamen ſufficiat unica hoſtia Chriſti, ut ſic per excellens ſacrificium Evangelicum avocet Hebræos a defectione ad Moſaicas ceremonias. Priſtina ergo ſacrificia licet repeterentur, non ſufficiebant, quia tantum erant umbræ futurorum. Ideo ſucceſſit nova hoſtia, quæ efficeret, quod antiquæ non poterant. Talem autem ſucceſſionem, & novæ hoſtiæ vim probat ex locis Scripturæ, ut habetur verſu quinto. Ceterum hoc primo verſu legem veterem vocat umbram futurorum ſub Chriſto: Evangelium vero imaginem, ut ait Chryſoſtomus: opponuntur quippe ut apud pictores adumbrata pictura in primis lineamentis conſiſtens, & ipſa poſtea perfecte expreſſa imago.

V. 2. ALIOQUI CESSASSENT. Ex duobus illis de veteri & nova hoſtia probat primum, ſcilicet veterem hoſtiam non ſuffeciſſe, quia ſi fuiſſet ſufficiens, ita ut cultores faceret perfectos, & non relinqueret conſcientiam peccati, deſiiſſet eius repetitio. Quorſum enim repeteretur hoſtia, ſi ſufficienter meruiſſet omnibus gratiam, qua poſſent omnes mundari a peccatis: ſeu quod idem eſt, ſi ex merito ſuo habuiſſet in ſe pretium pro obtinenda gratia ad remiſſionem peccati, & unde dicere poſſemus remiſſum eſſe peccatum (ut loquuntur Theologi) quoad ſufficientiam. Sic enim intelligo τὰ NULLAM HABERENT CONSCIENTIAM PECCATI. Sane tale pretium dedit hoſtia Chriſti in cruce, nec proinde repetitur: ſemel enim mortuus eſt, nec amplius morietur. Ceterum repetitur & repe-

Digitized by Google

reponitur quotidiana hoſtia in Eccleſia non ad redemptionem: nam pretium moriente Chriſto perſolutum eſt: ſed repetita hæc hoſtia conſert ad applicationem pretii, ſicut etiam ad hanc applicationem conſerunt ſacramenta, aliaque non pauca.

Hinc manifeſtum eſt falli Calvinianos contendentes non eſſe nunc in Eccleſia ſacrificium, nec repeti incruentum ſacrificium Chriſti. Nituntur argumento Pauli, ſi ſufficiebat, debet ceſſare: atqui ſufficiebat hoſtia crucis; Ergo non debet repeti. Sane ſufficiebat ad pretim & redemptionem; tamen reſtabat ut applicaretur. Itaque hoſtia Chriſti prout ſufficiebat, non repetitur, ſed prout deerat applicatio: immo debet repeti ſacrificium applicans, quia repetuntur peccata: & ita Chriſtus fieri iuſſit. Sic quidem contingit in cauſis univerſalibus (quale eſt ſacrificium redimens) ut in ſole & ſimilibus, ubi eſt neceſſaria applicatio. Hinc iam colligit verſ. 3. & 4. veterem hoſtiam non ſuffeciſſe. Reſtat probandum ſuffeciſſe novam verſ. 5.

V. 5. IDEO INGREDIENS. Hoc alterum membrum probatur; ſufficere ſcilicet hoſtiam Chriſti. Probatur ex Pſalm. XXXIX. 7. ubi David introducit Chriſtum cum Patre æterno loquentem, & oſtendentem, quomodo reiectis veteribus ſacrificiis, quod non ſufficerent, ſucceſſit novum & ſufficiens. Vide citatum Pſalmum, eiuſque ſuo loco quam dedi explicationem.

V. 8. 9. 10. SUPERIUS DICENS. Explicat his tribus verſiculis, quod iam concluſum eſt. *Superius*, hoc eſt, priori loco Pſalmi narratur reiecta vetus hoſtia: mox ſequitur, ECCE VENIO. Nova hoſtia auſert primam (verſ. 9.) vetus ſcilicet ſacrificium, UT SEQUENS STATUAT, nempe novam hoſtiam. Et ſic (verſ. 10.) SANCTIFICATI SUMUS per Chriſtum, mediante voluntate Patris, ad quam faciendam venit Chriſtus. *In capite libri*. Vide explicationem Pſalmo citato, verſ 9. Certe in ſcripturis agitur de Chriſto ut de re præcipua.

V. 11. uſque ad 15. Senſus eſt: In veteribus illis ſacrificiis, quæ repetebantur, offerendis aſtabant quotidie ſacerdotes miniſtrantes conſtanter quæ non poterant auferre peccata. At Chriſtus unam obtulit hoſtiam in perpetuum valituram, non ſtans more veterum, ſed ad dexteram Patris ſedens, expectans donec omnes inimici penitus ſub iugo ſint, & domiti; quod oſtendet dies iudicii. Et tale eſt plenum diſcrimen inter ſacerdotem novum & veterem, non tantum in re, ſed modo etiam.

V. 15. uſque ad verſum 19. CONTESTATUR AUTEM. Porro, inquit, abolenda fuiſſe peccata per novum hoc ſacrificium unicum, conteſtatur Spiritus ſanctus, Ierem. XXXI. 33. poſtquam enim dixit, HOC AUTEM TESTAMENTUM, &c. deinde ſubdit, ET PECCATORUM, &c. his verbis duo habentur promiſſa; ſcilicet lex nova, & remiſſio. Ubi autem eſt peccatorum remiſſio, ibi non eſt neceſſaria nova oblatio pro peccatis. Hæc clara ſunt ex verſ. 2. Ex quo loco facile refutantur, quæ hic obiicit Hæreſiarcha Lutherus contra ſacrificium Miſſæ. Certe unicum eſt ſacrificium cruentum, & redemptorium: debuit vero, iubente Chriſto, repeti ſæpe incruentum, ut eſt propitiatorium, nempe quatenus ex opere operato (cum alia multa inſerviant ad iuſtificationem, ut fides, contritio, ſacramenta) hoc ſacrificium impetrat gratiam prævenientem, qua excitamur ad bene operandum, & ad pœnitentiam; quod fit, & docet Paulus hic fieri, quatenus paſſim docuit Chriſtum præcipuum in hoc ſacrificio ſacerdotem, continuo in cælis interpellare pro nobis. Itaque Euchariſtia, & Miſſa, ut eſt ſacramentum, habet ſuos effectus proprios in augenda gratia: immo interdum iuſtificat. Ut vero eſt ſacrificium, propitiatur modo iam explicato, impetrans gratiam prævenientem; immo & pœnæ, atque etiam culpæ venialis remiſſionem.

V. 19. HABENTES ITAQUE. Reliqua pars capitis ad mores ſpectat; ubi præcipue hortatur Paulus ad conſtantiam in fide Chriſtiana; ne cedant malis, cum videant datam remiſſionem peccatorum, aſcenſionem Chriſti Pontificis noſtri in cælum, & ſpem optimam nobis relictam IN INTROITU SANCTORUM, in Chriſti introitu in cælum.

V. 20. & 21. QUAM INITIAVIT. Hanc viam in cælum nobis primus aperuit Chriſtus. Ac proinde nova eſt poſt mortem eius prædicata, *vivens*, ſeu efficitur ad vitam æternam perducens. PER VELAMEN. Caro Chriſti velum eſt latentem in Chriſto tegens divinitatem. Et per SACERDOTEM, quem habemus magnum, qui præeſt domui Dei & Eccleſiæ.

V. 22.

V. 22. & 23. Accedamus. Hortatur ut ſyncero corde accedant, & ſimplicitate ac plenitudine fidei de nullis Chriſti pro miſſionibus dubitando. Aspersi corda, loti in baptiſmo, qui abſterſit peccata, & malam conſcientiam, &c.

V. 24. & 25. Consideremus. Conſideremus nos invicem, quod unius Pontificis Chriſti populus ſumus, ut ſic ad pia caritatis opera provocemur. Non deserentes collectionem, ſocietatem & communicationem noſtram arctam in Domino; memores appropinquare extremum diem. Consolantes, captantes ſolatium ex ſpe retributionis.

V. 26 & 27. Ad timorem incitat: nam voluntarie peccantibus, & deficientibus a fide recepta, & caritate Chriſti, non ſupereſt nova oblatio cruenta in cruce, ſed terribilis iudicii dies, & timor ignis, qui deſtinatus eſt ad vindictam in hoſtes Chriſti.

V. 28. & 29. Irritam. Merito his pœna ſtatuitur gravis: ſi enim in lege Moſaica pœna mortis propoſita fuit delinquentibus: quanto magis apoſtatis, & deſertoribus legis filii Dei. Hoc delictum exaggerat Paulus, verſ. 30. & 31. Sumit probationem ex Deuter. xxxii. 35. & 36.

V. 32. Rememoramini. Hortans ad perſeverantiam proponit ante oculos exantlatos labores pro fide, & quam fortes fuerint athletæ in cauſa Dei; quidque geſſerint. Unde concludit verſ. 35. Nolite ſpem tantam prodigere: magna vos expectat remuneratio, & tempus certaminis breve eſt. Illuminati. Olim baptizati dicebantur illuminati.

V. 38. & 39. Iustus autem. Fides ſane ſolatur hominem, ſuſtentat, erigit ne adverſis rebus frangatur. Et hoc ipſum eſt fidei unum ex donis, quod hoc loco extollit Paulus, utpote hypoſtaſis & fundamentum vitæ Chriſtianæ. Accepit iſta Paulus ex Abacuc cap. ii. 4. ubi oſtendi Calvinum nihil hinc habere pro ſola fide. Nam nec eſt *ſola* apud Prophetam, vel Paulum. Et Abacuc ibidem requirit ſimul opera. Quod si *ſubduxerit* se, ſcilicet per infidelitatem, non placebit animae meae, ait Dominus. Filii subtractionis. Hebraiſmus eſt, id eſt filii ſe ſubtrahentes.

CA-

CAPUT XI.

Fidem magnifice commendat ex actis patrum, a mundi exordio uſque ad David ac Prophetas, & in univerſum quanta patrarint ac paſſi ſunt per fidem; nec tamen plenam adhuc acceperunt retributionem.

1. ESt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. 2. In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt ſenes. 3. (*a*) Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei; ut ex inviſibilibus viſibilia fierent. 4. (*b*) Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo, (*c*) per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. 5. (*d*) Fide Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus: ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo. 6. * Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. 7. (*e*) Fide Noe, reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, heres eſt inſtitutus. 8. (*f*) Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exiit, neſciens quo iret. 9. Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac & Iacob coheredibus repromiſſionis eiuſdem. 10. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem: cuius artifex & conditor Deus. 11. (*g*) Fide & ipſa Sara ſterilis* virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat. 12. Propter quod & ab uno orti ſunt (& hoc emortuo) tamquam ſidera cæli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris, innumerabilis. 13. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. 14. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. 15. Et ſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: 16. nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem. 17. (*h*) Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, * qui ſuſceperat repromiſſiones; 18. ad quem dictum eſt: (*i*) Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemem 19. arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: unde eum & in parabolam accepit. 20. (*k*) Fide & de futuris benedixit Iſaac, Iacob, & Eſau. 21. (*l*) Fide Iacob, moriens, ſingulos filiorum Ioſeph benedixit: (*m*) & adoravit faſtigium virgæ eius. 22. (*n*) Fide Io-

ſeph, moriens, de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit. 23. (*o*) Fide Moyſes, natus, occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis, eo quod vidiſſent elegantem infantem, (*p*) & non timuerunt regis edictum. 24. (*q*) Fide Moyſes grandis factus negatur ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, 25. magis eligens affligi cum populo Dei; quam temporalis peccati habere iucunditatem, 26. maiores divitias æſtimans theſauro AEgyptiorum, improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem. 27. Fide reliquit AEgyptum, non veritus animoſitatem regis: inviſibilem enim tamquam videns ſuſtinuit. 28. (*r*) Fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos. 29. (*ſ*) Fide tranſierunt Mare rubrum tamquam per aridam terram: quod experti AEgyptii, devorati ſunt. 30. (*t*) Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem. 31. Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, (*u*) excipiens exploratores cum pace. 32. Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, David, Samuel, & prophetis: 33. qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, 34. extinxerunt impetum ignis, * effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: 35. acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem. 36. Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: 37. lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: 38. quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ. 39. Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, 40. Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.

(a) Gen. I. 3. (b) Gen. IV. 4. (c) Matt. XXIII. 24. (d) Gen. V. 24. Eccli. XLIV. 16. (e) Gen. VI. 13. Eccli. XLIV. 17. (f) Gen. XV. 5. (g) Gen. XVII. 19. (h) Gen. XXII. 1. Eccli. XLIV. 21. (i) Gen. XXI. 12. Rom. IX. 7. (k) Gen. XXVII. 27. 36. (l) Gen. IV. 8. 15. (m) Gen. XLVII. 31. (n) Gen. L. 24. (o) Exod. II. 2. (p) Exod. I. 16. (q) Exod. II. II. (r) Exod. XII. 21. (ſ) Exod. XIV. 22. (t) Ioſ. VI. 20. (u) Ioſ. II. 3.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 6. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Nec omittas *Deo*, nec addas *quamquam*.

Verſ. 11. Virtutem in conceptionem ſeminis accepit. Servandus eſt accuſativus *conceptionem*, non vertendus in ablativum.

Verſ. 17. Qui ſuſceperat repromiſſiones. Non ſcribas *in quo*, pro *qui*.

Verſ. 34. Effugerunt aciem gladii. Pro *effugerunt* a fugio tertiæ coniugationis non corrigas effugaverunt, quod eſt, in fugam verterunt, a fugo primæ.

Notatio.

Verſ. 6. S*Ine fide autem* (*enim* o.) *impoſſibile eſt placere Deo*. Plerique Latinorum codicum cum Syrico teſtamento addunt *Deo*. Unus porro Pariſientium Ge. l. duo Hentenii, & duo noſtri Leod. Malma. manuſcripti tollunt. Accedunt alii duo noſtri l. Atr. 1. qui alio ſcribunt loco: *Impoſſibile eſt Deo placere*. Græca exemplaria,

Græ-

Græcique Tractatores Oecumenius, & Theophylactus non legunt. Subauditur ex eo quod proxime antecedit: *Ante translationem enim teſtimonium habuit* (Enoch) *placuiſſe Deo*. Fieri poſſit maioris claritatis ergo noſtris Libris adiectum fuiſſe, aut ex Gloſſa in textum irrepſiſſe; quemadmodum vox *quemquam*, tametſi & ea Syriace ſit (addit enim huiuſmodi Syrus frequenter, & quaſi paraphraſten agit: propter quod Syriacam hanc editionem, primigeniam eſſe Apoſtoli Scripturam nec dum facile perſuaderi queo) quam in XI. manuſcriptis antigraphis legimus diverſis locis, ſed fere iſto: *Impoſſibile eſt quemquam placere Deo*. In uno eſt: *Sine fide autem placere Deo impoſſibile eſt quemquam*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. **E**ST AUTEM FIDES. Fidem hoc loco deſcribit ac definit non definitione propria. EST AUTEM, inquit, FIDES SPERANDARUM RERUM SUBSTANTIA, ARGUMENTUM NON APPARENTIUM. Gr. habent, *ἐςὶ δὲ ἐλπιζομένων ὑπόςασις πραγμάτων, ἔλεγχος ȣ̓ βλεπομένων* ubi *τῶν ἐλπιζομένων*, id eſt ſperatorum, ſive ut noſter interpres vertit, ſperandarum rerum, Aug. XIV. cap. in Ioannem vertit ſperantium, nec male: nam participium medium eſt, dicens: Fides eſt ſperantium ſubſtantia, ad hunc ſenſum, quod ſicut anima in eſſe naturæ eſt ſubſtantia hominum, ita in eſſe gratiæ fides eſt ſubſtantia ſperantium hominum: niſi enim crederent ſe aſſequi poſſe quod ſperant, a ſpe exciderent. Eſt autem *rerum ſperandarum* vel ſperatarum ſubſtantia fides, quod eas quodam modo ac ſi in rerum natura eſſent, eaſque iam poſſideremus, ſubſiſtere facit: quodque tam certi illarum ſumus, quam ſi iam teneremus. *Argumentum* quoque ſive *ἔλεγχος*, id eſt oſtenſio & demonſtratio eſt rerum non apparentium: quia eas tam certo mentis oculo repræſentat, quam ſi oculo corporali perviderentur. Quod autem ſequitur: IN HAC ENIM TESTIMONIUM CONSECUTI SUNT SENES; vel *τὸ γὰρ* pro *δὲ*, id eſt *enim*, pro *autem* ponitur, vel ad finem præcedentis capitis refertur, ubi dicitur quod fidei ſumus in acquiſitionem animæ, ut ſcilicet per eam animæ ſalutem acquiramus. In hac enim, id eſt per hanc, ſenes, id eſt antiqui patres ac patriarchæ teſtimonium conſecuti ſunt. Græce, *ἐμαρτυρήθησαν*, id eſt approbati ſunt a Deo, vel ut græca ſcholia explicant, teſtimonium conſecuti ſunt, ſe Deo placuiſſe.

V. 3. FIDE INTELLIGIMUS. Fide, inquit, intelligimus SAECULA, id eſt omnia quæ in mundo ſunt, & creata omnia, VERBO DEI APTATA ESSE, Grece *κατηρτίσθαι*, id eſt *coagmentata*: omnibuſque numeris perfecta & abſoluta eſſe & ſic condita, UT EX INVISIBILIBUS VISIBILIA FIERENT. Inviſibilia autem quidam præiacentem, inviſibilem, informemque rerum omnium materiam intelligunt: quam primum creaverit Deus, atque in illa ſimul omnia, ut Eccleſiaſt. XVIII. dicitur, *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*. Ex hac autem informi inviſibilique materia viſibiles poſtmodum res eduxit. Alii inviſibilium nomine ideam rerum omnium, quæ in Deo eſt, intelligunt, ex qua creaturæ omnes fluxerunt: quamquam revera nihil aliud in Deo eſt idea, niſi Deus ipſe inviſibilis, ex quo, per quem, & in quo omnia. Quomodo autem mundi huius ornatus tam potenter conditus, tamque ſapienter gubernatus ſit, ratio non capit humana, & ideo vere inquit Paulus, quod fide intelligimus aptata, perfecta, & condita eſſe ſæcula verbo Dei, qua quum priſci philoſophi caruerint, & humana ratione rerum creatarum principium aliunde quam ex Deo quæſierint, exiſtimantes ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt, & obſcuratum eſt cor eorum.

V. 4. FIDE PLURIMAM, &c. Recenſiturus catalogum eorum qui fide inſignes fuerunt, recte ab Abel incipit, quod is primus afflictatus eſt a fatre; ut & ipſos a fratribus & contribulibus afflictatos conſoletur. *Fide*, inquit, ABEL *plurimam* Græce *πλείονα*, id eſt, copioſiorem ſive honoratiorem hoſtiam & oblationem OBTULIT QUAM CAIN, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe Iuſtus; *quam au-*

tem hoc loco referre poteſt & fidem & hoſtiam; ſed præſtat ut ad hoſtiam, per quam teſtimonium iuſtitiæ a Deo accepit, dum, ut fertur, ignis e cælo deſcendens eius hoſtiam voravit, de qua dicitur Gen. IV. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain & munera ipſius non reſpexit*. Quod autem teſtimonium iuſtitiæ conſecutus ſit, patet ex verbo Chriſti ad Iudæos Matt. viceſimo tertio: *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ*: hoſtiam autem fide Abel obtulit credens remuneratorem Deum fore, & per illam fidem, DEFUNCTUS ADHUC, vel *etiam defunctus* (utrumque enim ſignificat τὸ ἔτι) LOQUITUR, ut Geneſ. IV. dictum eſt ad Cain, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; ſi ad hoc tempus referas, ſenſus eſt, quod fama adhuc in hominum opinione vivit.

V. 5. & 6. FIDE, ENOCH. De Enoch dicitur Geneſ. V. quod ambulavit Enoch cum Deo: & poſt paululum, *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*: hoc eſt quod inquit Paulus, quod TRANSLATUS EST NE VIDERET MORTEM, id eſt, ſive guſtaret aut ſentiret mortem; quia enim viſus eſt omnium ſenſuum nobiliſſimus, videre pro ſentire ſumitur: ne guſtaret ergo mortem, id eſt ne moreretur: ET NON INVENIEBATUR, QUIA TRANSTULIT ILLUM DEUS. Quod autem fide translatus ſit, probat, quia teſtimonium habet quod placuerit Deo, ut Eccl. XIV. dicitur, *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum*. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: ergo fide placuit, atque ita fide translatus eſt. Minorem autem probat, dicens, CREDERE ENIM OPORTET ACCEDENTEM AD DEUM, QUIA EST, ET INQUIRENTIBUS SE REMUNERATOR SIT, ſicut ipſe dixit ad Abraham, Gen. XV. *Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*.

V. 7. FIDE, NOE. Fidem quoque Noe commendat, qui diluvii futuri, de quo ne ſuſpicari quidem poterat, accepto oraculo arcam aptavit, ubi ſe adverſus imbres cum tota familia ſalvum faceret, PER QUAM, inquit, DAMNAVIT MUNDUM, ſcilicet vel per fidem comparative, dum ceteris permanentibus incredulis & pereuntibus ſolus ipſe credidit & evaſit, vel per quam arcam, quia dum virum probum Deique metuentem, arcam adverſus diluvium fabricare viderunt, neque ſic quidem crediderunt. Per hanc arcam ergo damnavit mundum; quia niſi ille arcam fabricaſſet, non eſſent illi auditi ac non crediti diluvii rei. De Noe autem ſubdit, ET IUSTITIAE ET QUAE PER FIDEM EST, HAERES INSTITUTUS EST. Quod autem iuſtitiæ hæres ſit inſtitutus, docet Scriptura Geneſ. VI. dicens: *Noe vir iuſtus atque perfectus ambulavit cum Deo*,

V. 8. 9. & 10. FIDE, QUI VOCATUR ABRAHAM. Multiplicem Abrahæ fidem commendat, quem illis proponit: ut fidem illius imitentur, quo ſecundum carnem patre tantopere gloriabantur. Primum itaque fidem proponit, de qua Geneſ. XII. qua Deo præcipiente relictis Charri: ubi habitabat, in ignotam ſibi terram fide profectus eſt. FIDE *quoque* MORATUS EST IN TERRA PROMISSIONIS, quam illi Geneſ. XV. & XVII. promittit Deus: quæ etſi ſua eſſet, donante Deo, habitavit tamen, TAMQUAM IN ALIENA, utpote quam dato pretio comparavit, & in qua CUM ISAAC ET IACOB EIUSDEM terræ promiſſæ COHAEREDIBUS habitavit IN CASULIS tantum & tentoriis more viatorum & peregrinorum, qui in alieno ſolo non ædificant. Quamquam enim in ea terra velut peregrini habitarent, non dubitabant tamen ſuam eſſe, quam promiſit Deus: ſed velut peregrini in ea habitabant, aliam ſe in cælo patriam inquirere ſignificantes. Id enim eſt quod ait: EXPECTABANT ENIM FUNDAMENTA HABENTEM CIVITATEM, hoc eſt, firmiſſimam, CUIUS ARTIFEX ET CONDITOR DEUS ſcilicet, Cæleſtem patriam: hoc autem addidit Paulus, ut Iudæos a carnalibus promiſſionibus abſtraheret exemplo Abrahæ, qui terrenæ poſſeſſionis ſpem ad cæleſtia tranſtulit. Bene autem dixit Paulus, *qui vocatur Abraham*; quia ante fidem Abram tantum vocabatur, poſtmodum autem Abraham quod multarum gentium interpretatur.

V. 11. & 12. FIDE ET IPSA SARA. Quamquam Gen. XVIII. nonnihil incredula ab initio Sara videretur, quæ promittente Deo filium, riſit; tamen poſtea timore perterrita credidit quod fidelis eſſet Deus, & putens quæ promiſerit præſtare: unde

unde & VIRTUTEM IN CONCEPTIONE SEMINIS ACCEPIT. Gr. *δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε*, id eſt in ipſam ſeminis conſtitutionem vim accepit. Quum enim retinendi & attrahendi ſeminis, adeoque generandi, quod ei muliebria defeciſſent, impos eſſet, fide tamen potens effecta eſt: unde etiam præter ætatem nonagenaria peperit. PROPTER QUOD, inquit, AB UNO, ſcilicet Abrahæ ſemine, ET HOC MORTUO, id eſt inutili ad generationem, ſive ex ſe, ſive ob ſterilitatem & ſenium Saræ, ORTI SUNT, ſubaudi filii: TAMQUAM SYDERA CAELI ET ARENA MARIS, INNUMERABILIS, id eſt valde multi. Hyperbolica eſt locutio: quum tamen Iſaac tantum ex Sara ſuſtulerit, recte dicitur propter ſequentium nepotum multitudinem in plurali, quod ab eo orti ſunt filii; non enim hic agitur de Cethuræ & Abrahæ filiis, quod iis non ſint promiſſionis filii: ſed de filio Iſaac & ortis ab illo nepotibus.

V. 13. 14. 15. & 16. IUXTA FIDEM. Oſtendit patres nondum factas ſibi promiſſiones plene aſſecutos eſſe, ut eos in expectando longanimes eſſe hortetur, dicens: ISTI OMNES, nimirum Abraham, Iſaac, & Iacob, ad quos facta eſt de terra Chanaan promiſſio iuxta fidem, id eſt per fidem & cum fide DEFUNCTI SUNT, NON ACCEPTIS REPROMISSIONIBUS, quia promiſſionem hereditatis æternæ nondum plene acceperunt in corpore & anima beati, SED A LONGE EAS ASPICIENTES, quia a longe in Chriſto futuram viderunt reſurrectionem: unde de Abraham inquit: Sciens quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus, ET SALUTANTES EAS A LONGE, id eſt de ea longe prævifa gaudentes, quomodo nautæ longe portum inſpicientes, etiamſi nondum pervenerint, cum gaudio ſalutant. Gr. huc addunt *πεισθέντες*, id eſt perſuaſi ſe tandem eas promiſſiones aſſecuturos, ET CONFITENTES QUIA PEREGRINI SUNT ET HOSPITES SUPER TERRAM, nequaquam in carnali terra promiſſa fixam ſpem ponentes, in quo aliam ſe patriam in qua perpetuo habitent, quærere ſignificant. Confitentur autem ſe peregrinos eſſe ſicut Abraham Gen. XXIII. *Advena ſum & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulcri.* Quod autem ex ipſis promiſſionibus non intenderent in carnalem terram promiſſionis, oſtendit dicens: ET SI QUIDEM IPSIUS MEMINISSENT DE QUA EXIERUNT; id eſt, ſi Abraham, dum ſe peregrinum in terra Chanaan confitetur, a Meſopotamia, unde exierat, peregrinum intelligeret ſe eſſe, & in eo poſteri, tempus haberet & opportunitatem revertendi in illam; nunc autem dum ſeſe peregrinos in Chanaan agnoſcunt, nec ad terram nativitatis revertuntur, oſtendunt peregrini vocabulo meliorem ſe patriam inquirere. IDEO NON CONFUNDITUR, id eſt erubeſcit DEUS illorum DEUS VOCARI: quum toties dicat, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*: PARAVIT ENIM, inquit, ILLI CIVITATEM Ieruſalem; ſcilicet cæleſtem, ſicut ipſe ait in Evangelio: *Venite, benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi.*

V. 17. 18. & 19. FIDE OBTULIT ABRAHAM ISAAC. Urgit oſtendere inſignem Abrahæ fidem, quia accepta promiſſione de multiplicando eius ſemine, non dubitavit immolare filium, confidens promiſſis Dei, & credens, quia etiam immolatum a mortuis, ſuſcitare poteſt Deus: unde inquit Paulus, ET IN PARABOLAM *illum* ACCEPIT; id eſt, Abrahæ datus eſt Iſaac filius in ſimilitudinem: uterque enim præter rei geſtæ hiſtoriam, aliquid præfiguravit, quia ſicut Abraham filius immolare voluit, ita Abraham, id eſt gentium omnium verus pater per fidem Deus noſtra cauſa filium unigenitum Ieſum immolavit: & ſicut Iſaac, quantum in ſe fuit, (erat enim parato animo) immolatus eſt, ita & pro nobis Chriſtus: ſed in hoc veritas figuram ſuperavit, quod re vera immolatus eſt Chr. non Iſaac.

V. 20. 21. & 22. FIDE, ET DE FUTURIS. Fidem Iſaac oſtendit, qui Iacob & Eſau filiis futurorum bonorum largitus eſt benedictionem. Deinde de Iacob fide ſubdit, dicens: quod Ephraim & Manaſſe filiis Ioſeph, benedixit fide, credens ſcilicet indubie eventura, quæ illis pollicebatur bona, ET ADORAVIT, inquit, FASTIGIUM VIRGAE EIUS, ubi Græci addunt *ἐπὶ*, id eſt *ad faſtigium*; & ita quidam locum ex Hebræo Græci verterunt: Hieronymus autem ex Hebræo vertit, *Adoravit Iſrael Dominum ad lectuli caput converſus*; Hebræa autem vox anceps eſt, Græcorum autem ſenſus eſt, quod adoravit Iacob Dominum ad ſummitatem virgæ eius, id eſt virgæ

Ia-

Digitized by Google

Ioſeph, quia imbecillis & ſenior, innixus. Photius tamen Græcus interpretatur quod adoraverit Iacob *faſtigium virgæ Ioſeph*, id eſt regnum ipſius in filiis, ut in ipſa ſcilicet tribu Ephraim & Manaſſe, quæ decem tribubus ſubiectis & ſervientibus, regnavit. Regnaturos ergo poſteros Ioſeph prævidens Iacob, in ſignum futuri illius regni faſtigium virgæ Ioſeph adoravit: vel ut alii dicunt, ipſum Ioſeph adoravit, quem ſecundum Pharaonem totius AEgypti dominum ſciebat, quomodo & Heſter legitur adoraſſe virgam Aſſueri. Ipſius quoque fidem Ioſeph memorat, quod ſcilicet moriens fide prænunciavit Hebræos in ſuam terram reverſuros, in qua fiducia adiuravit fratres ut ſua oſſa in terra Chanaan aſportarent.

V. 23. uſque ad 30. FIDE MOYSES NATUS, OCCULTATUS. Moyſi fidem explicaturus, a parentum eius fide incipit, qui nihil veriti Pharaonis edictum de occidendis maſculis, natum Moyſen cum eleganti facie & leniter ridibunda vidiſſent, tribus menſibus occultarunt, ac demum quum per vagitum ſervare non poſſent, fiſcellæ ſcirpeæ impoſitum ad Nili ripam expoſuerunt, fide credentes illum a Deo liberatum iri. De hoc vide Exod. I. & II. *Fide*, *Moyſes*. Nunc ipſius Moyſi fidem declarat, qui quum filiæ Pharaonis charus eſſet, atque ille filii loco nutriretur, negavit eius ſe eſſe filium, malens cum populo Dei affligi quam in delitiis aulæ cum filia Pharaonis iucunditatem ac fruitionem habere peccati *temporalem*, id eſt momentaneam & tranſitoriam. Nam quod interpres habet *temporalis*, Græci legunt πρόσκαιρον, & refertur non ad τὸ ἁμαρτίας, id eſt *peccati*; ſed ad τὴ ἀπόλαυσιν, id eſt *fruitionem*, pro quo interpres vertit *iucunditatem*: peccatum autem vocat relictis in adverſitate fratribus frui delitiis: quod neglexit Moyſes facere, maiores divitias exiſtimans theſauro & divitiis AEgyptii Pharaonis IMPROPERIUM CHRISTI. Improperium autem Chriſti vocat afflictiones, murmurationes & invidias, quas exemplo Chriſti a contribulibus ſuis ſuſtinuit. Sicut enim egregie de ſe meritum & ſalvatorem ſuum Chriſtum iniuria & contumeliis Iudæi afficiebant; ſic & liberatorem ſuum Moyſem plerumque iniuria affeciſſe Hebræi leguntur; quas tamen iniurias & afflictiones, Pharaonis theſauro prætulit, fide aſpiciens & ſperans in remuneratorem Deum. Bene autem huius improperii meminit Paulus, ut exemplo Moyſi & Chriſti Hebræos conſoletur a ſuis contribulibus afflictatos. FIDE, inquit, RELIQUIT AEGYPTUM, NON VERITUS REGIS ANIMOSITATEM, ſive iracundiam & ferociam; utrumque enim hoc loco ſignificat ὁ θυμός. Hunc locum Græci exponunt de fuga Moyſi, quando accuſatus de occiſo AEgyptio fugit in terram Madiam: ſed quum Exod. II. hiſtoria doceat quod metu Pharaonis fugerit, neque hoc loco fugiendi ſit verbum, ſed relinquendi, præſtat intelligere de generali egreſſu AEgypti, quando nihil veritus perſequentem Pharaonem fide reliquit AEgyptum, & inde Hebræos eduxit, non dubitans affuturum ſibi Deum: hoc eſt enim quod ait, INVISIBILEM ENIM TAMQUAM VIDENS SUSTINUIT, id eſt Deum quem non videbat, perinde ac ſi vidiſſet, remuneratorem ſuſtinuit & expectavit. Eadem quoque fide Phaſe ſive PASCHA CELEBRAVIT, & agni ſanguine ſuperliminaria domus & poſtes aſperſit, ut exterminatoris angeli & primogenita occidentis furorem evaderent. Qui quidem agnus & agni ſanguis Chriſtum Chriſtique paſſionem per quam liberati ſumus, deſignat: vide hiſtoriam Exod. XII. Eadem fide, duce Moyſe, mare rubrum pedibus aggredi non dubitarunt, quod per fidem illorum apertum & diviſum viam illis tamquam per aridam fecit, quod ſine fine ingredi tentantes AEgyptii perierunt.

V. 30. FIDE, MURI HIERICO. De fide filiorum Iſrael loquitur, qui non dubitaverunt duce Ioſue, ſine armis Hiericho ſe poſſe capere; de quo & ſervata Raab vide Ioſue ſexto, & de ſervatis a Raab exploratoribus Ioſue ſecundo: de reliquorum fide, quos Paulus ſummatim annumerat, vide in bibliis ſuo loco: de Gedeone Iudicum ſexto, de Barac quarto, de Sampſone decimoquarto, decimoquinto, & decimoſexto, de Iepthe undecimo, de David, & Samuel in libris Regum, ſimiliter & de aliis prophetis, vide ſuo loco.

V. 33. uſque ad 35. PER FIDEM. Hi, inquit, fide VICERUNT REGNA; nam Abraham reges devicit, ſimiliter Moyſes & Ioſue & David, OPERATI SUNT IUSTITIAM: in Deum & proximos iuſti ADEPTI SUNT PROMISSIONES: hoc non de omnibus, neque de omnibus

pro-

Digitized by Google

promiſſionibus, quia paulo ante dixit, nondum acceptis repromiſſionibus; ideo de Abraham intelligere potes qui de Sara ſterili ſemen habuit; & de David, qui in ſolio ſuo ſedentem filium vidit. OBTURAVERUNT ORA LEONUM, ut Sampſon & Daniel. EXTINXERUNT IMPETUM IGNIS, ſicut tres pueri ſocii Danielis, iuſſu Nabuchodonoſor in fornacem miſſi, EFFUGAVERUNT ACIEM GLADII, id eſt hoſtium fortitudinem a ſe repulerunt. Græci tamen ſecus legunt, ſcilicet ἔφυγον, id eſt *effugerunt*, quod ſcilicet perſequentes ſe hoſtes effugerunt: ſicut Helias Ieſabel furorem, & Saulis David fide effugerunt & devitarunt. CONVALUERUNT DE INFIRMITATE, ſive de infirmitate captivitatis Babylonicæ, quando permittente Cyro Ieroſolyma reverſi ſunt; ſive de ægrotatione, ut de Iob & Ezechia legimus & de David. FORTES FACTI SUNT IN BELLO, ut de Ioſue & alii Iudices, David & Machabæi. CASTRA VERTERUNT EXTERORUM. Græce παρεμβολὰς ἔκλιναν τῶν ἀλλοτρίων; hoc longe elegantius vertit interpres, quam qui vertit, incurſiones averterunt exterorum: eſt enim παρεμβολὴ tentoriorum ordo conſertus, ordinatione caſtrenſi conſtans. Senſus eſt ergo: *Caſtra exteriorum*, id eſt alienigenarum gentium inclinaverunt, & omnium caſtrorum ordinem perturbarunt, in illa per fidem invadentes. ACCEPERUNT MULIERES DE RESURRECTIONE MORTUOS SUOS; id eſt, nonnullæ mulieres fide reſurrectionem poſſibilem credentes, ob illam acceperunt *mortuos ſuos*, id eſt filios ſuos, quos illis ſuſcitarunt prophetæ, ſicut Helias Sareptanæ viduæ; & Sunamitidis filium Heliſæus ſuſcitavit. ALII DISTENTI SUNT. Græc. ἐτυμπανίσθησαν; id eſt, velut tympani corium cruciatibus diſtenti vel verberati ſunt, prout ſolet tympanum, ac fuſtibus contuſi ſunt: id enim ſignificat etiam τυμπανίζεσθαι, & ſic Græci exponunt. Ieremias enim inſtar tympani diſtentus eſt. Sic autem affecti & afflicti, NON SUSCIPIENTES REDEMPTIONEM, id eſt a præſentibus ſuppliciis liberationem, UT MELIOREM ac potiorem INVENIRENT RESURRECTIONEM, ad tanto maiora præmia reſuſcitati, quanto graviora paſſi ſunt ſupplicia.

V. 37. & 38. CIRCUIERUNT IN MELOTIS, &c. μηλωτὴ, Græc. dicitur ovilla pellis una cum lana, ſive ovillum exuvium, ἀπὸ τοῦ μήλου, quod ovem ſignificat. Egeſtatem autem veterum patrum indicat, quorum bona pars caprarum & ovium tantum pellibus veſtirentur. Quod autem ait, *circuierunt*, indicat eos certam ac quietam manſionem non habuiſſe, ſed huc illuc pervagatos perſequentibus adverſariis: unde ſubdit, EGENTES, AFFLICTI, QUIBUS tamen ut interim nihili fierent mundo, DIGNUS NON ERAT MUNDUS, id eſt qui mundo mundaniſque & omnibus quæ in mundo ſunt, longe ſuperiores erant, interim IN MONTIBUS ET SPELUNCIS latitantes, ut Helias, aliique prophetæ: atque ita tantis viris indignus erat mundus.

V. 39. & 40. ET HI OMNES. Enumeratis illorum fide, & pro ea afflictionibus toleratis, conſolatur Hebræos, ſi non tam cito liberentur a ſuis afflictionibus, aut tam cito quam velint, præmientur, quia HI OMNES FIDEI TESTIMONIO PROBATI NON ACCEPERUNT REPROMISSIONEM, perfectionem ſcilicet quæ eſt animæ & corporis beatificatio, de qua Eſaias ait: *in terra ſua duplicia poſſidebunt*, ſcilicet in terra viventium & corporis & animæ gloriam. Hanc repromiſſionem nondum acceperunt, Deo aliquid melius pro nobis providente, ac melius nobis proſpiciente, ut non ſine nobis conſummentur, id eſt ne ſine nobis perfectionem glorificationis corporis & animæ accipiant: ſimul enim reſurgentibus electis omnibus erit conſummata glorificatio.

S A.

Verſ. 1. SPERANDARUM, id eſt quæ ſperantur. SUBSTANTIA, id eſt ſuſtentaculum, ſeu baſis. Syr. *certitudo*. ARGUMENTUM, id eſt declaratio. Syr. *revelatio*; quaſi dicat, Fides eſt quiddam quo ſpes nititur, & Dei occulta ex parte cognoſcuntur.

V. 2. IN HAC ENIM; pro, per hanc autem. TESTIMONIUM, ſcilicet quod Deo placerent, vel quod Dei ſervi. SENES, id eſt antiqui patres.

V. 3. APTATA, id eſt conſtructa. Syr. *ordinata*. SAECULA: tempora, ſeu mundi res. UT; pro, ſic ut. INVISIBILIBUS. Gr. *non apparentibus*

V. 4. PLURIMAM, id eſt gratiorem. Syr. *præſtantiorem*. PER QUAM, ſcilicet fidem, ſeu hoſtiam fide oblatam. TESTIMO-

STONIUM, ſcilicet igni cælitus in ſacrificium delapſo, ut quidam aiunt. LOQUITUR, ſcilicet hominum ore celebratur, ſeu, prædicat illo ſuo exemplo.

V. 5. FIDE, id eſt fidei merito. TESTAMENTUM HABUIT, id eſt comprobatus eſt.

V. 7. RESPONSO, &c. id eſt oraculo divino admonitus. METUENS, ſcilicet Deum, vel diluvium. QUAM, ſcilicet fidem, vel arcam. DAMNAVIT, id eſt dignum damnatione oſtendit. MUNDUM, ſcilicet qui videns arcam tanto tempore tamque diligenter extrui, non credidit. HERES, &c. id eſt poſſeſſor eſt factus.

V. 8. QUI VOCATUR. Græc. *vocatus*, ſcilicet a Deo.

V. 9. REPROMISSIONIS, id eſt promiſſa. CASULIS, id eſt tabernaculis.

V. 10. FUNDAMENTA, &c. id eſt bene fundatam.

V. 11. VIRTUTEM, &c. quaſi dicat, Vim ad concipiendum. FIDELEM, id eſt veracem.

V. 12. UNO, ſcilicet Abraham. EMORTUO, ſcilicet quantum ad vim generandi.

V. 13. IUXTA FIDEM, iſt eſt cum fide. REPROMISSIONIBUS, id eſt promiſſa terra, vel cælo, per illam ſignificato ſeu figurato.

V. 15. MEMINISSENT; quaſi dicat, Si eum id dicerent, illam intellexiſſent de qua, &c.

V. 16. CONFUNDITUR, id eſt erubeſcit. CIVITATEM, ſcilicet cæleſtem.

V. 18. IN ISAAC, &c. id eſt per Iſaac habebis poſteritatem, quam tibi promiſi.

V. 19. ARBITRANS, id eſt perſuaſus. PARABOLAM, id eſt ſimilitudinem, ſcilicet Chriſti immolandi, & reſurrecturi. ACCEPIT, ſcilicet ſalvum reduxit.

V. 20. DE FUTURIS, ſcilicet prædicens.

V. 22. MEMORATUS EST, id eſt meminit.

V. 25. TEMPORALIS. Græc. *temporalem*, id eſt brevem. PECCATI, ſcilicet ſi ſuos deſeruiſſet, aut Regi obtemperaſſet contra Deum præcipienti.

V. 26. CHRISTI, id eſt ad Chriſti imitationem.

V. 27. ANIMOSITATEM, id eſt iram. INVISIBILEM, ſcilicet Deum. SUSTINUIT, id eſt fortiter expectavit, ſcilicet ſibi adiutorem fore ſperans.

V. 28. QUI, ſcilicet Angelus. PRIMITIVA, id eſt primogenita.

V. 29. EXPERTI; id eſt tranſeuntes, ſeu tranſire tentantes.

V. 33. REPROMISSIONES, id eſt a Deo promiſſa. OBTURAVERUNT, ſcilicet Daniel.

V. 34. EXTINXERUNT, ſcilicet pueri in fornace. IMPETUM, id eſt vim. EFFUGERUNT, id eſt evaſerunt. ACIEM GLADII, ſcilicet hoſtes in prælio. CONVALUERUNT, ut Ezechias.

V. 35. MULIERES: ut Sunamitis & Sareptana. DE RESURRECTIONE, id eſt reſuſcitatos. DISTENTI, ſcilicet in tormentis, ut illi de quibus II. Mach. VII. REDEMPTIONEM, id eſt liberationem a cruciatibus, quam impii promittebant, ſi ſibi obtemperarent.

V. 37. LAPIDATI, ut Ieremias. SECTI, ut Iſaias, ſerra lignea a Manaſſe. MELOTIS, id eſt ovinis pellibus.

V. 39. REPROMISSIONEM, id eſt promiſſam beatitudinem, ſcilicet quantum ad corpus.

V. 40. CONSUMMARENTUR, ſcilicet tum perfecte erit homo beatus, cum corpus recipiet, tunc enim perfectus homo. Cedit autem id ad noſtrum honorem, quod illi nos expectent, & tamdiu expectaverint, qui tanto ante laboraverunt.

MARIANAE.

Verſ. 1. EST AUTEM FIDES. Locutus antea de fide, eam hic definit. SPERANDARUM, non *ſperantium*, quamvis & vox ἐλπιζομένων, id eſt, & Auguſtinus ſæpe ita legat; nam ea interpretatio ſenſum confundit. SUBSTANTIA, hypoſtaſis, id eſt fundamentum ſpei. Quare ſpero; quia credo. ARGUMENTUM; ἔλεγχος, *convictio*, ut Auguſtinus legit XIII. de Trin. cap. 1. Chryſoſtomus hic, Quia nos facit aſſentiri iis, quæ non videmus? fides nos convincit.

V. 2. IN HAC ENIM, id eſt per hanc. TESTIMONIUM, id eſt approbationem. CONSECUTI SUNT SENES, id eſt antiqui Patres, quia crediderunt, probati ſunt. Fide credimus

V. 3. APTATA ESSE SAECULA, id eſt mun-

mundum creatum. UT EX INVISIBILIBUS, id eſt materia informi, quæ erat inviſibilis, quia *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, viſibilia fierent.

V. 4. FIDE PLURIMAM HOSTIAM, πλείονα, id eſt *præſtantiorem* quam Cain obtulit Abel. TESTIMONIUM, approbationem conſecutus eſt. TESTIMONIUM PERHIBENTE. Aliquo ſigno Deus declaravit Abel munera ſibi placuiſſe. DEFUNCTUS ADHUC, ſive *etiam defunctus*, LOQUITUR, iuxta illud Geneſ. IV. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat*.

V. 5. PLACUISSE DEO Enoch. Gen. V. de eo dicitur, *Ambulavitque eum Deo*. Placuit autem fide.

V. 6. SINE FIDE nemo Deo placet, ergo per fidem Enoch placuit. Sed qualis debet eſſe fides? Ut credamus Deum eſſe, & iuſtos præmiare.

V. 7. FIDE NOE, RESPONSO, oraculo, præcepto, accepto aptavit arcam. DAMNAVIT MUNDUM: quia viſa arca, & quæ illis Noe dicebat, non crediderunt. ET IUSTITIAE, QUAE PER FIDEM EST, HERES, id eſt profeſſor fuit iuſtitiæ. Geneſ. VI. *Noe vir iuſtus*.

V. 8. FIDE QUI VOCATUR ABRAHAM, nunc ſcilicet, nam antea *Abram* vocabatur. NESCIENS QUO IRET. Sciebat quidem ſe ire in terram Chanaan, Geneſ. XI. 31. ſed in quam eius partem, id neſciebat.

V. 9. TAMQUAM IN ALIENA, moratus eſt in Terra promiſſa, cum terra illa eſſet illi a Deo data. IN CASULIS, id eſt tuguriis habitans cum Iſaac & Iacob, quibus terra illa promiſſa erat.

V. 10. EXPECTABAT ENIM FUNDAMENTA HABENTEM CIVITATEM, id eſt ſtabilem, perpetuam: cæli erat civis, ideo præſentia contemnebat.

V. 11. FIDE ET IPSA SARA concepit: prius riſit, poſtea credidit.

V. 12. ET HOC EMORTUO, ſcilicet Abraham. Græc. *&* *hæc*, καὶ ταῦτα: ſic Gotth. etiamſi emortuus Abraham eſſet, propter ætatem ineptus. Noſter legit ἀπὸ ταῦτα, ſed non refert, eadem ſententia eſt.

V. 13. IUXTA FIDEM; pro, in fide defuncti ſunt omnes, non acceperunt promiſſa ipſis.

V. 14. QUI ENIM HAEC DICUNT. Fuit Patribus familiaris ea vox, ſe peregrinos eſſe, qua indicabant ſe patriam quærere, non eam unde exierant; (nam ſi eius meminiſſent, & de ea loquerentur, poterant ad illam reverti;) ſuſpirabant cælum. Sic Deus vocatur eorum Deus, quaſi ſcilicet ſuorum civium.

V. 17. QUI SUSCEPERAT. Sic Græc. *Qui*, ſcilicet Abraham ſuſceperat ex promiſſione Iſaac, quem offerebat. Multi codices legunt, *in quo*, ſcilicet Iſaac. Syr. *quem ſuſceperat ex promiſſione*, ſcilicet Iſaac. Illum tamen ex fide obtulit.

V. 18. AD QUEM, ſcilicet Abraham: dictum eſt. VOCABITUR TIBI SEMEN, id eſt per eum habebis poſteros.

V. 19. ET IN PARABOLAM ACCEPIT, id eſt myſterium latere putabat Chriſti occiſi.

V. 20. FIDE ET DE FUTURIS. Iſaac filios benedixit, & eis futura nuntiavit. Fide Iacob

V. 21. ADORAVIT FASTIGIUM VIRGAE EIUS, ſcilicet Ioſephi: ſic Sept. Geneſ. XLVII. 31. ubi Hebr. *adoravit converſus ad lectuli caput*, quo loco explicuimus huius diſcriminis veram cauſam. Inde petatur.

V. 23. FIDE, ſcilicet parentum, contra edictum Pharaonis conſervatus eſt Moyſes. Fide is etiam negavit filiam Pharaonis, affligi volens,

V. 25. QUAM TEMPORALIS PECCATI, ſi fidem negaſſet, HABERE IUCUNDITATEM, id eſt ad breve tempus lætari. Græc. *temporalem peccati habere iucunditatem*, ſeu *fruitionem*.

V. 26. THESAURO AEGYPTIORUM præferens. Græc. *theſauris*: ſic Gotth. IMPROPERIUM CHRISTI, id eſt illi ſimile, quod Chriſtus eſt paſſus. Reliquit AEgyptum non metuens

V. 27. ANIMOSITATEM, id eſt iracundiam Regis. INVISIBILEM, ſcilicet Deum, SUSTINUIT, expectavit, ſperavit in Deo, ac ſi eum videret: *Suſtinere*, *ſuſtentare*, Latine *expectare* ſignificat.

V. 30. FIDE Ioſue, ſcilicet aut Iudæorum qui cum eo erant, MURI IERICHO CORRUERUNT.

V. 31. FIDE RAHAB MERETRIX NON PERIIT. An fuerit meretrix, Ioſue II. 2.

diſputatum eſt. CUM INCREDULIS, non periit. Syr. *inobedientibus*. Vox ἀπειθήσας utrumque ſignificat.

V. 34. EFFUGERUNT. Sic lege, non *effugerunt*, aciem gladii. CONVALUERUNT DE INFIRMITATE, id eſt ex imbecillis fortes facti ſunt. CASTRA VERTERUNT, ſeu *everterunt*, ut Syr. Goth. *ceperunt*.

V. 35. ACCEPERUNT MULIERES. Sareptana ab Elia, Sunamitis ab Eliſæo, acceperunt mortuos ſuos. DISTENTI SUNT, id eſt cruciati. NON SUSCIPIENTES REDEMPTIONEM, id eſt non volentes a tormentis liberari.

V. 37. TENTATI SUNT, morbis, afflictione, moleſtiis variis, ut Iob, Tobias. CIRCUIERUNT, quaſi exſortes, peregrini, ſine lare. IN MELOTIS. Veſtis ovina cum lana, vilis; quam monachi geſtabant, ut Caſſianus ait Lib. I. cap. VIII. tametſi caprinam pellem ſignificare ipſe vult.

V. 39. TESTIMONIO FIDEI, id eſt per fidem, eiuſque conſtantiam probati ſunt. NON ACCEPERUNT REPROMISSIONEM, ſcilicet gloriam.

V. 40. UT NON. Goth. *ne*. SINE NOBIS CONSUMMARENTUR, id eſt præmia gloriæ acciperent prius quam nos.

MENOCHII.

Verſ. 1. FIDES EST SPERANDARUM SUBSTANTIA RERUM. In Græco eſt, ὑπόστασις, quæ vox ſubſtantiam & ſubſiſtentiam ſignificat. Eſt ergo ſenſus. Fides eſt quaſi ſubſtantia, ſubſiſtentia, baſis, & fundamentum ſpem noſtram ſuſtentans; niſi enim ſit fides, nulla plane erit ſpes. Vel ſenſus eſt: fides eſt ſubſiſtentia, ſive exiſtentia rerum ſperandarum; quaſi dicat: Fides facit ut bona futura, quæ nondum exiſtunt certa habeamus, certoque futura credamus, & ſperemus, perinde ac iam exiſterent præſentia, & oculis cerneremus. Fides enim illa ipſa quaſi præſentia, & certiſſima oculis mentis ſubiicit, ſicque per ſuam certitudinem quamdam ſubſiſtentiam dat rebus creatis, & futuris in intellectu, & mente fidelium. SPERANDARUM. In Græco eſt, ἐλπιζομένων, id eſt *earum rerum quæ ſperantur*. ARGUMENTUM NON APPARENTIUM: ἔλεγχος, *convictio*, *redargutio*. Syrus, *revelatio*; quaſi dicat: Fides eſt demonſtratio, & manifeſtatio rerum quæ non ſunt conſpicuæ; facit enim fides, ut ea propemodum cernamus, ac ſi præſentia eſſent.

V. 2. IN HAC TESTIMONIUM CONSECUTI SUNT SENES: per hanc Deo probati ſunt veteres Patres, & teſtimonium habuerunt quod Deo placerent, Deo videlicet propter eorum fidem, magna ac mirabilia efficiente.

V. 3. FIDE INTELLIGIMUS APTATA ESSE SAECULA. Fide credimus *ſæcula eſſe aptata*, id eſt mundum partibus inter ſe coaptatis factum eſſe, atque conſtructum, tempora, & temporaria omnia, id eſt mundum & omnia quæ ſunt in mundo. UT EX INVISIBILIBUS VISIBILIA FIERENT; id eſt, ex non entibus, & non exiſtentibus fierent entia, & exiſtentia. Vel, pro *inviſibilibus* intelligit ideas, ſive formas omnium rerum, quæ ſunt in mente divina.

V. 4. FIDE PLURIMAM HOSTIAM ABEL, QUAM CAIN OBTULIT DEO. Pro *plurimam*, in Græco eſt, πλείονα, verbum e verbo dicendum erat *plurem*, quod quoniam Latine dici non poterat, dixit *plurimam*, id eſt pretioſiorem, & maiorem. Senſus autem eſt: Fides, quæ longe maior, & ardentior erat in Abel, quam in Cain, excitavit Abelem, ut maiores, & præſtantiores hoſtias Deo offerret, quam Cain; nam Cain obtulit tantum fructus terræ; Abel vero obtulit primogenita gregis ſui, & adipes eorum: Gen. IV. 4. PER QUAM TESTIMONIUM, &c. Senſus eſt: Abel per fidem ex qua meliorem obtulit hoſtiam Deo, meruit teſtimonium quod eſſet iuſtus. TESTIMONIUM PERHIBENTE MUNERIBUS EIUS DEO: nam ut habetur Gen. IV. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, &c. miſſo ſcilicet igne de cælo, quo oblata abſumpſit, quod cum oblatis a Cain factum non eſt. ET PER ILLAM DEFUNCTUS ADHUC LOQUITUR; ac ſi dicat: Interemit quidem Cain Abelem, ſed non cum eo gloriam eius, & memoriam extinxit: nam vivit, & vivet, & in omnium ore perpetuo verſabitur.

V. 5. FIDE ENOCH TRANSLATUS EST: translatus eſt ob inſignem eius fidem, vitæ innocentiam, & ſanctitatem: eſt autem translatus in paradiſum, ut ſimul cum Elia redeat tempore Antichriſti. Vide Apoeal.

Digitized by Google

cal. II. 2.& 12. Ne videret mortem: ita ut mortem adhuc non viderit, id eſt expertus, & paſſus non ſit. Et non inveniebatur: & non apparebat inter mortales. Testimonium habuit placuisse Deo: quia de illo dicitur Geneſ. v. 24. *Ambulavit cum Deo*, id eſt Deo per omnia conſenſit, illi apparuit, illique cohæſit, & illum ſecutus eſt.

V. 6 Sine fide autem impossibile est placere Deo. Probat Enoch translatum eſſe per fidem, vel propter fidem, hac ratione: Enoch translatus eſt, quia placuit Deo; atqui non potuit placere Deo niſi per fidem, ergo per fidem translatus eſt. Credere enim oportet accedentem ad Deum, &c. id eſt, ut quis ad Deum accedat ut oportet, eumque rite colat, atque ita ei placeat, oportet credere, &c. Quia est: quod Deus eſt, quod Deus exiſtit. Et inquirentibus se remunerator sit. Debet præterea credere Deum remuneratorem eſſe, eo quod ſuis cultoribus retribuat bona promiſſa vitæ æternæ.

V. 7. Responso accepto, id eſt divina revelatione admonitus. De iis quae adhuc non videbantur; ſcilicet de futuro orbis diluvio. Metuens, id eſt reveritus Deum: ipſius Dei timore, ac reverentia correptus, fecit quod ſequitur. Aptavit arcam: arcam conſtruxit, coagmentavit. In salutem domus suae: ut ab aquarum eluvione familiam ſuam ſervaret. Per quam damnavit mundum. Hac fide ſua damnavit ceterorum hominum incredulitatem, qui non credebant fore diluvium, & Noe arcam fabricantem irridebant. Et iustitiae, quae per fidem est, &c. id eſt, conſecutus eſt iuſtitiam, quæ eſt per fidem; actu enim fidei huius, eius iuſtitia, & ſanctitas aucta eſt.

V. 8. Qui vocatur Abraham. Vel ſenſus eſt, Abraham ille apud nos inclytus: vel, ut vertit Syrus: *per fidem Abraham, cum vocatus eſt, dicto audiens fuit.* Uterque ſenſus convenit participio Græco *καλούμενος*, *vocatus*. In locum: in terram Chanaan. Quem accepturus erat: non quidem ipſemet, ſed poſteri eius. In hereditatem, id eſt in poſſeſſionem perpetuam. Nesciens quo iret: vel ſimpliciter neſcivit ſibi eundum in terram Chanaan; vel in qua parte illius ſibi eſſet conſiſtendum, quod eſt probabilius.

V. 9. Demoratus est: *παρῴκησε*, habitavit tamquam peregrinus, non tamquam ibi habens ſtabile domicilium. In casulis habitando: in tabernaculis, & tentoriis. Coheredibus repromissionis eiusdem: quibus eadem terra erat promiſſa.

V. 10. Expectabat enim, &c. quaſi dicat, Exiſtimabat ſe non terræ civem eſſe, ne illius quidem, quæ ſibi, & poſteris ſuis promiſſa erat, ſed cæli; ideoque ſatis putabat habitare in tabernaculis, & domo ſtabili ſibi opus eſſe non putabat. Fundamenta habentem civitatem: cæleſtem patriam intelligit, & ſic eam appellat, ut eam tabernaculis opponat, quæ fundamenta non habent.

V. 11. Sara sterilis. Syrus, *quæ ſterilis erat*. Græcus: *cum eſſet ſterilis*. Virtutem in conceptionem seminis: virtutem ad ſemen recipiendum, retinendum, & formandum, ſemen prolificum. In Græco eſt, *καταβολὴν σπέρματος*, ad verbum *ad deiectionem ſeminis*, id eſt ad iacienda fundamenta, ſive exordium ſeminis, id eſt poſteritatis ſuæ. Etiam praeter tempus aetatis: ea enim ætate concepit, qua nec fœcundæ concipere potuiſſent: agebat enim Sara annum nonageſimum. Vide Geneſ. xvii. 17. Fidelem: veracem, & promiſſa præſtantem.

V. 12. Ab uno: Abrahamo. Et hoc emortuo: emortuum vocat Abraham, quod propter ſenectutem filios generare non poſſet. Orti sunt: Iſraelitæ innumerabiles, ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arena quæ eſt in littore maris.

*V*13. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti. Iuxta fidem, in Græco eſt, *κατὰ πίστιν*, *ſecundum fidem*. Syrus habet, *in fide*. Sicut in fide vixerunt, ita & in fide mortui ſunt, bona enim a Deo promiſſa non viderunt dum viverent, ſed poſt mortem illa ſe accepturos crediderunt. Non acceptis repromissionibus: tum de terra Chanaan poſſidenda, quam Hebræi poſtea ſub Ioſue occuparunt; tum potius de cæleſti regno ineundo, quod non ſunt adepti niſi poſt mortem Chriſti. Sed a longe eas aspicientes, et salutantes: eſt metaphora ſumpta a navigantibus: ſic apud Virgilium:

> *Italiam, Italiam primus conclamat*
> *Achates.*

Ita hi Patres cum per fidem obſcure vide-

Digitized by Google

rent, id eſt crederent patriam cæleſtem, eam crebro cum deſiderio appellabant, & ſalutabant. CONFITENTES QUIA PEREGRINI, ET HOSPITES SUNT, &c. Ita Iacob Geneſ. XLVII. *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt*.

V. 14. SIGNIFICANT SE PATRIAM INQUIRERE: nemo enim in patria ſua peregrinus, aut hoſpes eſt.

V. 15. SI IPSIUS MEMINISSENT DE QUA EXIERANT: ſi memores fuiſſent patriæ ſuæ, & ad illa reverti optaſſent. HABEBANT TEMPUS REVERTENDI: poterat enim Abraham non multi temporis ſpatio in Ur Chaldæorum reverti, unde primum fuerat egreſſus.

V. 16. NUNC AUTEM MELIOREM APPETUNT. *Nunc* more Scripturæ, & Hebræorum non iam tempus hoc in loco ſignificat, quam illationis nota eſt, ac ſi diceret: Ex quo intelligitur eos non terrenam patriam quærere, cum hoc dicunt, ſed cæleſtem. IDEO NON CONFUNDITUR DEUS VOCARI DEUS EORUM: ob huiuſmodi eorum virtutem, & quia animum in cælo defixum habent, ubi Deus ſuam gloriam manifeſtat, tanti eos facit Deus, ut non erubeſcat peculiariter vocari eorum Deus. PARAVIT ENIM ILLIS CIVITATEM; quam expectant, & ad quam anhelant.

V. 17. FIDE OBTULIT ABRAHAM ISAAC: id eſt, tanta fuit Abrahæ fides, ut ea ſuadente, & impellente non dubitaverit Iſaac filium ſuum Deo victimam immolare. Fide autem obtulit, ſive offerre paratus fuit, credens Deum mortuum filium ſuſcitaturum, ut quod promiſerat de innumera prole ex eo naſcitura adimpleretur, ut habetur verſ. 19. CUM TENTARETUR: cum Deus tentavit obedientiam, & pietatem Abrahæ, dicens Geneſ. XXII. 2. *Tolle filium tuum unigenitum*, &c. QUI SUSCEPERAT REPROMISSIONES; id eſt, cui promiſſiones a Deo factæ fuerant, complendæ in ipſo filio, quem iuſſus erat immolare.

V. 8. AD QUEM: Abraham. QUIA. Hæc particula more Hebræorum, & Græcorum poſita apud Latinos redundat. IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN, id eſt ex Iſaac, non autem ex Iſmael excitabitur tibi poſteritas tua, & ſit heres mearum promiſſionum, quas tibi & ſemini tuo pollicitus ſum.

V. 19. ARBITRANS: λογισάμενος, *cum apud ſe reputaſſet*, & cogitaſſet. UNDE EUM ET IN PARABOLAM ACCEPIT, id eſt in typum, mortis ſcilicet, & reſurrectionis Chriſti. Vel Iſaac eſſet parabola, proverbium, & exemplum memorabile, quod omnes gentes omnibus ſæculis celebrarent, & cum quis eſſet eximie obediens conferretur, & compararetur eius obſequium promptæ ad obedientiam voluntati Abrahami, & Iſaaci.

V. 20. FIDE ET DE FUTURIS BENEDIXIT ISAAC, &c. Tranſit Apoſtolus ad Iſaac, eumque benedixiſſe dicit duobus filiis ſuis Iacob, & Eſau. Has benedictiones habemus Gen. XXVII. commendatur fides Iſaac, quod filiis benedixerit *de futuris*, id eſt quod bona illis promiſerit, quæ non videbat; ſed quia a Deo illa futura acceperat, & ei credebat, ita eis promiſit, ac ſi præſentia oculis cerneret.

V. 21. FIDE IACOB MORIENS, &c ſimili fide Iacob morti proximus benedixit Ephraim, & Manaſſe filiis Ioſeph, utrique magna bona promittens, quorum nihil adhuc apparebat, ſed fide credebat illa eventura. ET ADORAVIT: Iacob. FASTIGIUM VIRGAE EIUS. Gen. cap. XLVII. 31. unde hæc hiſtoria deſumpta eſt, dicitur, *adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput*. Sed D. Paulus citavit verba verſionis LXX. virorum. Utraque interpretatio vocibus Hebraicis convenit, pro varietate ſubiectorum punctorum, & utrumque Iacob præſtitit, adoravit, id eſt reverentiam exhibuit ſceptro, & poteſtati Ioſeph; & Deum etiam adoravit in ſceptro, gratias agendo quod eam mentem dediſſet Ioſeph, ut in Chananæam cadaver transferret, & patribus ſuis apponeret, iuxta id quod poſtulaverat.

V. 22. DE PROFECTIONE FILIORUM ISRAEL MEMORATUS EST, &c. Profectionis filiorum Iſrael ex AEgypto non ita recordatus eſt, ut fabularum recordamur, quæ nihil nos movent: ſed recordatus eſt illam a Deo fuiſſe promiſſam, & ſimul credidit futuram.

V. 23. FIDE MOYSES NATUS OCCULTATUS EST MENSIBUS TRIBUS, &c. nota eſt hiſtoria ex cap. II. Exod. Ioſephus Lib. II. antiq. cap. 5. ſcribit Patri Moſis per quietem ſignificatum, & promiſſum naſciturum ex eo infantem, qui populum liberaret,

Digitized by Google

rarct, in quam etiam ſpem venerunt ex infantis elegantia. Hac ſpe, & fide oraculo adhibita illum menſes tres apud ſe occultum habuerunt.

V. 24. FIDE MOYSES GRANDIS FACTUS, &c. Fides effecit ut Moyſes vir factus adoptionem filiæ Pharaonis, ac regiam cognationem contemneret, malletque palam vocari Hebræus, & hominis Hebræi filius, quam filius Reginæ, aut filiæ Regis.

V. 25. QUAM TEMPORALIS PECCATI HABERE IUCUNDITATEM: quam peccare negligendo liberationem populi ad quam ſciebat ſe a Deo deſtinatum. Poteſt etiam per temporalis peccati iucunditatem intelligi vita in deliciis quæ ſine peccato eſſe non ſolet. In Græco habemus πρόσκαιρον ἀπόλαυσιν, id eſt *temporalem*, ſeu *modici temporis fruitionem*.

V. 26. IMPROPERIUM CHRISTI. Videtur Moyſes ſpiritu prophetico prævidiſſe Chriſti paſſionem, & opprobria, & ut ei ſimilis fieret, maluiſſe opprobriis affici, quam hominibus, & divitiis abundare in aula Pharaonis. ASPICIEBAT ENIM IN REMUNERATOREM; id eſt, credebat Deum cæleſtia bona pro laboribus illis ſibi eſſe redditurum, & hac fide ad magnas res gerendas excitatus eſt, & ad dura toleranda.

V. 27. FIDE RELIQUIT AEGYPTUM. Eluxit in hoc fides Moſis, quod auſus eſt populum educere ex AEgypto, quam cum tota gente Hebr. reliquit, credens divinis promiſſis. NON VERITUS ANIMOSITATEM REGIS: θυμὸν, *iram*, ſcilicet Pharaonis. INVISIBILEM ENIM TAMQUAM VISIBILEM SUSTINUIT; id eſt, iram hominis viſibilis contempſit; quia fide Deum inviſibilem, tamquam videret *ſuſtinuit*, hoc eſt, expectavit, ſcil. adiutorem, & remuneratorem.

V. 28. FIDE CELEBRAVIT PASCHA, &c. Fide occidit agnum profecturus ex AEgypto, & ſanguinem fudit, quo poſtes Hebræorum inungerentur, ne Angelus, qui occidebat AEgyptiorum primogenitos, ipſos quoque Hebræos perderet. Niſi enim crederet Deum facturum quod ſibi promiſerat, nec Paſcha celebraret, nec poſtes ſanguine liniret, &c. Hiſtoria eſt Exod. XII. VASTABAT PRIMITIVA: primogenitos occidebat.

V. 29. FIDE TRANSIERUNT MARE RUBRUM, &c. Crediderunt Moyſes, & populus promiſſis Dei, & diviſa aqua intrepide ingreſſi ſunt mare rubrum, nec timuerunt ne ſibi contingeret quod paulo poſt contigit AEgyptiis: lege c. XIV Exodi. DEVORATI SUNT: aquis maris abſorpti.

V. 30. FIDE MURI IERICHO CORRUERUNT. Crediderunt Ioſue, & populus ſi ſeptem diebus cum arca, & tubis ſacerdotalibus cingerent Iericho, muros eius firmiſſimos ruituros, & urbem eſſe capiendam, atque ita ut crediderunt factum eſt, Ioſue VI.

V. 31. FIDE RAHAB MERETRIX, &c. fide, qua ſcil. Rahab credidit Ierichuntem, & reliquas urbes Chanaan a Deo, ut promiſerat, tradendas eſſe Hebræis. CUM PACE: illos non prodendo, & hoſpitaliter tractando.

V. 32. ET QUID ADHUC DICAM? quid neceſſe eſt plura commemorare? DE GEDEON: Gedeon enim fide qua credidit Deo, ſibi, & ſuis promittenti victoriam de Madianitis eamdem obtinuit, Iudic. VII. BARACH: Barach fide qua credidit Deboræ nomine Dei mandanti, ut pugnaret contra Siſaram, eumdem inſtar fluminis profligavit: Iud. IV. SAMSON, IEPHTE, &c. ſic Samſon, Iephte, David & alii fide, qua credebant Deo excitanti ad prælium contra Philiſtæos, Ammonitas, alioſque hoſtes populi Dei, eoſdem proſtraverunt. ET PROPHETIS, id eſt & ceteris prophetis, nam & David, & Samuel prophetæ fuerunt.

V. 33. VICERUNT REGNA: Chananæorum, Philiſtæorum, Ammonitarum &c. OPERATI SUNT IUSTITIAM. Senſus eſt: iuſtitiam tutati ſunt; fuerunt iuſti iudices, & ius ſuum cuique tribuerunt. Vel, iuſta, & ſancta opera exercuerunt. ADEPTI SUNT REPROMISSINNES: v. g. cum Ioſue, Caleb, aliique Hebræi ingreſſi ſunt, & poſſederunt terram Chanaan ſibi promiſſam. OBTURAVERUNT ORA LEONUM: ad Samſonem, & Davidem plerique referunt, quorum uterque leonem interfeciſſe legitur. Daniel etiam ſua præſentia, & ſanctitate clauſit ora leonum famelicorum, ut eum contingere non auderent.

V. 24. EXTINXERUNT IMPETUM IGNIS; ſcilicet tres ſocii Danielis, Sidrach, Miſac, & Abdenago in fornace Babylonica, Daniel. III. EFFUGERUNT ACIEM GLADII:

eva-

evaſerunt hoſtiles gladios. Sic Elias effugit gladium Iezabelis, David Saulis, &c. Idem ſenſus eorum qui legunt, *effugaverunt*, id eſt averterunt a ſe. CONVALUERUNT DE INFIRMITATE, id eſt a morbo ut Ezechias, & Tobias a cæcitate, & Iob a ſuis ulceribus. FORTES FACTI SUNT IN BELLO. Hoc pertinet ad reges, & Iudices populi, qualis Ioſue, David, Machabæi. CASTRA VERTERUNT EXTERORUM. In fugam hoſtes compulerunt, ſic Gedeon Iudic. VII. & Ionathas I. Reg. XIV. cum paucis ille Madianitas caſtris exuit, hic multis Philiſthæorum cæſis, cæde, ac tumultu caſtra eorum complevit.

V. 35. ACCEPERUNT MULIERES DE RESURRECTIONE MORTUOS SUOS. Sareptanam viduam, & Sunamitidem mulierem intelligit; quarum illa ab Elia, hæc ab Eliſæo filium ſuum mortuum recepit vivum III. Reg. XVII. & IV. Reg. IV. *De reſurrectione*, id eſt per reſurrectionem vitæ redditos. ALII AUTEM DISTENTI SUNT. In Græco eſt, ἐτυμπανίσθησαν, eſt, *fuſtibus contuſi*. Erat autem τύμπανον, tormenti genus, quo homines diſtendebantur, & plagis multis feriebantur inſtar tympanorum. Hoc manifeſte intelligitur ex II. Machab. cap. VI. ubi pro eo quod nos habemus, *voluntarie præibat ad ſupplicium*, in Græco eſt, ἐπὶ τὸ τύμπανον, *ad tympanum*. NON SUSCIPIENTES REDEMPTIONEM: nolentes ab iis ſuppliciis liberari, quæ facile vitare poſſent, ſi obedire vellent tyrannis. UT MELIOREM INVENIRENT RESURRECTIONEM: ut meliorem invenirent reſurrectionem, & vitam, quam illa eſſet, qua privabantur.

V. 36. LUDIBRIA: ludibrio, & deriſui ſunt habiti, Samſon effoſſis oculis a Philiſthaeis, & Eliſæus a pueris inclamantibus, *aſcende calve*, &c. VERBERA: ſic qui *diſtenti ſunt*, ut diximus verſiculo præcedenti. Sic Michæas alapa percuſſus III. Reg cap. ult. VINCULA ET CARCERES: ut Ioſeph, Ieremias, Michæas.

V. 37. LAPIDATI SUNT: ut Naboth. III. Reg. XXI. & Zacharias Ioiadæ filius II. Paral. XXIV. & alii. SECTI SUNT. De Iſaia pene omnes intelligunt, quem aiunt a Manaſſe rege ſerra lignea diſſectum fuiſſe. Machabæis manus, & pedes reſecti, & præciſi ſunt II. Machab. VII. TENTATI SUNT: gravibus, & diuturnis calamitatibus ut Iob. IN OCCISIONE GLADII MORTUI SUNT, id eſt cæde, gladio facta perierunt, ut ſacerdotes in Nobe, ſub Saul I. Reg. XXII. prophetæ Domini ſub Iezabel III. Reg. XIX. CIRCUIERUNT IN MELOTIS: μῆλον *ovem* ſignificat, μηλωτῇ, *ovinam pellem cum lana*. Huiuſmodi veſtibus pauperibus, & ruſticanorum hominum propriis induti incedebant ſancti, & prophetæ, ut Elias, qui vir piloſus dictus eſt non tam propter barbam, aut comam quam ob melotem hirſutam, & villoſam. EGENTES: ut Elias, quem paſcebat corvus III. Reg. XVII. ANGUSTIATI: θλιβόμενοι, multis doloribus, & ſolicitudinibus cruciati, ut Elias cum fugiebat Ieſabelem, David Saulem; Mathathias, & Machabæi perſecutionem Antiochi. AFFLICTI: κακο-χούμενοι, *male habiti*, male ab aliis tractati, ut idem Elias a Iezabele.

V. 38. QUIBUS DIGNUS NON ERAT MUNDUS: affligebantur, ut malefici ſolent, cum tamen tales, ac tanti eſſent, ut mundus eos habere non mereretur. IN SOLITUDINIBUS ERRANTES, &c. Sic David fugiens Saulem latebat in ſpeluncis. I. Reg. XXII. & Elias fugiens Iezabelem III. Reg. XIX.

V. 39. ET HI OMNES TESTIMONIO FIDEI PROBATI, &c. Hi omnes licet magnam fidem habuerint, & ſancti fuerint, nondum acceperunt repromiſſionem illam, ſcilicet quæ antonomaſtice repromiſſio, nimirum bonorum cæleſtium, & conſummatæ beatitudinis.

V. 40. DEO PRO NOBIS MELIUS ALIQUID PROVIDENTE: *melius*; id eſt, præſtantius aliquid nobis, quam priſcis Patribus providit Deus, hoc ipſo quo diſpoſuit, ut tempus beatitudinis, ac reſurrectionis non foret apud illos in veteri, ſed apud nos in novo teſtamento; voluit enim Deus ut cælum nemini pateret niſi Chriſtus ſatisfaceret pro peccatis noſtris, ex quo factum eſt ut cæli aditus, & beatitudo reſervaretur tempori Chriſti, & Chriſtianorum. UT SINE NOBIS NON CONSUMMARENTUR: quaſi dicat: Ante tempus novi teſtamenti, quod eſt noſtrum, nemini veterum ſanctorum contigit *conſummatio*, id eſt beatitudo, ſive animæ, ſive corporis; ſed omnis beatitudo tam animæ quam corporis, cuilibet eorum obvenit, atque ita

nos

nos cum illis conſummamur, id eſt beamur, & glorificamur.

T I R I N I.

Verſ. 1. FIDES EST SUBSTANTIA; Græce, ὑπόστασιν, quod etiam *ſubſiſtentiam* ſignificat, non ſolum paſſivam, ſed & activam, nempe quæ facit ſubſiſtere; quaſi dicat: Fides eſt id quod *res ſperanda*; græce, *res quæ ſperantur* & nondum exiſtunt, facit ſubſiſtere in intellectu, id eſt tam certas in animo hominis haberi ac ſi iam de facto exiſterent: ita S. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Oecumen. & Syrus. Eſt item ARGUMENTUM, ἔλεγχος, id eſt *convictio*, *demonſtratio*, ut legit S. Auguſt. *a* & Chryſoſt. quaſi dicat: Eſt lumen quo intellectus convincitur ad firmiter ea credenda quæ non videt, aut naturaliter non capit.

Hinc nota primo, fidem non eſſe fiduciam aut ſpem, ut volunt hæretici: ſpes enim ac fiducia ſunt in appetitu, ſeu voluntate. Argumentum vero, convictio & demonſtratio ſoli intellectui conveniunt.

Nota ſecundo, hanc Paulinam fidei deſcriptionem etſi quidam dicant non eſſe adæquatam (ſed aſſignari per duas ſolummodo præcipuas fidei proprietates, quarum una eſt, quod ſit baſis & fundamentum ſpei: altera quod intellectum faciat certiſſimo aſſentiri iis quæ non clare intelligit:) probabilius tamen cum *b* communiore ſententia dici prorſus adæquatam eſſe. Nam omnis fides ordinatur ad res ſperandas, etiam quæ verſatur circa infernum, quia hunc ſperamus nos evaſuros. Etiam quæ circa præterita, v. g. incarnationem & mortem Chriſti: quia ſpes his innititur. Alibi etiam explicui *c* qua ratione obſcuritati fidei non repugnet evidentia ſcientiæ vel ſenſationis naturalis circa quaſdam res exiſtentes, præſentes, & naturali lumine vel ſenſu apparentes, v. g. Deum eſſe, eſſe unicum, eſſe infinitum, &c. ut olim reſpectu Deiparæ, ſe virginem eſſe, ſe Chriſtum peperiſſe, &c. reſpectu eiuſdem & Thomæ *d*, Chriſtum redivivum eſſe, &c. Fides enim extendit ſe ad omnia quæ divinitus revelata ſunt, ſive appareant illa ſenſibus aut intellectui, ſive non appareant. Sed longe certior eſt notitia hauſta ex divina revelatione quantumvis obſcura, quam quæ hauritur ex clara ſcientia vel ſenſu naturali: unde facile concipi poteſt, rem quæ naturaliter ſcitur aut videtur, poſſe nihilominus etiam fide credi.

V. 2. IN HAC, id eſt per hanc fidem, SENES, ſeu antiqui patres noſtri, CONSECUTI SUNT TESTIMONIUM quod Deo placerent, per quos iam magna ac mirabilia patravit.

V. 3. FIDE cognoſcimus, SAECULA, id eſt mundum & omnia quæ in mundo ſunt, non eſſe ab æterno (ut quidam Philoſophi ſomniarunt) ſed in tempore creata & APTATA ESSE, κατηρτισμένα, id eſt *compaginata*, & omnibus partibus, quaſi magni corporis artubus & membris apte coagmentata, unico VERBO, iuſſu, nutu DEI: UT EX INVISIBILIBUS; græce, *ex non apparentibus*; Theophyl. ex non exiſtentibus, niſi (ut Molina & Ribera exponunt) in ideis divinis, ſeu in mente & arte Dei; FIERENT exiſtentia & VISIBILIA.

V. 4. FIDES quæ maior & ardentior erat in ABEL, quam in CAIN, excitavit eum ut *plurimum*, πλείονα, id eſt *copioſiorem*, meliorem, præſtantiorem, HOSTIAM DEO *offerret e*. ET PER, ſeu propter, ILLAM, etſi occiſus a Cain, ADHUC LOQUITUR, non ore, ſed re & exemplo apud homines celebri & famoſo. Neque enim cum vita potuit extingui glorioſa eius memoria, qua ſemper vivet, inquit S. Chryſoſt. cum ſuis.

V. 5. HENOCH quoque ob inſignem fidem ſuam, & conformem fidei morum innocentiam ac ſanctitatem, TRANSLATUS EST in paradiſum *f*.

V. 6. ACCEDENTEM AD DEUM; id eſt, ut quis Deum rite colere, eique placere incipiat, CREDERE præ omnibus OPORTET, quod ſit unus Deus, & quod cultoribus ſuis retribuat promiſſam mercedem vitæ æternæ. Non quod hæc duo crediſſe ſufficiat, (nam certum eſt credendam etiam SS. Trinitatem, Chriſtum mediatorem, & alia quæ Symbolo Apoſtolico continentur:) ſed hæc duo præ aliis enumerat Apoſtolus, eo quod ſint prima & faciliora fidei obiecta, maximeque neceſſaria ad ſpem excitandam, qua virtutum labores fortiter ſuſtineamus; quod hic maxime inculcat: ita Theodoretus.

V. 7. NOE RESPONSO *g*, id eſt revelatione divina admonitus de futuro orbis diluvio,

Digitized by Google

luvio, METUENS, id eſt reveritus Deum, APTAVIT eius iuſſu ARCAM: & hac ſua FIDE DAMNAVIT incredulitatis reliquum MUNDUM nolentem credere obventurum diluvium, cum tamen perpetuo ob oculos verſaretur arca tanto ſtudio, tanta conſtantia a Noe conſtructa. Sic regina Auſtri *b* dicitur condemnatura Iudæos facto & ſtudio ſuo. ET IUSTITIAE, id eſt ſanctitatis patrum ſuorum, QUAE PER FIDEM acquiritur & augetur, HERES remanſit, reliquis omnibus tum diluvio, tum peccato ſubmerſis. Theophyl. & Anſelmus.

V. 10. *Abraham* certus, ſe non eſſe terræ civem, nec illius quidem quæ ſibi & poſteris ſuis promiſſa fuerat, EXPECTABAT aliam FUNDAMENTA HABENTEM *i*, id eſt, bene & ſolide fundatam, firmiſſimam, immobilem, æternam, CIVITATEM, nempe patriam cæleſtem. Opponit hanc mundanis tabernaculis, quæ fundamenta non habent.

V. 12. AB UNO Abrahamo, ET HOC EMORTUO quoad vim generandi, ORTI SUNT innumerabiles poſteri.

V. 13. IUXTA FIDEM; Syrus, *in*, ſeu cum *fide*, ut vixerunt, ita & DEFUNCTI SUNT OMNES Patriarchæ, bonis a Deo promiſſis numquam fruiti, ſive agas de terra Chanaan, ſive de cælo, quod ipſis non patuit niſi poſt mortem Chriſti: CONFITENTES, teſte Iacobo *k*, quod PEREGRINI eſſent. Et eo ipſo

V. 14. *Significabant* SE PATRIAM cæleſtem INQUIRERE; non vero terreſtrem.

V. 15 DE QUA *exierant*: nam ut eo reverterentur, facile illis & obvium erat, poterantque breviſſimo itinere ac tempore, v. g. e Chanaanitide vel AEgypto, in Vr Chaldæorum recurrere.

V. 16. NUNC AUTEM conſtat MELIOREM, nobiliorem, firmiorem civitatem, illos *appetiſſe*, ID EST, CAELESTEM. Ob quam illorum fidem, NON *confunditur* DEUS vocari peculiariter *Deus* EORUM qui ſic animum in cælo defixum habebant, ubi Deus gloriam ſuam publice manifeſtat: nec fruſtrabitur eos ſua ſpe: nam CIVITATEM, ad quam anhelarunt, *præparavit* ILLIS iam pridem.

V. 19. Abraham ACCEPIT Iſaacum IN PARABOLAM, id eſt in typum, ſeu figuram Chriſti morituri & reſurrecturi: videbatur enim Iſaac reſurrexiſſe cum a gladio patris & certa morte ſubtractus ac liberatus fuit: ita Chryſoſt. Theodor. Anſelmus, Vatablus & Galenus. Item, ut Iſaac omnibus ſæculis eſſet proverbium & exemplum memorabilis obedientiæ, inquit Corn. a Lapide.

V. 21. De *faſtigio* VIRGAE ſeu ſceptri Ioſephi, vide quæ in Geneſi dixi *l*, ubi interpres vertit, *ad lectuli caput*.

V. 23. & 24. FIDE OCCULTATUS EST MOYSES Exodi II. 2. Patri enim, inquit Ioſephus *m*, per quietem ſignificatum exlitus fuerat, naſciturum ex eo infantem qui populum ex AEgypto liberaret: fidem oraculi confirmavit *infantuli elegantia*. Sed Moyſes ut adolevit, comperitque ſe liberando populo deſtinatum a Deo, FIDE impulſus eſt, ad excutiendam adoptionem FILIAE PHARAONIS,

V. 25. MAGIS ELIGENS Hebræus haberi, & CUM Hebræis AFFLIGI ab AEgyptiis, QUAM in aula regia HABERE IUCUNDITATEM TEMPORALIS PECCATI. Græce, *πρόσκαιρον ἀπόλαυσιν*, id eſt *temporalem*, ſeu modici temporis, *fruitionem*, nempe deliciarum præſentis vitæ, quæ ipſi fuiſſent *peccatum*: nam non poterat obtemperare Pharaoni contraria Deo iubenti, neque deſerere Hebræos, quibus educendis deſtinatum ſe norat a Deo.

V. 26. MAIORES AESTIMANS DIVITIAS IMPROPERIUM CHRISTI, id eſt ſimile improperio Chriſti. Moyſes enim ſpiritu prophetico & etiam maiorum traditione præſciebat, Chriſtum mundi redemptorem, multa opprobria paſſurum: ut ergo Chriſto ſimilior fieret, maluit probris affici cum Hebræis, quam honoribus, opibus, delitiis abundare in aula Pharaonis: ita Chryſoſt. cum ſuis & Ribera, & a Lapide.

V. 27. FIDE credens divinis promiſſis RELIQUIT cum omni populo ſuo AEGYPTUM, & per mare traduxit omnes in deſertum, NON VERITUS ANIMOSITATEM, *θυμὸν*, id eſt *iram* Pharaonis. Et vero quid timeat hominem viſibilem, infirmum ac mortalem, qui Deum omnipotentem, immortalem & INVISIBILEM SUSTINUIT? id eſt, adiutorem & remuneratorem conſtanti fide exſpectavit ſibi tam certo affuturum, ac ſi *viſibiliter* præſentem illum haberet.

SIC GEDEON, BARAC, DAVID, & alii *Prophetæ*.

V. 33.

Digitized by Google

V. 33. PER FIDEM qua credebant Deo, ipſos ad bellum excitanti, VICERUNT varia REGNA, OPERATI SUNT IUSTITIAM, non ſolum privatim bonis operibus ſtudentes, ſed publice ius ſubditorum ſuorum tutantes, ut decebat iudices *n* & rectores populi Dei. ADEPTI SUNT REPROMISSIONES, id eſt promiſſa ſibi cælitus bona, uti crediderunt: ita conſecuti ſunt, v. g. Ioſue, Caleb *o* & alii; Iſraelitæ, promiſſæ Chananitidis heredes & poſſeſſores effecti. OBTURAVERUNT ORA LEONUM Samſon, David, Daniel *p*.

V. 34. EXTINXERUNT IMPETUM IGNIS, tres ſocii Danielis in fornace Babylonica *q*. EFFUGERUNT ACIEM GLADII, David Saulis *r*, Elias Iezabelis, &c. CONVALUERUNT DE INFIRMITATE ſua, Iob, Ezechias, Tobias *ſ*, &c.

V. 35. MULIERES Sareptana & Sunamitis *t* ACCEPERUNT DE RESURRECTIONE, id eſt reſuſcitatos, MORTUOS FILIOS SUOS. ALII DISTENTI SUNT, græce, ἐτυμπανίσθησαν, id eſt *tympanizati ſunt*. Erat autem τύμπανον tormenti genus quo homines inſtar pellium in tympano diſtenti, fuſtibus, flagris & loris contundebantur. Ita factum Machabæis *u*, qui REDEMPTIONEM, ſeu liberationem a tormentis, quam tyranni apoſtatantibus ſpondebant, *ſuſcipere*, vel admittere *non* voluerunt.

V. 37. LAPIDATI SUNT, Zacharias filius Ioiadæ, & Ieremias *x*. SECTI SUNT, id eſt truncati membris *y* Machabæi. Hieron. legit *ſerra diſſecti* ſunt, ut Iſaias tradunt Hebræi *z*. TENTATI SUNT gravibus ac diuturnis calamitatibus, Iob. IN OCCISIONE GLADII MORTUI SUNT ſacerdotes ſub Saule *aa*, Prophetæ ſub Iezabele *bb*. CIRCUIERUNT IN MELOTIS, id eſt pellibus ovinis, quibus lana adhuc inhæret, ut Elias, Ioannes Baptiſta *cc*, &c.

V. 38. IN MONTIBUS ERRANTES: idem Elias, David, Machabæi *dd*, & tot alii.

V. 39. ET HI OMNES etſi TESTIMONIO FIDEI ſtrenue propugnatæ, PROBATI & valde laudati fuerint, NON tamen ACCEPERUNT ſuum temporis REPROMISSIONEM, id eſt hereditatem ac beatitudinem cæleſtem ſibi pro mercede promiſſam, ſed in vivis, continuo afflicti, a morte ad limbum relegati ſunt;

V. 40. DEO PRO NOBIS MELIUS, ſeu præſtantius, ALIQUID PROVIDENTE AC reſervante, nempe adventum Meſſiæ, a quo pendebat reſervatio cælorum: UT patres antiqui NON SINE NOBIS, ſeu non ante tempus noſtrum, id eſt non ante tempus novi teſtamenti, CONSUMMARENTUR, id eſt, perfecte beatificarentur: nam omnis beatificatio, ſive animæ, ſive corporis, obvenit illis in novo teſtamento, in quo & nobis eadem obveniet, atque ita non niſi nobiſcum beantur & glorificantur. Neque enim poterat lex Moſaica vel vetus teſtamentum quemquam ſalvare vel beatificare, ſed hoc reſervabatur tempori Chriſti *ee* & novi teſtamenti: ita Caiet. a Lapide & alii. Unde nihil pro Tertulliano, Lactantio, Victorino, Vigilantio *ff* & Calvino contendentibus, animas Sanctorum etiam tempore novi teſtamenti (nam de his non agit hic Apoſtolus) non videre Deum ante diem extremi iudicii: quam hæreſin damnavit iam pridem Eccleſia tum alias, tum ſub Benedicto XI. *gg* ut fuſe demonſtrat Bellarminus *hh*.

(a) Auguſt. Lib. XIII. de Trinit. cap. 1.
(b) In 2. 2. quæſt. 1. a 4.
(c) Ioan. xx. 29.
(d) Ibid.
(e) Gen. iv. 4.
(f) Gen. v. 24. & Apoc. xi. 2. & 12. Gen. xxii. 1.
(g) Gen. vi. 14. &c.
(h) Matt. xvi. 42.
(i) Apoc. xxi. 19.
(k) Gen. xlvii. 9.
(l) Gen. xlvii. 31.
(m) Ioſeph. Lib. I. Antiq. cap. v.
(m) Iudic. vii. 19. &c. Iudic. iv. 14. II. Reg. v. 6. &c.
(n) Iudic. ii. 6.
(o) Ioſue x. xi. xii. &c. Ioſue xiv. 6. & 14.
(p) Iudic. xiv. 5. II. Reg. xvii. 96. Dan. vi. 22. & cap. xiv. 39.
(q) Dan. iii. 29.
(r) I. Reg. xviii. 31. &c. III. Reg. xix. 2. &c.
(ſ) Iob. ult. 10. IV. Reg. xx. 5. Tob xi. 1.
(t) III. Reg. xvii. 21. IV. Reg. iv. 15.
(u) Mach. vi. 19. & 28. & vii. 1. &c. apud lx.
(x) II. Par. ii. 10. Præfat. in Ieremiam.
(y) II. Mac. vii.
(z) Præfat. in Iſaiam
(aa) Reg. xxii. verſ. 18.
(bb) III. Reg. xix. 14.
(cc) IV. Reg. 1. 8.
(dd) III. Reg. ix. 4. I. Reg. xxvi. 5. &c. II. Mach. ii. 28. &c.
(ee) Matth. xxvii. 52.
(ff) Tertull. de Anima cap. ult. Lactant Lib. vii. cap. xxi. Victorin. in cap. vi. Apoc. Vigilant. apud S. Hieron.
(gg) Extravag. Benedictus Deus.
(hh) Bellar. tom. 1. controverſ. vii. in principio.

GORDONI.

Verſ. I. EST AUTEM FIDES. Hæc fidei definitio intelligi poteſt, ut fides hæc dicatur hypoſtaſis, baſis aut fundamentum ſpei, quippe quæ non ſubſiſtit niſi fide. Vel aliter, ut nempe fides definiatur rerum ipſarum ſperandarum hypoſtaſis & ſubſiſtentia; quatenus ſcilicet, interim dum res illas non habemus, per fidem ita nobis apprehenduntur, ac ſi ſubſiſterent. Eſt quoque oſtenſio & convictio, ſeu argumentum quo convincimur ad aſſenſum, aut ut ſit quædam illarum rerum demonſtratio, qualis in rebus non coram viſis eſſe poteſt. Hæc ergo fides eſt credere quod non vides, ſeu ad talia credenda convictio in intellectu. Errant proinde hæretici novi, qui fidem volunt eſſe fiduciam: hæc enim in voluntate eſt, ubi non eſt cognitio, aut convictio intellectus.

Quærunt aliqui, An hic Paulus loquatur de fide iuſtificante? Conſtat ſane ex capite præcedente Paulum loqui de fide, quæ ſuſtentat ſpem in perſecutionibus & tribulatione: idemque habetur ex hoc capite toto, & ſequentis initio, & non eſt diſtincta a iuſtificante: hæc enim ipſa fides ſpem ſuſtentans eſt etiam iuſtificans: nam & impetrat & meretur augmentum gratiæ ex cap. x. 38. Inepti ergo Novatores, qui non unam, ſed triplicem volunt eſſe & natura diſtinctam fidem, hiſtoricam, miraculorum, & iuſtificantem. Vide Bellarm. Libro I. de Iuſtific. cap. v. & xi. Porro de hac inani fiducia, quam fidem ſpecialem vocant, dixi ſatis Rom. iv. Et hactenus de fidei hac deſcriptione, quæ eſt per duplicem proprietatem.

V. 2. IN HAC ENIM: *τῷ enim*, ſi non eſt nudum expletivum ſermonis, ſed cauſalis particula referri debet ad finem præcedentis capitis, ubi de his quæ præſtat fides: non enim ſemper Paulus reſpicit quod immediate preceſſit: familiare hoc illi eſt. Vult ergo hanc fidem, per quam dixit capite decimo iuſtum vivere, eſſe eam quæ placet Deo, & per quam antiqui Patres magna operati ſunt: quod reliquo iam capite per varia exempla declarat. Hac ſenes ſeu Patres teſtimonium & commendationem conſecuti ſunt.

V. 3. FIDE INTELLIGIMUS. Profert exempla: fide creditum eſt mundum ex nihilo fuiſſe conditum. EX INVISIBILIBUS, hoc eſt, ex non entibus. Aliqui ideas intelligunt in Deo.

V. 4. Fides Abelem excitavit Gen. iv. ut hoſtias Deo gratiores offerret. Unde DEFUNCTUS LOQUITUR, ſeu occiſus laudatur: eius virtus adhuc ſpirat.

V. 5. & 6. Enoch ante tranſlationem teſtimonium habuit per fidem placuiſſe Deo; de quo Gen. v. ubi dictum eſt de hac tranſlatione. Probat autem verſu ſexto ex fide obveniſſe tranſlationem: tranſlatus enim eſt, quia placuit Deo: placuit autem per fidem. Ergo per fidem tranſlatus eſt: ita nempe, ut accedamus ad Deum, oportet verum eius cultorem cognoſcere quem colit, & credere quod ſit, & quod remunerator ſit, retribuens cultoribus promiſſa.

Ex his recte duo colligunt Theologi. Unum eſt, naturalem Dei cognitionem non ſufficere ad ſalutem: tales enim poſſunt cognoſcere & amare Deum ut finem naturalem, indeque ſperare quæ naturalia ſunt: ſed cum Deus revelatus ſit auctor bonorum ſupernaturalium, vult etiam hoc modo coli, ut perveniamus ad finem ſupernaturalem. En neceſſitatem fidei ad iuſtificationem. Alterum eſt, hinc colligi neceſſario eſſe merita requiſita: alioqui Deus qui remunerator eſt non intelliget, unde exerceat retributionem. Ceterum requirit hic Paulus duo illa in obiecto fidei, ut imprimis requiſita ad ſpem alendam in tribulationibus, alioqui in materiali obiecto fidei ſunt multa alia.

V. 7. FIDE NOE. Habetur Gen. cap. vii. Noe accepto oraculo de paranda arca credidit & obedivit: hoc ſuo facto damnans mundum oraculo incredulum, factuſque ſic eſt hæres parentum iuſtorum, unde & familiæ ſuæ ſalutem conſecutus eſt.

V. 8. FIDE QUI VOCATUR. Hæc ſunt uſque ad verſum 11. de Abrahamo vocato a Deo, IN LOCUM QUEM ACCEPTURUS ERAT; ſcilicet in terram Chanaan, quam in poſteris erat poſſeſſurus. NESCIENS QUO IRET, an in terram Chanaan, vel certe in qua parte illius habitaturus eſſet. Vide hanc hiſtoriam Gen. XII. ex multis adiunctis & obedientia eſt illuſtris hæc viva fides

des Abrahæ : fuit tamen hæc eius fides particularis, ſeu ex particulari revelatione, ſicut & illa Noe; cui ſi non credidiſſent, amiſiſſent fidem infuſam. EXPECTABANT ENIM, verſ. 10. habitabant ut peregrini in tabernaculis memores ſe eſſe viatores in hoc mundo, & expectantes cæleſtem civitatem tamquam patriam, immobilem, bene fundatam, & cuius opes eſt ipſe Deus.

V. 11. FIDE ET SARA. Hæc ſterilis cum eſſet, fide virtutem ad concipiendum accepit, & ea ætate, qua nec fœcundæ concipere ſolent: nam nonagenaria erat, Gen. XVII. 17. PROPTER QUOD, verſ. 13. ab uno Abrahamo emortuo (qui ob ætatem generare non poterat) orti ſunt Iſraelitæ innumerabiles.

V. 13. IUXTA FIDEM DEFUNCTI. Omnes quidem iſti progeniti, longa ſerie *κατὰ πίστιν* & vixerunt, & mortui ſunt: non videntes bona illa a Deo promiſſa de terra Chanaan poſſidenda, a longe eam aſpexiſſe dicuntur, ut navigantes ex alto mari aſpiciunt littora. Notat moram in AEgypto & deſerto, quando erant Iſraelitæ ut hoſpites & peregrini patriam inquirentes. SI IPSIUS, verſ. XV. Hoc eſt, non longe retro reliquerunt. Ut Chaldæorum, ut non potuiſſent eo reverti : ſed conſtantes in peregrinatione demonſtrarunt nobis hoc facto meliorem mortalibus expectandam patriam, quam hic dum peregrinamur a Domino. Et quia tales ſunt in expectatione, & fuerunt ſancti illi patres, ideo tanti illos fecit Deus, ut non erubeſcat vocari illorum Deus; quibus etiam paravit civitatem. *Νῦν* NUNC, verſ. 16. illationis nota eſt, potius quam præſentis temporis.

V. 17. *FIDE* OBTULIT ABRAHAM. Gen. XXII. 2. Fide Abraham ductus non dubitavit immolare Filium unigenitum, cum Deus iubendo tentavit eum in hoſtia filii, cui facta erat promiſſio. UNDE ET EUM (verſ. 19.) IN PARABOLAM ACCEPIT, ut Iſaac eſſet poſteris exemplar & typus memorabilis obedientiæ etiam in Iſaac, qui patri obtemperat.

V. 20. FIDE ET DE FUTURIS. Geneſ. XXVII. laudatur fides Iſaac, quod de futuris benedixerit: benedixit enim promittens futura, quæ ut credebat a Deo promiſſa, ita eadem poſteris promittebat.

V. 21. FIDE IACOB Gen. XLIX. filii Ioſeph ſunt Ephraim & Manaſſe, quibus promittebat bona quæ non videbat. ET ADORAVIT FASTIGIUM VIRGAE. Hoc ſumptum eſt ex Gen. XLVII. 31. apud Septuaginta eſt, ut hic refertur a Paulo; ſed in vulgato legitur; *Adoravit Iſrael Deum converſus ad lectuli caput*. Certe neutra lectio reiicienda eſt, cum hanc, quæ eſt Septuaginta, probet Paulus; & altera ſit in vulgata editione. Vox etiam Hebraica, quæ tempore Pauli fuit ſine punctis, habet in ſe utramque ſignificationem. Ac demum, ut concludam Iacob utrumque præſtitit : nec pugnant hæc duo, ſimul laudare Deum, & deferre honorem Ioſepho principi, oſculando ſummitatem virgæ; quod etiam habebat gratiarum actionem propter promiſſam ſepulturam. Ceterum Iacob hic non virgam adorat, ſed in virga prototypum Ioſephum principem. Diſce Novator non honorari imaginem, ſed prototypum.

V. 22. FIDE IOSEPH. Ioſeph morti proximus fide in memoriam revocavit profectionem filiorum Iſrael de AEgypto, & fide credens eandem profectionem futuram, mandavit ut oſſa eius aſportarent. Vide hiſtoriam Gen. L. in fine.

V. 23. FIDE MOSES. Exod. cap. II. contra edictum regium retinuerunt parentes Moſen infantem, quem toto illo tempore non expoſuerunt illi; fide erga Deum ad hoc excitati ſunt, non timentes edictum. Lege Ioſephum Lib. II. Antiq. cap. V. de revelatione facta patri Moſis.

V. 24. 25. 26. & 27. Hæc ex libro Exod. cap. II. Fide Moſes adoptionem & cognationem regiam contemnens, elegit potius haberi Hebræus, quam filius reginæ. QUAM TEMPORALIS PECCATI, &c. id eſt quam fruendo iucunditate peccare, negligens liberationem populi. Hoc enim improperium, affligi cum populo ſuo, anteponebat theſauro AEgyptiorum: aſpiciebat æternam remunerationem. Notet hic Novator mercedem operum retribui. IMPROPERIUM CHRISTI, quale ſcilicet Chriſtus ſuſtentaturus erat pro vera iuſtitia & religione. FIDE porro (verſ. 27.) reliquit AEgyptum, educens inde populum, renitente multum iniuſto Rege. Hominem viſibilem, eiuſque iram contempſit, aſpiciens in Deum, inviſibilem quidem, ſed præſentem adiutorem. Improperium Chriſti ſunt opprobria pro iuſtitia & tribulationes.

V. 28. FIDE CELEBRAVIT. Nota ſunt

hæc quæ inſequuntur ex libro Exodi, Ioſue, & Iudicum. Nam Exod. cap. XII. agitur de primo Paſchate, de ſanguine in cæde primogenitorum, & Angelo percutiente: VASTABAT, inquit, PRIMITIVA, primogenita AEgyptiorum occidebat. De capta Ierichunte & Rahab, vide Ioſue VI. &c.

V. 33. Univerſe & compendio multa ſimilia per fidem præclare geſta perſtringit. Devicta ſunt regna Chananæorum, Philiſtinorum, & alia ſub Davide. OBTURAVERUNT ORA LEONUM. Hoc ad Samſonem, Davidem & Danielem referri poteſt. EXTINXERUNT IMPETUM IGNIS, tres pueri in fornace Babyloniæ, Dan. III. EFFUGERUNT ACIEM GLADII; alii legunt, *effugaverunt*, ſcilicet a ſe: evaſerunt a gladio perſequentium: ſic Elias a Iezabel, David a Saule. CONVALUERUNT DE INFIRMITATE: Iob ab ulceribus, Ezechias ab infirmitate, Tobias a cæcitate. FORTES FACTI SUNT IN BELLO. Ioſue, Reges & Machabæi. Caſtra verterunt Machabæi, & Ionathas, I. Reg. XIV.

V. 35. ACCEPERUNT MULIERES. Sareptana vidua, III. Reg. XVII. per Eliam; & Sunamitis, IV. Reg. IV. ab Eliſæo. Filios acceperunt, DEI RESURRECTIONE per reſurrectionem. ALII AUTEM DISTENTI SUNT. Ex Græco, fuſtibus cæſi: nam τύμπανον inſtrumentum tormentarium eſt, in quo diſtenti homines verberabantur. NON SUSCIPIENTES REDEMPTIONEM: volebant non mori potius, quam obedire tyranno.

V. 37. LAPIDATI SUNT. III. Reg. XXI. Nabot ob vineam, & Zacharias Ionadæ filius, II. Paralip. XXIV. vide II. Machab. VII. SECTI SUNT, de Iſaia ſub Manaſſe, ut ſcribit Euſebius; & de pueris Machabæorum, Machab. II. cap. VII. TENTATI, in perſecutionibus, & gladio occiſi multi, ut prophetæ Domini ſub Ieſabel, III. Reg. XIX. Item in Nobe ſacerdotes Domini ſub Saule, I. Reg. XXII. CIRCUIERUNT; μηλωτὴ eſt pellis ovina cum lana, μῆλον *ovis*, &c.

V. 39. ET HI OMNES. Hoc habet comparationem inter Sanctos veteris teſtamenti, & novi: ſancti fuerunt, & fide laudati, tamen ante ſanctos novi teſtamenti non acceperunt promiſſam ſanctis hæreditatem, Deo ita diſponente, ut nemo cælum ingrederetur, donec ſatisfeciſſet Chriſtus pro peccatis: ita nempe Deo providente, ut ſine nobis non conſummarentur.

CA-

CAPUT XII.

*Priſcorum immo Chriſti exemplo inducit ad tolerandas viriliter affli-
ctiones, revocans a peccatis: & ex novi Teſtamenti ſuper
vetus excellentia deterret ab inobedientia, ne maiora
quam Iudæi pati cogamur ſupplicia.*

1. IDeoque & nos tantam habentes impoſitam nubem te-
ſtium, (*a*) deponentes omne pondus, & circumſtans
nos peccatum, per patientiam † curramus ad propo-
ſitum nobis certamen: 2. aſpicientes in Auctorem fi-
dei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi
gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, at-
que in dextera ſedis Dei ſedet. 3. Recogitate enim
eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradi-
ctionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes. 4. Nondum enim
uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes: 5. & obli-
ti eſtis conſolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: (*b*) Fi-
li mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo ar-
gueris. 6. Quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem
filium, quem recipit. 7. In diſciplina perſeverate. Tamquam filiis
vobis offert ſe Deus: quis enim filius, quem non corripit pater?
8. Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes:
ergo adulteri, & non filii eſtis. 9. Deinde patres quidem carnis no-
ſtræ, eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis ob-
temperabimus Patri ſpirituum, & vivemus? 10. Et illi quidem in
tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos:
hic autem ad id, quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem eius.
11. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe
gaudii, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per
eam, reddet iuſtitiæ. 12. Propter quod, remiſſas manus, & ſoluta genua,
erigite, 13. & greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis
erret, magis autem ſanetur. 14. (*c*) Pacem ſequimini cum omnibus, &
ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum: 15. contemplantes nequis
deſit gratiæ Dei: nequa radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, &
per illam inquinentur multi. 16. Ne quis fornicator, aut profanus (*d*)
ut Eſau: qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua: 17. ſcitote e-
nim quoniam (*e*) & poſtea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus
eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inqui-
ſiſſet eam. 18. (*f*) Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, * & ac-
cenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, 19. & tubæ
ſonum,

Digitized by Google

ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne
eis fieret verbum. 20. Non enim portabant quod dicebatur: (g) Et ſi
beſtia tetigerit montem, lapidabitur. 21. Et ita terribile erat quod vide-
batur. Moyſes dixit: Exterritus ſum, & tremebundus. 22. Sed acceſſiſtis
ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Ieruſalem cæleſtem, & mul-
torum millium Angelorum frequentiam, 23. & Eccleſiam primitivorum,
qui conſcripti ſunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſto-
rum perfectorum, 24. & teſtamenti novi mediatorem Ieſum, & ſanguinis
aſperſionem melius loquentem quam Abel. 25. Videte ne recuſetis loquen-
tem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loque-
batur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus. 26.
Cuius vox movit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens: (h) Adhuc
ſemel, & ego movebo non ſolum terram, ſed & cælum. 27. Quod au-
tem, Adhuc ſemel, dicit: declarat mobilium translationem tamquam facto-
rum, ut maneant ea quæ ſunt immobilia. 28. Itaque regnum immobile
ſuſcipientes, habemus gratiam: per quam ſerviamus placentes Deo, cum
metu & reverentia. 29. (i) Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.

(a) Rom. VI. 1. Col. III. 8. Epheſ. IV. 23. I. Pet. II. 1. & IV. 2. (b) Prov. III. 31. Apoc. III. 19. (c) Rom. XII. 8. (d) Gen. XXV. 33. (e) Gen. XXVII. 38. (f) Exod. XIX. 12. & XX. 21. (g) Exod. XIX. 1. (h) Agg. II. 7. (i) Deut. IV. 24.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 18. *Et accenſibilem ignem*. Legendum eſt *accenſibilem*, quod eſt, qui accendi, qui inflammari poteſt; non dempta littera *n*, *acceſſibilem*, qui accedit, cui appropinquari poteſt.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 1. C*Urramus ad propoſitum nobis certamen.* Multi libri videntur non immerito omittere præpoſitionem *ad*, ſicut Græca, & Syra.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. 2. & 3. IDEOQUE ET NOS; id eſt, quum TANTA habeamus NUBEM TESTIUM IMPOSITAM, Gr. περικείμενον, id eſt circumiacentem, hoc eſt, quum undique tot patriarchas & patres videamus divini in afflictionibus auxilii teſtes. Bene autem nubem illos appellat, quorum doctrina & exemplo gratiæ cæleſtis imbre ſumus irrigati. Talem ergo nubem teſtium quum habeamus, deponamus omne pondus terrenarum affectionum & peccatum nos circumſtans, Græc. εὐπερίςατον, id eſt tenaciter inhærens, ut per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen; quamquam nonnulli Græci carent *ad* præpoſitione, etſi idem ſenſus eſt, ſcilicet vitam hanc, quæ militia eſt ſuper terram, & in qua nobis continue cum mundo, carne & diabolo conflictationes ſunt; PER PATIENTIAM CURRAMUS, id eſt patienter tranſigamus: & ne quando deficiamus, habemus, inquit, fidei & ſpei noſtræ auctorem & principem conſummatorem, in quem intendere nos oportet, Chriſtum Ieſum, QUI PROPOSITO SIBI GAUDIO, id eſt ut inquit Nazianzenus, quum liceret ſibi paternis frui deliciis, nec mortem guſtare, confuſione tamen & ignominia contem-

Tempta, SUSTINUIT CRUCEM: ob quam ſui abiectionem nunc IN DEXTERA DEI SEDET; in hunc ergo, inquit, animum intendite, & animo repetite qualem a peccatoribus ipſe innocens, ipſe Deus adverſus ſemetipſum ſuſtinuerit *contradictionem*: contradictionis autem nomine omnes Chriſti afflictiones & iniurias comprehendit. Ad hæc ergo cogitate UT non FATIGEMINI ANIMIS DEFICIENTES, dum veſtra cauſa longe plura perpeſſum Chriſtum intelligetis.

V. 4. 5. 6. 7. & 8. NONDUM ENIM, &c. quaſi diceret: Parum eſt quod convicia pertuliſtis, facultatibus veſtris eſtis ſpoliati, *nondum* ENIM USQUE AD SANGUINEM, id eſt mortem, RESTITISTIS ADVERSUS PECCATUM REPUGNANTES, id eſt vel adverſus infidelitatem, quæ principaliter peccatum dicitur, vel adverſus quodlibet aliud peccatum. Chriſtus ergo uſque ad ſanguinem reſtitit, vos nondum huc uſque; ET tamen OBLITI ESTIS CONSOLATIONIS QUAE VOBIS UT FILIIS LOQUITUR, DICENS; FILI MI, &c. quibus verbis ex Salomone allegatis probat Paulus afflictiones a Deo immiſſas, eſſe paternæ in nos amicitiæ argumentum: quinimmo ex ipſa Domini correctione, & diſciplina nos eſſe: nec aliter eſſe poſſe Dei filios, unde ait, *quod ſi extra diſciplinam eſtis*, id eſt ſi omnino afflictionum expertes, quarum ſancti omnes participes facti ſunt, non eſtis germani filii Dei, ſed adulteri aut verius adulterini, id eſt illegitimi. Græce νόθοι, id eſt ſpurii. Omnibus autem locis his τὸ *diſciplinam* καὶ τὴν παιδείαν, pro caſtigatione, ac paulo ſeveriore animadverſione ſumere debemus. Ubi autem noſter interpres habet IN DISCIPLINA PERSEVERATE, Gr. habent εἰ παιδείαν ὑπομένετε, id eſt ſi diſciplinam & correctionem ſuſtinetis, tamquam filii, &c. Interpres legit ἐν παιδείᾳ.

V. 9. uſque ad 14. DEINDE PATRES, &c. humana ſimilitudine oſtendit Dei caſtigationes patienter nos ferre debere, quoniam ſi patres carnis noſtræ, id eſt carnales HABUIMUS ERUDITORES, aut ſeveriuſculos magis caſtigatores: utrumque enim ſignificat τὸ παιδευτάς, & eos tamen patienter venerabamur: nonne magis Deo PATRI SPIRITUUM, id eſt animarum noſtrarum parenti & auctori, quas ex nihilo condidit OBTEMPERABIMUS caſtiganti, ET VIVEMUS? Nam qui Deum caſtigantem patienter non recipit, ne is quidem vivit, quia a vera ſeſe vita abalienat. Quod autem magis obedire Deo debeamus quam parentibus probat, dicens: qui parentes non ad noſtram ſemper utilitatem, ſed plerunque iuxta ſuam voluntatem, ac pro arbitrio nos ERUDIEBANT, ſive magis caſtigabant: ac ne id quidem diu, ſed IN TEMPORE PAUCORUM dierum, quandoquidem vel manumiſſi tempore, parentum caſtigationi iam non ſunt obnoxii filii: quod eſt ob gravem caſtigationem quæ plerumque nihil nobis fructus afferret, caſtigantibus parentibus non reluctabamur, quanto magis parere Deo debemus nos caſtiganti, & afflictiones inferenti ad id quod utile eſt, ad noſtram utilitatem, IN RECIPIENDO, id eſt ad recipiendam ſanctificationem eius? dum enim a Domino corripimur, diligimur & ſanctificamur: ut autem ad caſtigationem ferendam magis cohortetur, ſubdit, etſi nunc omnis caſtigatio, iuxta communem mundi opinionem, non gaudium, ſed mœrorem annexum habere videtur; poſtea autem in futuro ſæculo per eam excitatis fructum iuſtitiæ reddet pacatiſſimum; quaſi diceret: Nunc tribulamini & inter tot afflictiones turbulenti nec animo quieto eſtis, quod ſi patienter eas tuleritis, tandem fructum iuſtitiæ ac remunerationis placidum ac quietum referetis, PROPTER QUOD REMISSAS MANUS ET SOLUTA GENUA ERIGITE. Antea dixit: Propoſitum nobis certamen curramus, quod athletarum eſt & pugilum, quibus validas manus ad luctandum, & fortes pedes ad currendum eſſe oportet: nunc autem metaphoram proſequens, remiſſas animi manus & ſoluta mentis genua iubet erigere, hoc eſt, ne animum deſpondeant, nec ſint mente pigra & deſide in ipſis afflictionibus. ET GRESSUS RECTOS, inquit, FACITE PEDIBUS VESTRIS, id eſt rectam intentionem in operibus veſtris habete, vel greſſus rectos facite, id eſt recta incedite, nec alteram in partem claudicate: unde ſubdit: UT NE CLAUDICANS QUIS ERRET, ſic Eſaias XXXV. ca. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate*, hoc eſt, forti & conſtanti animo eſtote. Omnibus autem his verbis innuit Paulus, quod ſi ſanari ab his afflictionibus velint, conſtanti illis, & patienti animo eſſe opus eſt.

V. 14.

V. 14. PACEM SEQUIMINI. Poſtquam eos ad patientiam ſufficienter hortatus eſt, nunc ad mutuam concordiam morumque puritatem invitat, dicens: *Pacem ſequimini*, Gr. διώκετε, id eſt perſequimini CUM OMNIBUS, etiam recuſantibus, ut David qui dicebat: *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus*. Pacem autem mutuam dicit concordiam & caritatem: ad pacem autem addit & ſanctimoniam, hoc eſt, corporis animique puritatem, ſine qua nemo videbit Deum: nihil enim immundum in ſanctam civitatem introire poteſt. Hæc ergo perſequimini interim CONTEMPLANTES, Græce ἐπισκοποῦντες, id eſt diligenter inſpicientes, NE QUIS DESIT GRATIAE DEI, id eſt gratia Dei deſtituatur. Vult enim non ſui tantum quemque, ſed aliorum etiam habere curam: videte quoque, NE QUA RADIX AMARITUDINIS SURSUM GERMINANS IMPEDIAT. Græce ἐνοχλῇ, id eſt obturbet Dei gratiam. *Amaritudinem* autem poſſumus vel animi indignationem & iram, quæ pacem interturbat, intelligere; vel infidelitatis peccatum, vel quodlibet: vult ergo nos omnem peccati radicem evellere, ne per illam multi inquinentur: quia ut radix ſerpit, atque ſe in multas partes findit, & in altum germinat evaditque in ramos; ita ad multos peccatum permeat per imitationem & conſenſionem, atque in multos ramos multaſque ſpecies, ſi ſemel radicem in homine fixerit, exurgit.

V. 16. & 17. NE QUIS FORNICATOR. Referendus eſt hic locus ad id quod præceſſit, *pacem ſequimini & ſanctimoniam*, *contemplantes ne quis*, ſub. ſit inter vos fornicator, ſed puri omnes ſitis. AUT PROPHANUS, UT ESAU, QUI PROPTER UNAM ESCAM VENDIDIT *primogenita* SUA. Nota eſt hiſtoria Gen. XXV. de Eſau, qui pro edulio lenticulæ ius primogenituræ Iacob fratri vendidit. Erant autem id ætatis primogeniti ſacerdotes, unde & recte *prophanus* dicitur, qui inſigne Dei donum temerarit, nec pluris quam lenticulæ pulmentum fecerit. Pene omnes hoc loco & Græci & Latini prophanum gaſtrimargum & gulæ deditum interpretantur, aiuntque Eſau exemplo gulæ notari quoſdam ex Hebræis. Mihi autem non tam gulæ notandus Eſau videtur, quam, ut ita dicam, irreligioſitatis, qui excellens Dei donum uſque adeo nihili fecerit, eiuſque exemplo arguit Hebræos, qui donum ac perceptam Dei gratiam nihili facient, temporali voluptati plerumque eam commutantes, in hoc Eſau ſimiles, de quo ait Paulus, quod poſtea cupiens hereditare benedictionem, ſicut Geneſis XXVII. multis eam precibus poſtulaſſe legitur, REPROBATUS EST, atque a ſua poſtulatione reiectus. Græci enim de reprobatione non Dei, ſed patris hunc locum interpretantur, & conformiter locum ſequentem interpretari poſſumus: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. Quamquam enim hic pene omnes interpretantur pœnitentiam pro peccatorum venia, quam lachrymis non meruit, quod illæ magis invidentis quam pœnitentis eſſent, ut manifeſtavit dicens: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*. Tamen mihi videtur hic pœnitentia pro facti mutatione ſumi poſſe, quomodo vulgo dicimus de re iam facta, quæ infecta fieri non poteſt: aut de iam tranſacta, & rata conventione: quod pœnitere ibi nihil prodeſt: ſic quanquam pœniteret Eſau venditæ primogenituræ, locum tamen non habuit ea pœnitentia, ad quam neque ex conſequenti ad benedictionem redire potuit, quamquam cum lacrymis eam a patre poſtulaſſet, ſicut Geneſis vigeſimo ſeptimo, eiulatu magno fleviſſe legitur: hoc autem exemplo deterret Hebræos Paulus ne perceptam Dei gratiam prophanent, ne forte cum Eſau ad eam redire volentes, abiiciantur.

V. 18. uſque ad 22. NON ENIM ACCESSISTIS, &c. Ante dixit, ſectamini pacem & ſanctimoniam, & ne fornicatores ſitis, ac prophani: *non enim acceſſiſtis* AD TRACTABILEM MONTEM; pro tractabilem autem Græce eſt ψηλαφωμένῳ ὄρει, id eſt ad palpatum montem ſive contactum, neque puto ut quidam aſſeruit, montem Sina de quo hic agitur, dici a Paulo contactum, per antiphraſim, quod eum nemo auderet contingere: ſed contactum appellari a Paulo ſive palpabilem, quaſi dicas ſenſibilem; ut ſit ſenſus, non acceſſiſtis ad Sina montem illum ſenſibilem & accenſum ſive ardentem; ſed ad ſpiritualem & cæleſtem montem Sion Ieruſalem cæleſtem, ET ACCENSIBILEM IGNEM. Pro accenſibilem Gr. eſt κεκαυμένῳ πυρί, id eſt accenſum ignem, unde puto interpretem vertiſſe accenſibilem, ſed librariorum vitio errorem inoleviſſe: ſen-

ſenſus huius loci eſt, non ſitis fornicatores & prophani; non enim acceſſiſtis ad montem Sina, ubi lex data eſt, tractabilem & palpabilem, neque ad accenſum vel ardentem ignem ET TURBINEM, ET CALIGINEM, ET PROCELLAM, ET TUBAE SONUM: quæ omnia, quum lex data eſt in monte Sina, apparuerunt, ut Exod. xix. & xx. legitur, *neque acceſſiſtis ad* VOCEM VERBORUM, id eſt ad terribilem Dei vocem e monte loquentis, quam qui audierunt timore perterriti EXCUSAVERUNT SE. Græc. παρῃτήσαντο, id eſt deprecati ſunt, NE EIS FIERET VERBUM, id eſt ne per ſe ad eos Deus loqueretur dicentes: *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur*. NON ENIM PORTABANT QUOD DICEBATUR; id eſt, Dei vocem loquentis ferre non poterant id quod dicebatur, & Moyſi dictum eſt ſcilicet: ET SI BESTIA TETIGERIT MONTEM, LAPIDABITUR: horrendum enim erat quod non modo homo rationis capax, ſed beſtia quoque accedens lapidari iubetur; unde ſubdit: ET ITA TERRIBILE, id eſt adeo terribile ERAT QUOD VIDEBATUR: MOYSES enim DIXIT, EXTERRITUS SUM ET TREMEBUNDUS. Hæc verba Moyſi in bibliis non inveniuntur; exiſtimandum fortaſſis Pauli tempore aliquos fuiſſe, quos nunc non habemus, libros in ſynagoga receptos, ubi ſcripta erant. Vult autem his verbis oſtendere Paulus culpabiliores eſſe Chriſtianos Hebræis, ſi Chriſto non paruerint, quam olim Iudæos, quod illi tot portentis & viſis perterriti, neque ad montem accedere, neque Dei vocem exaudire poſſent loquentis: tantum ſecum tremorem afferrebat: Vos autem, inquit, ſi fornicatores & prophani eſtis, nihil habetis quod excuſare queatis: non enim terribilia iſta vobis contigerunt, neque acceſſiſtis ad montem, &c.

V. 22. 23. & 24. SED ACCESSISTIS. Oſtendit benevolentiorem Deum ſe illis præſtitiſſe quam olim Iudæis, maioribuſque ab eo beneficiis illos affectos, quo minus ſunt excuſabiles. Non enim, inquit, acceſſiſtis ad palpabilem montem Sina, ſed ad ſpiritualem montem Sion, & civitatem Dei viventis Ieruſalem cæleſtem, ſcilicet cælum ipſum, ad quod iam ſpe acceſſimus, ET MULTORUM MILLIUM ANGELORUM FREQUENTIAM; non enim vulgaris turbæ & mortalium hominum, ſed angelorum conſortes, & concives effecti eſtis immortalium & infinitorum. Nam hoc loco millia, & Græcum μυρίας quod decem millia ſignificat, pro infinito numero ponitur. *Et acceſſiſtis*, inquit, *ad* ECCLESIAM PRIMITIVORUM QUI CONSCRIPTI SUNT IN CAELIS. Primitivi autem ſive primogeniti, nam id ſignificat verbum Græcum πρωτοτόκοι, dicuntur fideles quorum nomina ſcripta ſunt in cælis. Nam etſi omnes tum electi, tum reprobi creatione filii Dei ſunt, præ illis tamen primogeniti ſunt adeoque regni hæredes, electi. Vult ergo Paulus quod ipſi electi ſunt a Deo, & inter Dei primogenitos habiti. *Et acceſſiſtis*, inquit, AD IUDICEM OMNIUM DEUM, ſcilicet Chriſtum, cui omne iudicium dedit pater. Tanto ergo maior illis gratia facta quam olim Iudæis, quod Iudæi non modo Deum audire non ſuſtinerent loquentem ſed ne ad montem quidem unde loquebatur accedere poſſent. Chriſtiani autem ad ipſum Chriſtum facile accedunt Deum & iudicem omnium, *& ſpirituum* IUSTORUM PERFECTORUM. Hoc loco pro ſpirituum Græci legunt *ſpiritus* in plurali, ut ſit ſenſus, quod Chriſtiani acceſſerunt ad ſpiritus, id eſt animas iuſtorum & perfectorum, id eſt, cum ſanctis animabus fœlicitatis æternæ conſortes facti ſunt. Noſter legit πνευμάτων, id eſt *ſpirituum*, & refert ad iudicem, ut ſit ſenſus quod Chriſtus iudex eſt omnium etiam iuſtorum & perfectorum ſpirituum, hoc eſt, animarum, quibus verbis nonnihil eos terret, ne ſcilicet ſi tot Dei beneficia tantamque benevolentiam neglexerint, ſeveritatem tandem iudicantis experiantur. Ad benevolentiam tamen iterum redit dicens, *& acceſſiſtis ad* NOVI TESTAMENTI MEDIATOREM IESUM; quaſi diceret, Nihil eſt quod horribilem Dei patris vocem formidetis, qui novi teſtamenti mediatorem habetis Ieſum, per quem Dei mandata facile intelligatis: quippe qui ſequeſter ſit, & proxeneta inter Deum & vos, ad quem facile acceſſiſtis, ET ad ASPERSIONEM quoque SANGUINIS MELIUS LOQUENTEM QUAM ABEL, id eſt ad Chriſti paſſionem acceſſiſtis, & divinæ gloriæ per eius ſanguinem participes eſtis effecti; qui quidem ſanguis Chriſti melius, ſive ut Græci habent κρείττονα, id eſt meliora, & potiora loquitur quam ſan-

Digitized by Google

nſaguis Abel. Ille enim vindictam clamabat adverſus fratrem, ſanguis autem Chriſti in eum confidentibus paratam veniam remiſſionemque clamat, & vitam largitur.

V. 25. 26. & 27. VIDETE NE RECUSETIS. Poſtquam illos maioribus beneficiis affectos, Deumque familiariorem habere oſtendit, adeoque maioris prævaricationis reos, ſubdit: itaque videte ne loquentem ad vos Ieſum recuſetis, & averſemini: loquitur enim vobis per evangelium, per propoſita præmia, per ſuos miniſtros & prædicatores. SI ENIM patres noſtri NON EFFUGERUNT, ſub. vindictam Dei, Moyſen RECUSANTES & averſantes, QUI SUPER TERRAM LOQUEBATUR: MULTO minus NOS QUI DE CAELO LOQUENTEM nunc in ſuo evangelio Chriſtum averſamur, effugimus: cuius quidem vox tunc, quum lex in monte Sina ferretur, commovit cælum & terram, adeoque terribilis ipſique populo tremendus apparuit. Nunc autem ſi eum neglexerimus, terribilior multo apparebit: cuius effectus terribilis argumentum eſt quod cælum, & terram ſe concuſſurum, Aggæi II. promittit, dicens: ADHUC SEMEL, ET EGO MOVEBO NON SOLUM TERRAM, SED etiam CAELUM: qui locus etſi, ut illic Hieronymus interpretatur, de primo Chriſti adventu intelligi poteſt, non inepte tamen ad ſecundum Chriſti adventum applicat Paulus, quando veniente in iudicium cum gloria Domino, movebuntur & cælum & terra, ut in meliorem immutentur formam: hoc autem ait Paulus, ut terrorem incutiat Dei verbum negligentibus. Quod autem ait, SEMEL, declarat nobilium translationem tamquam factorum, hoc eſt, quod ſemel tantum in cælum & terram ſe concuſſurum, DECLARAT MOBILIUM, Græce τῶν σαλευομένων, id eſt turbulentorum & fluctuantium terræ & cæli TRANSLATIONEM, id eſt immutationem, eorum inquam mobilium & fluctuantium, nec certam quietem habentium, TAMQUAM FACTORUM, id eſt tanquam rerum creatarum naturaque ſua interiturarum: commovebit enim omnia, & mutabit UT MANEANT EA QUAE SUNT, id eſt cæli & terra quæ nunc videmus, *immutabilia*, id eſt corruptioni poſtea non obnoxia: commovebuntur enim, & mutabuntur, ut quieſcant, & immutabilia permaneant, quomodo prædicens David aiebat Pſalm. LXXXIII. *Terra tremuit, & quievit, quum exurgeret in iudicium Deus.* Quod ſi iſta nunc terrena ac naturæ interituræ immobilia ſunt futura: longe magis immutabile ac perpetuum futurum eſt regnum Dei, unde ſubdit:

V. 28. & 29. ITAQUE REGNUM, &c. id eſt, ideo ſpe regnum Dei immobile, ac perpetuum apprehendentes, HABEMUS GRATIAM, ſcilicet fidei, ſpei, caritatis, & patientiæ, PER QUAM PLACENTES DEO, illi SERVIAMUS CUM METU, formidantes ut iudicem, ET REVERENTIA reverentes & venerantes ut patrem DEUS enim NOSTER IGNIS CONSUMENS EST; ideoque ſi negligentes, & irreverentes fuerimus, nolite adeo de bonitate confidere, quin ſeveritatem formidetis: eſt enim velut ignis conſumens, qui nos vel in momento conſumere poſſit & perdere.

S A.

Verſ. I. IMPOSITAM. Græc. *circumpoſitam*, ſcilicet undique cingentem. NUBEM, id eſt copiam. PONDUS, ſcilicet impedimenta. CIRCUMSTANS, id eſt adhærens, vel undique impugnans. PECCATUM, id eſt peccandi occaſiones, vel ipſum peccatum.

V. 2. AUCTOREM. Græc. ἀρχηγὸν, id eſt *inceptorem*, ſeu *ducem*. Syr. *principium*. CONFUSIONE, ſcilicet ignominiis & contumeliis.

V. 3. CONTRADICTIONEM, id eſt perſecutionem.

V. 5. ESTIS; pro, videmini. CONSOLATIONIS. Verti poterat *adhortationis*, Syr. *doctrinæ*. DISCIPLINAM, id eſt correptionem. FATIGERIS. Græc. *deficias*, quaſi dicat, Conſtans eſto.

V. 6. RECIPIT, id eſt approbat; vel quaſi dicat, Quem in filium recipit: Syr. *amat.*

V. 7. DISCIPLINA, ſcilicet Dei caſtigatione. PERSEVERATE, id eſt durate animo.

V. 8. OMNES, ſcilicet filii. ADULTERI; pro, adulterini.

V. 9. ERUDITORES, id eſt caſtigatores. ET VIVEMUS; pro, ut vivamus.

V. 10. IN RECIPIENDO. Græc. *ad recipiendum*.

V. 12.

V. 12. Soluta, id eſt flaccida. Syr. *nutantia*.

V. 13. Et gressus, &c. quaſi dicat, Ingredimini viam rectam. Magis autem; pro, ſed potius. Sanetur, ſcilicet ſi quis ægrotat.

V. 15. Contemplantes, id eſt id videntes, ſeu curantes. Desit. Græc. *expers ſit*. Amaritudinis, id eſt amara, ſcilicet peccati. Impediat, ſcilicet ſalutem.

V. 16. Profanus, id eſt impurus, ſeu divinorum contemptor. Primitiva, id eſt ius primogenituræ.

V. 17. Scitote. Græc. *ſcitis*. Reprobatus, id eſt reiectus ſcilicet a Patre, & Deo. Locum, id eſt fructum, ſcilicet quod optabat pœnitens. Eam, ſcilicet benedictionem.

V. 18. Tractabilem, id eſt tangibilem. Accensibilem, id eſt incenſum.

V. 19. Excusaverunt se. Græc. *deprecati ſunt*. Syr. *obſecrarunt*.

V. 20. Portabant, id eſt ferre poterant.

V. 21. Moyses dixit; pro, ut Moyſes diceret. Nota, id non eſſe in Scriptura, ſed traditione, ut videtur, acceptum.

V. 22. Accessistis, ſcilicet fide, & ſpe.

V. 23. Primitivorum. Græc. *primogenitorum*, ſcilicet in cælo per gloriam qua renaſcuntur. Unde Sanctorum dies quibus in cælum admiſſi dicuntur Natales.

V. 24. Melius, ſcilicet non vindictam petit, ſed remiſſionem. Abel, ſcilicet ſanguis.

V. 25 Recusetis. Syr. *aſpernemini*. Avertimus; pro, averſamur; quaſi dicat, Si averſemur.

V. 24. Tunc, ſcilicet cum legem daret. Repromittit, id eſt promittit. Dicens, ſcilicet ſecundum LXX.

V. 27. Translationem, id eſt mutationem ſcilicet in ſtatum meliorem. Factorum, ſcilicet ut ad tempus ſolum durarent; vel quaſi dicat, In Chriſto impletorum. Immobilia, ſcilicet cæleſtia, quibus alia ſucceſſura non ſunt.

V. 28. Habemus. Græc. *habeamus*. Syr. *amplectamur*.

MARIANAE.

Verſ. 1. Nubem testium habentes, id eſt multitudinem eorum qui crediderunt, aut qui in afflictionibus Dei opem ſunt experti. Curramus ad. Græc. & Goth. non eſt *ad*, ſed ſic: *curramus propoſitum nobis certamen*; quaſi dicat, Curramus ſtadium, fortiter in eo nos geramus Chriſti exemplo.

V. 2. Qui proposito sibi gaudio, id eſt cum poſſet paternis gaudiis frui, maluit crucem ſuſtinere, eius ignominia contempta. Cogitate eum qui talia ſuſtinuit a peccatoribus.

V. 3. Adversum semetipsum. Goth. *ſemetipſos*: ſic Syr. Nempe pro εἰς αὐτὸν, legerunt εἰς αὐτοὺς; quaſi dicat: Sibi Iudæi contradicebant contra conſcientiam operantes. Verum iuxta noſtram lectionem per *contradictionem* intelligamus omnem afflictionem & mortem, quam Chriſtus eſt paſſus. Deficientes ne ſitis. Syr. *ne remittatis animos in veſtris*, ſcilicet afflictionibus, aſpicientes in Chriſtum; quia graviora eſt paſſus.

V. 4. Nondum enim. Vox *enim* Græce non eſt, nec in Goth. Usque ad sanguinem restitistis, nempe, ut Chriſtus qui occiſus eſt. Adversus peccatum repugnantes, ne ſcilicet peccaretis.

V. 5. Et obliti estis consolationis, *ſeu exhortationis*, παρακλήσεως, ſeu *doctrinæ*, ut Syr. quæ offertur, ut filiis quos pater caſtigat; iuxta illud, Fili mi: ex Prov. iii. 11. ubi ait proprium eſſe filiorum, a patribus caſtigari.

V. 7. In disciplina perseverate, id eſt ferte flagella. Græc. *ſi diſciplinam ſuſtinetis*, id eſt flagella, tamquam filiis offert ſe Deus: ſic Theophylactus legunt & Oecumenius. Noſter ἐν παιδείᾳ legit, atque ita Syr. legit modo, εἰ παιδείαν ὑπομένετε, *ſi diſciplinam ſuſtinetis*. Quis enim filius. Græc. *quis enim eſt filius*: ſic Goth. quem non corripit pater? Si ſecus,

V. 8. Ergo adulteri. Quorſum adulteri? Goth. Vulgata *adulterini*, ea eſt vera lectio. Græc. νόθοι, id eſt *ſpurii*. Et non filii estis: ſed ſuppoſiti, & ex adulterio nati.

V. 9. Eruditores, ſeu *caſtigatores*,

παιδευτάς, HABUIMUS. Illi nos caſtigabant, & tamen REVEREBAMUR EOS. Gr. non eſt *eos*, nec Goth. ſed ſuppleri debet. NON MULTO MAGIS. Sic Græc. & Goth. cum interrogatione; quaſi dicat: Quod erga carnis patres ſervamus, an id non dabimus Deo cum nos corripit?

V. 10. IN RECIPIENDO; pro, ad recipiendum ſanctificationem eius corripit nos Deus.

V. 11. OMNIS AUTEM DISCIPLINA, ſeu *caſtigatio* mœrorem affert, in præſenti. IUSTITIAE, iunge cum *fructum*, ſcilicet iuſtitiæ reddet, ſive ſanctitatis. Ergo recta incedite.

V. 13. UT NON CLAUDICANS QUIS. Gr. & Goth. non eſt *quis*, ſed ſic: *Ut non claudicans erret*, ſcilicet *membrum*, ut Syr. ſupplet, aut *homo*.

V. 14. PACEM SEQUIMINI. Poſtquam de patientia egit, nunc de mutua concordia, & aliis virtutibus, ad quas eos exhortatur.

V. 15. NEQUIS DESIT GRATIAE DEI: quæ ſcilicet ad pacem movet & ſanctimoniam. Ne ſitis ut Eſau, quem

V. 17. SCITOTE .... QUONIAM, aut *ſcitis*, *ἴστε*, quod utroque modo verti poteſt. Syr. *ſcitis* vertit. REPROBATUS EST: a patre ſcilicet, non agitur de divina reprobatione. NON ENIM INVENIT POENITENTIAE LOCUM, ſcilicet ut pater pœniteret, & mutaret datam Iacob benedictionem.

V. 18. NON ENIM ACCESSISTIS. Reddit rationem quare eos probos & ſanctos velit, quia lex Evangelica multo eſt veteri præſtantior; idque a loco ubi utraque lata eſt. AD TRACTABILEM, id eſt ſenſibilem montem corporeum. ET ACCENSIBILEM, ſeu *accenſum* IGNEM *κεκαυμένῳ*, ſic lege, non *acceſſibilem*, ut plerique codices habent. Et vocem, quam qui audierunt,

V. 19. EXCUSAVERUNT SE. Dixerunt Exod. xx. 19. *Non loquatur nobis Dominus*.

V. 20. NON ENIM PORTABANT, id eſt ferre non poterant, ut mons ille eſſet inacceſſibilis beſtiis, tum & hominibus multo magis. Timor ille non populi tantum erat, ſed Moyſis, dixit enim:

V. 21. EXTERRITUS SUM. Hæc verba in libris Sacris non extant, aliunde ea Paulus habuit. Multa in aliis libris erant multa ex traditione. SED ACCESSISTIS AD SION. Alludit ad illud Iſaiæ II. 3. *De Sion exibit lex*. Verum per *Sion* non terreſtrem, ſed cæleſtem intelligit, ut mox de Ieruſalem ait; nam opponit Sinai monti, quem ſenſibilem & tractabilem eſſe dixit, & vult legem novam cæleſtem eſſe, veterem terrenam.

V. 23. ET ECCLESIAM PRIMITIVORUM, ſeu *primogenitorum*, ſcilicet electorum, qui ſunt Dei primogeniti. ET IUDICEM OMNIUM DEUM, ſcilicet Chriſtum. ET SPIRITUS; animas iuſtorum, ſive Angelos. IUSTORUM; pro, iuſtos & perfectos, eo acceſſiſtis.

V. 24. ET SANGUINIS ASPERSIONEM, ſcilicet Chriſti. Alludit ad aſperſionem ſanguinis, qua Moyſes tabernaculum & alia aſperſit. Quod ſi Iudæi non effugerunt vindictam,

V. 25. MULTO MAGIS NOS, ſupple, non effugiemus vindictam.

V. 26. CUIUS VOX MOVIT TERRAM TUNC, ſcilicet montem Sinai. NUNC AUTEM REPROMITTIT, ſeu *pollicetur* ſeu *annuntiat* fore, ut vox Chriſti cælum & terram moveat.

V. 27. QUOD AUTEM, ADHUC SEMEL, DICIT. Cur hoc dicat, MOBILIUM, id eſt corruptibilium, TRANSLATIONEM, id eſt mutationem & corruptionem fore, indicat, id eſt Veteris legis. TAMQUAM FACTORUM, quaſi rerum creatarum mutatio erit in fine mundi. Nempe facta intereunt & occidunt, UT MANEANT EA, nempe cæli & elementa manebunt incorrupta, ſed alia forma.

V. 28. ITAQUE REGNUM IMMOBILE, id eſt perpetuum. SUSCIPIENTES, ſcilicet promiſſione. HABEMUS. Græc. *habeamus* GRATIAM, id eſt virtutes iam dictas, quibus Deo ſerviamus.

V. 29. IGNIS CONSUMENS EST Deus, ut nos puniat, niſi obedierimus.

MENOCHII.

Verſ. 1. ITAQUE ET NOS TANTAM HABENTES IMPOSITAM NUBEM TESTIUM; id eſt, cum tanta nobis ſit copia teſtium, Martyrum ſcilicet & Patrum iam nominatorum, qui per fidem, & pro fide, vel dura ſunt perpeſſi, vel heroi-

heroica opera perfecerunt. IMPOSITAM. Noſter legit, ἐπικείμενον, ſed nunc ex textu Græco eſt, περικείμενον, id eſt *circumpoſitam*. NUBEM TESTIUM. Nubem, vocat copiam teſtium, quæ inſtar denſæ nubis in tentatione, & afflictionis æſtu nos cingit, fovet, & animos addit. DEPONENTES OMNE PONDUS. Pondus vocat quidquid impedimento nobis eſſe poteſt ad hunc curſum, de quo hic loquitur. ET CIRCUMSTANS NOS PECCATUM. Explicat de quo loquatur pondere, nimirum concupiſcentiarum & peccatorum ab illis emanantium, quæ grave ſunt pondus curſum impediens: concupiſcentias appellari peccatum non eſt novum apud D. Paulum, ut videre eſt Rom. cap. VII. & VIII. multis locis. Porro hæ concupiſcentiæ nos circumſtant, & nobis quaſi veſtimentum quoddam adhærent, & impeditos, & tardos reddunt ad curſum. PER PATIENTIAM CURRAMUS AD PROPOSITUM NOBIS CERTAMEN. In Græco eſt, *per patientiam curramus propoſitum nobis agonem*, ſive *certamen*. CERTAMEN: agonem, ut eſt in Græco. Sic vocat vel ipſum ſtadium in quo decurritur, vel ipſum curſum. Vulgatus accepit pro bravio, & præmio ipſius curſus.

V. 2. ASPICIENTES, &c. quaſi dicat: Si labor curſus nos deterret, convertamus oculos ad Chriſtum, inde enim fiet ut reſumptis animis alacrius curramus. AUCTOREM FIDEI: Chriſtus eſt auctor fidei, quia docuit nos credenda, & donat ut credamus. CONSUMMATOREM FIDEI. Dicitur conſummator fidei, quia ea quæ credenda docuit, poſtea videnda præbet, & actum fidei mutat in viſionem. QUI PROPOSITO SIBI GAUDIO. In Græco eſt, ὃς ἀντὶ προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, id eſt *qui pro gaudio ſibi propoſito*, & ſenſus eſt: Qui pro gaudio, quo frui poterat, crucis paſſionem elegit. Gaudium intellige quidem, & immunitatem a doloribus. Noſtræ vulgatæ ſenſus eſt, Chriſtum ſuſtinuiſſe crucem, ut mereretur, & aſſequeretur gaudium quod Pater ipſi propoſuit, tum per ſe, tum per Angelum ipſum in horto confortantem. CONFUSIONE CONTEMPTA: ignominia probroſæ mortis non retardatus. ATQUE IN DEXTERA SEDIS DEI EST: ſedet ad dexteram Patris, honeſtiſſimo, & proximo loco throno divinitatis.

V. 3. RECOGITATE: ſerio cogitate. CONTRADICTIONEM: irriſiones, plagas, injurias, probra, &c. UT NE FATIGEMINI, &c. quaſi dicat: Recogitate Chriſti paſſionem, ut perſecutionibus, & afflictionibus non defatigemini, & animis veſtris diſſolvamini deficientes, & laboribus cedentes.

V. 4. NONDUM ENIM USQUE AD SANGUINEM RESTITISTIS; quaſi dicat: Recogitate Chriſti paſſionem, quia quamvis multa ſuſtinueritis, nondum tamen ſanguinem fudiſtis pro Chriſto, ſicut Chriſtus fudit pro vobis. ADVERSUS PECCATUM REPUGNANTES? ne peccatis pollueremini.

V. 5. ET OBLITI ESTIS CONSOLATIONIS: τῆς παρακλήσεως, id eſt *exhortationis* illius quæ habetur in libro Proverbiorum III. 11. & quæ magnam vobis afferre poſſet conſolationem in ærumnis. DISCIPLINAM DOMINI: eruditionem qua a Domino per tribulationes, & flagella ab eo immiſſa, aut permiſſa erudimur. NEQUE FATIGERIS CUM AB EO ARGUERIS: neque deficias, ne deſpondeas animum, ne diſſolvaris animo.

V. 6. QUEM ENIM DILIGIT DOMINUS CASTIGAT: perinde ut pater caſtigat, & corrigit mores inconditos filii ſui: ſi enim eos non caſtiget, ſignum eſt deſperatam eſſe filii ſalutem, qui ſibi relinquitur, ut moribus ſuis corruptis utatur. QUEM RECIPIT: quem approbat, quem in filium recipit: in vulgata editione Proverbiorum cap. III. 11. citato habetur, & *quaſi Pater in filio complacet ſibi*, quod quomodo ſit intelligendum ibi diximus, indicantes etiam unde orta ſit lectionum diverſitas.

V. 7. IN DISCIPLINA PERSEVERATE: qua ſcilicet Deus vos per Iudæos contribules veſtros exercet. TAMQUAM FILIIS VOBIS OFFERT SE DEUS; quaſi dicat, Agnoſcite veſtram felicitatem, non vos abjicit Deus, ſed ad vos venit, ut ad veros filios Pater. CORRIPIT: caſtigat.

V. 8. QUOD SI EXTRA DISCIPLINAM ESTIS, &c. abſque caſtigatione, cujus omnes qui filii ſunt participes ſunt. ERGO ADULTERI, id eſt *adulterini*, ut patet ex Græco νόθοι ſpurii, & degeneres, & paternæ hæreditatis exſortes.

V. 9. DEINDE PATRES, &c. Eſt aliud ar-

argumentum a minori ad maius; quaſi dicat: Parentes carnales nos in pueritia corripiebant, & caſtigabant, noſque eorum caſtigationem patienter ferebamus reverenter, & obedienter, quanto magis Dei correptionem? PATRES CARNIS NOSTRAE. Patres noſtri carnales ſignificat Apoſtolus hac formula dicendi animam nos non habere a parentibus, ſed eam a Deo creari, & corporibus noſtris infundi. PATRI SPIRITUUM, id eſt animarum noſtrarum creatori. ET VIVEMUS; pro, *ut vivamus*: cum hæc obedientia vitam ſempiternam nobis conciliet. IN TEMPORE PECCATORUM, id eſt ad paucos dies caſtigabant nos, ſcilicet dum eſſemus pueri, & ut recte nos gerere ſciremus in rebus ad hanc vitam paucorum dierum pertinentibus. SECUNDUM VOLUNTATEM SUAM; quaſi dicat: Atque id quidem non ſemper ad ea, quæ vere utilia nobis eſſent, caſtigabant nos, ſed ſecundum voluntatem ſuam. HIC AUTEM AD ID QUOD UTILE EST, &c. Deus autem caſtigat nos ut diſcamus, & faciamus ea, quæ vere nobis utilia ſunt, nec umquam fallitur, cum illi frequenter decipiantur.

V. 11. OMNIS AUTEM DISCIPLINA IN PRAESENTI, &c. id eſt, omnis caſtigatio cum infertur dolorem affert, nec videtur umquam gaudium paritura, ſed tamen tandem illud affert. PACATISSIMUM: εἰρηνικὸν, *pacificum*. Intelligit autem fructum, quo ſumma cum pace, & tranquillitate animi perfruemur; *fructus* autem *iuſtitiæ*, eſt eximia ſanctitas, quam eiuſmodi exercitatio efficit in anima; & beatitudo, quæ fructus eſt ex iuſtitia debitus iis, qui legitime pugnaverint.

V. 12. PROPTER QUOD REMISSAS MANUS, &c. Monet ut excuſſa ignavia alacritatem aſſumant, & ſerio ſe comparent ad patientiam, & pias actiones.

V. 13. ET GRESSUS RECTOS FACITE PEDIBUS VESTRIS, &c. Monet ut ſi qui inter eos ſint claudicantes, id eſt ad defectionem proni propter afflictiones quas fidei cauſa patiebantur, ſtatim adhibita paterna cura per medicamenta doctrinæ, conſolationis, atque exhortationis, ſanentur, & confortentur, ne neglecti longius abducantur, & corruant.

V. 14. PACEM SEQUIMINI CUM OMNIBUS. Hoc dicit ne forte odio aliquo proſequerentur eos a quibus vexabantur; nec ſatis putavit dicere, *pacem ſequimini*, niſi adderet, *cum omnibus*, cum illis etiam qui vos perſequuntur. SANCTIMONIAM: animi puritatem.

V. 15. CONTEMPLANTES: ἐπισκοποῦντες, inſpicientes, ſuperintendentes, conſiderantes, & caventes. NE QUIS DESIT GRATIAE DEI: μήτις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ; ne quis ita lente, & tepide procedat in via Dei, ut deficiat, ſubſiſtat, ab hoſtibus inſidiantibus intercipiatur. Eſt enim Metaphora ſumpta ab iis qui aut viribus deſtituti, aut ſegnitie torpentes, non aſſequuntur præcedentem comitatum. Hoc enim ſignificat verbum Græcum ὑστερεῖν. Deeſſe gratiæ Dei ille dici ſolet, qui Dei vocationi, & inſpirationibus minime reſpondet. RADIX AMARITUDINIS. Radix amaritudinis ſunt prava dogmata, & corrupti mores, qui amaritudine perfundunt conſcientiam, poſtquam ad peccatum traxerunt.

V. 16. NE QUIS FORNICATOR, &c. quaſi dicat, Radicem amaritudinis intelligo fornicatores, profanos, & ſimiles. PROFANUS: βέβηλος, ille eſt qui nihil habet ſacri, qui ſacra violat, negligit, & conculcat, ut Eſau, qui ius primogenitorum, & ſacerdotii illi adiunctum exiguæ eſcæ deſiderio vendidit. Itaque monet Paulus Hebræos, ne ius filiorum Dei, & æternæ beatitudinis quod habebant contemnerent, ut bona ſua reciperent, vel ut perſecutionem ſuorum vitarent. PRIMITIVA, id eſt iura primogenituræ.

V. 17. SCITOTE: in Græco eſt ἴστε, quod etiam verti poterat, *ſcitis*. HEREDITARE BENEDICTIONEM: conſequi benedictionem. REPROBATUS EST: reiectus eſt a patre dicente: *Benedixique ei, & erit benedictus*. NON ENIM INVENIT POENITENTIAE LOCUM: non enim obtinere potuit ut patrem facti pœniteret, & benedictionem revocaret. Vel, inutilis fuit eius pœnitentia, quod ſcilicet pœniteret eum venditi iuris primogenituræ.

V. 18. NON ENIM ACCESSISTIS AD TRACTABILEM MONTEM, &c. quaſi dicat: Non acceſſiſtis ad Sina corporeum, & terreſtrem montem, ſed ad Eccleſiam Chriſti, quæ mons eſt ſpiritualis, & cæleſtis. Hoc dicit, ut eos hortetur ne Chriſti gratiam negligant, argumento petito a Mo-

ſe,

ſe, & lege veteri, quam nemo impune violavit. Quanto ergo graviori pœna plectentur qui legem Chriſti ſuis cupiditatibus poſthabuerint? Et accensibilem ignem: ad montem Sina igne accenſum; hoc enim ſignificat ὄρει κεκαυμένῳ πυρί. Et turbinem, et caliginem, &c. vide Exod. xix. 16. Et vocem verborum; ſcilicet eorum, quibus lex ad populum pronuntiata eſt, & promulgata. Quam: vocem tubæ. Excusaverunt se. In Græco eſt παρῃτήσαντο, *recuſarunt*, ſed Latinus interpres apte dixit *excuſarunt ſe*, quia non ſimpliciter repulerunt, aut recuſarunt, ſed cum quadam excuſatione timoris mortis; dicebant enim, *ne forte moriamur*. Ne ipsis fieret verbum; id eſt, ne amplius ſecum loquentem Deum audirent.

V. 20. Non enim portabant quod dicebatur: non poterant auribus ſuis ferre quod a Deo dicebatur. Excuſaverunt ſe, & petiverunt ut non Deus ſibi loqueretur, ſed Moyſes, quoniam vehementer perterriti erant; non enim ſuſtinere poterant tantum timorem, quantum verba illa incutiebant: *& ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur*. Et si bestia, &c. pro *& ſi* in Græco eſt κἂν, *etiamſi*; id eſt, non ſolum homo, qui montem tetigerit, & ad hoc Dei quaſi tribunal accedere auſus fuerit lapidabitur; ſed etiam beſtia, aut iumentum.

V. 21. Et ita terribile erat quod videbatur: atque ita cum populus, & etiam iumenta Dei iuſſu monte arcerentur, admodum terribile erat omne id quod in illo a Deo gerebatur, & videbatur a populo, ut Moſes alioqui Deo familiaris dixerit: *exterritus ſum, & tremebundus*.

V. 22. Sed accessistis ad Sion montem, &c. ſingula quæ dixit, nunc ſingula opponit, ut doceat eos multo maiora beneficia accepiſſe a Deo, quam Patres veteris teſtamenti. Ad Sion montem: non ad terrenum montem, ſed ad ſpiritualem Eccleſiæ, quæ per Sion ſignificatur. Acceſſiſtis autem, & aggregati eſtis Eccleſiæ per fidem, & baptiſmum. Et civitatem Dei viventis, &c. adducti eſtis non ut terrenis bonis fruamini, ut illi qui legem ſervabant in monte terreno datam, ſed ut fruamini admirabili illa felicitate, cuius fiunt compotes illi qui ad cæleſtem Ieruſalem perveniunt. Appellatur autem civitas Dei viventis, quod eius conditor, & opifex ſit, non homo mortalis, ſed Deus vivus, & verus. Et multorum millium angelorum frequentiam: adducti eſtis non ut terroribus fulgurum, tempeſtatum, & tubarum terreamini, ſed ut æternum vivatis cum cœtu, & congregatione innumerabilium Angelorum.

V. 23. Et Ecclesiam primitivorum, &c. ſenſus eſt: Aggregati eſtis, & adſcripti in ſocietatem eorum, qui præ ceteris mortalibus electi ſunt a Deo, & ab aliis ſeparati, tamquam primogeniti, & in cælis, tamquam beatitudinis cæleſtis heredes conſcripti. Et iudicem omnium Deum. Acceſſiſtis ad Chriſtum, qui Iudex omnium conſtitutus eſt, atque ita & vobis dignam veſtris laboribus, & patientia mercedem reddet, & eos a quibus nunc vexamini, ſuppliciis debitis afficiet. Et spiritus iustorum perfectorum. Recte plerique omnes intelligunt piorum hominum animas ſuis corporibus exutas, & apud Deum viventes, ad quas Hebræi dicuntur acceſſiſſe per caritatem, qua illis coniungebantur, & per ſpem, qua ad eamdem felicitatem aſpirabant.

V. 24. Et testamenti novi mediatorem Iesum. Acceſſiſtis ad Chriſtum, quia bona cæleſtia, quæ ipſe novo teſtamento promiſit, re ipſa præſtat, conciliat, exhibet. Nam ideo novi teſtamenti mediator eſt, *ut promiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hereditatis*: ſupra tx. 15. Et sanguinis aspersionem, id eſt ſanguinem Chriſti ſuper vos aſperſum, immo effuſum. Huc autem acceſſerant Hebræi, quando per fidem, & baptiſmum incorporati fuerant Chriſto. Melius loquentem quam Abel. Melius loquentem, quam loqueretur ſanguis Abel: ſanguis enim Abel vindictam loquebatur, iuxta illud Geneſ. tv. 10. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*. Sanguis autem Chriſti melius loquitur, quia miſericordiam loquitur, & peccatorum remiſſionem. Iuxta hanc expoſitionem quæ communior eſt, legendum eſt in textu Græco, παρὰ τὸ Ἀβὲλ, non autem, παρὰ τὸν Ἀβὲλ.

V. 25. Videte ne recusetis loquentem; ſcilicet Chriſtum ipſum, qui, ut ſequitur, e cælis loquitur nobis. Si enim illi non effugerunt recusantes, &c. Si illi non effugerunt ſupplicium, qui angelum nomine Dei in monte loquentem

audire

Digitized by Google

audire recuſarunt : MULTO MAGIS NOS : non effugiemus ſupplicium. QUI DE CAELIS LOQUENTEM NOBIS AVERTIMUS : qui averſamur, & repellimus Deum, & hominem, qui e cælo locutus eſt nobis, cum poſt aſcenſionem ſuam legem ſuam Evangelicam promulgavit in Pentecoſte, & de cælo miſit Spiritum ſanctum.

V. 26. CUIUS VOX; ſcilicet Chriſti qua Deus eſt. MOVIT TERRAM: terram concuſſit in monte Sinai, iuxta illud Pſalm. LXVII. 9. *Terra mota eſt, etenim cæli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael*. NUNC AUTEM; ſcilicet tempore Aggæi prophetæ, per ipſum Aggæum, cuius ſunt verba quæ ſequuntur, Chriſtus promittit. ADHUC SEMEL. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Aggæo II. 7. Vulgatus Aggæi loco cit. legit *Adhuc modicum;* utrumque enim ſignificat vox Hebraica אחת, *achat*, & *modicum*, & *ſemel*: quomodo intelligendum ſit ſi legamus, *adhuc modicum*, diximus ſuo loco. Paulus ſecutus eſt LXX. qui verterunt ἅπαξ, *ſemel*, & ſenſus eſt; quaſi dicat: Prima terræ commotio facta eſt in Sina, cum data eſt lex per Moyſem, ſecunda, & ultima fiet in ſecunda, & ultima lege Chriſti, quæ immobilis erit, & æterna, & cui nulla alia lex ſuccedet. COMMOVEBO NON SOLUM CAELUM, &c. ut ſcilicet homines, & Angelos per multa magnaque prodigia excitem ad attentionem operis magni quod paraturus ſum, ſcilicet ad Chriſti incarnationem, legiſlationem, & redemptionem. Prodigia quæ facta ſunt naſcente Chriſto nemini ſunt ignota, nam Angeli apparuerunt paſtoribus, ſtella viſa eſt Magis, &c.

V. 27. DECLARAT MOBILIUM TRANSLATIONEM. Declarat legem illam quam per Moyſen tulerat fuiſſe transferendam, id eſt, abrogandam, & mutandam, ut altera ſuccedat, ſcilicet Chriſti, quæ immobilis ſit, & transferri non poſſit. TAMQUAM FACTORUM. Vox *tamquam* non ſignificat ſimilitudinem, ſed veritatem; quaſi dicat: Quippe rerum, & figurarum, quæ vere factæ, & impletæ ſunt per Chriſti paſſionem, & legem novam, quæ illi ſucceſſit.

V. 28. ITAQUE REGNUM IMMOBILE SUSCIPIENTES. Regnum immobile eſt lex Evangelica, per quam regnat Chriſtus in nobis, non Moyſes qui regnabat in veteri lege, & cui omnes obediebant. HABEMUS GRATIAM, &c. Donamur cæleſti munere gratiæ, quo adiuti Deo placere poſſimus, & illi cum metu, & reverentia debita ſervire.

V. 29. ETENIM DEUS NOSTER IGNIS CONSUMENS EST. Vox *etenim* dat cauſam cur Deo cum metu, & reverentia ſervire debeamus. Cauſa hæc eſt, quod Deus noſter inſtar ignis punit, urit, & conſumit eos, qui carent hoc ſuo metu, & reverentia.

T I R I N I.

Verſ. 1. HABENTES TANTAM, quantam præcedenti cap. vidimus, NUBEM, ſeu copiam martyrum, id eſt TESTIUM (qui per fidem & pro fide tam multa perpeſſi ſunt, & tam heroica opera perfecerunt) nobis IMPOSITAM; græce, περικείμενον, id eſt *circumpoſitam*, vallantem, undique cingentem, foventem, recreantem nos; DEPONENTES & abiicientes OMNE PONDUS, omnes ſarcinas, omnes remoras, quæ curſum virtutis aut profectus retardant, ut ſunt luxus mundanus, anxiæ curæ, nimiæ occupationes, &c. *Deponentes* etiam & miſtum facientes PECCATUM NOS CIRCUMSTANS, id eſt concupiſcentiam *a* quæ inſtar retis nos undique cingit, & in curſu atque agone virtutis maxime retardat & impedit; (ita Ribera & a Lapide) CURRAMUS totis viribus AD PROPOSITUM NOBIS agonem, id eſt CERTAMEN, & in certamine victoribus propoſitum bravium.

V. 2. ASPICIENTES IN JESUM, exemplar perfecti athletæ, ut ab eo vires, animos, ſolatium hauriamus: hic enim ut *auctor* nobis eſt FIDEI, docens quæ credenda ſunt, & donans ut credamus, ita erit & *conſummator* fidei, præbiturus vivenda quæ nunc docet credenda, & actum fidei obſcuræ cum clara viſione commutaturus. QUI PROPOSITO SIBI (per angelum *b* in horto Gethſemani) GAUDIO EX CRUCE obventuro tum ſibi, tum toti orbi, libens SUSTINUIT CRUCEM, inquit Cornel. a Lapide. Sed in Græco eſt: *Qui pro gaudio ſibi propoſito*, id eſt vice, ſeu loco gaudii, quo frui poterat, prælegit crucis paſſionem. Et ita exponunt S. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Oecumen. & Ribera. Cum

cum

eum liberum eſſet Filio Dei manere in nuda ſua divinitate, maluit incarnari: incarnatus poterat reddere corpus ſuum ſtatim immortale (& optionem illi datam vult Rupertus ipſo primo inſtanti,) maluit habere mortale: moriturus poterat vulgari morte defungi, maluit crucifigi, CONFUSIONE CONTEMPTA, id eſt ignominia probroſi ſupplicii nulla ex parte retardatus.

V. 5. OBLITI vel immemores ESTIS eximiæ iſtius παρακλήσεως, id eſt *exhortationis* vel CONSOLATIONIS QUAE in libro Proverbiorum habetur, qua divina Sapientia VOBIS TAMQUAM chariſſimis FILIIS LOQUITUR, DICENS, NOLI, FILI MI, NEGLIGERE, parvi facere, contemnere DISCIPLINAM, id eſt eruditionem, correptionem, caſtigationem, qua a *Domino* tamquam optimo parente per tribulationes & flagella ab eo ſeu immiſſa, ſeu permiſſa, inſtrueris, exerceris, perficeris. Sic enim Deus

V. 6. FLAGELLAT OMNEM FILIUM QUEM RECIPIT, id eſt quem acceptum & charum habet: reiectitios enim quaſi deſperatos relinquit corruptis moribus ſuis, & *ſecundum deſideria cordis*, ut erant *ad adinventionibus ſuis c*:

V. 7. Quando igitur DEUS vos caſtigat, TAMQUAM FILIIS OFFERT SE VOBIS parentem de veſtro profectu & ſalute ſollicitum.

V. 8. QUOD SI ESTIS abſque *diſciplina*, ſeu caſtigatione, quæ communis eſt *omnibus* veris ac genuinis filiis Dei; ERGO ADULTERI ESTIS; græce, νόθοι, id eſt adulterini, ſpurii, illegitimi.

V. 9. PATRES CARNIS NOSTRAE, ſeu corporis proſeminatores, id eſt parentes a quibus ſolum corpus ſortiti ſumus, patienter tulimus caſtigantes nos; quanto potiori iure feremus *patrem* SPIRITUUM, id eſt Deum auctorem animarum noſtrarum? nam eas ipſe ſolus creavit, corporibus infudit, iuſtificavit, &c. ita Theophyl. Neque vero caſtigat niſi in utilitatem noſtram, nempe

V. 10. IN RECIPIENDO; græc. *ad recipiendum*, ſeu ut recipiamus *d*, SANCTIFICATIONEM EIUS, id eſt ſanctas leges *e* & mandata ipſius admittamus, & compleamus.

V. 13. GRESSUS RECTOS FACITE PEDIBUS; id eſt, rectam chriſtianiſmi viam, fidem, vitam tenete, nec claudicetis nunc in iudaiſmum, nunc in chriſtianiſmum, nunc in hæreſin. Si cui per impatientiam vel imprudentiam pes læſus ſit, SANETUR per opportuna inſtructionis, adhortationis & fraternæ correptionis medicamenta.

V. 15. CONTEMPLANTES, ἐπισκοποῦντες, id eſt *attendentes*, providentes, ſtudioſe caventes, NE QUIS, ſeu virium defectu, ſeu ſegnitie retardatus, DESIT GRATIAE DEI, id eſt divinæ vocationi, inſpirationi, excitationi ad culmen perfectionis & ſalutis omnes ductare volenti. Item cavete, NE QUA RADIX AMARITUDINIS, ſeu amara *f*, doctrinæ falſæ, vel pravi exempli, in ſemente congregationis veſtræ SURSUM GERMINANS IMPEDIAT & inquinet lætam meſſem: ita Chryſoſt. cum ſuis. Talis radix eſſet

V. 16. FORNICATOR qui impune ſcortetur: item PROFANUS, βέβηλος, id eſt qui nihil habet ſacri, qui res ſanctas nihili facit, contemnit, conculcat; UT ESAU olim PRIMITIVA, id eſt ius primogenituræ ſuæ, de quo fuſius in Geneſi *g*. Unde & poſtea

V. 17. REPROBATUS, id eſt reiectus, EST iam a Deo, quam a parente ſuo Iſaaco, ne compos fieret expetitæ benedictionis paternæ, etſi CUM LACRYMIS EAM INQUISISSET. NON ENIM INVENIT LOCUM POENITENTIAE; id eſt, obtinere numquam potuit ut ſubtractæ ipſi, & impertitæ Iacobo benedictionis pœniteret aut parentem ſuum, aut Deum. Sed neque ipſius pœnitentia utilis ipſi fuit, qua doluit non de peccato ſuo (nam mox voluit occidere fratrem,) ſed de damno quod incurrit, puta de vendito iure primogenituræ, de amiſſa benedictione, &c. deſiderans & ſatagens illa recuperare, ſed fruſtra: ita Theodoretus Theophyl. & Anſelmus. Porro exemplo Eſau cavete etiam vobis, o Hebræi, ne ineſcati terrenarum voluptatum vili illecebra, excidatis iure filiorum Dei, & benedictione ac hereditate cæleſti.

V. 18. ACCESSISTIS ultro & ſponte, NON AD terrenum & manibus TRACTABILEM, ſeu tangibilem, MONTEM Sinai, & ACCENSIBILEM, id eſt accenſum, IGNEM, quo mons ille ardebat *h*, eratque omnibus ſummo terrori & horrori.

V. 20. NON ENIM PORTABANT, ſeu ferre poterant, Iſraelitæ horrorem quem

verba iſta Dei ipſis ineutiebant, non tantum homo, ſed ET BESTIA SI TETIGERIT MONTEM, LAPIDABITUR. Quia & ipſe *Moyſes*, quantumvis Deo familiaris & charus, perculſus tamen ſimili horrore, fatetur ingenue:

V. 21. EXTERRITUS SUM ET TREMEBUNDUS. Quæ verba in Exodo non exprimuntur, ſed Paulus vel ex maiorum traditione, vel ex inſtinctu Spiritus ſancti accepit, ut & quod de *turbine* & *procella* hic *i* ſubnectit, & etiam Pſalmiſta de *terræmotu* k: ita S. Chryſoſt. cum ſuis. Sed ſi tam gravis pœna infligebatur tranſgreſſoribus veteris iſtius legis quantæ pœnæ manebunt contemptores legis & Eccleſiæ Chriſti, cuius illa vetus non niſi typus erat, ſeu figura?

V. 22. *Mons* enim AD quem vos ACCESSISTIS per fidem per baptiſmum, non eſt mons Sinai terrenus, & terrena bona promittens, latibulum & ſpelunca ferarum: ſed eſt *mons* SION, id eſt Eccleſia Chriſti per *montem Sion*, allegorice deſignata, *civitas* DEI VIVENTIS, ET tot millionum ANGELORUM IERUSALIM, id eſt viſio pacis, eaque *cæleſtis* & cæleſtia bona civibus ſuis ſubminiſtrans:

V. 23. *Eccleſia* PRIMITIVORUM; id eſt congregatio eorum qui præ ceteris mortalibus ſpeciatim electi ſunt a Deo, & a vulgo ſeparati, Deoque dedicati, ſicut primogeniti filii, ideoque nobiliſſimi & chariſſimi, QUI EX NUNC IN CAELIS, tamquam cæleſtis regni & æternæ beatitudinis candidati & heredes, CONSCRIPTI SUNT a Deo. Chriſtus quoque, ad quem pari modo acceſſiſtis, non eſt blæſus *l* ille & infirmus Moyſes, quem tamen nemo impune offendit; ſed eſt omnipotens atque impiis inexorabilis *iudex* OMNIUM tam angelorum, quam hominum, immortalis *Deus*. Eccleſiam quoque Chriſti quam ingreſſi eſtis, non conſtituunt increduli illi, ſemperque Deo rebelles murmuratores *m*, nil niſi ollas carnium *n* & cepas AEgypti eructantes: ſed SPIRITUS, id eſt animæ, IUSTORUM PERFECTORUM per fidem & caritatem in hac vita, per plenam ſanctitatem & gloriam in altera vita. Ibi invenitis, non Moyſen antiqui, ſed

V. 24. IESUM NOVI TESTAMENTI MEDIATOREM & conciliatorem, Pontificem, & advocatum veſtrum: ET SANGUINIS ASPERSIONEM, id eſt ſanguinem Chriſti vos aſpergentem, mundantem, ſanctificantem, MELIUS LOQUENTEM QUAM loquatur ſanguis ABEL: hic enim clamat vindictam, ille miſericordiam, inquit Cyrillus & Chryſoſt. cum ſuis.

V. 25. SI Iſraelitæ RECUSANTES audire Moyſen vel angelum, QUI SUPER TERRAM, in Sinai ipſis LOQUEBATUR *o*, NON EFFUGERUNT ſupplicium, MULTO MAGIS NOS non effugiemus, QUI Chriſtum Deum & hominem, DE CAELIS NOBIS LOQUENTEM per ſuos legatos, per miracula, per dona Spiritus ſancti, &c. AVERTIMUS, repellimus, averſamur, ita idem Chryſoſtomus.

V. 26. CUIUS Chriſti, qua Deus eſt, VOX, ſeu ſonitus, TERRAM TUNC MOVIT, nempe terræmotu quo concuſſit montem Sinai *p*, cum legem veterem per angelum promulgaret *q*. NUNC AUTEM tempore novi teſtamenti, prout per Prophetam Aggæum *r promiſit*, DICENS, ADHUC SEMEL (ita vertunt LXX. Hebræum *achat*, quod etiam ſignificat *modicum*, ut vertit interpres Aggæi:) nempe cum Meſſias advenerit, novus & cæleſtis legislator, MOVEBO NON SOLUM TERRAM, SED ET CAELUM. Ita iam de facto completum videmus Chriſto naſcente, baptizato, transfigurato, patiente, moriente, reſurgente, cælos repetente, Spiritum ſanctum mittente, ut in Aggæo explicui.

V. 27. Eo ipſo AUTEM QUOD apud Aggæum DICIT, ADHUC SEMEL; DECLARAT TRANSLATIONEM aliquando inſtituendam eorum quæ per Moyſen ante poſita fuerant, puta legis veteris & quæcumque illa lege continentur, utpote MOBILIUM & neceſſario mutandorum; erant enim typi & figuræ rerum tempore Chriſti complendarum; figuræ autem ſimul ac *factæ*, id eſt completæ, fuerint, deſinunt eſſe; UT ſuccedat veritas, & MANEANT res ipſæ per figuras adumbratæ, puta lex nova, regnum & Eccleſia Chriſti, ſacrificium & Sacramenta novæ legis, aliaque tum militantis, tum triumphantis Eccleſiæ ornamenta, QUAE SUNT IMMOBILIA & æterna, nec umquam mutabuntur vel auferentur.

V. 28. ITAQUE REGNUM Chriſti IMMOBILE, eiuſque (ut legitimi regis noſtri) legem atque imperium ultronei SUSCIPIENTES,

Digitized by Google

TES, admittentes, exequentes, (ad quod ſufficientem, immo abundantem, HABEMUS GRATIAM & auxilia cæleſtia,) SERVIAMUS & placere ſtudeamus DEO CUM METU ET REVERENTIA ipſi debita.

V. 29. ETENIM DEUS NOSTER non' eſt ſtipes aut truncus (ut idola Gentium;) ſed inſtar IGNIS *ſ* urit, punit, *conſumit* eos qui detrectant ei ut oportet deſervire: neque hoc in veteri ſolum teſtamento, ſed & in novo.

(a) Rom. VI. & VII. & Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 59.
(b) Lucæ XXII. 43.
(c) Pſal. LXXX. 13.
(d) Pſal. CXXV. 1. & Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 57
(e) Ibid. num. 14.
(f) Ibid. num. 40.
(g) Gen. XXV. 23.
(h) Exodi XIX. 16.
(i) Hic verſ. 18.
(k) Pſal. LXVIII. 9. & hic verſ. 26.
(l) Exod. IV. 10. &c.
(m) Num. XIV. 22.
(n) Exodi XVI. 3. & Num. XI. 4.
(o) Exodi XIX. 3. & XX. 1. &c.
(p) Hic verſ. XI.
(q) Exodi XIX. & Eſai. LXVIII. 9.
(r) Aggæi II. 7.
(ſ) Deut. IV. 24.

GORDONI.

Verſ. 1. IDEOQUE ET NOS. Hortatur ad tolerantiam uſque ad verſum decimum quartum, & a veterum Sanctorum, quos recenſuit, exemplo argumentatur. Si illi ſub fide adhuc perobſcura, & in illo ſtatu non adepturi præmium cæleſte vitam etiam profuderunt; quanto magis nos nunc reſerato nobis cælo, conſtantes eſſe oportet in cœpta via ſalutis. TESTIUM NUBEM, copiam intelligit. PONDUS impedimentum eſt currentis ad bravium. Pondus ſunt peccata, & appetitus male domitus.

V. 2. ASPICIENTES. Illuſtre incitamentum eſt ad patientiam in hoc curſu intueri ante nos currentem ducem itineris Chriſtum. Ille fidem nos docet; eamque conſummabit, dum actus fidei in viſionem claram mutabitur. SUSTINUIT CRUCEM, CONFUSIONE CONTEMPTA, *pro* GAUDIO, quod in hac vita habere potuiſſet, ſi voluiſſet. Hinc Rupertus, in ipſo incarnationis momento, propoſita opinione crucis & gaudii, ait Chriſtum pro gaudio crucem elegiſſe. Hoc Chriſti factum fuit continuum Sanctorum ſpeculum. Sic iam Paulus verſ. 3. RECOGITATE, inquit, hanc Chriſti paſſionem, & perſecutiones, ne fatigemini. Nondum pro illo fudiſtis ſanguinem, ut tamen ipſe pro vobis.

V. 5. ET OBLITI ESTIS. Monet habere ſatis, unde ſeipſos in adverſitate conſolentur. Sic Proverb. III. 31. ſuadet Deus ne negligatur diſciplina, & eruditio illa, quæ a Deo eſt per tribulationes. Deus ibi patrem agit (verſ. 6.) caſtigans quos amat.

V. 7. IN DISCIPLINA PERSEVERATE. Pergit hortari ad ſtrenue toleranda adverſa, ſub nomine diſciplinæ: argumentum ſumit a filiis ſub tutela patris, aut ſub ferula magiſtri. Sic Deus ſuos exercet ut filios. Si autem extra diſciplinam eſtis, & correptionem, videndum an ſitis ſpurii. DEINDE PATRES (verſ. 9.) aliud argumentum eſt: Si patrem carnalem pueri tolerant, & obediunt, dum caſtigantur, quanto magis nos Deum parentem ſpiritus ſuaviter caſtigantem ferre debemus: præſertim cum Deus erudiat ſic ad iuſtificationem: quod nobis utile eſt & non perpetuum. Certe quamvis (verſ. 11.) omnis talis diſciplina in hac vita videatur acerba aliquantulum: poſtea tamen iucunda videbitur, & ferax ſuaviſſimi fructus. Concludit itaque (verſ. 12. & 13.) excutiendam eſſe omnem ignaviam. Hæc de afflictione, quæ ut domat concupiſcentiam, ita magnorum virtutum magiſtra eſt.

V. 14. PACEM SEQUIMINI. Hortatur nunc ad pacem & ſanctitatem, verſ. 14. 15. 16. & 17. Hoc, inquit, facite, curantes ne quis deſit gratiæ Dei: tales ſunt qui ſubſiſtunt in via, & interdum deficiunt; dum non reſpondent vocationi, & inſpirationibus divinis. PROPHANUS, verſ. 16. eſt, qui ſacrarum rerum neglector eſt, & contemptor: qualis fuit Eſau, qui ius primogeniti (cui annexum fuit ſacerdotium) contempſit: Gen. XXV. Sic prophani eſſent Hebræi, ſi negligerent donum, quo ſunt adoptati in filios Dei. Ubi illud etiam (verſ. 17.) conſiderandum eſt, Eſau non inveniſſe locum pœnitentiæ: non enim potuit lacrymis ſuis flectere patrem, & redire ad venditam hæreditatem. Sed de hac venditione primogenituræ & peccato, vide ad citatum locum Geneſeos. Non habemus ex hoc loco Eſau reprobatum fuiſſe ab æterna ſalute. Nec porro verum eſt quod

quibuſdam hæreticis venit in mentem, non concedi a Deo peccatoribus veniam, & pœnitentiam: quibuſdam ob gravia peccata ægre conceditur.

V. 18. uſque ad 25. NON ENIM ACCESSISTIS. Docet malum eſſe & periculi plenum, ſi contingat eos averti a Deo quod explicat ex comparatione cum lege Moſaica data, Exod. cap. XIX. & XX. Si fidem, inquit, reliqueritis, multo deterius vobis continget, quam veteribus Iudæis, qui Deum in monte fumigante, & caligine loquentem non audierunt. ACCENSIBILEM IGNEM, ad montem igne accenſum. EXCUSAVERUNT SE, dicentes, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. NON PORTABANT, perterriti non poterant loquentem Deum ferre: tam etiam terribile erat hoc Dei tribunal, ut & Moſes alioqui Deo familiaris timeret: & beſtiis accedentibus indiceretur lapidatio. SED ACCESSISTIS (verſ. 22.) redditio comparationis eſt, ubi ſingula ſingulis reddens, explicat ad quantum bonum vocati ſunt in Eccleſia Chriſtiana conſtituti, ubi ſine terrore ſpectantibus Angelis aggregati ſunt, & poſiti in numero electorum ſub Chriſto iudice. ET SPIRITUS IUSTORUM, hoc eſt, ad ſpiritus & animas iuſtorum aggregati ſunt, quibus eſt vita parata in cælis, nunc corpores exutis. Syntaxin hanc & ſenſum belle explicat textus Græcus προσεληλύθατε πνεύμασι. Denique ad mediatorem Chriſtum acceſſiſtis, & ſanguinem loquentem miſericordias, cum ſanguis Abel vindictam ſolam loqueretur. Ex Græco ad ſanguinem aſperſionis, κρείττονα λαλοῦντι, meliora. Illud QUAM ABEL, varie legitur in Græco; ſed idem eſt ſenſus. Sic etiam ſive legas ex Græco, *melius*, vel *meliora*.

V. 25. VIDETE NE RECUSETIS. Cavete, inquit, vobis veterum exemplo: ſi enim vindictam non effugerunt ſub Moſe terreno, quid vobis fiet ſub Chriſto cæleſti? Ceterum quod dixit Deus per Aggæum prophetam cap. II. 7. (citatur ex Septuaginta) hunc ſenſum dat: prima terræ mutatio facta eſt in Sina ſub Moſe; ſecunda, quæ ultima eſt, ſub Chriſto, & æterna erit: nec ei alia ſuccedet. Itaque regnum immobile retinete, & per gratiam ſervite Deo, qui vivens eſt, & ignis conſumens eos qui metu carent & reverentia. DECLARAT, oſtendit legem Moſaicam transferendam, mutandam, abrogandam, & cui ſuccederet alia permanens. TAMQUAM FACTORUM. Declaravit tranſitura eſſe Moſaica, nempe quæ tantum erant figuræ, & rerum iam factarum imagines. Vide citatum Aggæum, ubi oſtendi de quo Chriſti adventu loquatur. Demum in primo Chriſti adventu, quanta fit in cælo per Angelos, & in terris mutatio, & qualia prodigia, notiſſimum eſt.

CA-

CAPUT XIII.

Ad varias hortatur virtutes, iubens cavere ab extranea doctrina, at memoriam refricans altaris & hoſtiarum veteris novique Teſtamenti, & ſubinde monens, ut præpoſitis obtemperent: orat ut pro ſe precentur, idem viciſſim pro illis agens, additis mutuis ſalutationibus.

1. CAritas † fraternitatis maneat in vobis. 2. (*a*) Et hoſpitalitatem nolite oblivиſci, * per hanc enim (*b*) latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis. 3. Mementote vinctorum, tamquam ſimul vincti; & laborantium, tamquam & ipſi in corpore morantes. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. 5. Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus; ipſe enim dixit: (*c*) non te deſeram, neque derelinquam, 6. ita ut confidenter dicamus: (*d*) Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo: 7. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. 8. Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſæcula. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. * Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis. 10. Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. 11. (*e*) Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. 12. Propter quod & Ieſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. 13. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes. 14. (*f*) Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. 15. Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. 16. Beneficentiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus. 17. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. 18. Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus in omnibus bene volentes converſari. 19. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis. 20. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, 21. aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram ſe per Ieſum Chriſtum: cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. 22. Rogo autem vos fratres, ut ſufferatis verbum ſolatii. Etenim perpaucis ſcripſi vobis. 23. Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo (ſi celerius venerit) videbo vos. 24. Salutate

Digitized by Google

lutate omnes præpoſitos veſtros, & omnes ſanctos. Salutant vos de Italia fratres. 25. Gratia cum omnibus vobis. Amen.

(a) Rom. xi. 13. I. Pet iv. 9. (b) Gen. xviii. 3. & xix. 2. (c) Ioſ. 1. 5.
(d) Pſalm. cxvii. 6. (e) Levit. xvi. 27. (f) Mich. ii. 10.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. Per hanc enim latuerunt quidam angelis hoſpitio acceptis. Locus egregie emendatus, ubi *latuerunt*, ſcriptum eſt præteritum a lateo, quod eſt occultum, inſcium eſſe, pro eo quod vulgo legitur *placuerunt*, præteritum a placeo, quod eſt, gratum eſſe.

Verſ. 9. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor, non eſcis. Correctores prætulerunt activum *ſtabilire* paſſivo *ſtabiliri*.

Lectionum Varietas

Verſ. 1. C*Aritas fraternitatis maneat in vobis.* Quidam libri auferunt *τὸ in vobis*, Græco conſentanee.

Notationes.

Verſ. 1. C*Aritas fraternitatis maneat in vobis* (*nobis* o.) Pleraque Latina exemplaria cum impreſſa, tum ſcripta cum Latinis enarratoribus Haymone, & poſterioribus, ac Syricis libris legunt *in vobis*; pro quo Hebraica editio habet בְּקִרְבְּכֶם, *in viſceribus veſtris*. Porro quatuor noſtrorum Latinorum ſcriptorum, Brug. Leod. Mal. ma. T. & Pariſienſium unum Ge. l. cum Græcis codicibus, Græciſque Interpretibus Chryſoſtomo, Theophylacto, & OEcumenio auferunt illud. Quinque alia noſtra manuſcripta (e. Pl. m. I. Atr. s. Pl. lon.) alio loco habent, *In vobis maneat*; ita ut veriſimile fiat gloſſema eſſe noſtro textui a ſcribis, aut lectoribus additum (nam Syrus ipſe non raro huiuſmodi adiicit) quod ſi dematur clarior eſt genuinus Apoſtoli ſenſus monentis, non ut ſe mutuo tamquam fratres diligant; id quod Haymo, aliique intelligunt; ſed quod Græci obſervarunt, ut in ea dilectione perſeverent (*fraternitatis* enim dixit Interpres pro *fraterna*, extremum forte Græcæ vocis *φιλαδελφία* imitatus) ne forte ob frequentes tribulationes flaceſſerent; quemadmodum mox non hortatur, ut hoſpitales fiant, ſed ut conſuetæ hoſpitalitatis etiam facultatibus ſpoliati non obliviſcantur.

V. 2. Et hoſpitalitatem nolite obliviſci: per hanc enim placuerunt quidam (*Deo* o.) *angelis hoſpitio receptis.* Pro *placuerunt*, quod eſt in Latinis libris pleriſque omnibus, legiturque a Latinis enarratoribus Haymone, ac poſterioribus, Græci tum codices, tum Interpretes ἔλαθον conſtanter legunt, quod eſt *latuerunt*: διὰ ταύτης γὰρ ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους, ad verbum reddas: *per hanc enim latuerunt quidam hoſpitantes angelos*; cuius ſenſum ea dat lectio, quæ apud Auguſtinum cum alibi, tum cap. iv. Quæſtionum ſuper Geneſin reperitur: *per hanc enim quidam neſcientes hoſpitio receperunt Angelos.* Græcorum enim eſt phraſis, qua dicunt, latui cadens in foveam, pro neſcius in foveam cecidi: priſcis etiam Latinis uſurpata, Tertulliano, & Irenæi Interpreti. Auguſtinianæ lectionis meminerunt Auctor gloſſæ, Lombardus, Carenſis, & D. Thomas. Cenſent igitur noſtræ ætatis Scriptores complures, Magdalius, Catharinus, & alii non *placuerunt*, ſed *latuerunt* vertiſſe, vulgatæ editionis Interpretem, non ſine veriſimilitudine. Facile enim quis adducatur, ut credat librarios, cum non intelligerent quid ſibi vellet *latuerunt*, emendandum iudicaſſe *placuerunt* voce perquam vicina, & commodam claramque ſententiam reddente. Sunt impreſſi codices aliquot, qui *latuerunt* habeant, nominatim Quentelianus, ſed ex eorum, qui editionibus præfuerunt arbitrio correcti. Pariſienſes unum manuſcriptum ſignant, in quo hoc idem ſit *latuerunt*; Germani latum; ſed niſi hic liber induſtria compluribus locis ſit emendatus, miror equidem. Unus ex noſtris ſcriptis V littera ſignatus, *placuerunt* habet: itaque & alterum antiquitate præſtantem, Malmundarii maiorem habuiſſe veſtigia *t* litteræ teſtantur. Verum enimvero etſi in nullis *latuerunt* reperias exemplaribus, non eſt a vero alienum antiquo errore mutatum eſſe iam inde ab editionis infantia. Hugo Cardinalis, Carenſis, recitata Auguſtini lectione: " Cui
,, litteræ, inquit, conſentit qui taliter litte-
,, ram habet: per hanc enim latuit quoſdam
,, ho-

Digitized by Google

„ hoſpitantes Angelos “. Nicolaus Zegerus arbitratur retinendum *placuerunt*, quod conſequenter Interpres non tranſtulerit *angelos hoſpitio recipientes*, ſed *angelis hoſpitio receptis*. Atqui id facile fieri potuit, quod participii aoriſtum ξενίσαντες, Latino participio præteriti temporis exprimere voluerit. Neque aliud eum Græce legiſſe pro ἔλαθον, vicinitas Latinarum vocum *placuerunt*, & *latuerunt*, quæ Græcarum non eſt, facile admittit. Porro quem vox *placuerunt* dat ſenſum, continetur is latenter, etſi *latuerunt* legas; ſed plus hac ſignificatur, nimirum: per hoſpitalitatis officia tam gratos quoſdam fuiſſe Deo, tantique evaſiſſe meriti, ut ſubinde cum homines ſe excipere exiſtimarent angelis hoſpitibus fuerint honorati. Utrumque expreſſerunt Syri hunc in modum: *per hanc enim digni fuerunt quidam, qui cum non ſentirent, exciperent angelos*. *Deo* ſubaudiendum eſt, quod fere Gloſſematici noſtri ſubaudiunt (tametſi & *angelis* poſſis) ſi *placuerunt* legas; non addendum quamvis in nonnullis ſit libris. Quidam dativorum loco iungunt *angelis hoſpitio receptis*, τῷ *placuerunt*, nimium a prototypo recedentes. Poſſis quod diximus, *angelis* ſubaudire; ſed qui ſequuntur ablativi ſunt abſolute poſiti, aut certe longe aliter Interpres Græca legiſſe debuit, quam nos cum Veterum compluribus legamus.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. & 2. CARITAS FRATERNITATIS MANEAT IN VOBIS, &c. Quum periclitaretur in eis inter tot afflictiones mutua caritas & fraternitas, illius eos admonet & hoſpitalitatis, exemplo antiquorum patrum Abraham, & Loth, dicens: PER HANC ENIM PLACUERUNT QUIDAM ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS. Videtur hic errore librariorum irrepſiſſe, placuerunt pro latuerunt, quum Græcis omnino non ſit placendi verbum, ſed ἔλαθόν τινες ξενίσαντες τοὺς ἀγγέλους: hic loquendi modus Græcorum Latinis eſt inſuetus. Verti autem poteſt, *per hanc enim quidam angelos hoſpitio exceperunt neſcientes angelos eſſe*, ſicut ἔλαθον λαλήσας ad verbum ſignificat, *latui locutus*, ſed Latine verti poteſt, *imprudens locutus ſum*. His autem verbis Abraham & Loth hoſpitalitatis meminit, qui hoſpitio exceperunt angelos, quum puros homines crederent, alioqui non magna digni laude ſi angelos eſſe reſciiſſent. Si interpres *placuerunt* vertit, aliud indubie Græce legit, nec ſenſus eſt incommodus, placuerunt enim angelis hoſpitio receptis Abraham & Loth, quando pro gratia hoſpitii Loth angeli liberarunt.

V. 3. MEMENTOTE. Vult eos fraternitatem, & caritatem exercere erga vinctos, *mementote*, inquit, VINCTORUM TAMQUAM SIMUL VINCTI, id eſt perinde ac vobis vinctis ſubveniri velletis, ET LABORANTIUM. Græce κακουχουμένων, id eſt afflictorum & eorum qui quaecunque neceſſitate premuntur, mementote, inquit, eorum, illis ſubvenire TAMQUAM ET IN CORPORE MORANTES; id eſt, tamquam iiſdem afflictionibus corpus obnoxium habentes, ideoque non ignari quantum illi patiuntur.

V. 4. HONORABILE CONNUBIUM. Connubium extollit adverſus eos qui nuptias damnabant, ſed tamen ob fornicationem pene tantum vitandam laudare videtur, quum ſubdit, quod FORNICATORES ET ADULTEROS IUDICABIT DEUS. SINT MORES, &c. avaritiam inhibet, modico iubens eſſe contentos, probans ex Scriptura nihil verendum neque defuturum adiutore Deo.

V. 7. 8. & 9. MEMENTOTE. Præfectos eccleſiis iubet, ut beneficentia proſequantur alentes, & honeſtam eorum converſationem (quæ ab exitu ſpectari maxime debet) ac ſanam doctrinam imitentur. Erant autem qui perverſe de Chriſto docerent, aſſerentes alium Chriſtum & Meſſiam venturum, ſicut & hodie falſo Iudæi putant; ideo ſubdit, IESUS CHRISTUS HERI ET HODIE, idem ipſe permanebit in ſæcula, id eſt idem eſt, qui ab æterno fuit: hoc ſignificat heri: qui nunc eſt, hoc ſignificat *hodie*, & qui permanebit in æternum. Et propterea, inquit, NOLITE VARIIS ET PEREGRINIS DOCTRINIS ABDUCI, id eſt alienis a fide Chriſti; cuiuſmodi erat doctrina de cibis mundis & immun-

Digitized by Google

mundis, quam poſt baptiſmum acceptum multi docebant: unde ſubdit, *Bonum* EST STABILIRE COR, id eſt mentem atque animum gratia evangelica, ET NON ESCIS, id eſt eſcarum diſcretione mundarum atque immundarum, QUAE nihil PROFUERUNT AMBULANTIBUS IN EIS, id eſt huiuſmodi ciborum diſcretionem maxime poſt legem evangelicam facientibus.

V. 10. uſque ad 16. HABEMUS ALTARE DE QUO EDERE NON HABENT, &c. Quum Iudaicorum ciborum diſcretionem damnaſſet, oſtendit excellentiorem nobis eſſe cibum, a quo edendo arcerentur quicumque legi inhærerent, & deſervirent: *habemus*, inquit, *altare*, id eſt hoſtiam in ara crucis oblatam, ipſum ſcilicet Chriſti corpus, DE QUO EDERE NON poſſunt QUI TABERNACULO DESERVIUNT, id eſt legem mordicus tenent: quod probat a ſimilitudine ſacrificii legalis quod in feſto propitiationis fiebat, ubi vitulo & hirco apud caſtra immolatis ſanguinem illorum Pontifex ſolus in ſancta ſanctorum oraturus deferebat; carnes vero eorum animalium edere ſacerdotibus non licebat, ſed extra caſtra deferebantur concremanda, quæ omnia in figuram Chriſto contigerunt. Chriſtus enim verus Pontifex cum ſanguine ſuo in ſancta ſanctorum cæleſtis patrem oraturus intravit: & quemadmodum animalium immolatorum, id eſt lege extra caſtra corpora cremabantur, ita corpus Chriſti extra Ieruſalem in monte Calvariæ ardore paſſionis eſt combuſtum. Hæc eſt vera hoſtia, per quam ſanctificantur, & de qua ſpiritualiter, & ſacramentaliter veſci poſſunt quicumque in eum credunt, non qui fiduciam in veteri lege habentes, veteri adhuc tabernaculo deſerviunt. EXEAMUS ergo, inquit, AD EUM EXTRA CASTRA, id eſt a converſatione de mundo, & caſtrorum turba recedamus: IMPROPERIUM EIUS PORTANTES, id eſt eius veſtigia imitantes; hoc eſt, ſicut ipſe pro nobis paſſus eſt, ita pro eo affligi non dubitemus. Nam improperium Chriſti ſuſtinere eſt ſimiles atque ille iniurias patienter ferre: ſicut de Moyſe XI. capite dixit, quod improperium Chriſti divitiis AEgyptiorum prætulit, de quo vide in eo loco. Exeamus ergo ad Chriſtum extra caſtra, id eſt extra mundi huius deſiderium. NON ENIM HABEMUS HIC MANENTEM CIVITATEM, SED FUTURAM INQUIRIMUS. Adeamus ergo ad Chriſtum paſſum, & per ipſum Deo patri offeramus, HOSTIAM LAUDIS, id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius. Alludit autem Paulus ad oblationes veteris legis, in qua primi & præcipui terræ fructus Deo offerebantur: non vult ergo nos terræ fructus, ſed fructum labiorum noſtrorum confitentium nomini Dei, id eſt Dei nomen laudantium, laudes ſcilicet Dei, & gratiarum actiones, de quo ſacrificio inquit David, Immola Deo ſacrificium laudis.

V. 16. uſque ad 20. BENEFICENTIAE, &c. Sequentibus verbis, quæ facilia ſunt, ad eleemoſynas eos hortatur, & exhibendam præfectis ſuis obedientiam; ut cum hilaritate, & non ex triſtitia ad recte ſibi miniſtrandum eos invitent. Deinde ut pro ſe orent precatur, de innocentia ſua proteſtatur, ſuaque erga illos benevolentia. CONFIDIMUS, inquit, id eſt nihil cuiuſquam accuſationes veremur, quoniam in rebus omnibus bonam conſcientiam habemus, quippe qui apud omnes bene converſari cupimus. Ideo, inquit, AMPLIUS DEPRECOR VOS HOC FACERE, id eſt pro me orare, UT CELERIUS VOBIS RESTITUAR, erat enim vinctus Paulus.

V. 20. & 21. DEUS AUTEM, &c. Antea' pro ſe precari ſupplicans, nunc bene illis precatur dicens: DEUS PACIS, QUI DE MORTUIS, id eſt, de morte & ſepulchro EDUXIT PASTOREM MAGNUM OVIUM ſcilicet Chriſtianorum Ieſum, IN SANGUINE TESTAMENTI AETERNI, id eſt qui ea gratia illum ſuſcitavit ut ſanguis eius pro nobis fuſus, eſſet in teſtamentum & pactum æternum noſtræ cum eo reconciliationis, APTET VOS, id eſt perficiat IN OMNI BONO, UT FACIATIS EIUS VOLUNTATEM. Quia autem quicquid boni facimus, non tam nos quam Deus ipſe facit, ſubdidit, FACIENS IN VOBIS, &c.

V. 22. ROGO AUTEM VOS, &c. Admonet eos conſolari in adverſis: dehinc Timotheum illis commendat, & poſtmodum ſalutationibus Epiſtolam claudit.

S A.

Verſ. 1. FRATERNITATIS, id eſt fraterna.

V. 2. LATUERUNT; quaſi dicat, Inſcientes

tes

Digitized by Google

tes Angelos receperunt, putantes eſſe homines.

V. 3. SIMUL; pro, ſi ſimul eſſetis. LABORANTIUM, id eſt afflictorum. CORPORE, ſcilicet multis ſubiecto miſeriis.

V. 4. HONORABILE, ſcilicet ſit; quaſi dicat, Honeſte tractetur. OMNIBUS, ſcilicet coniugatis; vel quaſi dicat, Omni ex parte. IUDICABIT, id eſt condemnabit.

V. 7. EXITUM, id eſt progreſſum; quaſi dicat, Vivendi rationem.

V. 8. HERI ET HODIE, id eſt in præterito & præſenti; quaſi dicat, Semper ſuis adeſt, ut adfuit antiquis.

V. 9. ABDUCI, ſcilicet a vero. Græc. *circumferri*, ſcilicet huc illuc. AMBULANTIBUS IN EIS, id eſt illis utentibus, ſcilicet ſuperſtitioſe, vel ſine fide.

V. 10. EDERE, ſcilicet Euchariſtiam. QUI TABERNACULO, &c. id eſt Legis veteris ſacerdotes.

V. 11. QUORUM ENIM, &c. quaſi dicat, Sunt enim illæ figuræ quas oportet ceſſare, ubi advenit res ipſa figurata, ſcilicet Chriſtus.

V. 13. PORTANTES, ſcilicet ſimul cum illo; quaſi dicat, Illum imitantes.

V. 16. COMMUNIONIS, id eſt communicationis bonorum cum pauperibus. PROMERETUR, id eſt conciliatur, mereturque homo apud ipſum.

V. 17. NON EXPEDIT. Græce, *incommodum eſt*, ſeu *inutile*.

V. 18. CONFIDIMUS ENIM, &c. quaſi dicat, Id facere debetis, ut pro amico, & de vobis bene merito, qui ſibi nihil conſcius eſt contra vos feciſſe, ſed velle potius prodeſſe.

V. 19. AMPLIUS: poteſt iungi cum *deprecor*, vel cum *facere*.

V. 20. PACIS, ſcilicet auctor. AETERNI, ſcilicet confirmatore.

V. 21. APTET. Græc. *perficiat*.

V. 22. SUFFERATIS, id eſt boni conſulatis. SOLATII: verti poterat *exhortationis*. ETENIM, &c. quaſi dicat, Quamquam pauciora ſcripſi, quam res poſtulabat.

V. 23. COGNOSCITE; quaſi dicat, Tractate ut notum & amicum. DIMISSUM, ſcilicet e carcere, vel a me ad vos. Syr. *ſolutum*. VENERIT, ſcilicet ad me. VIDEBO, id eſt inviſam, ſcilicet per illum iterum, vel cum illo.

V. 24. SANCTOS, id eſt Chriſtianos.

V. 25. AMEN. Græce additur, *ſcripta ex Italia per Timotheum*.

MARIANAE.

Verſ. 2. PER HANC ENIM, ſcilicet hoſpitalitatem, LATUERUNT. Græciſmus. Auguſtinus Quæſt. ſuper Geneſ. XLI. ſic explicat: *Per hanc enim, quidam neſcientes hoſpitio receperunt Angelos, nempe Abraham & Lot*. Multi codices habent *placuerunt*, in iis Lovan. & Reg. fortaſſe pro ἔλαθον, id eſt *latuerunt*, legerunt, ἤρεσαν, id eſt *placuerunt*, aut phraſim non intellexerunt. ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS. Non fuerunt tres perſonæ Trinitatis qui Abrahæ apparuerunt, quamvis id Hilarius dicat VII. de Trinitate. Mementote vinctorum,

V. 3. TAMQUAM ET IPSI IN CORPORE MORANTES, ſeu *manentes*, id eſt iiſdem moleſtiis & laboribus obnoxii.

V. 4. HONORABILE CONNUBIUM. Non recte colligas, omnibus permitti. Honeſtatem tantum præcipit, quæ in eo debet teneri. Fortaſſe etiam loquitur contra eos qui coniugium damnabant. Fugite avaritiam; nam Deus dixit:

V. 5. NON TE DESERAM; quaſi dicat, Dei ope nihil deerit. Sic avaritia non eſt opus.

V. 8. IESUS CHRISTUS HERI. Erant qui docerent alium Chriſtum venturum. Contra eos loquitur. *Heri* ſignificat totum tempus præteritum, ſicut *cras* totum futurum, ut & Gen. XVIII. Exod. XIII. Ioſue IV.

V. 9. DOCTRINIS VARIIS, ſcilicet de ciborum delectu. NOLITE ABDUCI, aut *ne circumferamini*. OPTIMUM EST ENIM GRATIA STABILIRE COR, id eſt Euchariſtia, quæ vocatur *bona gratia*, & *gratiarum actio*. NON ESCIS, id eſt eſcarum delectu, qui nihil prodeſt.

V. 10. HABEMUS ALTARE, ergo ſacrificium. Matth. etiam v. 24. *Relinque munus tuum ante altare*. De quo non poſſunt comedere, QUI TABERNACULO DESERVIUNT, id eſt Legi veteri ſunt addicti. Aut potius, quia ſacrificium comburitur, ut quod Pontifex pro peccato offerebat, non comedebatur.

V. 11. QUORUM ENIM ANIMALIUM.

Sicut ſacrificii pro peccato carnes ferebantur extra caſtra, nec credebant miniſtris; ſic & Chriſtus extra portam eſt paſſus. Exeamus ergo

V. 13. IMPROPERIUM EIUS PORTANTES. Syr. *induti opprobrio eius*. Illum ſcilicet imitantes, & ſicut ille pro nobis paſſus eſt, nos pro illo patiamur.

V. 14. NON ENIM. Ideo extra caſtra exire debemus, id eſt extra mundum & eius deſideria, quia NON HABEMUS HIC MANENTEM CIVITATEM, non ſumus cives mundi, ſed cælum inquirimus.

V. 15. PER IPSUM ERGO. Hic locus, ſi recte expendatur, ſacrificium noſtrum Miſſæ & multas eius cærimonias tangit. HOSTIAM LAUDIS offeramus: ſic Euchariſtia, quia eſt ſacrificium incruentum. FRUCTUM LABIORUM, propter preces & cantum, quæ adhibentur.

V. 16. BENEFICENTIAE. Collectæ fiebant, ut inopibus ſubvenirent, cum ad ſacra conveniebat populus.

V. 17. OBEDITE PRAEPOSITIS VESTRIS. Sequebatur exhortatio præpoſiti, cui obedire mandat.

V. 18. ORATE PRO NOBIS. Adiiciebatur preces pro omnibus, quarum particeps vult eſſe. Concludit:

V. 20. QUI EDUXIT DE MORTUIS, per reſurrectionem ſcilicet PASTOREM MAGNUM, id eſt Chriſtum. IN SANGUINE TESTAMENTI AETERNI, id eſt per ſanguinem.

V. 21. APTET VOS: ut ſcilicet faciatis. QUOD PLACEAT CORAM SE: aut *placet*, ut Goth. εὐαρεστον. Rogo autem vos,

V. 22. UT SUFFERATIS VERBUM SOLATII, ſic Epiſtolam hanc vocat, id eſt in bonam partem, quæ a me dicta ſunt, accipiatis. Aut eam legere ne recuſetis, brevis enim eſt, ETENIM PERPAUCIS SCRIPSI VOBIS, brevis Epiſtola fuit.

V. 23. COGNOSCITE FRATREM NOSTRUM TIMOTHEUM. Per cum hæc Epiſtola miſſa eſt ex Italia. CUM QUO..... VIDERO vos. Hinc colligitur hanc Epiſtolam eſſe Pauli, cuius individuus comes erat Timotheus.

MENOCHII.

Verſ. 1. CARITAS FRATERNITATIS, φιλαδελφία, id eſt *fraterna caritas*. MANEAT IN VOBIS; quaſi dicat: Pergite, ut cœpiſtis invicem amare fovere, &c.

V. 2. ET HOSPITALITATEM NOLITE OBLIVISCI, id eſt ab officio conſuetæ hoſpitalitatis nolite ceſſare. LATUERUNT QUIDAM, ANGELIS HOSPITIO RECEPTIS: neſcientes Angelos, & putantes eſſe homines receperunt: hoc enim ſignificat vox Græca ἔλαθον.

V. 3. MEMENTOTE VINCTORUM: eorum ſcilicet, qui Chriſti cauſa ſunt in carceribus. TAMQUAM SIMUL VINCTI: ac ſi vos ipſi vincti eſſetis cum illis. ET LABORANTIUM: κακουχουμένων, *eorum qui affliguntur, & male tractantur*, vel a morbis, vel alia ratione. TAMQUAM ET IPSI IN CORPORE MORANTES: cogitantes vos geſtare corpus iiſdem, & gravioribus malis obnoxium.

V. 4. HONORABILE CONNUBIUM IN OMNIBUS; id eſt, coniugium ſit in omnibus honorabile, id eſt in omni re ſervate honeſtatem, & decus coniugii veſtri, caventes ne quid impudenter fiat. ET THORUS IMMACULATUS: ſit immaculatus lectus maritalis, ita ut nullo adulterio, aut peccati ullius labe contra fidem coniugalem contaminetur. IUDICABIT: condemnabit, & puniet.

V. 5. SINT MORES SINE AVARITIA: abſit avaritia a moribus veſtris CONTENTI PRAESENTIBUS, id eſt, iis quæ habetis, & veſtra ſorte contenti ſitis. IPSE ENIM DIXIT: ad Ioſue cap. I. eius hiſtoriæ. NON TE DESERAM, &c. quaſi dicat: Si in Deo ſpem locaveritis, non deerunt vobis neceſſaria.

V. 6. NON TIMEBO, QUID FACIAT MIHI HOMO. Sumptum eſt hoc teſtimonium ex Pſal. CXVII. 6. ſignificat non timendum ne mali homines nobis noceant, ſi Deus fuerit adiutor.

V. 7. PRAEPOSITORUM VESTRORUM: intelligit Apoſtolos, Epiſcopos, ſacerdotes, quos habuerant fidei doctores, hoc enim ſignificat, *qui vobis locuti ſunt* verba Dei. QUORUM INTUENTES EXITUM CONVERSATIONIS, id eſt finem vitæ honeſtiſſimum, & ſuaviſſimum.

V. 8. IESUS CHRISTUS HERI, ET HODIE IPSE, ET IN SAECULA; quaſi dicat, Chriſtus Dominus ſemper eſt Idem, æque potens, æque beneficus erga ſuos. Imitamini maiorum veſtrorum fidem, ut eadem,

quæ

quæ ipſi conſecuti ſunt bona cæleſtia, & vos, qui eidem Domino famulamini, conſequi poſſitis.

V. 9. DOCTRINIS VARIIS: varias doctrinas eas appellat quæ diſſident inter ſe. PEREGRINIS: intelligit doctrinas adventitias, alienas a doctrina, & ſpiritu Apoſtolorum, & Eccleſiæ. NOLITE ABDUCI: ne patiamini vos illis rapi, licet fortaſſe videantur plauſibiles. OPTIMUM EST ENIM GRATIA STABILIRE COR: *gratia*, id eſt ſanctitate, virtute, & probitate, qui enim a ſanctitate, & probitate deficiunt, facile fidei iacturam faciunt. NON ESCIS. Per eſcas intelligit obſervantias certarum eſcarum, & ciborum, lege Moſaica præſcriptorum Levit. XI. hæ enim non profuerunt, id eſt non iuſtificarunt comedentes, nec mentibus eorum robur gratiæ addiderunt.

V. 10. HABEMUS ALTARE; ſcilicet, in quo offerimus ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti. DE QUO EDERE NON HABENT POTESTATEM. Græce ἐξουσίαν, id eſt *facultatem, licentiam.* QUI TABERNACULO DESERVIUNT: ii qui legi inhærent.

V. 11. QUORUM ENIM ANIMALIUM, &c. Hæc animalia erant vitulus, & hircus qui offerebantur pro peccatis Pontificis, & totius populi. Vide Levit. XVI. 27. INFERTUR SANGUIS; ſcilicet in ſancta ſanctorum ad illa expianda. HORUM CORPORA CREMANTUR EXTRA CASTRA: vide Leviticum IV. 11. EXTRA CASTRA, ſcilicet dum vixerunt in caſtris in deſerto; poſtea vero extra civitatem Ieruſalem. Argumentatio Apoſtoli eſt huiuſmodi: Levitæ non poterant edere eas victimas, quarum ſanguis peccatorum expiatorius inferebatur in ſancta ſanctorum: hæ autem victimæ erant typus, & repræſentabant noſtram victimam corporis Chriſti in Euchariſtia, ergo nec hanc fas eſt eis edere.

V. 12. PROPTER QUOD ET IESUS, &c. Aliam cauſam allegoricam aſſignat Apoſtolus huius ceremoniæ, ſcilicet ſignificatum fuiſſe per eam, quod Chriſtus extra caſtra, id eſt extra urbem Ieruſalem torrendus eſſet in cruce, & abolito caſtrorum Iudaicorum tabernaculo, & templo, Eccleſiam Gentium per totum orbem diffundendam morte ſua eſſet inſtituturus, *ut crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi*, ut ait S. Leo Serm. IX. de paſſ. EXTRA PORTAM: mons enim Calvarius erat extra portam Ieruſalem, quæ dicebatur Sterquilinii...

portam Ieruſalem, quæ dicebatur Stercoris, ut patet ex delineatione Villalpandi, inter ſeptentrionem, & occidentem. Vide eumdem in apparatu urbis, & templi par. I. Lib. III. cap. XIV.

V. 13. EXEAMUS IGITUR AD EUM EXTRA CASTRA, &c. Affert Apoſtolus cauſam tropologicam eiuſdem ceremoniæ ſignificans ad Chriſti imitationem exeundum nobis eſſe extra caſtra pompæ, voluptatum, luxus, & huiuſmodi, & libenter pro Chriſto ignominias, & dolores ferendos. IMPROPERIUM EIUS PORTANTES: eius, inquam, qui extra portam paſſus; nam qui ducebantur extra portam ignominioſa morte mulctabantur. Improperium Chriſti proprie illud Apoſtolo dicitur, quo vocabantur Chriſtiani, de quo Petrus I. Epiſt. cap. IV. *Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine:* erat enim magnum probrum vocari ſectatorem, ac diſcipulum Chriſti crucifixi.

V. 4. NON ENIM HABEMUS HIC MANENTEM CIVITATEM, &c. Eſt anagogica interpretatio eiuſdem ceremoniæ, & exitus extra caſtra, ſive extra civitatem. Significatur enim affectu hinc exeundum, & deſideria noſtra ad meliorem illam cæleſtem Ieruſalem erigenda. MANENTEM: fixam, & ſtabilem. FUTURAM INQUIRIMUS, ad eam civitatem tendimus, quæ nobis in futuro promittitur, id eſt ad Ieruſalem cæleſtem.

V. 15. PER IPSUM ERGO; ſcilicet Chriſtum tamquam pontificem, & mediatorem noſtrum. OFFERAMUS HOSTIAM LAUDIS DEO: hymnos, pſalmos, gratiarum actiones. FRUCTUM LABIORUM CONFITENTIUM NOMINI EIUS: qui fructus eſt labiorum nomen eius laudantium.

V. 16. COMMUNIONIS: communicationis bonorum veſtrorum cum pauperibus. TALIBUS ENIM HOSTIIS PROMERETUR DEUS; quaſi dicat: Hoc enim eſt genus quoddam ſacrificii Deo; gratiſſimi, quo nobis conciliamus, & propitiamus Deum. PRAEPOSITIS VESTRIS: Epiſcopos intelligit, & alios Eccleſiaſticos ſuperiores. SUBIACETE EIS: humilem obedientiam illis exhibendo. QUASI RATIONEM REDDITURI, id eſt quippe qui rationem reddituri ſunt. UT CUM GAUDIO HOC FACIANT, &c. ut curam veſtri agant cum alacritate, & gaudio, & non gemant ſub onere, ſed levius illud ferant.

rant. Hoc enim non expedit vobis; ſcilicet, ut gementes id faciant, quia, ut ait Chryſoſtomus, Gemitus prælati ob inobedientiam ſubditi, invocat Dominum, ut ipſe eam graviter ulciſcatur.

V. 18. Confidimus enim quia bonam conscientiam, &c. quaſi dicat: Id facere debetis, ut pro amico, & de vobis benemerito, qui ſibi nihil conſcius eſt contra vos feciſſe, ſed voluiſſe, & velle omnibus prodeſſe.

V. 19 Amplius: impenſius. Hoc facere, id eſt pro me orare. Restituar vobis: ad vos revertar.

V. 20. Deus autem pacis; ſcilicet auctor, & amator. Qui eduxit e mortuis, &c. qui ſuſcitavit a mortuis Chriſtum magnum paſtorem huius ovilis Eccleſiæ. In sanguine testamenti aeterni, id eſt merito mortis, & ſanguinis, quem Chriſtus effudit in Cruce, quo ſanguine firmatum ad novum teſtamentum, & noſtra cum Deo reconciliatio, Chriſtuſque magnus ovium paſtor, noſque Chriſti oves effecti ſumus.

V. 21. Aptet vos in omni bono. Deus pacis vos tamquam unius corporis membra componat, aptet ac perficiat in omni genere bonorum operum. Faciens in vobis quod placeat coram se: donans vobis, & iuvans vos, ut faciatis eius voluntatem. Per Iesum Christum: per Filii ſui Ieſu Chriſti meritum. Cui est gloria in saecula saeculorum: *cui*, non minus vere ad Ieſum Chriſtum, qui & ipſe Deus eſt, quam ad Deum Patrem referri poteſt.

V. 22. Ut sufferatis verbum solatii: ut æquo animo, & libenti admittatis hanc meam *conſolationem*, & *exhortationem*: utrumque ſignificat παράκλησις. Per paucis scripsi vobis: ſi videlicet ſpectetis rei argumentum, & dignitatem, meumque erga vos zelum, & affectum.

V. 23. Cognoscite. Græce eſt γινώσκετε, quod etiam verti poteſt *ſcitis*, *noſtis*. Dimissum: vinculis ſolutum; hoc enim ſignificat Græcum ἀπολελυμένον. Indicat Timotheum fuiſſe alicubi in vinculis, licet id alibi non narretur. Si celerius venerit, ſi mature ad me veneris, aut redierit.

V. 24. Praepositos vestros, id eſt Epiſcopos Eccleſiarum, maxime per Iudæam, & Syriam. Et omnes sanctos: omnes fideles. De Italia fratres; Iudæi Chriſtiani per varias urbes Italiæ diſperſi.

V. 25. Gratia, &c. Conſueta formula claudendi Epiſtolas. Nomine gratiæ omne genus bonorum quæ nobis a Deo per Chriſtum proveniunt, intelligit.

T I R I N I.

Verſ. 1. Caritas fraternitatis, φιλαδελφία, id eſt *caritas fraterna*, quam hactenus ſtudioſe coluiſtis, maneat continuo *apud vos* in uſu; ut & *hoſpitalitatis* ſedula cura.

V. 2. Per hanc enim quidam, Abraham *a*, Lot *b*, &c. latuerunt Angelis hospitio receptis; id eſt, latenter & inſcii quales exciperent, habuerunt Angelos hoſpites: ita ſanctus Chryſoſtom. cum ſuis, & Theodor. Syrus, Ribera & a Lapide. Simili phraſi dicebat Ariſtophanes in Veſpis, *ſerviens latuiſti*, id eſt ſervire te ignoras. Eiuſdem hoſpitalitatis merito etiam S Gregorio Pontifici *c* non ſemel contigit Angelos hoſpites nanciſci.

V. 3. Vinctorum Chriſti cauſa in carceribus mementote & miſeremini, perinde ac ſi vos ipſi simul cum illis vincti & incarcerati eſſetis. *Mementote* et laborantium, κακουχουμένων, id eſt *eorum qui male tractantur*, ſeu a morbis, ſeu ab hoſtibus, ſeu ab egeſtate, ſeu ex alio capite: tamquam et ipsi *vos* in corpore morantes, ſimilibus, immo gravioribus ſubinde miſeriis obnoxio.

V. 4. Connubium veſtrum ſit in omnibus rebus eo ſpectantibus honorabile, id eſt in omni re coniugali ſervetur honeſtas & decentia: nec thorus maritalis ulla *macula* contaminetur, ita S. Chryſoſt. Theophyl. & alii: & patet ex ratione mox adiecta, nam adulteros et fornicatores iudicabit, damnabit & puniet Deus.

V. 7. Mementote praepositorum vestrorum, Petri, Iacobi, Stephani, aliorumque Apoſtolorum præconum apud vos Evangelii, & eorum intuentes exitum conversationis, id eſt decurſum ac finem vitæ ſanctiſſimum, honeſtiſſimum, laudatiſſimum, fidem, patientiam, conſtantiam illorum imitamini. Neque ad vos excu-

ſan-

Digitized by Google

ſandos dicatis, Apoſtolos Chriſtum habuiſſe præſentem, & vivum fidei virtutumque omnium exemplar, magiſtrum ac ducem: nam unus idemque

V. 8. IESUS CHRISTUS, qui HERI, id eſt tempore recens elapſo, fuit & vixit, idem eſt ET iam HODIE; id eſt, hoc præſenti tempore, vobiſque adeſt æque potens, æque munificus, & aderit ſemper & ubique & in omnibus rebus: ita Cyrill. S. Thom. Anſelmus, Galenus, Ribera & a Lapide.

V. 9. DOCTRINIS VARIIS ab Evangelio Chriſti deviantibus, vel PEREGRINIS ac novis (quales vobis obtrudunt Simon Magus, Ebion, Cerinthus & alii iudaizantes) *ne* ſinaris vos ABDUCI a vera fide & doctrina Chriſti, vel a vitæ morumque Chriſtianorum integritate. Ut vero COR in his *ſtabiliatur*, OPTIMUM efficaciſſimumque medium eſt GRATIA Chriſti, puta uſus ſacrificii & Sacramentorum aliorumque inſtrumentorum ſpiritualium, quæ ex Chriſti gratia, ſeu beneficio in Eccleſia habemus: nam quod iudaizantes illi vobis hic ſuggerunt de ESCIS & epulis ſacrificalibus, Deo in altari Moſaica oblatis, quaſi hi cibi vim habeant ſanctificandi & roborandi animum hominis, ex Phariſaico cœno hauſtum *d*, & plane fruſtra eſt, quia tales eſcæ nihil ad id umquam PROFUERUNT AMBULANTIBUS IN EIS, id eſt ſolitis uti illis, ut ſupra e demonſtravi: ita Matthæus Galenus, & Vaſquez apud Corn. a Lapide. Quod ſi victimam vultis, etiam Chriſtianis illa non deeſt.

V. 10 HABEMUS enim noſtrum quoque ALTARE, θυσιαστήριον, id eſt *ſacrificatorium*, non ſolius crucis (ut volunt hæretici) ſed & Euchariſtiæ & Miſſæ: hoc enim adhuc habemus, & ex hoc edimus: de crucis autem ſacrificio iam a mille & fere ſexcentis annis peracto quomodo edemus? ita S. Chryſoſt. Theodor. Theophyl. Anſelm. Sedulius; Primaſius, Haymo & paſſim Doctores. DE QUO, id eſt de cuius victima, ſcilicet corpore & ſanguine Chriſti, EDERE NON HABENT POTESTATEM, ſeu facultatem, QUI TABERNACULO Moſaico DESERVIUNT Levitæ & ſacerdotes Aaronici, qui legis antiquæ & iam abrogatæ ceremonias ac ritus obſtinate adhuc ſervant. Neque enim capaces ſunt ſacrificii & Sacramentorum Chriſti, qui ab Eccleſia ipſius extorres ſunt. Ex hoc & ſimilibus locis *f* colligitur, Euchariſtiæ oblationem vere ac proprie ſacrificium eſſe novæ legis: ubi enim *altare* eſt, ibi eſt & ſacrificium & victima & ſacerdos, nam hæc omnia ſunt correlativa. Porro quod non liceat iudaizantibus edere de victima noſtra Euchariſtica, ſic probo ex veri typo.

V. 11. CORPORA vituli & hirci QUORUM SANGUIS expiatorius peccatorum totius populi, *inferebatur* ſemel quotannis PER PONTIFICEM IN SANCTA ſanctorum, & erant typus Chriſti, ac repræſentabant victimam corporis & ſanguinis eius in Euchariſtia æque atque in cruce; non poterant more vulgarium victimarum comedi in caſtris a ſacerdotibus vel Levitis, ſed debebant EXTRA CASTRA *concremari*. *g* Ergo & antitypon illorum, nempe corpus & ſanguis Chriſti in Euchariſtia, non poteſt comedi in caſtris veteris tabernaculi & ſacerdotii & teſtamenti: ſed extra illa antiqua caſtra demigrandum ad nova Chriſtianæ Eccleſiæ caſtra: ibi reperient Chriſtum, olim in cruce, amoris & doloris igne toſtum ac crematum, iam in altari Euchariſtico rurſus integrum & incruente Deo oblatum, cuius, ſi velint, participes ibi fient. Et hæc allegorica cauſa veteris iſtius ceremoniæ, uti & illa quam ſubnectit:

V. 12. UT nempe ſignificaretur, Chriſtum (qui per illum vitulum & hircum expiatorium ſignificabatur,) extra caſtra, id eſt EXTRA PORTAM urbis Ieroſolymitanæ, *paſſurum*: nam & caſtra in deſerto ſuas habebant portas (erant enim quaſi urbs mobilis & ambulans,) ſicut & tabernaculum Moſaicum. Sed litteralis cauſa ceremoniæ iſtius erat, ut hoc extraordinario ritu horror ac deteſtatio peccati excitaretur in animis Hebræorum. Verum his non contentus Paulus, etiam tropologicam eiuſdem cæremoniæ cauſam ſubiungit: nempe, debere nos, ſi cum fructu ad Chriſtum, & ad altare Euchariſticum accedere cupimus, neceſſario

V. 13. *Exire* AD EUM EXTRA CASTRA, non tantum legalium ceremoniarum, ſed & mundanarum voluptatum, libenterque amplexari & *portare* IMPROPERIUM & ignominiam, aliaque incommoda crucis Chriſti. Denique ſubnectit & anagogicam

caa-

cauſam, nempe, ut ſignificaretur, quod

V. 14. NON *habeamus* HIC, ſeu in caſtris huius vitæ, PERMANENTEM CIVITATEM, vel diu duraturam habitationem, SED cæleſtem *futuræ* vitæ civitatem *inquirendam*, & eo properandum.

V. 15. & 16. PER IPSUM ergo Chriſtum pontificem & mediatorem noſtrum, (qualem pene tota hac epiſtola ipſum eſſe probavi, OFFERAMUS HOSTIAM LAUDIS DEO, quiſque pro gradu & conditione ſua: nempe ſacerdotes proprie dicti offerant in altari ſacrificium Euchariſtiæ quod per antonomaſiam, ſeu excellentiam, vocatur ſacrificium gratiarum actionis & laudis: qui vero non ſunt proprie dicti ſacerdotes, offerant alterius generis *hoſtiam laudis*, quam SEMPER & continuo offerre poſſunt, nempe, primo, FRUCTUM LABIORUM CONFITENTIUM NOMINI Dei; id eſt, hymnos, pſalmos, aliaſque orationes, ſeu mentales, ſeu vocales, quibus quaſi fructibus in agro noſtro natis, & metaphorico ſacrificio oblatus Deo, ipſum laudamus, benedicimus, celebramus & glorificamuis. Secundo, *hoſtias* BENEFICENTIAE ET COMMUNIONIS, ſeu communicationis facultatum veſtrarum cum pauperibus. Ubi ſubintellige etiam opera miſericordiæ ſpiritualia. TALIBUS ENIM HOSTIIS PROMERETUR DEUS, *εὐαρεστεῖται*, id eſt *delectatur*, conciliatur, placatur Deus (ut etiam Eraſmus vertit) & conſequenter inducitur ad remunerandum iis qui miſericordiæ opera exercent: quod idem eſt atque *promereri:* ita S. Chryſoſt. cum ſuis & Auguſt. & Beda. Tertium & adhuc nobilius ſacrificii metaphorici genus eſt:

V. 17. OBEDITE ET SUBIACETE PRAEPOSITIS VESTRIS. *Per victimas enim* (ut ait Magnus Gregorius *h*) *aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur*, ut alibi vidimus *i*, & aurea illa epiſtola de *virtute obedientiæ*, S. Pater Noſter Ignatius fuſe atque eleganter demonſtrat.

V. 18. ORATE PRO NOBIS: tum privatim, tum publice: neque enim ſum hæreticus aut ſchiſmaticus (ut quidam apud vos mihi detrahunt, quaſi ſim apoſtata & hoſtis legis) atque ideo indignus oratione fidelium: nam *conſcientia* mihi dictat, me ſincere in omnibus proceſſiſſe, neque ex odio detraxiſſe legi Moſaicæ, ſed ex nutu & præſcripto Dei veritatem, Evangelicam mundo denuntiaſſe, ſolamque Dei & Chriſti gloriam, veſtrumque omnium ſalutem quæſiviſſe: ita Chryſoſt. & Theophyl.

V. 20. DEUS PACIS, & omnis boni auctor & fautor, QUI CHRISTUM, MAGNUM illum ovilis ſui PASTOREM IN SANGUINE TESTAMENTI AETERNI *k*, id eſt merito mortis & profuſi ſanguinis, quo confirmatum eſt novum & æternum teſtamentum, noſtraque reconciliatio cum Deo, (ut Caietan. exponit) DE MORTUIS EDUXIT, & vitæ immortali reſtituit; ipſe divina gratia ſua

V. 21. APTET VOS, id eſt idoneos faciat, IN OMNI BONO, id eſt ad omne opus bonum perficiendum, FACIENS IN VOBIS *l* per ſuam inſpirationem & cooperationem, QUOD PLACEAT CORAM SE, nempe egregia & heroica virtutum omnium exercitia, quibus ipſe mirifice oblectatur & honoratur. Solent hæc, quæ una cum libero arbitrio producit in nobis Deus, Deo ſubinde ſoli, tamquam primo & principali auctori, merito adſcribi, ut alibi *m* diximus. PER IESUM, id eſt per meritum unigeniti filii ſui Ieſu Chriſti.

V. 21. ROGO VOS, o chariſſimi FRATRES UT, licet non tam veſter, quam Gentium ſim Apoſtolus, *n* tamen æquo libentique animo SUFFERATIS hoc VERBUM SOLATII, id eſt admittatis hanc meam παράκλησιν, id eſt *conſolationem* & *exhortationem*, ſeu epiſtolam hanc exhortatoriam & conſolatoriam, PERPAUCIS, ne fatigemini, capitibus *conſcriptam*.

V. 23. *Cum Timotheo* iam *dimiſſo*, id eſt vinculis & carcere, in quo alicubi in Aſia fuit *o*, *ſoluto*, ut vertit Syrus, (& ita exponit Chryſoſt. Theophyl. Oecumen. Primaſius, Anſelmus & S. Thomas: etſi concedant, etiam poſſe dici *dimiſſum* ab amicis ſuis, v. g. Athenienſibus vel Epheſiis, qui illum, ſeu importunis precibus, ſeu amica vi penes ſe detinebant:) *p* SI CELERIUS Romam ad me VENERIT, brevi VIDEBO VOS. Ex quo colligi videtur, S. Paulum, cum ſe prioribus vinculis expedivit, antequam in Gallias & Hiſpanias proficiſceretur, excurriſſe in Syriam & Aſiam, ad roborandos in fide & virtutum ſtudio Chriſtianos, qui magno numero partim ex Iudæis, partim ex Gentilibus quotidie convertebantur.

V. 24.

Digitized by Google

V. 24. Salutant vos, fauſtaque omnia vobis precantur fratres & contribules veſtri ex Iudæis ad Chriſtum traducti, non tantum qui Romæ, ſed & per reliquas *Italiæ* urbes diſperſi degunt.

V. 25. Gratia Dei, & omne genus bonorum, quæ cælitus merito Chriſti obveniunt Eccleſiæ Dei, cumulatiſſime ſit cum omnibus vobis. Amen.

(a) Gen. xviii. 2. &c.
(b) Cap. xxxix. 1.
(c) Vitæ Greg. Lib. I. cap. x. & Lib. II. cap. xxii. 43. &c.
(d) Matt. iii. 7.
(e) Hic cap. viii. 7. &c.
(f) Hebr. vii. 1. & I. Cor. x. 18. & 21. & Lucæ xxii. 19.
(g) Levit. iv. 1. & xvi. 27.
(h) Greg. Lib. XXXIII. Moral. cap. x.
(i) I. Reg. xv. 22.
(k) Matth. xxvi. 28.
(l) I. Cor. xv. 10. &c.
(m) Rom. vi. ult.
(n) Galat. ii. 7.
(o) I. Tim. vi. 12.
(p) Actor. xvii. 14. &c.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. Caritas. Exhortatio eſt ad mutuum amorem, & ne pereat inchoata inter eos caritas propter afflictiones: ne hoſpitalitatem negligant, etiam paſſi iacturam bonorum. Sermo eſt de ſuſceptione fidelium. Nec ſolebant tunc Chriſtiani divertere ad gentiles. Teſſeras habebant fideles peregrini formatas, hac ſubſcriptione notatas, π. υ. α. π. hoc eſt, πατὴρ. υἱὸς, ἅγιον πνεῦμα. Latuerunt, ἔλαθον; hypallage: latuerunt; id eſt, latenter, vel neſcientes receperunt hoſpitio Angelos, quos nempe putabant eſſe homines. Vide de Abraham & Loth Geneſ. xviii. & xix.

V. 3. Mementote. Iam de iuvandis ſolatio confeſſoribus: miſeremini vinctorum pro Chriſto, tamquam exiſtimantes vos quoque corpus habere ſimilibus malis obnoxium.

V. 4. & 6. Honorabile. Hoc de contugit ſervanda honeſtate, deque vitanda avaritia. Dixit enim Deus ad Ioſue cap. I. *Non te deſeram*: ſtat hæc vobis pro miſſio Dei & providentia. Non timebo. Locus eſt Pſal. cxvii. 6. Deo ſavente, non oberunt mali.

V. 7. & 8. Mementote praepositorum, qui vobis fidei viam mon ſtrarunt horum vitam ſanctam, & finem felicem præ oculis habete, eorum inſiſtite veſtigiis. Chriſtus heri & hodie, & deinceps ſemper manebit, paratus ſimilem vobis conferre mercedem. Heri tempore præterito, licet Cyrillus æternitatem det naturæ divinæ.

V. 9. Doctrinis variis. Notat præſertim hæreſes illorum temporum; ac demum varias ac pugnantes cum veritate doctrinas docet reppellendas. Gratia cor stabilire. Optima ratio vitandi hos hæreticorum ſcopulos eſt, conſervata gratia Chriſti ſancte vivere. Vitæ licentia viam aperit ad hæreſes. Hac vivendi libertate propinata, Calvinus novator hoc ſæculum hæreſibus infame corrupit. Escis, cibis legalibus.

V. 10. Habemus altare. Dixit ſtabiliendum eſſe cor gratia non eſcis legalibus: recte; nam Chriſtiani habent purius & præſtantius ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, quo frui non poſſunt, qui legalibus inhærent. Itaque intelligit altare non crucis, ſed Euchariſtiæ: metonymia, altare pro ſacrificio. Et certe altare nuſquam in Scriptura accipitur pro oblationibus (quod tamen ſomniat hic Beza) utpote quæ non requirunt altare. Vide I. Cor. x. 18. & 21.

V. 11. 12. & 13. Quorum. Vide Levitici cap. xvi. 27. de hirco & vitulo, qui offerebantur pro peccatis Pontificis & populi iuxta ritum ibidem præſcriptum. Inferebatur ſanguis in Sancta Sanctorum ad hanc expiationem: corpora vero cremabantur extra caſtra, Levit. xi. (poſtea extra templum.) Propter quod. Ideo, inquit Paulus, voluit Chriſtus immolari in cruce extra castra, extra templum & civitatem, ut denotaret ſe offerri pro omnium peccatis; ut fuit in lege. Item ſignificabatur non fore licitum Iudæis de hoc Chriſti corpore & Euchariſtia manducare; quod tamen Chriſtianis licitum eſt.

V 13. Exeamus. Verſat hunc locum veteris teſtamenti Paulus, nunc ut typum atque allegorice (quod hactenus fecit) nunc etiam tropologice, & ad mores, incitans ad contemptum mundanæ voluptatis, & ad ſuſtinendam ignominiam pro Chriſto. Non habemus hic, manentem

TEM CIVITATEM, SED FUTURAM quærimus, (hoc anagogice) hoc eſt cæleſtem Ieruſalem.

V. 15. PER IPSUM ERGO. Per ipſum tamquam per Pontificem offerimus hoſtiam laudis, Pſalmos & actiones gratiarum: hic enim eſt fructus labiorum laudantium Deum: quamvis aliqui hæc referant ad Euchariſtiam, quæ etiam vere eſt ſacrificium laudis, ut nomen ſonat.

V. 16. &c. BENEFICENTIAE. Reliquum habet commendationem virtutum paræneticam. In his eſt illa, quam hic communionem vocat. Eſt communicatio bonorum cum pauperibus. Sic, inquit, reddimus Deum nobis propitium. τῷ PROMERETUR DEUS, inquit Beza, barbare dicitur: Græca vos ſignificat placari & conciliari, quod eſt induci ad benefaciendum. Adde iam, promereor eſſe verbum deponens, & poſſe accipi paſſive.

Commendat verſ. 17. obedientiam erga Prælatos. Nec expedit ut gementes & ſine alacritate id faciant.

V. 18 ORATE. Confidit etiam fore ut orent pro ſe tamquam pro amiciſſimo benefactore, & qui non eſt ſibi conſcius ſe umquam illis obfuiſſe. Rogat, ut æquo animo epiſtolam hanc accipiant. Quod eſt verſu 23. de Timotheo dimiſſo, deſignat illum fuiſſe alicubi in vinculis, & nunc tandem abiiſſe liberum. En ſcriptam ex Italia epiſtolam, ut præfatus ſum.

EPI-

EPISTOLA CATHOLICA
BEATI IACOBI
APOSTOLI.

HAEC Epiſtola inter catholicas prima numeratur; ſcripta fuit a Iacobo Apoſtolo, qui frater Domini vulgo dicitur, more Hebræis uſitato. Iacobus autem ex Alphæo & Maria Cleophæ filia natus; Chriſti Domini erat conſanguineus, eo quo alibi diximus modo. Minor vulgo dici ſolet, quod Iacobus alter Zebedæi filius & frater Ioannis prior ad Apoſtolatum a Chriſto vocatus fuerit. Antequam Apoſtoli toto orbe Evangelium prædicaturi ab urbe Ieroſolyma diſcederent, hic Eccleſiæ Ieroſolymitanæ regendæ fuit præpoſitus, tanta ſanctitate conſpicuus, ut Ioſephus urbis excidium iniuſtæ illius neci tribuerit. Iacobum Apoſtolum & Epiſcopum Ieroſolymitanum huius Epiſtolæ auctorem eſſe communis eſt Eccleſiæ conſenſio, Conciliorum & SS. Patrum auctoritate firmata. Ad totius orbis Eccleſias, ut alias Catholicas Epiſtolas dirigi, veriſimillimum eſt: eo quippe nomine cenſentur, quæ totius Eccleſiæ communia tractant negotia, neque ad fideles unius civitatis, aut regionis, ut Pauli Epiſtolæ, ſed ad omnes omnium locorum, & temporum Chriſtianos ſunt conſcriptæ. Quod enim Iacobus in Epiſtola ſua duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem apprecatur, non Iudæis legi Moſaicæ addictis, ſed fidelibus tantummodo ſcribere probabilius videtur. Iudæi enim a tempore captivitatis Babylonicæ per varias orbis regiones ſparſi vix quidquam de Chriſti Evangelio audierant;

Digitized by Google

perpauci ex iis quibus annuntiatum erat Evangelium, Chriſtum ut Meſſiam agnoverant; Iacobus ipſe iis ignotus erat penitus, nec liquet quo is modo effeciſſet ut hæc Epiſtola ad eos perferretur. Itaque duodecim tribuum nomine Chriſtianos deſignari omnes exiſtimant viri docti, & inter eos Auctor Analyſeos Gallicæ: eodem plane modo loquitur, quo Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis prædixit fore ut iudicarent 12. tribus Iſrael, hoc eſt, Chriſtianos omnes qui ſunt viri Iſraelitæ ſpiritu, non carne tantummodo. Sic Ioannes in Apocalypſi vidit 12. portas cæleſtis Ieruſalem, quarum ſingulæ unius tribus nomine erant inſignitæ; & cap. VII. *Angelus duodecim millia ſignavit ex unaquaque tribu. Quid porro cauſæ eſſe potuit, ut Iacobus Iudæis potius, quam Gentilibus ad fidem converſis ſcriberet? cum utrique & Gentiles converſi, & Iudæi iiſdem in civitatibus degerent, & in eaſdem convenirent Eccleſias, quæque ad mores & fidem ſpectant, utriſque eſſent communia, ad omnes omnium temporum & locorum fideles æque pertinerent.*

Id vero eſt Iacobo in hac Epiſtola propoſitum, ut quædam fidei præcepta & morum iis tradat, cum adverſus hæreſes, quæ tunc temporis emergere incipiebant, tum adverſus corruptionem morum quæ futuris temporibus imminebat. Primum huius Epiſtolæ caput inſtructioni datur: quæ ſequuntur uſque ad cap. V. *varias hæreſes primis Eccleſiæ ſæculis exorituras in anteceſſum damnat, & mores ad pietatem informat; in extrema Epiſtolæ parte pauperes & afflictos conſolatur: ubique tamen videtur non alium ſequi ordinem, præter eum qui animo eius ultro ſe offerebat, fere ut in libris Sapientiæ cernimus, in Proverbiis ſcilicet, Eccleſiaſte, & in Eccleſiaſtico, immo & in Prophetis, ubi Spiritus Sancti afflatum ſacri Auctores ſequuntur.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

Docet tentationum utilitatem, & ſapientiam a Deo cum confidentia poſtulandam: Deus tentator non eſt aut auctor peccati, ſed ab eo procedit omnis bona donatio: hortatur ut ad audiendum veloces, ad loquendum vero & iram tardi ſint: nec ſatis eſt veritatem audire, niſi illa opere compleatur: ſubdit etiam quænam ſit vera & immaculata religio.

1. IAcobus Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſervus,
duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem.
2. Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: 3. (*a*) ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. 4. Patientia autem opus perfectum habet: ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes. 5. Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. 6. (*b*) Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur: 7. non ergo æſtimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. 8. Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis. 9. Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; 10. dives autem in humilitate ſua, (*c*) quoniam ſicut flos fœni tranſibit: 11. exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet. 12. (*d*) Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. 13. Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. 14. Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. 15. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem. 16. Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt; deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. 18.* Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ eius. 19. Scitis fratres mei dilectiſſimi. (*e*) Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. 20. Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur. 21. Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbnm, quod poteſt ſalvare animas veſtras. 22. (*f*) Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. 23. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: 24. conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis

Digitized by Google

fuerit. 25. * Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit. 26. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. 27. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

(a) Rom. v. 3. (b) Matth. vii. 7. & xxi. 22. Mar. xi. 24. Luc. xi. 9. Ioan. xiv. 13. & xvi. 23. 24. (c) Eccli. xiv. 18. Iſai. xl. 6. 1. Petr. 1. 24. (d) Iob vi. 17. (e) Prov. xvii. 27. (f) Matth. vii. 21. Rom. ii. 13.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 18. *Voluntarie enim genuit nos.* Non omittas coniunctionem *enim*.

V. 25. *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis*. Accuſativi *legem perfectam*, non ſunt mutandi, prior in ablativum, *lege*, poſterior in genitivum *perfectæ*, quomodo plerique legunt: *in lege perfectæ libertatis*.

C O M M E N T A R I A

G A G N A E I.

Verſ. 1. IN DISPERSIONE. De diſperſione intelligit omnium credentium præter apoſtolos per regiones Iudææ & Samariæ, de qua Act. viii. Quum autem dicat DUODECIM TRIBUBUS, veriſimile eſt ex ea omnium tribuum turma, quæ die Pentecoſtes novo miraculo ſtupefacta credidit, bonam partem & maxime ex ſingulis tribubus aliquot communiter cum apoſtolis vixiſſe uſque ad illam perſecutionem & diſperſionem: quamquam & de Iudæis quaqua verſus iam olim diſperſis intelligi poteſt locus.

V. 2. OMNE GAUDIUM; id eſt, perfectum gaudium EXISTIMATE, QUUM IN VARIAS TENTATIONES INCIDERITIS: ubi per tentationes, non illectamenta ad peccandum, ſed tribulationes & afflictiones intelligere oportet.

V. 3. PROBATIO FIDEI VESTRAE PATIENTIAM OPERATUR. Græce eſt, *τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως κατεργάζεται ὑπομονήν*; ubi *τὸ δοκίμιον* ſignificare poteſt vel explorationem, vel id quod in quaque re purum & perfectum eſt: ὑπομονὴ autem, non tam patientiam, id eſt tolerantiam, ſignificat, quam ſuſtinentiam & longam alicuius rei expectationem. Senſus ergo eſſe poteſt: Probatio ſeu exploratio fidei veſtræ; id eſt, perfecta fides veſtra & per longas tribulationes explorata ac probata, ſuſtinentiam operatur; quia cuius fides & confidentia erga Deum in longis afflictionibus & tentationibus non excidit, manifeſtat ſe Domini conſolationem longanimiter poſſe ſuſtinere. Sin mavis patientiam pro afflictionum tolerantia ſumere, ſenſus eſt, quod pura & perfecta totque argumentis approbata fides illorum in Deum, patientiam operatur: quia inſignis fides & confidentia in remuneratorem Chriſtum patientes nos reddit. Sunt qui ſic exponant, *probatio fidei*, id eſt afflictio per quam fides probatur, *patientiam operatur*.

V. 4. PATIENTIA OPUS PERFECTUM HABET, id eſt gaudium & alacritatem annexam, ſicut apoſtoli *ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. UT SITIS, ait, PERFECTI ET INTEGRI, IN NULLO DEFICIENTES; id eſt, nulla re aut virtute deſtituti; neque enim hic deficientes intelligere oportet, afflictionibus ſuccumbentes, quos Græci dicunt ἐκκακουμένους: eſt namque Græce λειπόμενοι, id eſt ad verbum, *deſtituti*. Quidam per opus perfectum, patientiæ intelligunt virtutem, qua

quis

quis affligentibus ſe bene ex animo vult & facit.

V. 5. Affluenter. Interpres legiſſe videtur ἀθρόως, quum tamen Græca habent ἁπλῶς, id eſt *ſimpliciter*, candido ſcilicet ac ſimplici animo, & ſine ulla ſpe remunerationis: unde ſubiit, ET NON IMPROPERAT. Si QUIS AUTEM VESTRUM INDIGET SAPIENTIA, Græce, λείπεται τῆς σοφίας, id eſt deſtituitur ſapientia, aut ſi cui illa deeſt, POSTULET A DEO, QUI DAT OMNIBUS AFFLUENTER.

V. 6. Postulet autem in fide nihil haesitans. Græce pro hæſitans, eſt διακρινόμενος, quod ſignificat & hæſitantem, & diiudicantem. Eſt autem ſenſus, quod *in fide*, id eſt fideliter & cum fiducia poſtulantem, non oportet diiudicare, neque hæſitare de Dei potentia ac miſericordia. Nec enim vult hoc loco, quod quicumque poſtulat a Deo, neceſſario credat ſe aſſequuturum; ſed quod dubitare non oportet, quin potens ſit ut queat, & miſericors ut velit tradere quod petitur, ſi quidem in rem noſtram illud eſt. Nam & Græca ſcholia explicant de eo qui mole peccatorum ſuorum preſſus, minorem putat Dei miſericordiam, quam ut donari ſibi venia poſſit. Qui ENIM HAESITAT, ſcilicet in fide, SIMILIS EST FLUCTUI MARIS, qui huc illuc a vento impellitur, quia cuius conſcientia firmæ fidei fundamento non innititur, facile nutat, & (ut inquit Paulus Epheſ. quarto) circumfertur ad omnem ventum doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris. Videntur & Græca ſcholia τὸν διακρινόμενον, & hæſitantem interpretari eum, qui animi dubius eſt, quidnam a Deo petat, & inconſtans eſt in poſtulationibus, quem poſtea quoque Iacobus vocat δίψυχον, id eſt virum duplici animo: dicunt enim ὁ γὰρ διακρινόμενος ἀμφίβολος ὢν περὶ τῆς ἑαυτοῦ αἰτήσεως μικρὸν προκαρτερήσας, εὐθὺς ἀναχωρεῖ; id eſt, qui enim hæſitat non ſatis ſibi conſtans quidnam poſtulet, ac propemodum nihil perſeverans in poſtulatione, ſtatim recedit: exponunt autem Græca ſcholia his verbis locum illum, *ſimilis eſt fluctui maris qui a vento circumfertur:* ſive ut Græci habent, ῥιπιζομένῳ, id eſt qui iactatur & rapitur: ſicut enim mare nunc fluit ac refluit, modo in hanc partem a vento rapitur, modo in aliam iactatur: ita qui hæſitat in poſtulationibus ſuis neque in iis perſeverat, nunc animo unam in partem iactantur, nunc in aliam.

V. 8. Vir duplex animo. Græce eſt δίψυχος, quem Græci interpretantur inconſtantem & inſtabilem in petitione, quippe qui nunc præſentium, nunc contra futurorum bonorum tenetur deſiderio: itaque δίψυχος dicitur quaſi bianimus, quippe qui ſit vacillanti & titubanti animo.

V. 9. 10. & 11. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua. Græce eſt, ἐν τῷ ὕψει, id eſt in ſublimitate: noſter autem legit ἐν τῷ ὑψώσει, id eſt in exaltatione. Exaltationem autem vocat tribulationes pro Chriſto, per quas teſte Paulo intrare nos oportet in regnum cælorum. Hic autem mundi ſapientiam ridet, dum exaltationem vocat & ſublimitatem, quod ipſe ſummam putat ignominiam, ſcilicet mundo nullius eſſe pretii. Quod vero ſequitur, DIVES AUTEM IN HUMILITATE SUA. Græce eſt ταπεινώσει, id eſt *humiliatione*; quo loco Græca ſcholia dicunt eclipſim eſſe, ut ſit ſenſus, Dives autem in humiliatione ſua erubeſcat, ſed quam eclipſim, ne nimis durus videretur, de induſtria affectarit Apoſtolus: alioquin ironice legendum eſt: Glorietur dives, qui nunc ſuis divitiis effertur, in humiliatione, quæ illum manet: neque enim fluxa hæc illius gloria ſtare diutius poteſt, quinimmo ſicut flore fœni velociter tranſeunte, ubi ſol illuxerit paulo ardentior, areſcit fœnum, peritque illius decor & gloria: ita ſubito tranſeunte mundana illa divitum gloria: ubi per ardorem diſtricti iudicii, ſeu in morte, ſeu noviſſimi, ſol illuxerit iuſtitiæ, reproborum divitum decor perit & gloria: quemadmodum de fœno præmiſit, quod DECOR VULTUS EIUS DEPERIIT: ubi Græca habent, εὐπρέπεια τοῦ προσώπου; quo loco Græca ſcholia dicunt abuſum eſſe apoſtolum vocabulo τοῦ προσώπου, quod de homine tantum dicitur. Certe melius erat ſi interpres vertiſſet decor faciei eius, quam vultus: nam vultus, quod quidem viderim, de homine tantum aut animantibus dicitur, facies vero de inanimis etiam. Saluſtius enim de urbe dixit, quibus rebus immutata facies urbis erat: & de arbore Plinius, nec arboris ipſius quæ ſit facies conſtat: ita faciem fœni rectius dixeris quam vultum. Sicut ergo fœnum,

inquit,

inquit, aruit, & decor faciei eius deperiit: ITA DIVES IN ITINERIBUS SUIS MARCESCET; id eſt, in actionibus, per quas ſuperbus ambulabat, peribit. Pro eo autem quod pene omnes Græci habent ἐν ταῖς πορείαις, id eſt in viis aut itineribus, antiquus codex Græcus ſumptus e bibliotheca Divi Dionyſii iuxta Lutetiam Pariſiorum, habet, ποείαις, per ſimplex, ι, id eſt in abundantiis ſuis & facultatibus, quod utique magis hoc loco quadrat, quod ſcilicet dives in divitiarum affluentia marceſcet.

V. 13. & 14. NEMO CUM TENTATUR, &c. Antea nomine tentationis perſecutiones intellexit: nunc de iis agit, quas interius inſtigante diabolo, vel ſuadente naturæ fragilitate toleramus: ſic enim Auguſtinus de verbis Domini: eſt tentatio inducens peccatum, qua Deus neminem tentat: eſt & tentatio probans fidem, qua tentare Deus hominem dignatur. *Nemo*, inquit, *dum tentatur*, DICAT QUONIAM A DEO TENTATUR. Græce ὅτι ἀπὸ Θεοῦ πειράζομαι, id eſt quoniam a Deo tentor; & ita habet Latinus codex, ante annos ſexaginta prælo excuſus. QUONIAM DEUS, inquit, INTENTATOR EST MALORUM. Græce ἀπείραστος, quod active & paſſive ſumi poteſt. Paſſive ſenſus eſt: Deus malis noſtris non tentatur, id eſt malitiis: ſed præſtat active legere; quod ſcilicet Deus malos homines non tentat: hæc enim ſententia refertur ad præcedentem: *nemo dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator eſt malorum*: quod ſimili ſententia confirmat, dicens, IPSE AUTEM NEMINEM TENTAT: UNUSQUISQUE VERO TENTATUR A CONCUPISCENTIA SUA ABSTRACTUS ET ILLECTUS in malum: pro *illectus* autem, Græce eſt δελεαζόμενος, id eſtineſcatus, quod alludit ad concupiſcentiæ ſuavitatem.

V. 15. CONCUPISCENTIA, &c. Concupiſcentia delectationem rei prohibitæ excitat, neque vero delectatio ſtatim mortalis eſt, præſertim ſi in ea non immoremur: impoſſibile eſt enim viſis non affici: at quum delectationi iuncta concupiſcentia CONCEPERIT, id eſt delectationem ad conſenſum uſque perduxerit, tunc PARIT PECCATUM. Peccatum autem quum conſummatum fuerit per plenum conſenſum & externi operis executionem, GENERAT MORTEM: mortem ſcilicet æternam & gehennæ.

V. 17. APUD QUEM NON EST TRANSMUTATIO, NEQUE VICISSITUDINIS OBUMBRATIO. Græce παρ᾽ ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα: τροπὴ autem mutationem & converſionem ſignificat: & Proclus in ſphæra, pro ſolis reciprocatione ſumit, cuius hæc ſunt verba: ὁ δὲ χειμερινὸς τροπικὸς κύκλος, τέρμα ἐστὶ τῆς πρὸς μεσημβρίαν προσόδου τοῦ ἡλίου, καὶ τὴν χειμερινὴν τροπὴν περιέχει, quæ ita vertit Thomas Linacer: Brumalis Tropicus ſolis ad auſtrum progreſſi meta eſt, & brumalem eius in ſe reciprocationem habet. Notandum autem quod quanto magis ſol accedit ad nos, tanto minus umbræ facit: contra quanto magis recedit, tanto plus. Itaque ἀποσκίασμα τῆς τροπῆς, dicitur obumbratio ſolis, quæ fit per vices, & per ipſius reciprocationem, atque a tropico in tropicum converſionem. Vult ergo Iacobus quod apud patrem luminum A QUO OMNE DATUM OPTIMUM ET DONUM PERFECTUM, lumen eſt perpetuum gratiæ & bonitatis: nec TRANSMUTATIO ulla EST, aut VICISSITUDINIS OBUMBRATIO, id eſt viciſſitudinaria luminis obumbratio, quomodo in ſole noſtro eſt per τὴν τροπὴν, id eſt ſolis converſionem, & a tropico in tropicum reciprocationem: *Deus* enim *lux eſt* (inquit Ioannes) *& tenebræ in eo non ſunt ullæ*. Certe Auguſtinus in Libro de ſpeculo hunc locum belle ad eam intelligentiam explicat, dicens: Deus omnipotens, apud quem non eſt tranſmutatio; & ideo curſus temporis, noctis, dieique alternatione apud te nequaquam variatur: hoc vere eſt τροπῆς ἀποσκίασμα, obumbratio ſcilicet, per converſionem ſolis & reciprocationem a tropico in tropicum: hoc autem in Deo non fit, quippe qui immutabilis: ideoque apud eum nulla nox, dies autem perpetua, quia lux eſt indeficiens. Auguſtinus Libro primo de Civitate Dei legit, nec momenti obumbratio; & ita ῥοπῆς, quod momentum ſignificat, pro τροπῆς legiſſe videtur, & ſic eſſet ſenſus, apud quem nec ulla tranſmutatio, nec etiam momentanea obumbratio.

V. 18. VOLUNTARIE, &c. voluntarie ſcilicet non neceſſitate. Gr. eſt βουληθεὶς, id eſt *volens*. GENUIT autem non carnaliter, ſed ſpiritualiter VERBO VERITATIS SUAE, id eſt per fidem in verbum, & unigenitum verbum, ſicut Ioannes ait: *Poteſta-*

teſtatem dedit filios Dei fieri iis qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Doo nati ſunt. UT SIMUS INITIUM ALIQUOD CREATURAE EIUS: ſive creaturarum; nam Græc. eſt: τῶν κτισμάτων, id eſt ut principatum obtineamus inter creaturas eius: quem ſenſum magis explicant Græca, ſi ἀπαρχὴν, pro primitiis ſumamus, hoc modo: ut ſimus primitiæ quædam creaturarum eius, id eſt, excellentiores ac præſtantiores inter omnes creaturas: interpretantur enim Græci, τὴν ἀπαρχὴν τὰς πρώτας ϗ τιμιωτάτας, id eſt primos & honore præcipuo dignos: κτίσματα autem, id eſt *creaturas*, interpretantur κτίσιν ὁρωμένην, id eſt creaturam aſpectabilem.

V. 19. SCITIS, FRATRES MEI DILECTISSIMI. Græce ἀγαπητοὶ, id eſt, *dilecti*: noſter legit ἴστε, id eſt ſcitis & intelligitis verum eſſe quod dico: quamquam Græca nunc habeant ὥστε, id eſt quapropter fratres mei dilecti, ſit omnis homo velox ad audiendum, &c. nec habent τὸ autem, quod noſter Interpres legit.

V. 22. NON AUDITORES TANTUM. Eraſmus negat inveniri τὸ *tantum* in Græc. codicibus, aut ſi invenitur, additum. Dionyſianus tamen codex non translatum in marginem, ſed in contextu habet ϗ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, id eſt *& non auditores tantum*.

V. 23. & 24. SI QUIS AUDITOR EST VERBI, ET NON FACTOR, HIC COMPARABITUR VIRO CONSIDERANTI VULTUM NATIVITATIS SUAE, id eſt nativam faciem ſuam, IN SPECULO; CONSIDERAVIT ENIM SE ET ABIIT, ET STATIM OBLITUS EST QUALIS FUERIT. Si quis auditor tantum verbi omnem evangelii fidem teneat, myſteria omnia noverit: nequaquam autem ad evangelii normam vivat, digna fide opera faciens, hic proculdubio ſimilis eſt illi, qui nativam faciem ſuam in ſpeculo inſpicit tantum, non ſolicitus nævos abſtergere, aut maculas abluere, atque ideo quia de curanda facie non cogitavit, nec maculas abſtergere ſtuduit, ſtatim ut ſe inſpexit, abiit, ac mox oblitus eſt qualis fuerit: ſic qui auditor eſt tantum verbi, vultum quidem nativitatis ſuæ ſpiritualis, qualis eſſe debet in evangelii verbi ſpeculo videt quidem; ſed videt tantum, nec ad illius normam per bona opera ſeſe ſtudet componere. Græci explicant, quod qui auditor tantum eſt verbi, videt, in litterarum ſanctarum ſpeculo qualis quantuſque ſit, nimirum quod ad Dei gloriam conditus eſt, & ad ipſius effictus ſimilitudinem: ſed quia auditor tantum, non item factor eſt divini verbi, non eſt illi curæ ad eiuſmodi effigiem ſe componere: non magis quam illi qui ſe in ſpeculo contemplatus, ſtatim abiit & oblitus qualis fuerit, curæ fuit nævos aut faciei ſuæ maculas abſtergere.

V. 25. QUI AUTEM PERSPEXERIT IN LEGEM PERFECTAM LIBERTATIS, ET PERMANSERIT IN EA: Græce ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας, id eſt qui proſpexerit in legem perfectam, quæ eſt libertatis & permanſerit in ea: παρακύπτω autem unde hic eſt aoriſtus, παρακύψας, a παρὰ & κύπτω componitur; itaque quum κύπτω ſignificet inclinare ſe & demittere oculos ad aliquid intuendum, & παρὰ in compoſitione non tantum ſignificet obiter, ſed etiam trans ac prope, ut in παρακολυθῶν, mihi videtur παρακύπτειν, de eo dici, qui intuendi ſtudio ac penitus introſpiciendi ſeſe inclinat: atque ita ſenſus eſſet, ſi quis propius in legem libertatis inſpexerit, & quia inſpicere non ſufficit, ut antea dixit de eo, qui vultum ſuum intuetur in ſpeculo & ſtatim abit, addidit, permanſerit in ea. Quidam Græci addunt ἔτως, id eſt ſic; id eſt, qui ut propius legem intueatur ſeſe inclinarit, & ſic videndi ſtudio intentus in ea permanſerit, NON AUDITOR OBLIVIOSUS FACTUS, (ut is qui ſe in ſpeculo contemplatus abiit) SED FACTOR OPERIS, HIC BEATUS IN FACTO SUO ERIT. Legem autem perfectæ libertatis ſeu perfectam legem in libertate ſitam, legem evangelicam ſignat, per quam liberati a filio Dei, vere liberi ſumus.

S A.

EPISTOLA IACOBI, ſcilicet Alphæi filii. Fuit primus Ieroſolymæ Epiſcopus de quo vide Gal. 1. Iudæos hortatur & inſtituit. Ubi multa de patientia, legis obſervatione, operum bonorum neceſſitate, ambitione vitanda, ac loquacitate, & perſonarum acceptione, cupiditate, detractione, iuramento: denique de magna orationis vi apud Deum.

V. 1.

Digitized by Google

V. 1. IN DISPERSIONE, id eſt diſperſæ, ſcilicet per varia Regna. Syr. *diſperſa inter Gentes*. Apparet ex omnibus tribubus aliquos fuiſſe ad Chriſti fidem converſos. Quidam intelligi putant Chriſtianos diſperſos, de quibus Act. VIII. SALUTEM. Syr. *pacem*.

V. 2. OMNE, id eſt perfectum; quaſi dicat, Optime vobiſcum agi, eſſeque de quo maxime gaudere debeatis. EXISTIMATE. Syr. *habete*. TENTATIONES, id eſt afflictiones.

V. 3. PROBATIO, id eſt exploratio per tentationes.

V. 4. HABET; quaſi dicat, Eſt perfecta.

V. 5. OMNIBUS, ſcilicet petentibus, ut par eſt. AFFLUENTER, id eſt abundanter. IMPROPERAT, id eſt exprobrat beneficium, ut ſolent qui multa dederunt.

V. 6. HAESITANS, id eſt diffidens, ſeu dubitans de Dei potentia & liberalitate. CIRCUMFERTUR, id eſt iactatur.

V. 7. NON ERGO, &c. quaſi dicat, Non eſt quod putet ſe impetraturum a Deo.

V. 8. DUPLEX ANIMO, id eſt vacillans, ſeu hæſitans in rebus divinis. Syr. *dubius mente ſua*. VIIS, id eſt actionibus.

V. 9. FRATER HUMILIS, id eſt Chriſtianus abiectus. EXALTATIONE, ſcilicet apud Deum.

V. 10. HUMILITATE, id eſt deiectione; quaſi dicat, Cogitet quid de ſe futurum ſit paulo poſt, deſinetque gloriari. FOENI, id eſt herbæ.

V. 11. VULTUS, id eſt aſpectus, ſeu ſpeciei. ITINERIBUS, id eſt actionibus. MARCESCET, ſcilicet tandem amittet omnia, & peribit ipſe.

V. 12. SUFFERT, id eſt patienter fert. VITAE, ſcilicet æternæ. REPROMISIT; pro, promiſit.

V. 13. TENTATUR, ſcilicet ad malum. DICAT, ſcilicet apud ſe, id eſt cogitet. MALORUM, id eſt ad malum. IPSE AUTEM; pro, ipſe inquam. TENTAT, ſcilicet ad malum.

V. 16. CONSUMMATUM, ſcilicet pleno conſenſu. MORTEM, ſcilicet animæ.

V. 17. DATUM OPTIMUM. Græc. *donum bonum*. PATRE, id eſt auctore. TRANSMUTATIO, id eſt mutatio. VICISSITUDINIS; pro, viciſſitudinaria. Græc. id eſt τροπῆς, *converſionis*; quaſi dicat, Non eſt ut ſol, qui recedens umbram facit. OBUMBRATIO, id eſt obſcuratio; vel quaſi dicat, Ne minimum quidem ſignum viciſſitudinis, eſt enim prorſus immutabilis.

V. 18. VERBO, &c. id eſt prædicatione Evangelica, vel per Filium ſuum. INITIUM. Græc. ἀπαρχὴν, id eſt *primitiæ*, ſcilicet primi, ſeu potiores. CREATURAE, ſcilicet recreatorum per ipſius gratiam.

V. 19. SCITIS. Græc. & Syr. *itaque*. AUTEM: non eſt Græc. VELOX, ſcilicet promptus. TARDUS, ſcilicet difficilis.

V. 20. IUSTITIAM DEI, &c. id eſt non ſinit bene operari, vel Deo diſplicet.

V. 21. MALITIAE; pro malam; quaſi dicat, Quidquid male abundat, mereturque reſecari. INSITUM. Syr. *naturæ noſtræ inſitum*, ſcilicet per Incarnationem; quaſi dicat, Dei filium hominem factum: periphraſis Chriſti.

V. 23. COMPARABITUR. Græc. *ſimilis eſt*. NATIVITATIS SUAE, id eſt naturalem.

V. 25. LIBERTATIS, ſcilicet filiorum Dei, & a peccato, ſcilicet lex Evangelica filios facit Dei, & peccato liberat. Eſt enim ſita præcipue in caritate. IN FACTO, ſcilicet opera bona beatum faciunt, non ſola fides.

V. 26. RELIGIOSUM, id eſt Dei cultorem, vulgo *devotum*. SEDUCENS, ſcilicet a recta via per loquacitatem.

V. 27. PATREM, ſcilicet omnium. VISITARE, ſcilicet iuvando & conſolando. SAECULO, id eſt mundo.

MARIANAE.

DE ſeptem Canonicis Epiſtolis auctoritatem habere, ut alii Libri ſacrati, ac peculiariter quinque; Epiſtola Iacobi, ſecunda Petri, ſecunda & tertia Ioannis, ac Epiſtola Iudæ, de quibus olim eſt dubitatum, nemo fidelis poſt tot Concilia, Hieronymum, & alios Patres, qui eas probant, impune ambigat. Neque opus eſt in re perſpicua morari. Duo tamen dubia explicabo. Alterum, fuerint duo Iacobi, Iacobus Zebedæi Maior, & Minor Iacobus Alphæi, qui & frater Domini, & Epiſcopus Ieroſolymitanus, ut Lutini ſentiunt; an tres, ut putant Græci,

ci, inter Iacobum Alphæi, qui fuit de numeto duodecim Apoſtolorum Mariæ filius ſororis matris Domini, & Iacobum fratrem Domini Icroſolymitanum Epiſcopum diſtinguentes: de quo ad Galatas I. 19. diximus. Addam nunc pro Latinis validum argumentum, ex ſilentio in Hiſtoria perpetuo de Iacobo Alphæi, ſi a Iacobo fratre Domini diſtinguatur. Alterum dubium, a quo Iacobo fuerit ſcripta hæc Epiſtola. Euſebius Lib. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXIII. a Iacobo fratre Domini ſcriptam ait: ſequitur id Hieronymus in Catalogo. Synodus etiam Septima Act. VI. nomine Iacobi fratris Domini citat illud ex cap. I. 8. *Vir duplex animo, inconſtans eſt*. At Gotthicæ Precationis libri eam Iacobo Maiori tribuunt paſſim. Tribuit Iſidorus de Vita & obitu Patrum, cap. LXXI. cum ait de Iacobo Zebedæi, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſcripſiſſe. Sequitur Alfonſius Rex cognomento Sapiens, in libro, quem *Theſaurum* dixit lingua vulgari. Omnino argumenta, quæ convincant pro alterutra parte nulla ſuppetunt. Plura in noſtra Diſputatione pro adventu Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam, cap. VII.

Verſ. I. DUODECIM TRIBUBUS. Ex omnibus aliqui erant Chriſtiani; nam ad obſtinatos in Iudaiſmo ſcripſiſſe non arbitror. QUAE SUNT IN DISPERSIONE. Hoc tribus modis exponi poteſt: Aut qui ſunt toto orbe diſperſi & mixti cum Gentibus. Aut decem tribubus quæ ſunt ductæ in Aſſyriam, IV. Reg. cap. XVII. & duæ in Babylonem, IV. Reg. cap. XXIII. nam poſt captivitatem, & poſt Cyri libertatem multi ibi manſerunt, maior pars. Aut loquitur de diſperſione, quæ facta eſt poſt necem Stephani Act. VIII. omnium diſcipulorum præter Apoſtolos, ad quos, ut eos conſoletur, ſcribat. Prima expoſitio placet.

V. 2. OMNE GAUDIUM, id eſt perfectum gaudium putate; pro, perfecte gaudete. CUM IN TENTATIONES VARIAS, id eſt afflictiones, moleſtias incideritis. *Tentationes* hic non ſumit pro ſuggeſtionibus ad peccandum: Tentatio

V. 3. PATIENTIAM OPERATUR, id eſt probatio fidei, tentatio, afflictio.

V. 4. PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM. Patientes, manſueti conſequuntur quæ volunt. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*: Matth. V. 4. Contra impatientes, feſtini, præcipites omnia perturbant. In omnibus artibus mora & quieto ingenio opus eſt, ut quod ſit perſectum, prodeat in humana vita magis. HABET. Alii *habeat*, ἐχέτω, quæ lectio cum ſequentibus, UT SITES PERFECTI, ſatis convenit. Qui caret ſapientia, petat a Deo, qui

V. 5. DAT OMNIBUS AFFLUENTER. Græc. ἁπλῶς *ſimpliciter*, candido animo. Noſter Interpres legit ἀθρόως.

V. 7. POSTULET AUTEM IN FIDE, id eſt cum fiducia. NIHIL HAESITANS: aut de Dei potentia, aut de conſecutione eius quod poſtulat.

V. 8. VIR DUPLEX ANIMO. Sic hæſitantem vocat, qui in animo varias cogitationes verſat, iam credit, iam diffidit. Is inconſtans eſt, in duas partes claudicat.

V. 9. GLORIETUR AUTEM FRATER HUMILIS, id eſt pauper. IN EXALTATIONE SUA. Si quid boni habet, id conſideret, ne mœrore opprimatur, & fiat puſillanimis. Contra dives ne ſuperbiat,

V. 10. IN HUMILITATE SUA, ſcilicet glorietur, quæ illi deſunt, ea conſideret. Vita ut bilanx eſt, ex bonis & malis conſtat; ut ſit æquabilis, in eam partem propendere debemus, quæ levior eſſe videtur. SICUT FLOS FOENI eſt dives, cito areſcit, id conſideret.

V. 11. ET DECOR VULTUS EIUS. Vox *vultus* redundat ex Hebr. proprietate: perinde eſt, ac ſi dicas: *Decor eius deperiit*; pro, deperibit præteritum pro futuro, ut conveniat cum ſuperiori verbo *tranſibit*. ITA ET DIVES IN ITINERIBUS SUIS. Syr. *comeſſationibus ſuis*. MARCESCET. Sic Græc. in præſenti, Syr. & Gotth.

V. 13. DEUS ENIM INTENTATOR MALORUM EST; ideo nemo dicat ſe a Deo tentari. Vox Græca paſſive ſumi poteſt; quaſi dicat, *Deus intentatus eſt*, id eſt, nec tentatur, nec tentat in malum. Poteſt active, ut Interpres ſumpſit, eritque ſenſus: *Deus intentator malorum*, id eſt ad malum non tentat. Sicque quod ſequitur, IPSE AUTEM NEMINEM TENTAT, erit repetitio, aut prioris verbi explicatio maior. Porro hic *tentatio* pro ſuggeſtione mala ſumitur. A quo ergo tentatur? Quiſque

V. 14. A CONCUPISCENTIA SUA. Tentat etiam diabolus, ſed mota concupiſcentia. ABSTRACTUS. *Trahit ſua quemque voluptas.* ET ILLECTUS, perinde eſt, voluptas trahit & allicit.

V. 15. DEINDE CONCUPISCENTIA CUM CONCEPERIT, id eſt ad conſenſum traxerit, in eo eſt peccatum.

V. 17. OMNE DATUM OPTIMUM. Non tentat Deus in malum, non eſt auctor peccati, ſed potius bonum confert; omne, nec in eo mutatio eſt, in hoc ſcilicet. NEC VICISSITUDINIS OBUMBRATIO, id eſt mutationis umbra, ſuſpicio, imago. Græc. *τροπῆς ἀποσκίασμα*. In quo fortaſſis alludit ad mutationem umbrarum, cum ſol diſcurrit per Tropicos, quod in Deo non eſt: *τροπὴ*, *mutationem* & *converſionem* ſignificat.

V. 18. VOLUNTARIE ENIM GENUIT NOS, non neceſſitate. Ecce datum bonum, quod Deus contulit. VERBO VERITATIS, ſcilicet Evangelio, genuit nos ſpiritu. UT SIMUS INITIUM. Græc. *primitiæ creaturarum*, id eſt præcipui inter alias creaturas.

V. 19 SCITIS FRATRES: ſupple, verum eſſe, quod dixi de donis Dei. SIT AUTEM OMNIS HOMO. Novum præceptum de linguæ moderatione. Noſter Græce legit ἴστε, *ſcitis*, nunc ὥστε, *itaque*, *propterea*, ut cum ſuperioribus, quæ de donis Dei dixit, connectat ſequentia de lingua. Sed non eſt opus, neque cohærent. VELOX AD AUDIENDUM. Natura homini duas aures dedit, unicam linguam, ut facilius audiamus quam loquamur. Silentio colitur Deus, id Harpocrates ſignificabat pictus in templorum aditu digito ori impoſito. Pſal. etiam LXIV. 2. ubi nos, *Te decet hymnus Deus in Sion*, Hebraice, *Tibi ſilentium laus Deus in Sion*. Plura Angel. Polit. in Miſcellaneis cap. LXXXIII. Porro ex loquacitate, rixæ concitantur, ideo ait, TARDUS AUTEM AD LOQUENDUM, ET TARDUS AD IRAM.

V. 21. IN MANSUETUDINE. Viri religioſi, & Deo devoti, manſueti ſunt. SUSCIPITE INSITUM, ſcilicet mente, quod iam audiſtis. VERBUM, id eſt Evangelium. Nec auditu ſolum, ſed opere.

V. 22. ESTOTE AUTEM FACTORES VERBI, ET NON AUDITORES TANTUM. Vocem *tantum* Eraſmus Græce haberi negat, aut eſſe additam. Ego illam in omnibus Græcis codicibus invenio, in Syriaco etiam.

V. 23. QUIA SI QUIS AUDITOR EST VERBI. In eo ſpeculi ſimilitudo, quod ille qui ſe in ſpeculo videt, ſtatim obliviſcitur, qualis ſit facies viſa; ſic qui audit verbum, videt, quod facto opus ſit: quod ſi non faciat, videtur oblitus eius quod vidit. Aut ſic, qui nævos in ſpeculo videt, & non detergit, eorum oblitus videtur; ſic qui vitæ ſordes videt in verbo, ſi mores non mutat, verbi & ſordium oblitus videtur. VULTUM NATIVITATIS SUAE; pro, vultu nativo & naturali.

V. 25. QUI AUTEM PERSPEXERIT IN LEGEM PERFECTAM LIBERTATIS. Sic Goth. ſive *quæ libertatis*, ut eſt Græc. ſic lege, non, ut eſt in pleriſque codicibus, *In lege*, aut *in legem perfectæ libertatis*. Vocatur autem *lex libertatis*, quia liberat a peccato, & ſervitute Legis veteris. *Perſpexerit*, ſcilicet attente, propius, id *παρακύψας* ſignificat.

V. 27. RELIGIO MUNDA. Cyrillus Oratione I. Feſtorum, pro θρησκεία, id eſt *religio* legit νηστεία, id eſt *ieiunium*. Putavit comites ieiunii hic deſcribi.

MENOCHII.

Verſ. 1. IACOBUS: filius Alphæi ex Maria Cleophæ Matt. XXVII. 56. quæ, ut aliqui volunt, ſoror fuit Beatiſſimæ Virginis, primus fuit Ieroſolymorum Epiſcopus. DUODECIM TRIBUBUS QUAE SUNT IN DISPERSIONE, id eſt Iudæis quibuslibet, qui prognati ſunt ex duodecim tribubus & diſperſi ſunt inter Gentes per varia regna. Apparet ex omnibus tribubus aliquos fuiſſe ad Chriſtum converſos.

V. 2. OMNE GAUDIUM, id eſt perfectum, ſummum, plenum gaudium. CUM IN VARIAS TENTATIONES INCIDERITIS, id eſt in varias tribulationes. Huius paradoxi rationem ſubdit verſiculo ſequenti.

V. 3. PROBATIO FIDEI VESTRAE: quod Latinus dixit *probatio* in Græco eſt δοκίμιον, id eſt examinatio, perſcrutatio], probatio, exploratio, quæ ſcilicet perſcrutatur, examinat, probat, explorat hominis animum, fidem, & virtutem. Hæc autem *probatio* eſt tribulatio. PATIENTIAM OPERATUR, id eſt præbet materiam, & occaſionem patien-

tien-

Digitized by Google

tientiæ, illam etiam oſtendit ſi adſit, nam ut ait ille:

Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

V. 4. PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM HABET: nam ut ait Beda hic: *Cujus patientia vinci non poteſt, ille perfectus eſſe probatur*. In Græco eſt ἐχέτω, *habeat*, iuxta quam lectionem videtur Apoſtolus requirere altiſſimum & perfectiſſimum huius virtutis gradum, ſcilicet gaudium, & alacritatem in perferendo, quod etiam prius nos docuerat Chriſtus Matt. v. 12. *Gaudete & exultate*, &c.

V. 5. SI QUIS INDIGET SAPIENTIA: intelligit ſapientiam practicam, & ad ſalutem vel neceſſariam, vel utilem. POSTULET A DEO: nam ut dicitur Eccleſiaſtici I. 1. *Omnis ſapientia a Domino eſt*. QUI DAT OMNIBUS AFFLUENTER. In Græco eſt ἁπλῶς, *ſimpliciter*, qua voce recte ſimplicitatis quæ in dando eſſe ſolet, vim, & effectum expreſſit, ut beneficentia maligna, & reſtricta non ſit, ſed abundanter largiatur: ſic monet D. Paul. ad Rom. XII. 8. *Qui tribuit in ſimplicitate*. ET NON IMPROPERAT: non enim ſolet Deus petentibus opprobrare vires, nequitiam, importunitatem, nimis crebras petitiones, ut plerique divites pauperibus ſolent. ET DABITUR: videlicet, ſi expediens illi fuerit, & ſi adfuerint debitæ petendi conditiones.

V. 6. POSTULET AUTEM IN FIDE NIHIL HAESITANS: hæc eſt enim orationis conditio, ſcilicet impetrandi fiducia, de qua I. Ioan. v. 14. *Hæc eſt fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem eius audit nos*. NIHIL HAESITANS: per diffidentiam. Noſtra enim fiducia paterna Dei erga nos benevolentia niti debet, de qua dubitare non debemus. QUI ENIM HAESITAT SIMILIS EST FLUCTUI MARIS, &c. Nam, ut ait Comicus: *Dum in dubio eſt animus, paulo momento, huc illuc impellitur*.

V. 7. NON ERGO AESTIMET HOMO ILLE, &c. qui hæſitat ſibi perſuadeat irritas fore preces ſuas.

V. 8. VIR DUPLEX ANIMO, &c. δίψυχος, id eſt *bianimus* dubius, & inter diverſas ſententias, voluntateſque fluctuans. Poteſt etiam intelligi hypocrita, & omnis vafer, & verſipellis, qui *in corde & corde* loquitur, ut eſt in Pſal. XI. 3. Tales ſunt pſeudopolitici qui *inconſtantes ſunt in omnibus viis ſuis*; nam varias aſſumunt formas, ut ſuis commodis, quibus velificantur, putant expedire, & modo ſe Catholicos ſimulant, modo produnt hæreticos, vel etiam atheos. Hi Deo ſunt exoſi, & eorum orationes ob hypocriſim, & impietatem execrabiles.

V. 9. GLORIETUR AUTEM FRATER HUMILIS; Chriſtianus pauper, abiectus, & tenuis. IN EXALTATIONE SUA: quam expectat, & quam promiſit Chriſtus cum dixit: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*. Matth. XXIII. 12.

V. 10. DIVES AUTEM IN HUMILITATE SUA; quaſi dicat: Dives ſi bonis ſpolietur ab hoſte, aut naufragio, aliove caſu privetur hanc humiliationem, & iacturam patienter ferat, eamque cum gaudio ſuſcipiat, adeoque in ea glorietur. Alii putant ſubintelligendum verbum *confundatur*; ſic enim melius invicem ſibi reſpondent partes antitheſis pauperis, & divitis, hoc ſenſu: Dives autem confundatur in humiliatione, quæ illi parata eſt, & quam certo expectare debet. Hæc expoſitio mihi magis probatur, & bene etiam cohæret cum ſequentibus. QUONIAM SICUT FLOS FOENI TRANSIBIT. Sapienter D. Paulus ait I. ad Tim. VI. 17. *Divitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum*.

V. 11. ET VULTUS EIUS DEPERIIT: vultum floris metaphorice vocat eius formam, & ſpeciem. IN ITINERIBUS SUIS. Itinera divitis ſunt tum eius actiones occupationes, recreationes; tum modi, & viæ quibus ad opes, & honores contendit. Nec diſplicet, ut fiat alluſio ad itinera difficillima quæ conquirendæ pecuniæ cauſa, a pecunioſis hominibus ſuſcipiuntur. Horat. epiſt. I.

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

V. 12. BEATUS VIR QUI SUFFERT TENTATIONEM. Qui non cedit ingruenti calamitati, non ſuccumbit rebus adverſis, neque ſuſtinet modo tribulationem, ſed fortiter etiam vincit. QUONIAM CUM PROBATUS FUERIT: cum per multam patientiam fuerit exploratus, purgatus, expolitus,

& perfectus. ACCIPIET CORONAM VITAE: eam de qua dicebat D. Paul. II. Tim. XLVIII. *Bonum certamen certavi*, &c. *in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*. Vocatur *corona vitæ*, quia beatitudo cæleſtis eſt corona perpetuo virens, & florens non marceſcens, aut decidua, quales coronæ huius vitæ ex hedera, gramine, vel lauro confertæ, quas tamen tanti fecit antiquitas.

V. 13. NEMO CUM TENTATUR, &c. Tranſit Apoſtolus a tentatione probationis ad tentationem ſuggeſtionis, & ſeductionis, qua Dæmon fideles oppugnat. DEUS ENIM INTENTATOR MALORUM. In Græco eſt ἀπείραςος, eumque ſignificat, qui tentationis obnoxius non eſt, & etiam active eum qui tentatione & prava ſuggeſtione ad malum non inſtigat.

V. 14. ILLECTUS: δελεαζόμενος, *inefcatus*, voluptas enim eſt quaſi eſca, & illecebra turpitudinis, qua videl. homo abſtrahitur a bono, & ad malum pellicitur. Hoc verſiculo & ſequenti tentationis, & peccati triplicem gradum diſtinguit Apoſtolus. Prius eſt ſuggeſtio, ſeu cogitatio rei malæ, in qua nullum plerumque eſt peccatum, quia ſæpe a Dæmone immittitur, & ſuſcitatur ſine noſtra culpa. Secundus eſt delectatio, videl. cum voluntas negligit illam reprimere, vel imperfecte conſentit; & in hoc eſt peccatum veniale. Tertius eſt conſenſus deliberatus, in quo eſt peccatum mortale, ſi materia ſit gravit, & ſub gravi obligatione vetita.

V. 15. DEINDE CONCUPISCENTIA CUM CONCEPERIT; ſcilicet delectationem, ut dixi numero ſuperiore, PARIT PECCATUM. Motum hunc delectationis vocat peccatum, quia licet non ſit omnino voluntarius, nec mortale peccatum, tamen non caret culpa. Non eſſe autem peccatum mortale colligitur ex eo, quod illum a peccato conſummato, & mortem generante diſtinguit. Similem metaphoram conceptus, & partus invenies Iacob XV. 35. Iſa. XXXIII. 11. & cap. LIX. 4. & Pſal. VII. 15. CUM CONSUMMATUM FUERIT: per conſenſum plene deliberatum. GENERAT MORTEM: peccati lethalis.

V. 16. NOLITE ITAQUE ERRARE, &c. Cavete itaque ne tam abſurda, & impia perſuaſio ſubeat animos veſtros, ut a Deo vos tentari exiſtimetis.

V. 17. OMNE DATUM OPTIMUM, &c. quaſi dicat: Tantum abeſt ut Deus quempiam tentet, & ad malum ſolicitet, ut ſupernaturalia omnia dona, & cæleſtia chariſmata, quibus ad omnem virtutem, & perfectionem inſtituimur, & inflammamur, ab illo nobis proveniant. DESCENDENS A PATRE LUMINUM: a Deo qui eſt immenſa lux, *& in quo tenebræ non ſunt ullæ*, ut dicitur I. Ioan. I. 5. & qui eſt auctor tam materialis huius lucis, quam ſpiritualis, qua per fidem, & inſpirationes hominum mentes illuminat. APUD QUEM NON EST TRANSMUTATIO: ut modo luceat, modo non luceat, ut accidit ſoli, & lunæ verbi gratia, per eclipſes. NEC VICISSITUDINIS OBUMBRATIO: ut ſoli accidit, qui converſione diurna ex uno in alterum hemiſpherium per vices contorquetur, & terræ craſſitie ita obumbratur, ut nos illius luce perfundi non poſſimus.

V. 18. VOLUNTARIE ENIM GENUIT NOS VERBO VERITATIS. Sol illuminat naturæ neceſſitate; at Pater luminum non neceſſitate coactus, ſed amore & benignitate impulſus, genuit nos verbo veritatis. Verbum autem veritatis, hoc eſt, doctrina Evangelica lux eſt; unde I. Pet. II. 9. dicitur: *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum*. UT SIMUS INITIUM ALIQUOD CREATURAE EIUS. Græci omnes legunt ἀπαρχὴν, *primitiæ*, id eſt ut ſimus primitiæ quædam creaturarum eius. Quia vero primitiæ ſunt primi fructus, præcipuoque honore commendati, ſenſus eſt: Ut tamquam filii lucis, tanto parente digni, principatum teneamus inter omnes creaturas. CREATURAE EIUS. Creatura Dei, ſeu nova creatura in ſacro ſermone ſignificat hominem renovatum per gratiam, & ad Chriſti imaginem expreſſum.

V. 19. SCITIS. In Græco eſt ὥςε, *itaque*; ſed noſter interpres legit ἴςε, *ſcitis*; quaſi dicat, Satis ſcitis ea quæ dixi eſſe vera. VELOX AD AUDIENDUM. Aggreditur adhortari ad bona opera, ad quæ obeunda primus quaſi gradus eſt linguam cohibere, & diſciplinæ præcepta libenter audire.

V. 20. IRA ENIM VIRI IUSTITIAM DEI NON OPERATUR. Vatablus ſic explicat: Vir iratus non paret Dei mandatis. Cohibendam itaque præcipit iracundiam, quia

ma-

Digitized by Google

magnum irritamentum eſt ad divinam legem violandam.

V. 12. ABJICIENTES OMNEM IMMUNDITIAM: *ῥυπαρίαν*, qua voce non turpitudinem videtur ſignificare luxuriæ, ſed ſordes potius avaritiæ, & cupiditates rerum terrenarum, quæ iræ materiam, & fomitem ſuppeditant. ET ABUNDANTIAM MALITIAE: abundantiam malam; quaſi dicat, Quidquid male abundat, & meretur reſecari. IN MANSUETUDINE SUSCIPITE INSITUM VERBUM: *τὸν ἔμφυτον λόγον*, vertere poſſis *verbum implantatum*, ſcilicet doctrinam Evangelicam per prædicationem in animis noſtris inſitam. Monet autem ut illud ſuſcipiamus in manſuetudine, quia manſuetudo mirum quantum diſponat animos noſtros ad Evangelicam doctrinam. Itaque ſcriptum eſt Iſa. LXI. 1. *Ad annunciandum manſuetis miſit me:* quæ verba Chriſtus de ſeipſo interpretatus eſt. Luc. IV. 18. ſic Pſal. XXIV. 9. *Docebit mites vias ſuas.*

V. 22. FALLENTES VOSMETIPSOS: qui enim putaret ſatis eſſe audire ſalutarem doctrinam, & manus ad opus non admoveret, in magno errore verſaretur.

V. 23. COMPARABITUR: *ſimilis eſt*, ut eſt in Græco *ἔοικεν*. VULTUM NATIVITATIS SUAE, id eſt faciem nativam.

V. 24. ET STATIM OBLITUS EST QUALIS FUERIT: ſic qui audit Dei verbum, & quod audivit opere non præſtat, videt quaſi in ſpeculo maculas ſuas, ſed illas negligit abſtergere, illarum etiam fortaſſe oblitus.

V. 25. QUI AUTEM PERSPEXERIT. Græce *παρακύψας*, qui prono corpore, vultu demiſſo, oculis præ intuendi ſtudio defixus penitius introſpexerit. IN LEGEM PERFECTAM LIBERTATIS: legem Evangelicam intelligit, quæ eſt lex libertatis, & amoris, cum lex Moſis eſſet timoris, & ſervitutis. ET PERMANSERIT IN EA, &c. Qui non curſim ſed per otium ſuos mores efformaverit ad hoc ſpeculum, non ut ille, qui ſtatim abiit, & oblitus eſt qualis fuerit, hic plane erit terque quaterque beatus. IN FACTO SUO: non in ſimplici, & nuda cognitione, ſed in facto ſuo, id eſt in operibus, ad quæ legis cognitio refertur.

V. 26. SI QUIS AUTEM PUTAT SE RELIGIOSUM ESSE, &c. Quia ſupra verſ. 19. monuerat fideles ut tardi eſſent ad loquendum, nunc aſſeverat illum de ſua fide, & religione inaniter gloriari, qui & habenas cordi laxaret cogitandi quidquid liberet, & linguæ quidquid veniret in buccam effutiendi, etiamſi ſermo, aut cogitatio divinam maieſtatem non violaret.

V. 27. RELIGIO MUNDA, ET IMMACULATA, &c. Potius opponendum videbatur germanam religionem eſſe linguam coercere, ut conſtaret antitheſis inter utrumque verſum. Reſpondeo, ſubintelligi hoc ſenſu: vera religio eſt coercere linguam, & aliis pietatis operibus ſe exercere, viſitare pupillos, & viduas, &c. APUD DEUM ET PATREM, id eſt apud Deum Patrem noſtrum, ſcilicet & divino, & humano iudicio hæc eſt vera religio. IMMACULATUM SE CUSTODIRE AB HOC SAECULO, id eſt a vitiis huiuſmodi *refugientes coinquinationes mundi*, ut loquitur D. Petrus II. epiſt. cap. II. 20.

TIRINI.

Verſ. 1. IACOBUS Alphæi, ſeu Cleophæ filius, SERVUS IESU CHRISTI, qui noſter & totius univerſi *Deus* & abſolutus *Dominus* eſt. In multis codicibus Latinis, Græcis, Syris & Arabicis additur hic nomen *Apoſtolus*. Putatque Sixtus Senenſis *a* & Fevardentius illud ab aliquo falſario eraſum, ut ſublato titulo auctoris tolleretur auctoritas epiſtolæ. Sed in idem redit: nam *ſervus* ab hero negotii cauſa aliquo miſſus, *Apoſtolus* eſt ſeu legatus. Et in digniorem titulum, quam *ſervi Chriſti*, non poterant Apoſtoli ſibi adſcribere, cum hic dignior & glorioſior ſit omnibus titulis omnium Regum, Imperatorum & principum mundi, inquit Origenes, Didymus, & Oecumen. DUODECIM TRIBUBUS, id eſt Iſraelitis quibuslibet qui vel prognati ſunt ex duodecim tribubus, vel ex gentiliſmo converſi & numero duodecim tribuum inſerti ſunt, & nunc *diſperſi* per orbem degunt, ſeu ab olim, occaſione abductionis per reges Aſſyrios, Chaldæos, Syros, Ægyptios; ſeu recens, occaſione perſecutionis propter Stephanum excitatæ, Actorum VIII. 1. optat precaturque SALUTEM; Græce *χαίρειν*, id eſt *gaudere*, *ſalvere*, *valere*. Vocula etiam Latina *ſalus* non tantum proſperam valetudinem, ſed &

feli-

felicitatem, pacem, gratiam, omnemque bonum complectitur. Nec aulica vel ſolum verbalis eſt hæc Apoſtolorum ſalutatio, ſed efficax & realis, implens revera ſalute eum qui ſalutatur, inquit S. Chryſoſt. Hoc noſſe debebat Caietanus, neque hanc ſalutem, (multoque minus epiſtolam totam) ut profanam reprehendiſſe. Nam eadem voce la *ſalutis* uſi ſunt etiam alii Apoſtoli, tum alibi, tum in Concilio Ieroſolymitano, Act. xv. 23. & utuntur etiamnum Romani Pontifices, cum in ſuis epiſtolis *ſalutem* ante omnia & *Apoſtolicam benedictionem* iis ad quos ſcribunt precantur & impertiunt.

V. 2. OMNE, id eſt plenum *b*, perfectum, ſummum, GAUDIUM EXISTIMATE, (non ſenſu naturæ, ſed iudicio rationis per fidem & gratiam illuminatæ ac roboratæ,) CUM INCIDERITIS IN VARIAS ac multiplices TENTATIONES, id eſt afflictiones, ſeu tribulationes, ſive illæ obveniant ex interna concupiſcentia, ſiva externa dæmonis vel perſecutorum impugnatione, ſive ex naturæ infirmitate propria vel aliena: nam his omnibus tentatur & exploratur hominis virtus, patientia & robur: hoc ipſo autem quo in his omnibus tentationibus Chriſtiano ſumme gaudendum ſuadet Apoſtolus, indicat, ſummum hominis Chriſtiani bonum in vita eſſe *tentari*, affligi, tribulari: nam ſummum gaudium nequit eſſe niſi de ſummo bono.

Dices: Si eſt ſummum hominis in hac vita bonum, cur Chriſtus docet nos id deprecari ac fugere, cum iubet nos orare, *Ne nos inducas in tentationem*? Reſpondeo: Tentatio dupliciter ſpectari poteſt. Primo, quatenus ſollicitat ad peccatum: & ſic eum non appetere, ſed odiſſe, fugere ac deprecari debemus: ſic enim recta via eſt ad peccatum, quod ſumme malum & odibile eſt. Secundo, quatenus eſt materia luctæ & victoriæ, augendæque virtutis, meritorum ac gloriæ: & ſic appetere illam & optare, atque de eadem gaudere poſſumus, niſi ſpe ac fiducia affuturi cæleſtis auxilii, quo illam ſuperemus, ac de ſuperata triumphemus. Sic optabat & orabat David *c*, *Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos & cor meum*. Licet autem prudentis ſit, ex humili fragilitatis propriæ agnitione, lapſum metuere in gravi tentatione, ac proinde expediat ut plurimum illam devitare ac fugere: quando tamen adhibita diligentia ſentit evitari non poſſe, fortis animi eſt, nihil tum de ſummo mentis gaudio remittere, ob eximios fructus inde ſubnaſcentes, de quibus verſ. ſeq. Vide Dionyſ. Carthuſianum, Salmeronem, Lorinum & a Lapide.

V. 3. PROBATIO FIDEI VESTRAE: ſupple, eſt tentatio; hæc enim & probat, & probatam facit *d* veſtram fidem, caritatem & conſtantiam in bono. Et hic eſt primus fructus tentationis. Secundus *e*, eluit peccata præterita, & pœnas ratione illorum debitas Deo. Tertius, eſt antidotum *f* contra futura peccata, quia compeſcit, & ſuffocat concupiſcentiam. Quartus, avellit animum *g* ab hoc ſæculo, eiuſque amore, illecebris & blandimentis, caſtum, purum, ſanum, pulchrum illum reddens. Quod enim eſt ignis auro, lima ferro, ſcalprum lapidi, cauterium cancro, runcina ligno, lixivium panno, ventilabrum tritico, ſal carni, fornax pani, malleus contignationi, hoc iuſto eſt *tribulatio*. Quintus, virtutibus omnibus *h*, maxime heroicis, materiam ſuggerit. Sextus, facit hominem robuſtum, vegetum, nobilem, generoſum, ſæculo celſiorem, Chriſto ſimilem *i*. Septimus, tutatur adverſus ſuperbiam & animi elationem k. Octavus, mire mentem illuminat & exacuit *l*. Nonus, longo martyrio *m* præmia cauſat ampliſſima. Decimus, arrha eſt electionis & prædeſtinationis divinæ. *Fagellat enim Deus n omnem filium quem recipit. Et quia acceptus eras Deo* o, *neceſſe fuit ut tentatio probaret te*. Plura vide apud Gretſerum toto Lib. V. de Cruce. Apoſtolus hic uno verbo pene omnia complexus, OPERATUR, inquit, PATIENTIAM, Græce, κατεργάζεται ὑπομονὴν, id eſt *peroperatur*, ſeu plene & perfecte cauſat & producit *ſuſtinentiam* ſeu *perſeverantiam*, ut in lucta, ſic & in victoria, uſque ad ultimum vitæ ſpiritum.

Dices, S. Paulus Roman. v. 3. *Patientia*, inquit, *probationem operatur*: quomodo ergo S. Iacobus hic ait, *Probatio operatur patientiam?* Reſpondeo, Duæ res ſæpe ſibi invicem ſunt cauſæ. Sic calor producit ignem, & ignis calorem: vapor cauſat pluviam, & pluvia vaporem. Poſſet etiam dici, *probationem* a Iacobo, qui græce δοκίμιον habet, accipi pro actuali proba-

ba-

Digitized by Google

batione, quæ eſt tentatio ſeu afflictio: a Paulo vero, qui utitur verbo δοκιμὴ, accipi pro termino probationis ſeu examinationis, qui eſt approbatio.

V. 4. PATIENTIA AUTEM OPUS PERFECTUM HABET, ſeu cauſat, conſervans, ſtabiliens, conſummans hominem in ſtadio & ſtudio virtutum, ſupplens omnem illarum defectum, inquit Cyprianus & Gregorius *p*: exſtirpans inordinatam triſtitiam, quæ eſt cauſa & radix omnis perturbationis & mali, inquit S. Thomas *q*: immo exſtinguens (per adverſa quæ tolerat) ipſum amorem proprium, qui eſt fons & occaſio omnis imperfectionis ac defectus, inquit Dionyſius Carthuſianus. Patientia enim omnes animi motus & æſtus inſtar dominæ regit, mitigat, ſedat, componit, unde plena animo pax, alta quies, & perpetuum gaudium.

V. 5. SI QUIS, expers adhuc tam ſublimis philoſophiæ, non poteſt ſibi perſuadere, tribulationem eſſe ſummum in hac vita bonum, ac proinde ſumme de ea gaudendum eſſe: ſed INDIGET SAPIENTIA cæleſti ad id credendum & practice amplectendum, POSTULET illam *ab* auctore omnis ſapientiæ DEO, QUI ut eſt eſſentialiter oceanus omnis boni, ita infinite propendet ad ſe ſuaque dona nobis, dummodo non obſtemus, communicanda: & de facto, quantum ex ſe eſt, DAT primo, liberaliter, non vendens, ut multi: ſecundo, generaliter, non uni, ſed OMNIBUS: tertio, *abundanter*, non parce: quarto, comiter, nemini *improperando* vel exprobrando; nempe ſi donis bene utantur, vel poſt abuſus pœniteant. Impiis enim & ingratis acerrime exprobrabit in iudicio beneficia quibus abuſi ſunt *r*. DABITUR autem quod petitur, ſi quis petit, POSTULET eo modo quo oportet, nempe

V. 6. IN, id eſt cum, FIDE, ſeu fiducia, firmaque perſuaſione obtinendi quod petit, ſi, quando & quouſque expediet ad maiorem Dei gloriam, & maius bonum noſtrum. NIHIL HAESITANS, ne quidem ob ſuam propriam aut alienam indignitatem vel demerita, (ut hæſitavit aliquando Moyſes *ſ* ob populi rebellis indignitatem, & Petrus *t* dum undas calcaret:) nam poſſunt Dei beneficio tolli ſi petieris.

V. 8. VIR DUPLEX ANIMO, Syrus, *diviſus* ANIMO; Græce, δίψυχος, id eſt *bianimis*, duas quaſi habens animas, vel unam in duas diſſectam ſpe, metu, fiducia, diffidentia, audacia, deſperatione. Non ſic vir ſapiens, ſimplex, & toto animo uni Deo intentus: qui quo magis exercetur adverſis eo magis *gaudeat*, quin & magis

V. 9. GLORIETUR *in ſui* EXALTATIONE, quam certo eſpectat, ſaltem in futuro ſæculo, ſi hic vere HUMILIS, & propter Deum egregie humiliatus, abiectus & vilis apud alios factus fuerit.

V. 10. DIVES AUTEM glorietur, ſi lubet in divitiis ſuis: ſed ſciat has non eſſe materiam gloriationis, ſed *humiliationis*, depreſſionis & abiectionis. Brevi enim *marceſcent* inſtar *floris*, &c. ita fere Beda, Hugo, Lyranus, Dionyſius, & Gagneius. Sapient. v. comparantur celeri *curſori*, *navi*, *avi*, *ſagittæ*, *lanugini*, *ſpumæ*, *fumo*, *umbræ*.

V. 13. NEMO DICAT, QUONIAM A DEO TENTATUR, nempe tentatione quæ ad peccatum invitat. Hoc dicit, ne quis putet, cogitationes turpes, paſſiones exhorbitantes, aliaſque tentationes ad peccatum, bonas in ſe eſſe, & a Deo nobis inſpirari vel indi. Sunt enim ex ſe & natura ſua malæ, ſicut & peccata ad quæ pelliciunt: unde nec a *Deo* proveniunt, qui INTENTATOR MALORUM EST, id eſt nulli intentat mala, neminem excitat ad male agendum *u*. Sicut enim ignis nequit humectare, neque ſol obſcurare: ita non poteſt eſſentialis bonitas aut beneficentia cuipiam maleſacere: his tamen non repugnat quod ante dictum eſt, in eiuſmodi tentationibus iuſto etiam extreme gaudendum eſſe. Quia gaudium hoc non eſt de tentationibus ut ad peccatum ſolicitant, ſed ut materia ſunt luctæ & victoriæ, meritorum ac gloriæ, ut verſ. 2. Multo minus his repugnat quod alibi *x* dicit Scriptura, Deum *tentaſſe* Abrahamum, *tentaſſe* Hebræos, &c. Quia, ut ait S. Auguſtinus *y*, hæc Dei tentatio non eſt ſeductionis, neque ad peccatum, quam ſolam hic Deo denegat Apoſtolus: ſed eſt probationis, & ad maius meritum & maiorem coronam. Verum ſi tentatio ad peccatum non eſt a Deo, a quo ergo eſt?

V. 14. A CONCUPISCENTIA, ſeu a vi appetitiva hominis, quatenus immoderate incli-

clinatur in bona ſenſibilia, contraria rationi & legi divinæ: & eſt hæc concupiſcentia partim in voluntate, partim & magis in appetitu ſenſitivo. Nam pars inferior voluntatis, quæ bona caduca ſpectat, inordinate concupiſcit honores, gloriam, præcellentiam, &c. perinde atque ſenſitivus appetitus delitias carnis, & alia obiecta ſenſuum. Hæc concupiſcentia ſecundum S. Ambroſium *z lena vitiorum* eſt, animam a Deo ſponſo ſuo abſtrahens ad bona creata, ut contra legem eiuſdem Dei cum his delicietur & ſpiritualiter fornicetur. Excitatur hæc ſæpe a dæmone vel mundo, puta pravis ſociis, libris, colloquiis, &c. a quibus obiectum delectabile quaſi adulterum ſemen, ſubminiſtratur concupiſcentiæ. Et hic eſt primus tentationis gradus, nempe *ſuggeſtio*, qua concupiſcentia in ſe, & quaſi in utero ſuo concipit pravos motus, v. g. titillationem libidinis, iræ, gulæ, ſuperbiæ, &c. Sed quia hi primo primi ſunt & indeliberati, nullum adhuc continent *aa* formale peccatum, (ut contra hæreticos huius temporis definit Tridentinum Concilium, & fuſe docet S. Auguſtinus *bb*:) ſed hoc primum concipitur in ſecundo tentationis gradu, qui eſt *delectatio*, quando intellectus & voluntas illecebris iam dictis ſponte & adverenter ſe ſe oblectant. Unde tertius gradus, nempe *conſenſus* in peccatum, quod eſt infelix proles huius laſcivæ matris. Pulchre S. Auguſtinus *cc*: *Noli conſentire concupiſcentiæ tuæ. Non eſt unde concipiat, niſi de te, Conſenſiſti? quaſi concubuiſti in corde tuo. Inſurgit concupiſcentia? nega te illi noli eam ſequi: illicita eſt, turpis eſt, alienat te a Deo. Noli dare conſenſionis amplexum, ne plangas partum.*

V. 16. Itaque nolite errare. Græce, *ne ſeducamini in errorem*, quo v. g. cum Simone Mago eiuſve ſequacibus putetis, Deum auctorem eſſe tentationum & peccatorum; vel donum ſapientiæ & virtutem patientiæ, qua de tentationibus victoria comparetur, propriis viribus obtineri poſſe, neque debere poſtulari a Deo. Nam

V. 17. Omne datum optimum; (Græce, *omnis bona donatio*,) ſeu omne donum perfectum, ſive ſit naturæ, ſive gratiæ, ſive gloriæ: (*perfectum*, inquam, quia tale vobis opto & inculco & a Deo depoſci deſidero:) desursum est, id eſt e ſupernis deſcendit, nempe a Patre luminum, id eſt ab auctore omnium bonorum. Lumen enim, ut alibi *dd* dixi, cauſa & ſymbolum eſt omnis boni. Alludit Apoſtolus ad *ſolem*, qui auctor & fons eſt omnis luminis & boni in mundo: unde repræſentat ſolem divinum, qui beneficentiæ ſuæ radiis & luce gratiarum nos illuminat, vivificat, vegetat & perficit. Apud quem non est localis transmutatio, qualis eſt apud ſolem, qui mutat locum, dum ab Oriente movetur in Occidentem, & a Tropico Cancri in Tropicum Capricorni: neque vicissitudinis obumbratio: quæ ex tali motu & tranſmutatione locali cauſatur. Inde enim provenit quod nunc dies ſit, nunc nox: nunc æſtus, nunc frigus: nunc fertilitas, nunc lux, nunc umbra, maior minorve pro maiore vel minore ſolis acceſſu vel receſſu. Deus autem prorſus immutabilis eſt, uti eſſentia & perfectione, ita etiam loco, aſpectu & operatione: ſemper enim & conſtanter producit calorém & lumen, id eſt bonum; numquam tenebras, frigus, ſterilitatem vel umbras errorum vel peccatorum: numquam eclipſatur, vel eclipſat, quantum ex ſe eſt: numquam nubibus aut procellis a ſe productis obſcuratur: ſed ſemper & ubique, quantum ex ſe eſt, beneficentiæ ſuæ radios explicat & expandit, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum ee*, idque ut fiamus non naturales philoſophi, vel terreni principes, ſed filii Dei, & principes cæleſtes: in hunc *enim* finem

V. 18. Genuit nos Deus ſpirituali generatione per *verbum* veritatis, id eſt per Evang. partim exterius nobis prædicatum, partim interius inſpiratum, puta per intellectus illuminationem, & voluntatis excitationem. *Genuit*, inquam, non neceſſario vel naturaliter (quo modo Pater ab æterno gignit Filium ſuum;) neque caſu vel fortuito, (quo modo homo gignit hominem:) ſed voluntarie *ff*, Græce, *volens*, ſeu *quia voluit*: OEcumenius vertit, *deſtinata voluntate*; alii, *gratuita benevolentia gg*, & libero beneplacito: quia ſine meritis noſtris, immo immerentes & indignos vocavit, elegit, iuſtificavit regeneravit. Ut simus initium aliquod creaturae eius, Græce, ἀπαρχὴν, id eſt *primitiæ*, ut vertit

tit Syrus & S. Hieron. *bb* vel ut Vatablus, OEcumen. Beda, Titelmanus, & Gagneius, *ut principatum ii obtineamus inter creaturas eius*, utpote filii Dei, & heredes vitæ æternæ. Quod ſi in omnes Chriſtianos quadrat, multo magis in principes tum politicos, tum Eccleſiaſticos. Et hæc ita ſe habere, ſat ſuperque

V. 19. SCITIS, id eſt cognitum & exploratum habetis: ut non ſit opus his probandis diutius immorari. Pergamus ergo ad alia media quibus ſapientia cæleſtis poſſit facilius obtineri, & magis magiſque augeri in dies. Primo, SIT, quiſque VELOX & promptus AD AUDIENDUM *kk*, diſcendum (maxime in publicis cœtibus) & ad audita exequendum. Secundo, TARDUS ſit AD LOQUENDUM *ll*, & alios docendum in publico. Mora enim penſanda ſunt verba, & ad rationis obruſſam examinanda, & non niſi clave mentis os pandendum, inquit S. Chryſ. *mm* Et Demoſthenes rogatus cur unam habeamus linguam, ſed duas aures; reſpondit, *quia duplo plus audiendum, quam loquendum nn*. Et Ariſtoteles, *Regum*, ait, *ac principum eſt multa audire, pauca loqui*. Tertio, *tardus ad iram oo*. Nempe ne velox ira prævertat, ſecumque in præceps trahat rationem & voluntatem. *Efficaciſſimum* vero *iræ coercendæ remedium*, *dilatio vindictæ vel operis in ira concepti*, inquit Seneca *pp*. Unde Athenodorus Philoſophus Auguſto Cæſari ultimum hoc monitum pro vale dedit, teſte Plutarcho *qq*: *Iratus nihil dicas, nil facias, priuſquam alphabetum integrum recitaveris*.

V. 20. IRA quando præceps eſt, NON OPERATUR IUSTITIAM DEI, ſeu id quod iuſtum, Deo gratum, & rationi conſonum eſt; ſed potius quæ his contraria ſunt, & quæ furor ac crudelitas imperant *rr*.

V. 21. ABIICIENTES OMNEM IMMUNDITIAM; Græce, ῥυπαρίαν, id eſt ſpurcitiam, ſordes, fœtorem: nempe vitia carnalia *ſſ*, ut Beda, Salmeron & alii paſſim exponunt. Emanuel Sa ſordes avaritiæ intelligit: & per ABUNDANTIAM MALITIAE, ſeu malam, accipit prodigalitatem; quaſi dicat: Medium virtutis ſemper tenendum, cavendus defectus, vitandus exceſſus, aureæ mediocritati inſiſtendum. Et hoc eſt quartum medium obtinendæ ſolidæ ſapientiæ. Quintum medium, IN ſeu cum, MANSUETUDINE *tt* SUSCIPITE VERBUM Dei, ſeu Evangelium, per prædicatores exterius auribus veſtris admotum, ſeu per Spiritum ſanctum interius animis veſtris INSITUM, inoculatum, inſpiratum: ita Beda, Gloſſa, Catharinus, & Caietanus. Porro voceula *inſitum*, innuit Apoſtolus, verbum Dei, fidem & gratiam non eſſe nobis connaturalia, ſed aliunde, puta divinitus inſita, ideoque ſupernaturalia & gratuita: neque opera fidei & gratiæ tam nobis eſſe tribuenda, (a quibus ſolum habent quod ſint vitalia, humana & libera:) quam Deo auctori omnium gratiarum, a quo habent quod ſint opera fidei, caritatis & gratiæ, & meritoria vitæ æternæ. Sextum medium, verbo, ſeu doctrinæ divinæ ſedulo cooperari, non obiter aut per tranſennam illud ſolum audiendo, intuendo, legendo, (ut ſolent viri minus curioſi)

V. 23. VULTUM NATIVITATIS SUAE, id eſt nativum vultum ſuum, ſeu cum quo nati ſunt, obiter IN SPECULO *conſiderare*, ſed mox ad alia delapſi, & quales ſe viderint obliti, non curant eluere maculas, vel nævos quos deprehenderant: ſed continuo ac ſerio divinæ doctrinæ inhærendo, moreſque vitamque omnem ſecundum hoc ſpeculum componendo ac reformando, ut ſolet ſponſa, formæ & ornatus ſui ſtudioſiſſima, ſpeculo aſſidue intenta, nævos omnes emaculare, vultumque & veſtes & geſtus omnes ad illud componere. Qui enim ſimili ſtudio & aſſiduitate

V. 25. PERSPEXERIT intus, uſque ad medulas penetrans, IN LEGEM, non Moſaicam, quæ ſervitutis erat, & admodum imperfecta, ut alibi *uu* dixi, ſed Chriſtianam, quæ LIBERTATIS *xx* lex eſt, liberans nos *yy* a peccato, a ſervitute dæmonis, inferni, & ceremoniarum Moſaicarum *zz* &c. & *perfecta* eſt, perfectionis omnis documenta ſimul & auxilia ſubminiſtrans: ET PERMANSERIT IN EA *aaa* lege ſic aſſiduo contemplanda, ruminanda, & opere exercenda; BEATUS ERIT IN hoc FACTO ſuo, beatitudine puta viæ, quæ recta ducit ad beatitudinem patriæ. Porro factor legis Chriſtianæ, qui mandata illius omnia opere complet, vocatur.

V. 26. RELIGIOSUS, quaſi religatus vel aſtrictus Deo, inquit Lactantius, Auguſt. S. Thomas *bbb*. Aſtrictus, inquam, cultui tum interno, per adorationem; tum

exter-

Digitized by Google

externo, per ſacrificia, vota, &c. Licet autem *religio* vera complectatur obſervationem totius legis divinæ, tria tamen præcipue requirit. Primum *refrænationem linguæ*, per rectæ rationis imperium: quod ſi abſit, inſtar indomiti & infrænis equi, ſeſſorem præcipitabit in exitium: per multam loquacitatem SEDUCENS & aberrare faciens COR a ſemitis virtutum, quietis & pertrahens in devias ambages, odia, lites, & mille pericula ac præcipitia, ſubinde etiam in mortem præſentem & æternam. Secundo, exercitium caritatis erga proximum propter honorem Dei, verbi gratia:

V. 27. VISITARE; Syrus, *curare*, ſolari, paſcere egenos, PUPILLOS ET VIDUAS, quales plurimæ erant in primitiva Eccleſia, viris propter fidem Chriſti vel occiſis, vel in exilium abductis. Tertium eſt, IMMACULATUM SE CUSTODIRE AB HOC SAECULO, ſeu a vitiis ſæcularium hominum, quibuſcum vivere & converſari cogimur. Ubi mille laquei & illecebræ, quas nemo effugiet illæſus, niſi qui ſcuto timoris Dei, eiuſque iudicii rectus, & gladio mortificationis appetituum & ſenſuum armatus, ita ſe eum mundo geſſerit, ut ſolent quibus cum irato & implacabili hoſte negotium eſt *ccc*.

(a) Sixt. Senen. Lib. VII. Bibliothecæ.
(b) Proleg. de Idiotiſmis. Hebr. n. VII.
(c) Pſalm. xxv. 2.
(d) Eccli. II. 4. & Sap. III. v.
(e) Ibid. & Sap. III. 6.
(f) II. Cor. XII. 7.
(g) Pſalm. xxix. 1. &c.
(h) Iob xx IX. 21.
(i) Hebr. IV. 25.
(k) II. Cor. XII. 7. & in Vitis Patrum: Vivere non licet fornicari libeat.
(l) Eccli. XXXIV. 9.
(m) Apoc. III. 12.
(n) Hebr. XII. 6.
(o) Tobiæ XII. 13.
(p) Cypr. tract. de Patient. Greg. hom. XXXV. in Evang.
(q) S. Tho. I. 2. q. 66. a. 4. ad 2. 2. q. 136. a. 1. ad 2.
(r) Iſaiæ I. 2. Ierem. IX. Micheæ VI. 4. Matth. XXVIII. 24. &c.
(ſ) Num. XX. 10.
(t) Matth. XIV. 13.
(u) Eccli. XV. 12.
(x) Gen. XXII. 1. Deut. XIII. 5.
(y) Auguſt. Lib. II. de Conſenſu Evang. 30.
(z) Ambr. Lib. IV. in Lucam IV.
(aa) Rom. VII. & VIII. Trid. ſeſſ. V.
(bb) Auguſt. Lib I. Retract. 13. & Lib. XXII. contra Fauſtum cap 27
(cc) Auguſt. Homil. XLII. inter 50. 28.
(dd) Pſalm. IV. 7. Pſalm. lxxv. 5. &c. Pſalm. XXXV. 10.
(ee) Ioan. I. 9.
(ff) Epheſ. I. 9.
(gg) Oſee XIV. 5.
(hh) Hieron. Lib. I. cont. Iovin.
(ii) Pſalm. CIX 3. & Iob XL. 24. &c.
(kk) Eccl. V. 13. Prov. I. 1.
(ll) Prov. X. 19. Prov. XXIX. 11. Pſalm. CXXXIX. 12. Thren. III. 26. &c.
(mm) Chryſoſt. in Pſal. I.
(nn) Maxim. Serm. XLVII.
(oo) Eccleſ. VII. 10. Iob V 2. Prov. XVI. 32.
(pp) Seneca Lib. III de Ira cap. 1.
(qq) Plut. in Vita Auguſti.
(rr) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 8. & Eccli. I. 28.
(ſſ) I. Cor. IV. 18.
(tt) Eccl. V. 13.
(uu) Actor. XV. 19.
(xx) II Cor. III. 17. & I. Tim. I. 9. &c.
(yy) Rom. VI. 20.
(zz) Galat. IV. 24.
(aaa) Deut. XXVII. 26. & VI. 7. Ioan. XV. 7. &c.
(bbb) Lactant. Lib. IV. Div. inſtit. c. 28. Aug. Lib. de Vera relig. c. 55 S. Thomas opuſc. XIX. contra impugnantes Relig. cap. 1.
(ccc) Rom. VIII. 35.

GORDONI.

Verſ. 1. IACOBUS. De hoc Apoſtolo iam præfatus ſum, de quo & vita tota, lege Euſebium Lib. II. hiſtor. cap. XXII. Et quamvis hic non ſe vocet Apoſtolum, tamen iam præfatus ſum eſſe talem. Servum ſe vocat tamquam a Domino miſſum ad evangelizandum. Cur ergo non intelligetur eſſe Apoſtolus?

V. 2. & 3. OMNE GAUDIUM. Cur dicat eſſe perfectum gaudium capiendum, cum homo incidet in varias tentationes, ſeu tribulationes, dat rationem, verſ. 3. quia *δοκίμιον*, probatio & examen hoc fidei veſtræ operatur patientiam: nam tentatio probat virtutem, fidem & dilectionem, & dum hoc facit, operatur patientiam; non quidem effective, ſed velut materialiter & obiective, ut materia ignis operatur ignem. Dices, an non tribulatio potius operatur impatientiam? Sane ita eſt in viro inſtabili, & nullius roboris. non ſic in eo cui aliquid animi eſt & conſtantiæ in pectore. Qui enim talis eſt, habet unde gaudeat in tentatione hac, ubi dat ſignum radicatæ virtutis: & Deus ſpectator adeſt ut promotor. Nec pugnant iſta cum Paulo Rom. v. 3. Nam ex Iacobo ut probatio ſuggerit materiam patientiæ exercendæ & firmandæ, ita ex Paulo patientia operatur probationem, hoc eſt, reddit hominem probatum & conſtantem, ut ibidem dictum eſt. Fovent ſe mutuo iſta.

V. 4.

V. 4. PATIENTIA PERFECTUM OPUS HABET: τὸ, *habet*, varie effertur, Græce, ἐχέτω, *habeat*, rectius *habet*. Et ſenſus eſt, facit patientia, ut homo ſit integer & perfectus. Sed quid eſt quod patientia perficiat: an præter & ſuper alias virtutes? Sane caritas & aliæ virtutes ſunt ex objecto nobiliores: varie tamen patientia dicitur facere opus perfectum, quia involvit ſi ſolida eſt, perſeverantiam in tentationibus contra quaſcumque virtutes. Sic etiam ut truncus arborem, & omnia ſuſtinet; nec ſine illa conſiſtit ulla virtus. Denique ſuperat omnia quantumvis adverſa, & coronat martyres.

V. 5. SI QUIS INDIGET. Interpretes hic intelligunt ſapientiam practicam, & utilem ad ſalutem. Petenda eſt a Deo, utpote qui & omnia dat, & abunde recte petentibus. NEC IMPROPERAT; non exprobrat petenti ſuam importunitatem, aut etiam malitiam: ſed addit conditiones & comites petitionis; fiduciam requirit, quæ ſine diffidentia niti debet benevolentia Dei. Mens ergo Apoſtoli eſt, ex patientia naſci perfectum opus, & perſeverantem tolerantiam in perfectione virtutum Chriſtianarum. Atque hoc eſt ſapere, veraque ſapientia practica. Petenda a Deo, ut dictum eſt, ea fiducia, quæ deſcribitur, I. Joan. v. 14. DAT AFFLUENTER; Græce *ſimpliciter*, non reſtricta beneficentia, ſed abundanter, non expectata retributione.

V. 6. POSTULET IN FIDE NIHIL HAESITANS. Opus eſt, ut iam dictum eſt, fiducia. Obſervant hic aliqui fidem triplicem; nempe Chriſtianam, fiduciam ſeu ſpem, & credulitatem obtinendi quod petitur. In prima hæſitare pertinaciter, eſt infidelitas: in ſecunda ſapit deſperationem; in tertia eſt diffidentia obtinendi. Hæc vero obtinendi credulitas nec divina, nec certa eſt, ſed humana & probabilis, & creſcit pro magnitudine fiduciæ, & naſci ſolet ex diffidentia de propriis meritis. Triplex iam fides hæc requiritur ad efficacem orationem ab omni oratione abeſſe debet diffidentia. Et proinde qui orat poſtulare debet nihil hæſitans, nihil addubitans, non fluctuans inſtar undarum. Dices Deum aliquando male petentibus & hæſitantibus pleraque concedere. Reſpondeo, ita quidem contingere, ſed hoc eſt ex Dei liberalitate, non ex vi & debita orationis conditione.

V. 7. NON ERGO AESTIMET. Infert quæ orationes ſint irritæ; nempe, quæ cum hæſitatione ſunt & diffidentia. Et mox, verſ. 8. oſtendit radicem hæſitationis eſſe animum ambiguum, & qui nunc partim e cælo aliquid expectat, nunc terræ adhæret, raptus a pugnantibus affectibus in omnem partem. Et vero mirum eſt quam tales homines, ut variis his & pugnantibus affectibus, ita magnis malis ſint obnoxii. Ab his virtus poſt nummos quæritur, & commoda ſæpe anteponuntur religioni. Et quis tandem finis horum? Recte hic Iacobus verſ. 9. vir humilis & probus habet in quo ſolide glorietur. (Antitheſis eſt) divites autem, & qui fluctuantem gerunt mentem, finem diſparem conſequentur. Ille habet unde glorietur, dum humilitas exaltationem parat in cælo. Ceteri areſcent modico tempore, ut flos campi: tanti eſt non fluctuare, conſtanti animo, & ſimplici adhærere Deo.

V. 12. BEATUS VIR QUI. Redit ad mentionem de tentatione, & beatum prædicat, qui non ſuccumbit tentationi, & huic victori proponit coronam, qua datur vita æterna. Et interea laborem, & præmium laboris. Certe merces eſt reſpondens merito.

V. 13. NEMO CUM TENTATUR. Duplex ratio eſt tentationis. Una oritur a perſecutione, & rebus adverſis: ab hac nunc tranſit Iacobus ad tentationem aliam, quæ eſt ex ſuggeſtione per Dæmonem. Deus quidem ἀπείραστος eſt, ſenſu activo: nam non ſolum non tentatur, ſed nec prava ſuggeſtione incitat ad malum. Apoſtolus hic tres indicat ſuggeſtionis gradus; nempe in ſimplici cogitatione (ubi nondum eſt peccatum) in delectatione, & pleno conſenſu voluntatis. De quibus multa ſuis locis Theologi, & de peccati auctore & cauſa.

Novatores Deum faciunt peccati auctorem, tum quia eſt auctor omnium operum malorum, ut Calvinus loquitur; tum certe maxime quia ita Deum faciunt cauſam primam, ut præveniat, promoveat & prædeterminet voluntatem noſtram ad omnia opera ſua, adeo ut non poſſit voluntas reſiſtere: ſed prædeterminatio hæc volunta-

tis, ut tollit libertatem, ita reprobatur ut falſa, quam numquam vel probabiliter defendent adverſarii. Deum vero non eſſe cauſam peccati alibi abunde eſt demonſtratum ex eius bonitate & aliunde.

V. 14. UNUSQUISQUE VERO. Hoc iam explicatum manet. Certum eſt multa concurrere ad peccatum. Et quidem extrinſecæ cauſæ, Dæmon, bona delectabilia; & ſimilia; movent intrinſecam peccati cauſam, quæ eſt concupiſcentia, idque per tres illos gradus, v. 13. declaratos, dum a concupiſcentia (quam hic definio eſſe motum appetitus ſenſitivi) venitur ad conſenſum voluntatis, ubi completur peccatum, & proinde homo ſic operans defectuoſe fit proprie cauſa peccati.

V. 16. NOLITE ITAQUE ERRARE. Cavere, inquit, oportet, ne quis putet tantum malum, & impulſum ad peccatum, taleſque tentationes eſſe a Deo, quin e contrario verum eſt, bonum, & bona omnia ab eo eſſe. Ille eſt qui inflammat ad caritatem: illuminat nos, & apud quem non ſunt tenebræ peccatorum aut mutatio vel viſſitudo paſſionum. Omni modo eſt immutabilis: immo hominem ſtabilem facit per gratiam, ut nullo ventorum aut paſſionum impetu turbetur.

V. 18. VOLUNTARIE ENIM. Hoc referri poteſt, ut probatio, oſtendens Deum non peccati, ſed boni omnis eſſe auctorem. Voluntarie enim, & non ex aliqua neceſſitate produxit nos, & ex ſuo amore fecit nos ſibi filios adoptivos, oſtenſo prius verbo veritatis, quod eſt Evangelium, fecitque ut eſſemus initium & primitiæ in creaturis eius per gratiam Chriſti renovatis.

V. 19. SCITIS FRATRES. Noſter interpres videtur in Græco legiſſe ἴστε, *ſcitis*. Aliter eſt ὥστε, *itaque*. Hortatur iam ad opera bona, cuius rei initium ducit a linguæ cuſtodia, & ſtudio libenter audiendi præcepta diſciplinæ. Proxime monet ab ira abſtinere. Eſt enim iracundia velut incendium excitans ad mandatorum tranſgreſſionem.

V. 21. PROPTER QUOD. Aliud monitum eſt conferens plurimum ad bona opera, nempe ut immunditia omnis & vitæ turpitudo abſit: ſordes avaritiæ aliqui intelligunt, vel luxuriam, & uno verbo MALITIAE multa complector. Vox etiam ῥυπαρία ad hæc omnia extendi poteſt. Vult hic Apoſtolus reſecari ab operibus omnem abundantiam malitiæ. Monet porro conferre, ſi ſuſcipiant, ut par eſt, verbum Dei, & doctrinam Evangelii, iam illis quaſi inſitam per prædicationem: ſed ſuſcipiendum eſt in omni manſuetudine, quæ ſemper optimus eſt apparatus ad ſuſcipiendam diſciplinam. QUOD POTEST SALVARE. Salvat verbum Dei; vivificat animas quando per fidem & gratiam recipitur, & ita inſitum redditur, ut media remiſſione peccatorum, & inhærente iuſtitia, plene regeneratus homo perducatur ad æternam ſalutem. Non ergo ſola fide, aut per inanem fiduciam.

V. 22. ESTOTE FACTORES VERBI. Poſt iam factam mentionem iuſtitiæ, docet iuſtificari factores legis Dei: plena eſt commendatio operum: parum eſt audire, aut ſcire: bene ille ſcit, qui bene vivit, & exemplo Chiſti facere prius incipit quam docere. FALLENTES VOSMETIPSOS. Belle videtur Novatores Calvinianos confutare, quibus ſola fides ſufficit ſine neceſſitate operum. Paralogizant, inquit Apoſtolus, errant, ſi operum neceſſitatem repellant. Et vero, inquit, qui tantum auditor eſt legis, vana deluditur imagine, exemplo intuentis ſe in ſpeculo. Sic ſane Scriptura eſt ſpeculum, in quo quiſque intueri poteſt, qualis ſit, ſed imitatione opus eſt: fac ergo ſecundum exemplum.

V. 25. QUI AUTEM PERSPEXERIT. Eſt aliqua redditio ſimilitudinis datæ. Hic verus & prudens ſpeculi eſt inſpector, qui inſpector factus legis Evangelicæ, evadit factor operis (hæc enim perfecta lex eſt, & non ut Moſaica) hic beatus erit ex facto ſuo & opere. PERMANSERIT. Manere in lege, eſt perſeverare: talis eſt operarius & quidem perfectus.

V. 26. SI QUIS AUTEM. Reliquis tribus verſibus dat velut repetitam ſummam eorum quæ hactenus dixit: de cuſtodia linguæ, de corde mundo ab inquinamento huius ſæculi, & de bonis operibus exercendis: in quibus eſt vera religio, optimuſque modus colendi Deum ſine fuco, & non ſub inani nomine profeſſionis Chriſtianæ.

CAPUT II.

Monet ne perſonarum reſpectu moveatur: qui enim unicum legis præceptum tranſgreditur, legis tranſgreſſor eſt: hortatur ut operibus miſericordiæ incumbant, oſtendens quod homo per opera iuſtificetur; nam fides ſine operibus mortua eſt.

1. FRatres mei *(a)*, nolite in perſonarum acceptione habere
fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ. 2. Etenim
ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annu-
lum habens in veſte candida, introierit autem & pau-
per in ſordido habitu, 3. & intendatis in eum qui
indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede
hic bene: pauperi autem dicatis: Tu ſta illic; aut
ſede ſub ſcabello pedum meorum: 4. nonne iudicatis apud voſmetipſos, &
facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? 5. Audite fratres mei dilectiſ-
ſimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & he-
redes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? 6. Vos autem exhono-
raſtis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi tra-
hunt vos ad iudicia? 7. Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invo-
catum eſt ſuper vos? 8. Si tamen legem perficitis regalem ſecundum ſcri-
pturas: *(b)* Diliges proximum tuum ſicut teipſum: bene facitis: 9. ſi au-
tem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quaſi tranſ-
greſſores. 10. *(c)* Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat au-
tem in uno, factus eſt omnium reus. 11. Qui enim dixit, Non mœcha-
beris, dixit &, Non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem,
factus es tranſgreſſor legis. 12. Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per le-
gem libertatis incipientes iudicari. 13. Iudicium enim ſine miſericordia il-
li, qui non fecit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia iudicium.
14. Quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera au-
tem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum? 15. *(d)* Si autem
frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, 16. Dicat autem
aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini: non dede-
ritis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit? 17. ſic & fi-
des, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. 18.* Sed dicet quis:
Tu fidem habes, & ego opera habeo, oſtende mihi fidem tuam ſine ope-
ribus: & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. 19. Tu credis quo-
niam unus eſt Deus: Bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.
20. Vis autem ſcire o homo inanis*, quoniam fides ſine operibus mortua
eſt? 21. *(e)* Abraham pater noſter, nonne ex operibus iuſtificatus eſt, of-
ferens Iſaac filium ſuum ſuper altare? 22. Vides quoniam fides coopera-
batur operibus illius: & ex operibus fides conſummata eſt? 23. Et ſup-

ple-

Digitized by Google

pleta eſt Scriptura, dicens: (*f*) Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. 24. Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum? 25. Similiter (*g*) & Rahab meretrix, nonne ex operibus iuſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via eiiciens? 26. Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.

(a) Lev. xix. 13. Deut. x. 16. & xvi. 19. Prov. xxiv. 23. Eccli. xlii. 1. (a) Levit. xix. 18. Matt. xxii. 39. Marc. xii. 31. Rom. xiii. 9. Gal. iii. 14. (c) Levit. xix. 15. Deut. 1. 18. Matt. v. 19. (d) I. Ioan. iii. 17. (e) Gen. xxii. 19. (f) Gen. xv. 6. Rom. iv. 3. Gal. iii. 6. (g) Ioſ. ii. 10.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 18. *Sed dicet quis: Tu fidem habes.* Non mutes futurum *dicet* in præſens *dicit*.

Verſ. 20. *Quia fides ſine operibus mortua eſt.* Non ſcribas *otioſa* pro *mortua*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. NOLITE IN PERSONARUM; id eſt, nolite exiſtimare profuturam vobis fidem & fiduciam quam habetis in Chriſtum Ieſum Dominum gloriæ, ſiquidem accipitis perſonas; neque enim vere confiditis in Chriſtum, quando ſpretis pauperibus, & a conventu veſtro publico abiectis, divites honoratis, illiſque aſſurgitis: ſic enim oſtendiſtis non omnem vos in Chriſtum fiduciam collocare, quia nonnihil a ditioribus ſperatis: *nolite* ergo cum *perſonarum* ACCEPTIONE HABERE FIDEM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI GLORIAE, id eſt, glorioſi Domini noſtri Ieſu Chriſti: neque enim (ut Eraſm. vertit) τῆς δόξης, hic pro opinione ſumitur; ſed Hebraiſmus eſt, *Domini gloriæ*, pro glorioſi Domini.

V. 4. NONNE IUDICATIS APUD VOSMETIPSOS? Interpres legit διακρίνετε, id eſt nonne iudicare præſumitis? quod Chriſtus vetat, dicens: *nolite iudicare, & non iudicabimini*: nonne ergo iudicatis apud voſmetipſos, id eſt veſtra auctoritate iudicium de fratribus uſurpatis, dum falſo & inique pauperem contumelia, divitem honore afficiendum putatis? ET FACTI ESTIS IUDICES COGITATIONUM INIQUARUM, id eſt inique iudicantes, dum pauperes negligitis, & divitibus aſſurgendum dicitis: Græca tamen quæ nunc extant, habent ϗ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς, ubi τὸ ϗ, ut latinum, & παρέλκον eſt. Hoc eſt, nonne iam iudicati & convincti eſtis apud voſmetipſos, & cogitationum iniquarum iudices facti? Græci explicant iudices cogitationum iniquarum, id eſt iniqui iudices: mihi τὸ διαλογισμῶν, non tam cogitationum, quam ratiocinationum ſignificare videtur, ut ſit ſenſus, Facti eſtis iudices perverſarum ratiocinationum, id eſt perverſe ratiocinantes, dum indicatis & concluditis, hunc honorandum, quia dives; illum abiiciendum, quia pauper eſt.

V. 7. NONNE IPSI BLASPHEMANT BONUM NOMEN, QUOD INVOCATUM EST SUPER VOS? Multi, ac pene omnes de divitibus infidelibus intelligunt: mihi potius de Chriſtianis divitibus videtur intelligendum. Neque enim veroſimile eſt, quod ad ſua conventicula, quæ rerum ſuarum & maxime fidei gratia factitabant infideles ipſi divites vocarent, & Chriſtianis pauperibus anteponerent; ſed de Chriſtianis ditioribus ſolis, a vulgo reiectis pauperibus, aſſurgebatur: qui elati ſuis divitiis alios opprimebant, pro contractis a ſe nominibus in iudicium illos trahentes: qua de re damnat Paulus Corinthios, qui pro re pecuniaria apud iudices, maxime Ethnicos contenderent I. Corinth. Et quum ita moleſti eſſent pauperibus Chriſtianis, bonum Chriſti nomen blaſphemabant. Dum enim pro re nummaria liti-

gan-

gari a Chriſtianis inter ſe viderent infideles, ad blaſphemias & convitia Chriſti fidem trahebant.

V. 10. Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: non quod quiſquis fur eſt, idem homicida ſit, aut adulter; ſed quum (ut ait Paulus) debitores ſimus univerſæ legis faciendæ, qui in uno præcepto mortaliter offenderit, omnium reus eſt factus, quia legis univerſitatem, quam implere optabat, non implevit. Auguſt. & Beda exponunt, qui offenderit in uno, id eſt præcipuo caritatis præcepto, quæ eſt plenitudo legis, quodammodo omnium reus eſt, qui contra illud præceptum facit, in quo pendent omnia. Nam in uno dilectionis verbo pendent omnis lex & prophetæ, & omnia in illam tamquam ad caput & ſummam referuntur.

V. 12. Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Græce eſt *μέλλοντες κρίνεσθαι*, id eſt iudicandi; hoc eſt, ſic loquimini & facite ſine ulla perſonarum acceptione, tamquam per legem libertatis, evangelicam ſcilicet, iudicandi: cuius tranſgreſſores maius iudicium manet, quam Moſaicæ; ut Paulus docet Hebræorum 1. & x. id eſt, tales vos gerite verbo & facto, & tam caute, quaſi per legem libertatis, id eſt evangelicam, quam regulam vocavit, iudicandi.

V. 13. Iudicium enim sine misericordia fiet ei qui non facit misericordiam: ideoque tamquam per legam evangelicam iudicandi, miſericordes eſtote in pauperes: quia autem terruerat eos iudicii mentione facta tam ſeveri, ſubdit: Superexaltat autem misericordia iudicium. Græc. legunt *κατακαυχᾶται*, id eſt exultat adverſus iudicium, quamquam illud *κατακαυχᾶται* aiunt ſumi *ἀντὶ τοῦ νικᾷ, καταγωνίζεται, ἀπαμβλύνει*, id eſt pro vincit, exuperat, & obtundit: forte quia victores adverſus victos exultare ſolent. Senſus ergo eſt iuxta Græcos, quod ſi contenderet miſericordia cum iudicio, vinceret: quia miſerationes Domini ſuper omnia opera eius, hoc modo non male vertit interpres, *ſuperexaltat*; ſi modo ita vertit, ac non librarii vitio *a* pro *u* poſitum eſt.

V. 15. Si autem frater aut soror &c. Quemadmodum nudum illud verbum, quod dicis fratri, ito in pace, ſaturare, niſi paſtum re ipſa illi præbeas, nihil illum iuverit; ita nil te iuvat fides, congruis deſtituta operibus.

V. 17. Mortua est in semetipsa. Græce *καθ' ἑαυτήν*, id eſt per ſe; hoc eſt, ſola ſine operibus; quomodo autem fides ſine operibus non iuſtificet, & quomodo ex operibus, vide in præfatione ſcoliorum in epiſtolas divi Pauli, ubi Iacobus & Paulus conciliantur, in hoc videlicet quod Paulus errorem Iudæorum refellit, qui ſe meritis bonorum operum, quæ in lege præceſſerant, ad evangelicam gratiam perveniſſe putabant: aſſerentes non eſſe ad eam recipiendos Gentiles idololatras: unde aſſerit Paulus non poſſe iuſtificari hominem ex operibus fidem præcedentibus. Hic autem arguit eos Iacobus, qui ſumpta ex verbis Pauli occaſione, ſemel inepta fide otioſi degebant, ſatis eſſe illam credentes vel otioſam, ad ſalutem: qua in hæreſi multos annos fuiſſe Lutheranos docet Georgius Vincelius, homo diu Lutheriſmo addictus, Dei autem gratia ad fidem & eccleſiæ unionem reverſus, & acer Lutheriſmi oppugnator.

V. 18. Ostende mihi fidem tuam sine operibus. Interpres legit *ἐκτὸς ἔργων σου*, id eſt *ſine operibus tuis*: Græca autem habent *ἐκ τῶν ἔργων*, id eſt *ex operibus*: & facilis eſt lapſus ab *ἐκ τὸ* in *ἐκ τῷ*, *& contra*, quamquam textus Veronenſis habet tantum, *δεῖξόν μοι τὴν πίςιν σου*, id eſt oſtende mihi fidem tuam: deinde, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam; quaſi diceret, Tu qui opera non habes, fidem oſtendere non potes: ego quam habeo, ex meis operibus oſtendere poſſum. Eſt autem ſenſus: Tu qui recte operari negligis, falſo te fidem habere iactas: quod ſi ita eſt, oſtende mihi ex operibus fidem tuam, & ego ex operibus fidem meam oſtendam.

V. 19. Daemones credunt. Quando confitentur in evangelio Matt. *Quid nobis & tibi, Ieſu fili Dei?*

V. 20. O homo inanis. Inanem vocat, fructu bonorum operum vacuum, de nuda fide glorіantem.

V. 23. Et suppleta est scriptura. Græce *ἐπληρώθη*, id eſt impleta eſt, dicens:

cens: CREDIDIT ABRAHAM, id eſt, ſenſus ſcripturæ dicens: Abrahæ fidem imputatam eſſe ad iuſtitiam, impletus eſt, quando ad fidem ipſius acceſſerunt opera, ut filii oblatio.

S A.

Verſ. 1. IN; pro, cum; quaſi dicat: Qui in Chriſtum creditis, nolite perſonas accipere, id eſt ob perſonarum reſpectum quidquam male facere. GLORIAE, id eſt glorioſi, vel glorioſam, ut ad fidem referatur.

V. 2. IN VESTE; pro, cum veſte; vel iunge cum *annulum*, ut ſignificet fibulam auream in veſte. CANDIDA. Græc. *ſplendida*.

V. 3. BENE, id eſt commode, ſeu honorifice. SUB SCABELLO, &c. id eſt iuxta, ſeu infra pedes meos.

V. 4. IUDICATIS, ſcilicet male. COGITATIONUM, id eſt per cogitationes, vel cogitationibus; quaſi dicat, Iniqui iudices.

V. 6. IUDICIA, id eſt tribunalia.

V. 7. BLASPHEMANT, id eſt maledicunt, ſeu conviciis proſequuntur. BONUM, &c. id eſt Chriſtianiſmum, ſeu Chriſti nomen, a quo Chriſtiani vocamini.

V. 8. SI TAMEN; pro, ſi quidem. REGALEM, id eſt excellentem, ſcilicet de caritate, quæ excellit inter virtutes: vel, Regis omnium Dei Syr. *Dei*. SCRIPTURAS, ſcilicet dicentes quod ſequitur.

V. 9. A LEGE, ſcilicet id prohibente.

V. 10. OMNIUM; pro, velut omnium, ſcilicet quia nihil ei prodeſt reliqua ſervaſſe: vel, reus omnium dicitur, eo quod omnia non ſervaverit, ut debebat.

V. 11. LEGIS, ſcilicet non per omnia impletæ.

V. 12. LIBERTATIS. Vide ſup. cap. I. INCIPIENTES IUDICARI. Græc. *iudicandi*.

V. SUPEREXALTAT, ſcilicet hominem; quaſi dicat, Super iudicium collocat, id eſt facit evadere Dei iudicium, ſeu condemnationem. Græc. *ſuper*, ſeu *contra gloriatur*, ſcilicet ut victrix. IUDICIUM: alii, *iudicio*; quaſi dicat, Prævalet iudicio, ſcilicet hominem liberans a damnatione.

V. 15. FRATER, &c. Olim ſic Chriſtiani vocabantur, viri quidem *fratres*, feminæ autem *ſorores*.

V. 17. IN SEMETIPSA, id eſt per ſe, ſeu ipſa.

V. 18. SED, pro, nam. DICET, id eſt dicere poterit. QUIS, ſcilicet alteri. FIDEM, ſcilicet ſine operibus. OPERA, ſcilicet cum fide. SINE OPERIBUS; quaſi dicat, Non poteris quidem. Græc. *ex operibus*.

V. 19. ET DAEMONES; pro, at etiam dæmones.

V. 22. CONSUMMATA, id eſt perfecta.

V. 23. SUPPLETA, id eſt impleta; quaſi dicat, Apparuit qualem fidem commendaret Scriptura, ſcilicet ſuo tempore bona operantem.

V. 24. IUSTIFICATUR, ſcilicet apud Deum iuſtus habetur, & eſt.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. NOLITE IN PERSONARUM ACCEPTIONE. Non vult divitem pauperi præferri. HABERE FIDEM DOMINI. Non poteris id eſſe fidei conſonum. GLORIAE, id eſt fidem gloriæ. Una dictio repetenda eſt, ut Cantic. IV. 5. *Duo ubera tua ſicut duo hinnuli*, id eſt ſicut ubera duorum hinnulorum, quæ ſcilicet duo hinnuli ſugunt. Sic totum verſum ordino: *Nolite fidem Chriſti habere*, id eſt putare eſſe fidem gloriæ, nempe externæ, id eſt fidem Chriſti accomodari ad gloriam hominum: *in perſonarum acceptione*, id eſt accipiendo perſonas.

V. 2. SI INTROIERIT QUIS IN CONVENTUM, id eſt Eccleſiam, ornatus & dives. Si dixeritis, TU SEDE HIC BENE, id eſt in primo loco. Et pauperi, SEDE SUB SCABELLO, id eſt infimo loco. Dicat aliquis, An non ſemper id fit, ut dives præferatur inopi? Auguſtinus epiſt. XXIX. hoc refert ad æſtimationem internam, qua dives pauperi præferri non debet; aut ad eos qui ſunt in dignitate conſtituti, ut Epiſcopi, inter quos in ſedendo non habetur ratio divitiarum, ſed ordinationis, aut gradus. Nec presbyter dives præfertur Epiſcopo pauperi.

V. 4. NONNE IUDICATIS APUD VOSMETIPSOS, id eſt veſtra auctoritate iudicium de

Digitized by Google

de aliis facitis iniquum, uti proxime declarant. Græc. *nonne iudicati eſtis, & condemnati in vobiſipſis*. ET FACTI; pro, quod facti eſtis iudices cogitationum iniquarum, id eſt iniqui. Noſter pro διεκρίθητε, *iudicati eſtis*, legit διεκρίνετε, *iudicatis*. Sententia non diſcrepat.

V. 6. ET IPSI, ſcilicet divites. TRAHUNT vos, id eſt pauperes. ADIUDICIA? ſcilicet iniuria vos opprimentes.

V. 7. NONNE IPSI BLASPHEMANT BONUM NOMEN, id eſt Dei nomen efficiunt, ut blaſphemetur a Gentibus, dum vident inter fideles lites & diſſidia eſſe, iuxta id quod Paulus accuſavit I. ad Cor. VI. Non hic Iacobus de divitibus infidelibus loquitur, ut quidam putant, ſed de fidelibus: nam infideles in Eccleſiam non ingrediebantur.

V. 8. SI TAMEN LEGEM PERFICITIS REGALEM, id eſt *Dei*, ut Syr. Quæ lex iubet, ut proximum diligamus. Quod ſi perſonas accipimus, legem eam violamus, quæ omnes exæquat.

V. 10. QUICUMQUE AUTEM TOTAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDAT AUTEM IN UNO. Qui furatur, non proinde eſt adulter. Sed *factus eſt omnium reus*: quia ac ſi totam violaſſet, excluditur a regno. Aut quia acceptor perſonarum, de quo agit, in caritatem impingit, quæ caput eſt, & ſumma totius Legis. Sic loquimini, ſic facite, ſic vos gerite quaſi redituri rationem.

V. 12. SICUT PER LEGEM LIBERTATIS, id eſt iuxta legem Evangelicam. INCIPIENTES IUDICARI, ſive *iudicandi*, μέλλοντες κρίνεσθαι. Quod ſi iudicandi eſtis, illud advertite, quod

V. 13. IUDICIUM ... SINE MISERICORDIA contra immiſericordes fiet. Totum hoc, & quod de acceptione perſonarum dixit, ad pauperum commendationem ſpectat. SUPEREXALTAT AUTEM MISERICORDIA IUDICIUM. Quidam legunt *ſuperexultat*; quia Græce eſt κατακαυχᾶται: ſenſus; Miſericordia iudicio ſuperior eſt, non illud timet. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*, nempe, in iudicio. Aut miſericordia in Deo iudicio & iuſtitia maior eſt, ſæpius ea utitur. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius:* Pſal. CXXXIV. 9.

V. 15. SI AUTEM FRATER. Similitudo in hoc eſt; ſicut qui fratri ſaturare dicit nec illi cibum porrigit, nihil facit; ſic nec fides prodeſt ſine operibus.

V. 18. SED DICET QUIS. Demonſtrat novo argumento fidem ſine operibus non prodeſſe. TU FIDEM HABES, ET EGO OPERA HABEO. Loquitur qui opera habet. OSTENDE MIHI FIDEM TUAM SINE OPERIBUS; quaſi dicat, Non poteris; quia fides eſt intra animam. Græc. *Oſtende mihi ex operibus*, ἐκ τῶν ἔργων, ſed eodem redit; quaſi dicat: Oſtende ex operibus fidem, ſed non potes, quia nulla habes. Syr. ut noſter legit *ſine operibus*, argumento, lectionem Græcam eſſe vitioſam. Et facile ex ἐκτὸς facere ἐκ τῶν.

V. 19. TU CREDIS QUONIAM UNUS EST DEUS; novum argumentum. ET DAEMONES CREDUNT, nec illis prodeſt. ET CONTREMISCUNT, id eſt nihilominus puniuntur.

V. 21. ABRAHAM PATER NOSTER, NONNE EX OPERIBUS. Dixerat Paulus Abraham iuſtificatum ex fide. Quidam iis verbis abutebantur, uti nunc hæretici: ſupplet id D. Iacobus, & ait, non ex ſola fide iuſtificatum, ſed acceſſiſſe opera.

V. 23. ET SUPLETA EST SCRIPTURA. Dixerat fidem reputatam Abrahæ ad iuſtitiam; oblatione Iſaac ſuppletum eſt, quod ibi deerat, nempe opera.

V. 25. ET RAHAB MERETRIX. An fuerit ſcortum, aliis locis eſt dictum. SUSCIPIENS NUNTIOS. Syr. *exploratores*.

V. 26. ITA ET FIDES SINE OPERIBUS MORTUA EST, id eſt inutilis, ut corpus ſine anima, ſed vera fides.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN PERSONARUM ACCEPTIONE HABERE FIDEM, &c. id eſt, nolite cum perſonarum acceptione Chriſti fidem coniungere, ut putetis hanc cum illa poſſe conſiſtere; quaſi dicat: Profeſſio Chriſtiana non patitur acceptionem perſonarum. Porro acceptio perſonarum eſt, quando in aliqua diſtributione non reſpicitur cauſa, ſed perſona; id eſt, aliqua perſonæ conditio nihil ad prædictam diſtributionem faciens, ob quam is qui minus dignus eſt perfertur digniori, ut ſi quis Prælatus beneficia, aut officia alicui indigno,

aut

aut minus digno tribuat, quia amicus eſt, aut conſanguineus. IESU CHRISTI GLORIAE. Eſt Hebraiſmus, pro Ieſu Chriſti glorioſi. VIR AUTEM ANNULUM HABENS IN VESTE CANDIDA. Baron. tom. I. anno Chriſti XXXIV. & Pineda de rebus Salomonis Lib. VI. cap. v. cenſent annulum hunc fuiſſe in veſte, nimirum fibulam auream, quam olim geſtabant regum & principum propinqui, aut ſingulares amici. Alii communiter, & , ut arbitror verius, de annulo digitali accipiunt. IN VESTE CANDIDA. Græce λαμπρᾷ, ſplendida, & nitenti, quod veſti convenire poteſt etiam ſi non ſit albi coloris.

V. 3. ET INTENDATIS: ἐπιβλέψητε, proprie ſignificat cum affectu quodam benigne aſpicere. Sic fere accidit ut homo cultu elegantiore nitidus, & auro gemmiſque collucens ad ſe rapiat oculos circumſtantium, & defixos teneat. TU SEDE HIC BENE: loco commodo & honorato.

V. 4. NONNE IUDICATIS APUD VOSMETIPSOS. An non male facitis, dum veſtra auctoritate iudicium quod Deo competit, vobis uſurpatis, & externa tantum ſpecie merita hominum metientes, pauperi divitem præfertis, cum tamen ſæpe *quod altum eſt hominibus, abominatio ſit apud Deum*, ut dicitur Lucæ XVI. 15. ET FACTI ESTIS IUDICES COGITATIONUM INIQUARUM: διαλογισμῶν, id eſt iudices male ratiocinantes, ideoque male iudicantes.

V. 5. NONNE DEUS ELEGIT PAUPERES. Dicitur enim Iſaiæ LXI. 1 *Evangelizare pauperibus miſit me:* & Pſalm. LXXI. 31. *Animas pauperum ſalvas faciet, & honorabile nomen eorum coram illo.* DIVITES IN FIDE, &c. quaſi dicat: Pauperes contemnuntur & deſpicabiles videntur, ſed fide cognoſcimus eſſe ditiſſimos, qui fide viva inſigniti, & adoptionem filiorum Dei adepti, iure hereditario cæleſte ſummi parentis regnum adibunt. NONNE DIVITES PER POTENTIAM OPPRIMUNT VOS, &c. quaſi dicat: Debuiſſetis potius vel veſtras, quibus circumvenimini calumnias experti, rapinaſque bonorum, inſolentiam divitum deteſtari, necdum illos pauperibus anteferre. TRAHUNT VOS AD IUDICIA: & in illis per potentiam opprimunt, aut falſos teſtes pecunia conductos.

V. 7. NONNE IPSI BLASPHEMANT, &c. id eſt blaſphemari faciunt, in cauſa ſunt ut blaſphemetur; ſenſus eſt, Divites pauperes opprimentes, cauſa ſunt ut Chriſtiana religio blaſphemetur, quaſi talis permittat, aut doceat. BONUM NOMEN QUOD INVOCATUM EST SUPER NOS: fauſtum hoc nomen Chriſtiani, aut diſcipuli Chriſti, quo appellamur.

V. 8. SI TAMEN PERFICITIS LEGEM REGALEM. Occurrit tacitæ obiectioni, ergone divites odio habendi, aut contemnendi ſunt? Reſpondet, minime; quaſi dicat: Verumtamen non vero quin lege communi veritatis divites diligatis, & honoretis, nam cum hoc facitis legem divinam ſervatis, qua iubemur diligere proximos noſtros. LEGEM REGALEM: a Deo latam, qui eſt Rex regum.

V. 9. REDARGUTI A LEGE: quæ vetat acceptionem perſonarum, Levit. XIX. 15. Deut. I. 17. & alibi.

V. 10. FACTUS EST OMNIUM REUS: id eſt, perinde damnabitur ac ſi omnia præcepta legis violaſſet, licet non pari pœna plectendus. Fit etiam omnium reus, quia violat integram obſervationem omnium mandatorum quam nobis Deus præcepit, & quia qui in uno peccat iubentis auctoritatem contemnit, quæ in omnibus præceptis nobis motivum eſſe debet ad illa ſervanda.

V. 11. QUI AUTEM DIXIT, NON MOECHABERIS. Probat eum qui in uno offendit fieri omnium reum, quia ſive mœcheris, ſive occidas, &c. ſemper eiuſdem legiſlatoris auctoritas ſpernitur, & violatur integra præceptorum obſervatio.

V. 12. SIC LOQUIMINI, SIC FACITE: ſic vos gerite. SICUT PER LEGEM LIBERTATIS INCIPIENTES IUDICARI: tamquam per exactiſſimam legem libertatis, id eſt Evangelicam iudicandi, ne redarguti ab hac lege, quaſi eius tranſgreſſores puniamini. INCIPIENTES IUDICARI: μέλλοντες κρίνεσθαι, *iudicandi:* reſpondet optime phraſis Italica, *Dovendo eſſere giudicati*.

V. 13. IUDICIUM, id eſt damnatio. SUPEREXALTAT AUTEM MISERICORDIA IUDICIUM. In Græco eſt κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως: exprimit Regia verbum a verbo: *contra gloriatur miſericordia iudicium*. Vatabl. & alii, *gloriatur miſericordia adverſus iudicium*; ſenſus eſt: Miſericordia pauperi exhibita contendens cum divino iudicio, ſuperior, ac victrix evadit,

dit, illique tamquam victo propemodum inſultat. Quod vulgatus dixit *ſuperexaltat*, idem eſt ac ſi dixiſſet, *exaltat ſe miſericordia ſuper iudicium*. Reſpondet Ital. locutio, *la miſericordia ſopraſà il giudicio*.

V. 14 NUMQUID POTERIT FIDES SALVARE EUM: ficulnea enim in qua ſunt tantum folia, non autem fructus bonorum operum, maledicitur a Domino: Matt. II. 19.

V. 15. FRATER ET SOROR: ſic appellabantur olim Chriſtiani, ut ſupra non ſemel notavimus.

V. 16. DICAT AUTEM ALIQUIS EX VOBIS ILLIS; ITE IN PACE, CALEFACIMINI, &c. Quemadmodum nudum illud verbum, quo blande in ſpeciem fratris indigentiam miſerearis, dum benigne mones ut famem depellat, & frigens corpus adhibita veſte calefaciat; nihil illum iuvat, niſi cibum illi aut veſtem tribuas; ita te nihil iuvat fides, dum indicat quæ facienda ſunt, ſi ad opera ipſa exequenda non prodeat.

V. 17. MORTUA EST IN SEMETIPSA. Per ſe ſola, & ſolitarie ſumpta, quia ſine caritate, quæ eſt illius forma, mortua eſt quodammodo, & non operatur bona opera, quæ ſunt ſignum ſpiritualis vitæ; quemadmodum motus in animali oſtendit illud vivere.

V. 18. SED DICET QUIS, TU FIDEM HABES, &c. quaſi dicat; Heus, qui de ſola fide gloriaris, opera vero contemnis; quo tandem argumento convinces te iſtam habere fidem, quam inaniter iactas? Nam res eſt prorſus abdita, & ſub oculorum aſpectum non cadit. Ego vero, qui cum fide opera etiam coniungo, ex ipſis operibus quæ cernuntur probo tibi fidem meam, quæ ſi ſit ſola, fugit aciem oculorum.

V. 19. DAEMONES CREDUNT, ET CONTREMISCUNT: ſic dæmones contremiſcentes agnoverunt Chriſtum cum aiebant: *Veniſti huc ante tempus torquere nos*, Matt. VIII. 29. In Græco eſt φρίσσουσι, *exhorreſcunt*, quia videlicet Dei iudicis maieſtatem, potentiam, ſeveritatem non tantum credunt, ſed & reipſa experiuntur, & ſentiunt.

V. 20. O HOMO INANIS: inanem vocat hominem, qui inanem iactat fidem. MORTUA EST: vide dicta verſ. 17.

V. 21. ABRAHAM PATER NOSTER, &c. Proponit Abraham patrem fidei, & iuſtitiæ, qui ex operibus, non ex fide ſola iuſtificatus eſt, & hoc exemplo probat intentum, nimirum fidem ſolam mortuam eſſe, illique bona opera adiungenda eſſe. PATER NOSTER: ſecundum carnem, & ſecundum fidem etiam & ſpiritum: Iacobus enim proprie loquitur Iudæis quaſi eorum Epiſcopus. EX OPERIBUS IUSTIFICATUS EST: loquitur de augmento gratiæ ſanctificantis, quod bonis operibus conſecutus eſt, iam enim erat iuſtus cum ea patravit opera, quæ hic commemorantur. OFFERENS FILIUM SUUM, id eſt paratus offerre; per ipſum enim non ſtetit quin Iſaac filium ſuum immolaret.

V. 22. VIDES QUONIAM FIDES COOPERABATUR OPERIBUS ILLIUS? quaſi dicat: Animadvertis itaque fidem illius non deſidem, non otioſam; ſed vividam, actuoſam, operantem. EX OPERIBUS FIDES CONSUMMATA EST: fides enim excitabat ad opera: opera vero ipſa fidem perficiebant.

V. 23. ET SUPPLETA EST; ἐπληρώθη *impleta eſt*, opere ipſo comprobata. SCRIPTURA DICENS: CREDIDIT ABRAHAM. Verba hæc citat Iacobus ex cap. XV. Gen. VI. quibus tamen adeo non videtur probari poſſe intentum Apoſtoli, ut potius contrarium efficiatur, nimirum fidem ſine operibus iuſtificare, ad quod probandum utitur D. Paulus hoc eodem teſtimonio cap IV. ad Rom. III. Reſpondeo, Paulo in ea Epiſtola propoſitum fuiſſe docere, nec Gentes, nec Iudæos per opera moralia, vel per obſervationem legis Moſaicæ, ad veram iuſtitiam pervenire poſſe, ſed unicam ad illam eſſe viam, fidem Chriſti mediatoris; ideo totus incumbit in eius fidei commendationem, demonſtrans, quæcumque ſanctorum virorum facta Deo placuerunt, ea ex fide profluxiſſe. Iacobo autem propoſitum eſt oſtendere, fidem nudatam caritate, & operibus, prorſus eſſe mortuam, & ſimul demonſtrare fidem illam Abrahæ tantopere laudatam, vividam, actuoſam, & bonorum operum fuiſſe feraciſſimam. Itaque uno verbo Paulus excludit opera ante fidem, & ſine fide facta: Iacobus opera requirit poſt fidem, ex ipſa fide profecta. Sic conciliat Auguſtinus tom. IV. Lib. de fide, & operibus cap. XIV. & alibi. ET AMICUS DEI APPELLATUS EST: non ita appellatur loco cit. Gen. ſed Iudith. VIII. 22. *Abraham*

tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt: ſic etiam II. Paral. xx. 7. & Iſa. xli. 8.

V. 24. VIDETIS QUOD EX OPERIBUS IUSTIFICATUR HOMO, &c. Ex operibus, quæ fiunt poſt fidem, & ex ipſa fide acquiritur augmentum iuſtitiæ, & ſanctitatis.

V. 25. SIMILITER ET RAHAB, &c. Nota eſt hiſtoria ex ſecundo capite Ioſue. MERETRIX: *πόρνη*, proprie meretricem ſignificat, itaque, minus probabiliter illi ſentiunt qui exiſtimant cauponam fuiſſe Rahab, non autem meretricem. Vide quæ dixi Ioſue II. I. NONNE EX OPERIBUS IUSTIFICATA EST? quæ prius idolorum ſuperſtitione implicata vulgaverat corpus, ſimulatque veram de Deo concepit fidem, quam expreſſis verbis teſtata eſt Ioſue II. 11. *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum*, ſimul per contritionem deteſtata eſt, priſtinos mores, & iuſtificata, hanc vero fidem ſuam egregiis operibus nobilitavit, & auxit; nam cum aperto vitæ, & fortunarum periculo exploratores hoſpitio exceptos incolumes dimiſit. EIICIENS: dimittens.

V. 26. SICUT ENIM CORPUS SINE SPIRITU MORTUUM EST &c. vide dicta ſupra num. 17.

T I R I N I.

Verſ. 1. NOLITE FIDEM HABERE GLORIAE CHRISTI; id eſt, nolite credere, quod gloria Chriſti eluceat IN ACCEPTIONE PERSONARUM, ſeu quod glorificetur Chriſtus, cum ad agapes vel alios publicos veſtros conventus admittitis vel in iis honoratis ſolos divites, nobiles & ſpendide veſtitos, pauperes vero contemnitis; quaſi gloria Chriſti vel chriſtianiſmi conſiſtat in ſplendore veſtium, familiæ, vel opum: hæc eſt enim gloria mundi, non Chriſti: gloria gentiliſmi, non chriſtianiſmi: ita Thomas Anglicus & a Lapide. Quod velim notent concionatores, confeſſarii & præſides congregationum.

V. 2 AUREUM ANNULUM HABENS, ſeu in digito gerens (ut inſinuat Græcum *χρυσοδακτύλιος*,) ponitur hic pro quovis divite ac potente: quibus ſolis id olim in more erat, ut apud Romanos ſolis Senatoribus & Equitibus, teſte Dione, Alexandro ab Alexandro & Pierio *a*. Geſtabant autem non ad nudum ornamentum, ſed etiam ad obſignandas epiſtolas, & ad cor oculoſque exhilarandos, & corroborandos: unde ſolent annuli palo inſerere carbunculum, hyacinthum, ſmaragdum vel ſimilem gemmam, cui æque atque auro proprium eſt cor exhilarare, & oculos confortare, teſte Gellio *b*, & medicis. Pro VESTE CANDIDA, Græce eſt, *λαμπρὰ*, id eſt ſplendida, qualis eſt *candida*: luxus deliciarum & lætitiæ index, ut docet Valerius maximus, & ſubindicat Eccleſiaſtes *c*. Porro quam vani iudicii ſit, hominem non ex ſeipſo, ſed ex veſtibus æſtimare, faciunt ſtulti & pueri, & graphice demonſtrat Seneca & S. Chryſoſtomus *d*.

V. 3. TU SEDE HIC BENE; græce *καλῶς*, id eſt *pulchre*, ut habet Syrus; quaſi dicat: Sed hoc loco non tantum commodo & honorato, ſed & eleganter ornato, in ſede altiore, pulvinari byſſino inſtrata: auræis & conopœo redimita. Sic autem divites propter ſolas divitias extollendo, pauperes propter inopiam deprimendo vel contemnendo.

V. 4. NONNE IUDICATIS; Græce, *diiudicaſtis*; Syrus & Vatablus, *diſcreviſtis*, non ex æquo & bono, ſed ex ſola phantaſia veſtra, APUD VOSMETIPSOS, & in perverſo iudicii veſtri tribunali, in quo FACTI ESTIS IUDICES COGITATIONUM, *διαλογισμῶν*, id eſt ratiocinationum, INIQUARUM: verſ. 4. divitiæ magis in pretio ſunt apud homines, ergo vel ob has ſolas præferam divites pauperibus. Secundo, dives poteſt me iuvare, promovere, ditare, non pauper: hunc igitur merito contemnam, illum colam. Tertio, pauper contemptum ſui nequit ulciſci, ut poteſt dives: huius igitur offenſa cavenda, non illius. Quarto, a paupere nil expecto: ergo impune negligam. Quinto, pauper mihi eſt oneri aut dedecori, dives honori & commodo: ergo hic colendus, ille fugiendus.

Petes, quare non ſint honorandi divites propter ſolas divitias? Reſpondeo, Quia divitiæ per ſe non faciunt hominem excellentiorem ceteris, ut facit virtus, ſcientia, officium vel dignitas publica. Honor autem (qui bonum eſt commune, æque atque officia vel beneficia) debetur creaturæ rationali ob ſolam excellentiam. Unde ſi pauper ſit virtuoſus, non item dives; & tamen hunc ob ſolas divitias honoro,

ne-

neglecto paupere; pecco vitio acceptionis perſonarum, & quidem mortaliter ſi id fiat cum notabili pauperis contemptu, depreſſione vel oppreſſione, ut dicitur verſ. 6. Alioqui pecco ſolum venialiter inquit Leſſius *e*. Imitemur potius Deum, qui

V. 5. PAUPERES ære, ſed DIVITES FIDE & virtute, ELEGIT ad æternam gloriam, ut ſint HEREDES REGNI cæleſtis: ita Gabriel Vaſquez *f*, ex hoc loco probans, electionem ad gloriam fieri ex præviſis iuſtorum meritis. Et vero quæ tanta nobis utilitas a divitibus?

V. 7. NONNE divites, etſi Chriſtiani, ut plurimum ſuo faſtu, tyrannide, & pauperum oppreſſione, BLASPHEMANT, id eſt cauſam dant Gentilibus, ſubinde etiam infirmis Chriſtianis, blaſphemandi BONUM; Græce; καλὸν, id eſt præclarum, NOMEN, QUOD INVOCATUM EST SUPER VOS *g*? id eſt, nomen quo vocamini & gloriamini, puta nomen Chriſti & Chriſtiani?

V. 8. BENE FACITIS TAMEN, SI honorando tam divites Chriſtianos, quam pauperes, PERFICITIS & impletis REGALEM mutuæ caritatis communiter omnibus exhibendæ. Quæ lex vere *regalis*, id eſt omnium præſtantiſſima, excellentiſſima, ſplendidiſſima eſt, quia caritas virtutum omnium prima, princeps & regina eſt, regibus omnibus ac tyrannis, eorumque minis & ſuppliciis eſt ſuperior. Neque eſt lex *timoris*, & per conſequens *ſervilis*, ut erat Moſaica; ſed *amoris* & perfectæ libertatis *h*, ideoque *regalis*, cum *amor* imperium obtineat univerſi.

V. 10. QUICUMQUE TOTAM LEGEM SERVAVERIT, OFFENDAT AUTEM lethaliter IN UNO eius præcepto, v. g. de non accipiendis perſonis, FACTUS EST OMNIUM etiam reliquorum præceptorum REUS: omnium, inquam, non copulative ſeu ſeorſim, ſed copulatim ſeu coniunctim ſumptorum; quaſi dicat: Reus eſt totius legis. Lex enim vel iuſtitia legis eſt quaſi una corona, una veſtis, una cyclas aurea circumdans & ornans totum hominem: quæ tota violatur ſi vel unam ex ea partem demas aut violes: ſicut in muſica corrumpitur tota harmonia ſi vel unica vox diſſonet vel abſit: nam ſic tollitur eius integritas, ſpecies & decor. Quod ſi quis pertinacius contendat, *omnium*, debere etiam copulative exponi, dicat cum S. Auguſtino *i*, fieri *reum omnium*, quia talia omnia particularia præcepta etſi obſervet quoad ſubſtantiam operis, non tamen quoad modum quo neceſſario obſervanda ſunt ut ſint grata Deo & meritoria vitæ æternæ, quia nempe nulla obſervat ex caritate, quam amiſit quando præceptum unum obligans ſub peccato mortali transgreſſus fuit. Sicut hæreticus.

V. 12. SIC LOQUIMINI, ſic docete, SIC FACITE, ſic practicate. Hoc inculcat Apoſtolus ad eliminanda contraria dogmata & praxes Phariſæorum, qui paſſim inculcabant *k*, ſufficere ſi quis potiorem partem mandatorum Dei compleret: nec ullum eſſe crimen proximo caritatis obſequium denegare, ſi caritatem erga Deum quis retineat. Sicut nunc hæretici noſtri docent, hominem per ſolam fidem iuſtificari & ſalvari. Non ſic docete, inquit Apoſtolus, non ſic agite, ſed ut ego vos iam docui, ſic practicate, nempe toti legi, quoad omnia eius præcepta, complendæ totis viribus ſtudete; quaſi PER LEGEM INCIPIENTES IUDICARI: nam ipſo illo momento quo quis peccat, iudicatur a Deo, idque *per* & ſecundum *legem*, ſeu conformiter legi divinæ, quæ vetat omne, etiam minimum peccatum. Et licet ſit *lex libertatis l*, eſt tamen etiam iuſtitiæ. Immo libertas legis Chriſtianæ in hoc maxime elucet, quod nos liberos faciat a peccato, cui ſervire non eſt hominis ingenui vel generoſi, ſed ſordidi mancipii. Porro adverſus divinum iudicium nihil efficacius

V. 13. MISERICORDIA, ſeu beneficentia in proximum, nam illa SUPEREXALTAT IUDICIUM, id eſt ſuperior eſt iudicio, ſupra illud ſe exaltat & elidit eius rigorem, e manu iudicis quaſi virgam & flagellum extorquens. Unde Syrus vertit, *exaltati eſtis per miſericordias ſupra iudicium m*: ita Damaſcenus *n*, Catharinus & Salmeron.

V. 14. QUID PRODERIT FIDES SINE OPERIBUS? Hic Simonem Magum, inquit Irenæus & Theodoretus *o*, convellit Apoſtolus, & Simonis ſequaces Valentinum, Baſilidem, Eunomium, Aetium, Lutherum, Calvinum, ceteroſque noſtri ſæculi hæreticos, qui occaſione verborum S. Pauli docentis *p*, *nos iuſtificari ex fide ſine operibus legis*; contendunt ſolam fidem ſufficere ad iuſtificationem & ſalutem: nec volunt intelligere, S. Paulum excludere ſo-

la opera legis Moſaicæ & naturalis, facta viribus ſolius naturæ ſine fide & gratia Chriſti, qualia exercebant Gentiles, & iactabant Iudæi: Iacobum vero, ut & Petrum & Ioannem, inculcare opera legis Chriſtianæ, facta ex fide & gratia Chriſti. Quæ eadem Paulus quoque inculcat eo ipſo quo fidem inculcat, ut patet ex tot eius exemplis cap. xi. ad Hebræos: nam ſunt opera & fructus fidei: ita S. Auguſt. *q* & alii Patres ac Doctores. Neceſſaria autem eſſe hæc opera fidei probat Iacobus ſeptem argumentis. Primum, quia ſine illis *fides* vana eſt, inanis, infructuoſa poſſeſſori ſuo: *non* enim *poteſt ſalvare*. Secundum,

V. 15. FRATRI quoque, ſeu proximo, eſt infructuoſa & inutilis. Tertium,

V. 17. MORTUA EST inſtar cadaveris, utpote deſtituta caritate, quæ illam inſtar animæ vivificat, inquit S. Bernardus *r*. Licet ergo ſit vera fides, ſicut cadaver eſt verum corpus (quod notandum contra Calvinum & alios hæreticos, qui fingunt, Iacobum ſolum loqui de umbra fidei ;) tamen ſine operibus eſt exſucca, exſanguis, elumbis, & fœda inſtar cadaveris putreſcentis.

V. 18. SED &, pro quarto argumento, DICET merito QUIS fidem ſolam iactitanti; dicet, inquam, talem fidem eſſe prorſus inviſibilem, inſenſibilem, & per conſequens nulli proficuam vel utilem, ne quidem ad bonum exemplum.

V. 19. DAEMONES etiam ſine bonis operibus CREDUNT, idque vel ſupernaturali fide (ut docent Durandus, Alenſis, Magiſter *f*, Catharinus, Salmeron: & probabile cenſent Gregorius a Valentia *t*, a Lapide & Iuſtinianus, qui aſcribit S. Auguſt. & Thomæ *u*:) vel (ut alii tenent) fide naturali: & tamen hæc fides nihil illis prodeſt, niſi ad maius tormentum: ergo nec tibi tua proderit ſine operibus fides, niſi ut gravius inde puniaris. *Servus* enim, *qui cognovit voluntatem domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis x*. Et hoc eſt Quintum Apoſtoli argumentum. Et quidem Calvinus convictus his argumentis fatetur tandem, opera requiri ad iuſtitiam & ſalutem, ut veræ fidei vera ſigna & indicia, non tamen ut cauſas iuſtitiæ vel merita ſalutis. Sed hoc ipſum diſerte convincit Sextum & Septimum Apoſtoli argumentum ex operibus *Abrahami* & *Rahab* deſumptum, ubi expreſſis verbis affirmat, immolatione filii ſui iuſtificatum Abrahamum *y*, & Rahab protectione exploratorum Ioſue *z*, perinde atque fide (etiam ex hæreticorum ſententia) iuſtificamur, nempe non concomitanter tantum & per modum ſigni, ſed cauſative & meritorie. Nota tamen, per hanc filii ſui immolationem non fuiſſe iuſtificatum Abrahamum inchoative, (nam erat iam ante iuſtus *aa*;) ſed perfective, quia de condigno promeritus eſt ſuis operibus maius incrementum iuſtitiæ, quam ante habuerat. Et de hac iuſtificatione perfectiva, (quam Theologi ſecundam vocant) maxime loquitur S. Iacobus: Paulus vero magis de prima, ſeu de inchoativa iuſtitia. Licet de utraque verum ſit, opera ad illam neceſſaria eſſe: nam ad inchoationem iuſtitiæ requiruntur opera fidei, ſpei & pœnitentiæ, tamquam neceſſatiæ diſpoſitiones, & merentur illam de congruo: ad perfectionem vero vel incrementum iuſtitiæ, etiam concurrunt ut proprie dictæ cauſæ, & merentur illam de condigno, ut loquitur Tridentinum *bb*, & fuſe probat Bellarminus *cc*.

(a) Dio Lib. LXVIII. Alex. Lib. II. Genial. cap. xix. Pierius Hierogl. xli.
(b) Gell. X. cap. x.
(c) Val. Max. Lib. I cap. I. Eccleſ. ix. 8.
(d) Seneca epiſt. xxxvii. Chryſoſt. homil. xlvii. ad pop.
(e) Leſſius de iuſt. & iure cap. xxxii. dub. 1.
(f) Vaſq. vii. p. diſp. lxxxix. cap. ii.
(g) Ierem. xix. ix.
(h) Iac. I. 25.
(i) Auguſt. epiſt. xxix.
(k) Matt. v.
(l) Iac. I. 26.
(m) Pſ. xl. 2. Matt. v. 7. xxv. 34. &c.
(n) Damaſc. II. Parallel. xvi.
(o) Iren. Lib. I. cap. xi. Theodor. Lib. Hæret. fabul.
(p) Rom. III. 28.
(q) Aug. Lib. LXXXIII. qq. q. lxxvi.
(r) Bern. ep. xlii & Serm. XXIV. in Cantic.
(ſ) Durand. in III. diſt. xxiii. q. ix. art. II. Alenſ. III. p. q. lxiv. memb. vii. Mag. in 3. diſt. xxiii. §. Aliud.
(t) Greg. a Val. II. 2. q. v. 2. II. puncto. II.
(u) Aug. Enchiridii cap. viii. & Pſal. lxxvii. S. Tho. II. 2. q. xviii. a. III. ad 2.
(x) Lucæ. XII. 47.
(y) Gen. xxii. 9.
(z) Ioſue II. I.
(aa) Gen. xv. 6.
(bb) Trid. ſeſſ. vi.
(cc) Bellar. Lib. IV. de iuſtificat. cap. xviii. & ſeqq.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. FRATRES MEI. Docet ex regulis fidei Chriſtianæ ſervandam in primis eſſe iuſtitiam diſtributivam in muneribus, locis, dignitatibus & beneficiis, ac proinde vitandam eſſe perſonarum acceptionem, quæ eſt vitium oppoſitum huic iuſtitiæ. Eſt enim perſonarum acceptio, quando in rerum diſtributione non ſpectatur cauſa, ſed perſona. Exemplum hic proponit Apoſtolus in paupere. Senſus ergo eſt, Ne putetis fidem Chriſti cohærere, aut conſiſtere poſſe cum acceptione perſonarum. CHRISTI GLORIAE, id eſt Chriſti glorioſi, Hebraiſmus. Annulus hic digitalis eſſe videtur: quamvis aliqui interpretentur eſſe fibulam auream in veſte nobilium virorum. τὸ CANDIDA verſ. 2. deſignat ſplendidam veſtem, etiam ſi non ſit alba. Iam vero qui hac ſpecie deceptus vel illectus invertit iudicium, quid aliud eſt (verſ. 4.) quam iudex cogitationum iniquarum, qui ex ſpecie ſolum externa metitur hominum merita.

V. 5. & 7. NONNE DEUS. Recte hinc probat pauperes non eſſe negligendos: Deus enim illos elegit, & ſanctitatis concellit illis divitias: divites effecit fide & cenſu ſpirituali. Tranſit verſ. 6. a tertia perſona ad ſecundam. VOS AUTEM: alloquitur divites. Et mox: NONNE DIVITES: alloquitur pauperes: tam hos divites, quam pauperes: ſupponit eſſe Chriſtianos. Et (verſ. 7.) hos divites non iuſte agentes efficere ut blaſphemetur nomen Chriſti, dum ſic male agendo ſcandalizant gentiles. NOMEN QUOD INVOCATUM EST: eſt nomen Chriſti, in quo, & per quod invocant Chriſtiani Deum Patrem.

V. 8. & 9. SI TAMEN LEGEM. Quæſtio oriri poterat, an propterea hi divites odio habendi ſunt? huic obiectioni occurrit, non eſſe propterea odio habendos, ſed ſemper eſſe locum faciendum communi legi caritatis: ſi hoc, inquit, facitis, bene facitis: ſi vero eſt apud vos acceptio perſonarum, male facitis. Legem illam caritatis vocat regalem, quia communis eſt omnibus, & ſimul eſt præcipua lex Chriſti: & certe quia eſſe debet inſtar iuris regii inviolabilis.

V. 10. QUICUMQUE AUTEM. Hæc vocari poteſt altera pars capitis, in qua declarat hanc eſſe in fide noſtra & lege profeſſionem, ut qui unum violat legis huius gravius præceptum, ſit legis totius habendus tranſgreſſor quantum ad culpam, prout avertit a ſalute; non tamen quantum ad pœnam. Non manet excuſatio, ſi vel in ſola acceptione perſonarum tranſgrediatur aliquis legem. At cur vocatur omnium tranſgreſſor? Reſp. quia ſic violatur integritas obſervationis: ea enim debet eſſe integra. Item quia violatur auctoritas illius, qui tulit totam legem. Violatur etiam caritas, in qua ſtat plenitudo totius legis. Et iuxta talem ſenſum peccator in uno fit omnium reus: ſicut vox unica in Muſica turbat totam harmoniam.

V. 12. SIC LOQUIMINI. Concluſio ſermonis eſt; quaſi diceret, Sic de rebus veſtris cogitate; ſic loquimini, & facite ut dictum eſt. Et vivite tamquam iudicandi per hanc Chriſti legem accuratam: memores eſtote in hac Chriſti lege, oportere bene operari, ubi non exercenti miſericordiam, fiet iudicium ſine miſericordia: & ubi miſericordia exercetur, ipſa ſuperexaltabitur ſupra iudicium, & victrix erit, quaſi iudex crederet cauſæ. Hoc explicari poteſt de operibus, & præſertim miſericordiæ, ſive in iuſto, quando meretur de condigno; ſive in peccatore, ubi diſponitur remote ad iuſtitiam, & habere poſſet meritum de congruo.

V. 14. QUID PRODERIT. Hoc tertium eſt hoc capite, ubi proponit ut certum, præter fidem neceſſaria eſſe opera. Non poteſt, inquit, (per interrogationem) fides ſalvare: immo inanis & mortua eſt: quod declarat verſu 15. exemplo petentis ſubſidium aut eleemoſynam, & tamen dantur illi ſolum bona verba & voces. Fides ſine opere eſt vox inanis ſine auxilio, aut fructu. De Calvino mox verſ. 20. At cur hic vocatur fides mortua ſine operibus? Certe quia ut non eſt animata per caritatem caret vita: vera quidem fides eſt, ſed non habet ex caritate quo plenius perficiatur, & formetur, immo & conſervetur.

V. 18. SED DICIT QUIS. Occupatio quædam eſt, qua confirmat quod dixit, mortuam eſſe fidem in ſeipſa: ac ſi aliquem alloqueretur; quaſi diceret, Tu gloriaris

ce

de ſola fide, ſed eam ut ſolam oſtendere non potes; res occulta eſt: nullo argumento oſtendis te illam habere. Ego vero fidem, ut operans eſt, facile oſtendo: tu rem latentem, quæ oſtendi nequit, propenis: quin tu potius fidem ſtude proferre teſtatam, & per opera, ut per teſtes, conſpicuam.

V. 19. Tu credis. Verior eſt eorum Theologorum opinio, qui dicunt in Dæmonibus non manere fidem ſupernaturalem, ſed periiſſe illis omnia gratuita: immo & damnatis omnibus. Solum experientia, ſignis & aliter convicti credunt, fide velut humana. Iam ergo argumentum Iacobi non eſt ab eadem ſpecie fidei, ſed a ſimili: & probat inutilem eſſe fidem ſine operibus. Nam Dæmones credunt, (quacumque demum fide) ſed inutiliter, quatenus non inde bene operantur: ergo. Hinc Auguſtinus Enchir. cap. VIII. fidem ſine operibus vocat Dæmoniacam.

V. 20 Vis autem. Iam probat exemplis neceſſitatem operum: nam Abraham ex operibus iuſtificatus eſt. Vide Gen. XV. 6. & ibidem hunc locum ſatis explicatum. Hic etiam ait Iacobus iuſtificatum ex operibus, dum parabat offerre filium, Gen. XXII. 9. Prius erat iuſtus, ſed nunc denuo iuſtificatus per incrementum gratiæ. Affert etiam in probationem Raab, verſu 25. Neque in his pugna eſt inter Paulum & Iacobum. Docet enim aperte Paulus Hebr. II. 8. & 17. ſe non excludere opera a iuſtificatione: & in epiſtola ad Romanos ſolum vult opera legalia eſſe inutilia, & ibidem per fidem Chriſti iuſtificantem intelligit ſimul opera, ut ibidem oſtenſum eſt. Dicet forte novator Calvinianus, requiri opera a Iacobo, non velut cauſam iuſtificationis, ſed ut quoſdam effectus. Sed falſum hoc eſt: teſtatur enim paſſim Scriptura requiri opera antecedenter ad iuſtificationem, hoc eſt tum ad primam per modum diſpoſitionis, tum ad ſecundam per modum meriti. Ac demum citatus locus Geneſeos, docet data eſſe dona, & factas promiſſiones Abrahæ propter inſignem eius obedientiam, aliaque opera. Et hic apud Iacobum nihil eſt clarius, quam iuſtificatum fuiſſe Abraham ex operibus, & non ex fide mortua: & verſ. 22. opera in iuſtificatione perfeciſſe fidem alioqui mortuam & inanem.

V. 23. Et suppleta est Scriptura. Impleta eſt, & peracto opere comprobata vera quæ dixit, Gen XV. 6. Credidit Abraham Deo, &c. Sed mirum hoc videtur, quomodo Paulus Rom. IV. 3. probet ex fide iuſtificari hominem, & e contra Iacobus hic inde probet non ex fide, ſed ex operibus haberi iuſtitiam. Verum hoc ſolvitur ex citato loco Pauli, ubi oſtendi Paulum probare iuſtitiam eſſe ex fide per Chriſtum, quæ viva eſt & operans, qualis erat fides Abrahæ, tantumque excludebat opera naturæ, & legalia. Iacobus vero contendit fidem nudam non ſufficere, ſed requiri opera per gratiam Chriſti: quod non repugnat Paulo, ſed maxime conſentit cum illo. De Raab, verſ. 25. vide hiſtoriam Ioſue, cap. II. Credidit enim prodigiis a Deo factis, & bene operando pervenit ad iuſtitiam.

Digitized by Google

C A P U T III.

Linguæ mala recenſet, quam difficillimum eſt recte gubernare; ſubditque differentiam inter ſapientiam terrenam, & cæleſtem.

1. NOlite plures magiſtri *(a)* fieri fratres mei, ſcientes quo-
niam maius iudicium ſumitis. 2. In multis enim offen-
dimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic per-
fectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum
corpus. 3. * Si autem equis fræna in ora mittimus ad
conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumfe-
rimus. 4. * Ecce & naves, cum magnæ ſint, & a ven-
tis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo ubi impetus di-
rigentis voluerit. 5. Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & ma-
gna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam ſilvam incendit. 6. Et lin-
gua ignis eſt, univerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris no-
ſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ,
inflammata a gehenna. 7. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, &
ſerpentium, & ceterorum domantur, & domita ſunt a natura humana: 8.
linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena
veneno mortifero. 9. In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa ma-
ledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. 10. Ex ipſo ore
procedit benedictio, & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fie-
ri. 11. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram
aquam? 12. Numquid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis fi-
cus? * Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam. 13. Quis ſapiens, &
diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam
in manſuetudine ſapientiæ. 14. Quod ſi zelum amarum habetis, & conten-
tiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus
veritatem: 15. non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens; ſed terre-
na, animalis, diabolica. 16. Ubi enim zelus & contentio: ibi inconſtan-
tia, & omne opus pravum. 17. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, pri-
mum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, † ſuadibilis, bonis con-
ſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimu-
latione. 18. Fructus autem iuſtitiæ, in pace ſeminatur, facientibus pacem.

(a) Matth. xxiii. 8.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. Si autem equis fræna in ora mittimus. Coniunctio conditionalis *ſi* non eſt commutanda cum adverbio ſimilitudinis *ſicut*.

Ibidem. *Et omne corpus illorum circumferimus*. Nec omittendum eſt primum *&*, nec mutandum in *etiam*.

Verſ. 4. Ecce & naves, cum magnæ ſint. Non eſt præponenda coniunctio *&* adverbio *ecce* (*& ecce naves*) ſed poſtponenda.

Ibidem. *Circumferuntur a modico gubernaculo*. Verbo *circumferuntur*, non eſt addendum, ſive *autem*, ſive *tamen*.

Verſ. 12. Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam. Nominativum *ſalſa* non eſſe mutandum in accuſativum, quod quidam faciunt, docuimus in Notationibus.

Lectionum Varietas

Verſ. 17. S*Uadibilis bonis conſentiens*. Quædam Latina manuſcripta, nominatim Biblia S. Audomari Eccleſiæ, tollunt illud *bonis conſentiens:* ac videtur quibuſdam idem unum eſſe quod *ſuadibilis*, ex Græco εὐπειθής.

Notationes.

Verſ. 3. S*I autem equis frena in ora mittimus ad conſentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus*. Latinorum codicum quoſdam pro *ſi autem* legere *ſicut autem* in proprio loci commentario teſtatur V. Beda; atque ex eo referunt Auctor Gloſſæ, & Cardinalis Carenſis. Quotquot vero nos vidimus Latini codices, præter impreſſum unum Quentelianum, habent id quod Beda cetérique enarratores legunt *ſi autem*, longe & commodius & Græco vicinius. Quamquam enim plerique Græci libri cum Syricis ἴδε ſive ἰδοὺ ſcribant, quod eſt, *ecce* (ad quod Latina Quentelii Biblia ſunt adſimilata) huic tamen propinquiſſimum eſt εἰ δὲ, quod eſt *ſi autem*, extatque in tribus Græcis Pariſienſium exemplaribus, 4, 11, & 13, ita ut veriſimile ſit id ab Interprete lectum fuiſſe. Porro ἴδε *ecce* congruit ei quod proximo verſu ſequitur: ἰδοὺ καὶ τὰ πλοῖα, *ecce & naves*: ſic enim legitur non Græce tantum, ſed & Latine in vetuſtioribus libris, non *& ecce naves*. Legitur autem in vetuſtioribus Latinis libris cum noſtris, tum Epanorthotæ & hoc verſu, non *ſi autem equis fræna*, ſed *ſi autem equorum frænos in ora mittimus;* quomodo Zegerus emendavit ſi non concinnius, at certe verius iis qui ipſam Interpretis ſcripturam reſtituere deſiderant, qui κατὰ πόδα tranſtulit Græca verba: εἰ δὲ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ ςόματα βάλλομεν; ea quæ OEcumenius tractator Græcus ordinanda docet, atque ordinavit Interpres Syrus hunc in modum: *in ora æquorum mittimus fræna*. Mox iuxta meliora & pleraque ſcripta Græco Syroque conformia ſcribendum eſt *&* (*& omne corpus*) non omittendum, nec cum *etiam* commutandum: quamquam pro *etiam*, nobis *ſi autem* legentibus, ſit accipiendum. Videtur Apoſtolus hic explicare voluiſſe ſimilitudinem quam proxime inſinuaverat, his verbis: *poteſt etiam fræno circumducere totum corpus*. Ita erit δὲ *autem* pro γὰρ *enim* intelligendum, ut alias aut pro pareleo habendum. Syrus addidit *enim*: *ecce enim*. Carenſis *autem* expoſuit *quia*.

V. 11. & 12. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam? Numquid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere (*facere poteſt* 1 MS.) *aquam*. Manuſcriptum S. Germani latum, *ſic neque ſalſam*, ſcribit, *dulcem poteſt facere aquam*, ita quod ſuſpicor emendatum, ut ad Græcorum librorum lectionem propius accederet, quæ eiuſmodi eſt; οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν (ἀλυκὸν) καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ: *ſic nullus fons ſalſam & dulcem facere aquam*. Porro cum id mox præceſſerit, fontem ex eodem foramine non edere dulcem & amaram aquam, cur repetitum hic fuiſſet? neque enim ad hoc ſtabiliendum adductum eſt ficus vitiſque exemplum, ut iterandum eſſet inde colligendum. Exiſtimo itaque potius quatuor ab Apoſtolo exempla allata, ut oſtendat, quam non conveniat, immo quam ſit abſurdum ex uno eodemque ore & benedictionem, & maledictionem proficiſci, eadem lingua benedici Deum, & maledici hominem Dei imaginem; unum quo monſtret contraria haud ſolere ex eodem gigni, tria quibus nec ea quæ diverſi ſunt generis. Prioris generis exemplum eſt de fonte, ex quo non ſcaturit dulce, & amarum (ſic enim eſt Græce: non additur ὕδωρ *aqua*, tametſi recte ſubaudiatur) poſterioris generis, unum eſt de ficu, quæ non producit ficus, & uvas, ſive (ut Græce, & Syriace eſt, ac Beda legit, & quidam anti-

quo-

Digitized by Google

quorum codicum Epanorthotæ) olivas; alterum de vite quæ uvas, & ficus non gignit, tertium de aqua ſalſa, quæ dulcem aquam ut ſalſam diffundere, aut præbere non poteſt, niſi forte hominum induſtria per colationem, ut ficus uvas atque oleas per inſitionem, quod poſtremum eo libentius arbitror ab Apoſtolo additum, quamquam primo ſit admodum ſimile; quod taxare vellet animi amaritudinem, qua erant hi erga ſe mutuo, ac docere non poſſe ex auſtero atque amaro corde gratam dulcemque Deo laudem promi. Quare veriorem exiſtimo Latinorum quam Græcorum codicum lectionem: *ſic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam*: ita enim habent Latini codices, Latinique enarratores, quotquot nos vidimus, præter unum Ioannem Gagneium, qui textum ſuum iuxta Pariſienſe illud exemplar, Germani latum *ſalſam* caſtigavit, & manuſcripta antigrapha duo, in quorum uno hoc invenimus omiſſum errore ſcribæ, qui inter *aquam* & aquam media tranſilivit; in altero iuxta ſenſum mutatum: *ſic neque ſalſa aqua dulcedinem, poteſt habere*. Græca hic putarim aucta vocibus μία, πηγὴ, & καὶ ex ſimili quod primum ſcriptum eſt exemplo. Syri enim nihil amplius quam Latini legunt: *ſic neque aquæ ſalſæ poſſunt effici dulces*: id quod idem unum eſt cum Latino.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. & 2. NOLITE PLURES MAGISTRI FIERI. His verbis multorum effrænem inhibet audaciam, qui ſtatim ut baptizati erant temere docendi alios munus uſurpabant; ita ut quidam Antiochiam profecti docerent non eſſe ſine circumciſione ſalutem: Act. xv. & I. Timoth. 1. Quidam aberrantes converſi ſunt ad vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Ambitionem igitur inanis tituli, & doctrinarum varietatem inhibet Iacobus; alioqui ſeſe Paulus doctorem gentium iure appellat. Nolite ergo ambire (inquit) docendi munus, alioqui MAIUS IUDICIUM, id eſt condemnationem (utrumque enim ſignificat τὸ κρίμα) SUMITIS, ubi pro ſumitis Græci legunt ληψόμεθα, id eſt ſumemus, & incurremus; IN MULTIS ENIM OMNES OFFENDIMUS: quod ſi omnes, multo gravius, qui docendi, munus gerunt; quando verbo & exemplo lucere aliis debent. SI QUIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTUS VIR. Quoniam eſt admodum difficile non labi in verbo, qui linguam ſuam ab omni malo, aut otioſo verbo continet, indubie perfectus eſt, ET TOTUM etiam CORPUS FRAENO CIRCUMDUCERE POTEST, id eſt inſtar periti ſeſſoris carnem ſuam domare, ne pro more ferocientis equi quo lubet feratur, ſed per rectum iter illam agat.

V. 3. 4. & 5. SI AUTEM EQUIS FRAENA, &c. Varia fuit olim lectio Græcis & Latinis. Beda indicat legi quibuſdam, *ſicut autem*: Græca autem habent ἴδε, vel ἰδοῦ, id eſt *ecce equis fræna*, &c. noſter legit, εἰ δὲ id eſt ſi autem, & ſimiliter cum illo codex Veronenſis εἰ δὲ. Eſt ergo ſenſus: *ſi autem equis fræna in os* MITTIMUS AD CONSENTIENDUM NOBIS: Græce πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, id eſt ut nobis illi pareant, utque obedientes illos nobis ac morigeros reddamus, ET OMNE CORPUS ILLORUM CIRCUMFERIMUS, id eſt pro arbitrio agimus: ſubaudiendum ad hunc locum, inquit Beda, quanto magis efficiendum eſt, ut nobis ipſis fræna continentiæ in os mittamus? Mihi autem videtur hoc loco, *& omne corpus illorum circumferimus*, τὸ *&*, ac Græcum καὶ, ſuperfluere ut plerunque fit; & tunc nihil ſupplendum, eſtque ſenſus: Si autem in ora equorum fræna mittimus, omne illorum corpus circumferimus: ita qui linguæ fræna imponit, quoquo vult eam agit, nec ſinit præcipitem ferri. Si legis, ecce autem, connecte ſequentibus, & omnium ſenſus eſt: quemadmodum fræno molem corporis equini, ut viſum eſt, & quo viſum eſt, agimus: ET NAVES QUUM MAGNAE SINT, Græce τηλικαῦτα ὄντα, id eſt *quum tantæ ſint*, ET A VENTIS VALIDIS MINENTUR, Græce ἐλαυνόμενα, id eſt agitentur; tamen modico gubernaculo ad dirigentis arbitrium aguntur; quaſi diceret: Videtis quantulum ferri in fræno, quantam vim habeat adverſus potentem equum? quantula ligni pars in ampla navi poſſit? ITA LINGUA MODI-

MODICUM QUIDEM MEMBRUM EST, ſed tamen non negligenda. Sicut enim ſi fræni curam non habes, aut gubernaculi, præceps fertur equus, & navis in profundum ruit: ita niſi linguam dirigis, totum animi tui ſeſſorem corpus præceps agit; & totam corporis navem mergit in profundum; quæ etſi minima videtur, magna tamen exaltat; pro MAGNA EXALTAT, Græce eſt μεγαλαυχεῖ, eſt autem μεγαλαυχεῖν, magnifice ſe iactare, & ſeſe venditare; quod & ἐνδείκνυσθαι Græci dicunt. Et Beda iudicat quibuſdam legi pro *exaltat*, *exultat*: eo ſenſu quo exultare ſignificat iactanter gloriari, & impotentem ſe gerere: ſicut ſumit Tullius in libro de Senectute, de Fabio loquens. Annibalem iuveniliter exultantem, patientia ſua molliebat: quod & ferocire dicere poſſumus. Eſt ergo Græcis ſenſus, Lingua etſi minutum membrum eſt, non eſt tamen contemnenda: μεγαλαυχεῖ namque ſæpius, id eſt exultat & ferocit, ut contineri non poſſit, niſi frænum adhibeas rationis. Deinde vim illis pergens oſtendere: ECCE (inquit) QUANTUS IGNIS QUAM MAGNAM SYLVAM INCENDIT: pro *quantus*, Græce eſt, ὀλίγον πῦρ, id eſt modicus ignis, unde potuit interpres vertiſſe, *quantulus*: quamquam textus Veronenſis habet, ἰδοὺ ἡλίκον πῦρ, id eſt *ecce quantus ignis*: & hoc modo ironice legendum: Videte quanto & quam magno igni opus eſt ad incendendam ſylvam; quaſi dicat, Non multo opus eſt: atque ita bene vertit Interpres. Bene autem igni comparatur: ſicut enim a modica ſcintilla ignis profectus magnam ſæpe ſylvam incendit, ita linguæ incontinentia ſuis nutrita licentiis magnam bonorum operum materiam ſæpe incendit & perdit.

V. 6. LINGUA IGNIS EST, UNIVERSITAS INIQUITATIS. Græce eſt ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, id eſt *mundus iniquitatis*, unde & recte interpres vertit univerſitas iniquitatis, quod univerſas in ſe iniquitates contineat. Græci quidem exponunt τὸν κόσμον τὸ πλῆθος, id eſt multitudinem; ut ſit lingua multitudo & cumulus iniquitatum. Alii ſumunt τὸν κόσμον, & mundum, pro ornamento: ut lingua ſit ornamentum & honeſtum iniquitatis operimentum: nam de vi & poteſtate linguæ Græca ſcholia hoc loco aiunt: κοσμεῖ τὴν ἀδικίαν διὰ τῆς τῶν ῥητόρων εὐγλώττα δεινότητος; id eſt, ornatam reddit iniquitatem vi quadam oratorum dicendi vehementiſſima. INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRAE, INFLAMMATA A GEHENNA. Pergit oſtendere linguæ incommoda ferocientis, ut compeſcere illam ſtudeamus; quam & ſuperius univerſitatem iniquitatis, id eſt omnia in ſe mala continentem vocavit. Inflammat, inquit, & incendit rotam nativitatis noſtræ. Græce, τὸν τρόχον, id eſt inceſſabilem vitæ curſum, quo a die nativitatis uſque ad mortem velut ſemper currente rota inceſſanter agimur: vel τροχόν, ultima acuta, id eſt rotam aut rotationem nativitatis noſtræ: quo vocabulo vitam noſtram intelligunt Græci, quod ſemper in ſeſe volvatur, inflammat autem lingua noxia vitam noſtram, quum ſtatim omnem noſtræ converſationis rationem prava loquendo contaminat: & naturæ in primo parente læſæ vitium, noxiis & ineptis ſermonibus auget & incendit. Non eſt autem natura huiuſmodi, ſed ob læſæ naturæ vitium id fit: unde ait, *a gehenna inflammata*, id eſt incitata a diabolo gehennæ & inferni igne.

V. 7. OMNIS ENIM NATURA. Deterior eſt lingua perverſa omni re alia, quæ beſtias ferocitate, volucres levitate, ſerpentes virulentia præcellit, quod omnia hæc truculenta hominum induſtria domantur: ſola lingua domari nequit. Pro eo autem quod habet, VOLUCRUM, SERPENTUM, ET CETERORUM, videtur legiſſe interpres, καὶ τῶν ἄλλων, id eſt aliorum ſive ceterorum: quamquam Græca habent τῶν ἐναλίων, id eſt *marinorum*: quaſi naturam marinarum belluarum manſuefieri Iacobus dicat; ſicut delphinas cicuratos legimus. Et forte interpres vertit cetorum, quod cetus bellua ſit marinarum ferociſſima: & librariorum vitio fortaſſis poſitum & ceterorum pro cetorum. Itaque inquit, quum ferociſſima quæque cælo, terra, ac mari domentur animalia, linguam hominum nullus domare poteſt: eſt enim malum inquietum. Græce ἀκατάσχετον, id eſt *incoercibile*: teneri enim ab alio & coerceri nequit.

V. 12. NUMQUID POTEST FICUS UVAS FACERE? aut aliter legit interpres quam Græca habeant, ſcilicet ἐλαίας, id eſt *oleas*, aut quod verius eſt, *olivas* vertit, quemadmodum legit & interpretatur Beda,

Digitized by Google

da: ſed a quopiam propter verbum vitis, converſum eſt in uvas: hae autem & præcedente parabola oſtendit non eſſe congruum, immo præter naturam eſſe, ut ab eadem lingua, aut ab eodem ore (id enim ſignificat *ex ipſo ore*, id eſt eodem) maledictio procedat & benedictio; quod idem fons dulcem & amaram aquam ſcaturire non poteſt, neque ficus oleas aut uvas producere, aut vitis ficus. SIC NEQUE SALSAM, DULCEM POTEST FACERE AQUAM. Græce habent *οὕτως οὐδεμία πηγὴ ἁλυκὸν καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ*; id eſt, ſic nullus fons dulcem & amaram aquam facere.

V. 15. TERRENA, ANIMALIS, DIABOLICA. Mundi ſapientia terrena eſt, id eſt terrenis bonis per avaritiam inhians. *Animalis*, Græce *ψυχικὴ*, id eſt *carnalis*, ab anima quæ pro affectu carnis plerumque ſumitur, unde Paulus: *Animalis homo non ſapit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*. *Diabolica*, ſive dæmoniaca. Græce *δαιμονιώδης*, id eſt non a divino, ſed diabolico ſpiritu proficiſcens. Omne enim quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia oculorum, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ, quæ opus proprie eſt diaboli. SAPIENTIA AUTEM QUAE DE SURSUM EST, PUDICA EST; Græce *ἁγνή*, id eſt pura & caſta, pacifica, modeſta: *ἐπιεικής*, id eſt humana & æquabilis: SUADIBILIS, Græce *εὐπειθής*, *tractabilis*, cui facile perſuadetur. BONIS CONSENTIENS, hoc in modernis Græcis dicit. IUDICANS SINE SIMULATIONE. Græce *ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος*, id eſt neque diſſimulans, neque aliena facta diiudicans, & condemnans.

S A.

Verſ. 1. PLURES, id eſt ut multi ſolent; vel, ne multi ex vobis; quaſi dicat, Ne ambiatis cathedras; vel, ne *plures*, id eſt diverſi ſententiis. IUDICIUM, id eſt damnationis occaſionem, ſeu periculum.

V. 2. OFFENDIMUS, id eſt delinquimus POTEST, &c. quaſi dicat, Poterit & is ſe totum regere, ut ſolemus equos fræno.

V. 3. SI AUTEM. Græc. *Ecce*. CONSENTIENDUM, id eſt parendum.

V. 4. MINENTUR, id eſt agantur; quaſi dicat, Etiam tum cum vento magno impelluntur. UBI, id eſt quocumque.

V. 5. MAGNA EXALTAT, id eſt magnas turbas excitat, ſeu damna affert. Græc. *μεγαλαυχεῖ*, id eſt, *ſe iactat*. Syr. *ſe extollit*. QUANTUS; pro, quantulus.

V. 6. UNIVERSITAS. Græc. *mundus*. Interpres ſenſum reddidit, & vulgo *mundus* dicitur, pro magna copia. CONSTITUITUR, &c. quaſi dicat, Unum eſt ex membris quod maculat, &c. ROTAM NATIVITATIS, id eſt curſum vitæ iam inde a nativitate. GEHENNAE, id eſt cupiditatis igne.

V. 7. CETERORUM. Alii, *cetorum*. Gr. *marinorum*. ET DOMITA SUNT; pro, ita ut tandem reddantur manſueta.

V. 8. INQUIETUM. Græc. *incoercibile*, *ἀκατάσχετον*.

V. 9. IN IPSA, id eſt per ipſam.

V. 11. EMANAT, id eſt emittit.

V. 12. UVAS. Græc. *oleas*. SIC NEQUE, &c. Græc. *ſic nullus fons ſalſam & dulcem facere aquam*.

V. 13. DISCIPLINATUS, id eſt bene inſtitutus.

V. 14. ZELUM, id eſt æmulationem, ſeu invidiam. ET MENDACES ESSE; pro, ut qui mendaces ſitis.

V. 15. ANIMALIS, id eſt bruta, ſeu beſtialis.

V. 17. SUADIBILIS. Syr. *obediens*. BONIS, ſcilicet hominibus. IUDICANS, ſcilicet proximi facta.

V. 18. FACIENTIBUS; pro, a facientibus, ſcilicet pacificis.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. NOLITE PLURES MAGISTRI. Ambitionem cohibet, ne quis ſe ingerat ad officium docendi; alioqui ſe Paulus *Doctorem Gentium* vocat. MAIUS IUDICIUM SUMITIS. Magiſtri ſi delinquant, gravius quam alii punientur. Omnes enim offendimus, lingua præſertim. Si quis in ea non offendit,

V. 2. POTEST ETIAM FRAENO CIRCUMDUCERE TOTUM CORPUS, id eſt omnes corporis cupiditates, ut equum fræno comprimit.

V. 3. SI AUTEM. Varia lectio in codicibus Latinis erat ut Beda ait: quidam pro *ſi*, habebant *ſicut*. Græci etiam hodie variant. Plerique ἰδὲ, ſive ἴδε legunt, id eſt *ecce*, ut Syr. Alii εἰ δὲ, *ſi autem*, ut noſter. ET OMNE CORPUS ILLORUM CIR-

CUM-

CUMFERIMUS. *Et* videtur redundare, & ſine illa oratio melius currit, ideo quidam codices illam expungunt, ſicque legunt: *ſi autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, omne corpus illorum circumferimus*. Tum naves, cum

V. 4. MAGNAE SINT, ET A VENTIS VALIDIS MINENTUR, ſeu agitentur, ἐλαυνόμενα.

V. 5. ITA ET LINGUA, cum ſit exigua. MAGNA EXALTAT, id eſt operatur. Senſus: Ut frænum, etſi parvum ſit, ſimiliter gubernaculum, negligi non debet: ſic nec lingua, quamvis ſit exigua; quia multum poteſt in utramque partem. Scintilla etiam neglecta magnam ſilvam ſolet incendere.

V. 6. ET LINGUA IGNIS EST, concitat rixas. UNIVERSITAS INIQUITATIS. Græc *mundus*, perinde eſt. Eſt autem *univerſitas*, quoniam inſtrumentum ad omnia mala, & per eam flagitia omnia ſuademus. ET INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRAE, id eſt a nativitate vitam inflammans, id eſt totam vitam, quam *rotam* vocat: quoniam volvitur per ætates. INFLAMMATA A GEHENNA, id eſt diabolo, ipſa ignis eſt, & a diabolo amplius inflammatur. Aut ab ardore concupiſcentiæ, quæ ignis inferni inſtar eſt.

V. 7. OMNIS ENIM NATURA BESTIARUM. Beſtiis omnibus ferocior eſt. ET CETERORUM, ſcilicet natura domatur. Gr. ἐναλίων, id eſt *marinorum*: ſic Syr. quidam etiam Latini codices *cetorum*, pro qua voce aliquis fortaſſe ſuſtituit *ceterorum*, aut noſter ἄλλων legit. Sicut mox.

V. 8. INQUIETUM MALUM. Pro ἀκατάσχετον, *incoercibile*, noſter legit ἀκατάστατον *inquietum*, ut eſt in quibuſdam Græcis codicibus Roberti & Veleſii. Syr. tamen *incoercibile* habet.

V. 12. NUMQUID POTEST ..... FICUS UVAS FACERE. Græc. & Syr. *olivas*: ſic etiam Gotth. ſola Veleſii margo σταφυλάς, id eſt *uvas* habet. SIC NEQUE SALSA DULCEM POTEST FACERE AQUAM, ſcilicet ſuam. Syr. *ſic nec aquæ ſalſæ poſſunt effici dulces*. Græc. *ſic neque ullus fons ſalſam & dulcem facere aquam*, vitioſe haud dubium: quoniam id iam dixerat verſ. 11. nec erat cur repeteret. Ergo, ut arbor fructum alterius generis ferre non poteſt, neque fons dulcem aquam ex ſe mittere & ſalſam: ſic non debet ex eodem ore procedere benedictio & maledictio.

V. 14. QUOD SI ZELUM AMARUM, id eſt invidiam amaram habetis in alios, quæ *amara* dicitur, quia omnia fratris facta reddit amara. NOLITE GLORIARI, ne intumeſcatis, potius ea eſt occaſio vos abiiciendi, ne ſitis mendaces, ut ſolent eſſe contentioſi.

V. 15. SED TERRENA, ANIMALIS. Iſta ſapientia non eſt de cælo, ſed *terrena*, terræ bonis inhiat, *animalis*, id eſt carnalis, iuxta illud Pauli I. ad Corinth. II. 14. *Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt*. At ſapientia cæleſtis.

V. 17. SUADIBILIS, ἐπιεικής, *humana*, *benigna*, *ſuadibilis*. BONIS CONSENTIENS. Hoc Græce non eſt, nec in Syr. Noſter legit Græc. τοῖς ἀγαθοῖς συνδοκοῦσα. NON IUDICANS, id eſt condemnans. SINE SIMULATIONE, id eſt ſine fictione. Quidam legunt, *Iudicans ſine ſimulatione*, ſed male. Græc. & Syr. reclamant.

V. 18. FRUCTUS AUTEM IUSTITIAE IN PACE SEMINATUR. Dixit ſapientiam cæleſtem eſſe pacificam, nunc addit, eius pacis fructum eſſe iuſtitiam, quæ ſeminatur, FACIENTIBUS; pro, a facientibus PACEM, id eſt a pacificis. Aut in dativo, *pacificis ſeminatur*, illi metunt hunc fructum. Paci iuſtitia coniuncta eſt.

MENOCHII.

Verſ. 1. NOLITE PLURES FIERI MAGISTRI: nolite plures ambire munus docendi. Nolite ſinguli ex pluribus magiſterium ambire, ut ſcilicet fidelium magiſtri fiatis. SCIENTES QUONIAM MAIUS IUDICIUM SUMITIS, id eſt damnationis occaſionem, ſeu periculum. Qui regendi populi curam ſuſcipit, onus ſibi imponit, ipſis Angelicis humeris formidandum, ut graviter loquitur Tridentinum ſeſſ. VI. decreto de reform. cap. I.

V. 2. IN MULTIS ENIM OFFENDIMUS OMNES; quaſi dicat: An non ſatis negotii habemus ut Deo rationem vitæ noſtræ reddamus, niſi etiam aſſumpto per arrogantiam docendi, ac regendi munere vitæ quoque alienæ rationem reddendam ſuſcipiamus? SI QUIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTUS EST VIR: eſt enim ardua res, & quæ omnibus numeris perfectum,

Digitized by Google

ctum, & abſolutum virum deſiderat linguam prurientem coercere. POTEST ETIAM FRAENO CIRCUMDUCERE TOTUM CORPUS, id eſt ſe totum urgere, ut ſolemus equos fræno.

V. 3. SI AUTEM. Vulgatus legit in textu græco εἰδὲ, *ſi autem*, ſed nunc legimus ἰδὲ, *ecce*, ſenſu commodiore. AD CONSENTIENDUM NOBIS: ut nobis pareant.

V. 4. MINENTUR: agantur, impellantur. IMPETUS: ὁρμὴ, impulſus, ſtudium, & conatus voluntatis.

V. 5. ET MAGNA EXALTAT: μεγαλαυχεῖ, quod Vatablus, & Serarius vertunt, *magnifice ſe iactat*. Regia, *magna gloriatur*, Gagneius, *impotenter ſe gerit*, inſtar ſcilicet equi indomiti, laſcivientis, & ferocientis exultat, cui proinde rationis frenum iniciendum eſt. Senſus ergo huius loci eſt: puſilla quidem eſt lingua, ſed nullatenus contemnenda, nam freno cohibita totum hominem continet in officio, ut rationis gubernaculo deſtituta, turgida, & iactabunda ingentes tumultus excitat, totoſque populos & regna inter ſe commiſcet. Congruit mirifice quod ſequitur, *ecce quantus ignis*, &c. ECCE QUANTUS IGNIS, &c. id eſt ecce quantulus eſt ignis, & tamen parva ſcintilla contempta magnum ſæpe excitavit incendium, & totam ſilvam aut urbem abſumpſit.

V. 6. ET LINGUA EST IGNIS: propter incredibilem graviter nocendi celeritatem. UNIVERSITAS INIQUITATIS: κόσμος ἀδιβίας, *mundus iniuſtitiæ*, congeries, & promptuarium iniquitatis: eſt formula dicendi proverbialis, ſic Græci, & Latini dicunt, malorum Iliadem, aut Oceanum. Italice diceremus, *La lingua fa un mondo di mali, e danni*. LINGUA CONSTITUITUR IN MEMBRIS NOSTRIS, &c. Senſus eſt, Lingua illud eſt e membris noſtris, quæ totum hominem peccatis maculat. ET INFLAMMAT ROTAM NATIVITATIS NOSTRAE, id eſt curſum vitæ iam inde a nativitate; omnem vitæ curſum, periodum, & quaſi circulum inflammat. Quidam exiſtimat Apoſtolum hic metaphorice rotam ſumere pro acerbiſſimo, & antiquiſſimo illo cruciatu cuius mentio Proverb. xx. 26. iuxta textum Græcum, in quo genere ſupplicii non ſolum membra luxabantur, & frangebantur, ſed etiam ignis adhibebatur, ut ipſe probat ex nonnullis auctoribus. Itaque *rotam nativitatis* explicat per metaphoram ſupplicium naturæ noſtræ, quo modo apud Plautum legimus in Ciſtell. act. II. ſcen. I. *verſor in amoris rota miſer*; ſane magnum tormentum eſt configi linguis maledicorum contumelioſorum, &c. INFLAMMATA A GEHENNA. Succenſa infernali igne, & afflata a dæmone patre diſcordiarum.

V. 7. ET CETERORUM. Videtur vulgatus noſter legiſſe, τῶν ἄλλων, nunc autem in Græco eſt ἐναλίων, *marinorum*: multi ſuſpicantur vulgatum vertiſſe *cetorum*, ſed librariorum ignorantia irrepſiſſe ceterorum. Ita Gagneius, Caietanus, Salmeron, & alii. A NATURA HUMANA: ab hominibus.

V. 8. LINGUAM AUTEM NULLUS HOMINUM DOMARE POTEST. Acute obſervat Auguſtinus tom. VII. Lib. de natura, & gratia cap. XV. *Non ait, linguam nullus domare poteſt, ſed, nullus hominum: ut cum domatur, Dei miſericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur*. Idem Auguſtinus Lib. X. confeſſ. cap XXXVII. *Imperas nobis linguæ continentiam; da quod iubes, & iube quod vis. Tu noſti de hac re gemitus cordis mei, & flumina oculorum meorum*. INQUIETUM MALUM: ἀκατάσχετον κακὸν, malum quod coerceri, & contineri non poteſt. PLENA VENENO MORTIFERO: quo proximi famam, ſuam, & audientis animam, ac ſæpe multorum corpora occidit, per odia, rixas, & bella, quæ ſuſcitat.

V. 9. IN IPSA BENEDICIMUS DEUM, &c. quaſi dicat; Res eſt portentoſa, & miſeratione etiam digna, eadem lingua qua benedicimus Deum, eadem uti ad maledictiones hominum. DEUM ET PATREM, Deum, qui eſt Pater omnium.

V. 12. UVAS FACERE. In Græco eſt ἐλαίας, *olivas*. SALSA, id eſt fons ſalſus.

V. 13. QUIS SAPIENS: σοφὸς, eruditus, ſcilicet rerum divinarum. DISCIPLINATUS: ἐπιστήμων, ſcientia præditus: videtur eſſe eiuſdem repetitio. BONA CONVERSATIONE: vita ipſa, & moribus. OPERATIONEM SUAM: opera ſua, ut eſt in Græco. IN MANSUETUDINE SAPIENTIAE: in manſueta ſapientia, quæ manſuete audit, reſpondet, monet, corripit, & docet.

V. 14. ZELUM AMARUM: ſic appellat in-

Digitized by Google

invidiam, propter iracundiam, & rancorem, quem amarulenta commota bile, fetum affert zelus invidiæ. ET CONTENTIONES SINT IN CORDIBUS VESTRIS. Per contentiones intellige ſtudia, & ardorem animi propenſum, & incitatum ad contendendum. NOLITE GLORIARI, ET MENDACES ESSE ADVERSUS VERITATEM. Magiſtros, qui zelo, & contentionibus abducuntur, admonet Apoſtolus, ne pro tuenda falſa nominis exiſtimatione, pro ſuis ſomniis obſtinate defendendis, deſerant veritatem, ne glorientur contra illam, quaſi victam, & proſtratam. Hic etiam pro gloriari habemus in Græco κατακαυχᾶσθε, quod cap. 11. 13. vulgatus vertit, *ſuperexaltatis* vide ibi dicta.

V. 15. ISTA SAPIENTIA: zelum amarum habentium, & contentioſorum. DESURSUM DESCENDENS: cælitus a patre luminum, ut dixit cap. I. 17. infuſa. SED TERRENA: ob avaritiam, qua quærit opes terrenas. ANIMALIS: ob gulam, & luxuriam, qua concupiſcit voluptates ſenſibiles ventris, & Veneris. DIABOLICA: ob ſuperbiam, qua ambit præ ceteris excellere, & honorari.

V. 16. IBI INCONSTANTIA. In Græco eſt ἀκαταστασία, inquietudo, inordinatio, turbulentia, perturbatio, tumultus, ſeditio, &c.

V. 17. QUAE DESURSUM EST: ſapientia divinitus donata. PUDICA EST: ἁγνὴ, pura, caſta, intemerata a libidine, & a quavis impuritate pravæ doctrinæ, ſceleris, aut vitii. PACIFICA: non ſeditioſa, aut contentioſa, ſed pacata, & pacis amans. MODESTA: ἐπιεικὴς, manſueta, demiſſa, humilis, moderata, humana, facilis, nam mundi ſapientia facit ſuperciliofos, moroſos, difficiles. SUADIBILIS: εὐπειθὴς, tractabilis, morigera, cui facile perſuadetur, quæ facile paret, & obſequitur. Unico verbo Plautino, *obſequioſa*. BONIS CONSENTIENS: iam bonis rebus, quam hominibus conſentiens. FRUCTIBUS BONIS: bonis operibus. NON IUDICANS: aliena dicta, vel facta, nec ea ſuperbe faſtidioſeve contemnens. SINE SIMULATIONE: ſincera, ſine fuco, & ſine hypocriſi.

V. 18. FRUCTUS AUTEM IUSTITIAE, &c. id eſt iis qui pacem faciunt, ſeu pacis opera ſectantur, iam ſeminatur uberrimus iuſtitiæ fructus, quem in futuro ſæculo metent. FACIENTIBUS PACEM, id eſt opera pacis, quæ ſcilicet ad pacem conciliandam, & augendam faciunt.

T I R I N I.

Verſ. I. NOLITE PLURES MAGISTRI: Græce, *doctores* FIERI. Non reprehendit gradus academicos, ut ſomniabat Vvicleſ, aiens, teſte Prateolo, non plus illos prodeſſe Eccleſiæ, quam diabolum. Nam ut alibi docet S. Paulus, & ipſe *doctor* Gentium, *Deus in Eccleſia poſuit doctores a*. Sed taxat ambitionem *magiſterii*, quod plures tum temporis expetebant, arrogantia Phariſaica *b* potius, quam zelo converſionis animarum *c*, cum plerique non ſat inſtructi eſſent, ſeu a ſcientia, ſeu a prudentia, ſeu ab aliis virtutibus ad id munus neceſſariis. Unde & magna ſubinde confuſio, contentiones & ſcandala. S. Auguſt. *d* per *plures* magiſtros accipit diverſa ſibi mutuo contraria docentes. Cauſam porro cur magiſterium, niſi a ſuperiore imponatur, potius fugiendum quam ambiendum ſit, dat Apoſtolus, QUONIAM MAIUS IUDICIUM, ſeu condemnationem, ſibi accerſunt tales, nempe dum vanam doctrinæ laudem & gloriam captant, dum alios præ ſe contemnunt, dum mala vel male docent, dum malo exemplo aliis prælucent, &c. Quod locum habet non in ſolo litterarum magiſterio, ſed in omni etiam alia præfectura: *quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet*, ut Sapiens ait *e*.

V. 2. IN MULTIS ENIM OFFENDIMUS OMNES, tum verbis, tum factis & exemplis. Nam *nil omnino peccare* proprium eſt Dei, inquit Clemens Alexandr. *f* Propter innatam enim homini concupiſcentiam, infirmitatem & animi mutabilitatem, (quæ Deo ſic volente remanent etiam in iuſtificatis, ad maiorem eorumdem humiliationem, luctam & exercitium,) fieri nequit, etiam cum ſpeciali auxilio gratiæ ordinariæ, ut ad longum tempus evitet omnia peccata venialia, ut Trid. *g* definit, & nos alibi expoſuimus. SI QUIS IN VERBO NON OFFENDIT, HIC PERFECTUS EST VIR. Unde Eccleſ. *i* *Quis eſt qui non delinquerit in lingua ſua?* Nempe innata homini pronitas ad ſe ſuaque

que

Digitized by Google

que laudanda, aliena vituperanda, ad mentiendum, ad fallendum, ad carpendum, ad garriendum: quam pronitatem perpetuo compeſcere admodum difficile eſt: difficilius phantaſiam refrænare & paſſiones animi, quorum internuntius, imago & index eſt lingua: difficillimum, tanta ubique circumſpectione agere, ut nullum prorſus verbum quod non ſit accommodum loco, tempori, perſonis præſentibus, ori excidere patiaris. Et hanc ob cauſam quicumque ſolido continentiæ, mortificationis & diſcretionis ſtudio iam obtinuit, ut frænare norit linguam ſuam, is facile poterit etiam TOTUM reliquum CORPUS ſuum, ſeu cetera corporis membra, omneſque actiones & motus FRAENO CIRCUMDUCERE, moderari, & ad leges modeſtiæ virtutiſque componere. Immo refrænata ipſa lingua talibus frænum eſt ceterorum omnium corporis membrorum, motuum & actionum, omnia continens, dirigens, & ad ſuos fines deducens, ſicut frænum equos, & clavus navem deducit. Lingua enim frænata frænatur quoque loquendi pronitas & aviditas quæ eſt in phantaſia & appetitu: frænata vero phantaſia & appetitu, frænantur omnes actiones & motus qui ab iis promanant.

V. 5. MAGNA ſeu bona, ſeu mala, EXALTAT, id eſt erigit, ſuſcitat, efficit, cauſat: nam quot verbis, tot ictibus animos audientium ferit, & integra ſubinde regna inter ſe committit, & agit quo vult. Exemplo ſit lingua Piſiſtrati *k*, Periclis & Demoſthenis *l* apud Athenienſes: Valerii *m*, Gracchi, Ciceronis apud Romanos: Achitophelis *n*, Roboami & *o* Ieroboami *p* apud Iudæos. Vere *mors & vita in manibus linguæ q*.

V. 6. UNIVERSITAS, id eſt cumulus, congeries, INIQUITATIS; græce, *mundus iniuſtitiæ*. Simili proverbio vocamus *malorum Iliadem* vel *oceanum*. Lingua enim, ait Baſilius *r*, *lena eſt & conciliatrix* omnium *ſcelerum:* nam omnia ſcelera per linguam vel perficiuntur, vel ſuadentur, vel defenduntur, vel excuſantur. Vide Ioannem Polecyum e noſtra Societate, qui de vitiis linguæ totum librum conſcripſit hoc titulo, *Univerſitas iniquitatis*. Lingua inſtar centri in corpore conſtituta, ſi ſordida eſt, MACULAT TOTUM CORPUS, id eſt totum hominem, omneſque eius actiones *ſ*. Sic murmurans lingua Mariæ ſororis Moyſis cauſavit lepram toti corpori *t*. Denique quod lamina ignita eſt in rota currus, hoc lingua eſt *rota* NATIVITATIS, id eſt in curſu vitæ noſtræ, qui inſtar rotæ, a nativitate uſque ad mortem perpetuo circumvolvitur. Sicut enim lamina ferrea ignitur in fornace fabrorum: ita lingua ignitur igne tartareo maledicentiæ quaſi ex fornace gehennæ *u* per diabolum deprompto. Et ſicut lamina ignita dum a fabris applicatur rotæ & clavis illi affigitur, undique flammas vomit & ſcintillas, videturque totam rotam circumcirca inflammare: ita lingua infernali ſeu diabolico maledicentiæ igne ſuccenſa inflammat eodem igne totam rotam vitæ noſtræ. Id de lingua detractoria fuſe demonſtrat Eccleſiaſticus XXVIII. 16. ut ibidem videre eſt. Sed idem demonſtrari poteſt de *falſa* lingua adulatorum, Eccli. XX. 18. de *magniloqua* ſuperborum, Pſal. XI. 4. *viperea* hæreticorum, Iob XX. 16. *blaſphema* maledicorum, Iob XV. 5. *doloſa* hypocritarum, Pſ. CXIX. 2. *ſordida* luxurioſorum, Eccli. LI. 3. & *iniqua* advocatorum, Proverb. XVII. 4.

V. 7. OMNIS NATURA BESTIARUM DOMATUR vel paſtu, vel obſequio, vel terrore, vel frænis & capiſtris, vel flagellis, vel fame & inedia, vel adverſariis ſibi aliis animalibus. Exempla ex Æliano, Plinio, Oppiano, Ariſtotele & aliis, recenſet Lipſius *x* de elephantis: Paulus Venetus *y* de leonibus, pantheris, pardis, urſis: Svetonius *z* de rhinocerotibus: Plutarchus & Macrobius *aa* de perdicibus, coruis, merulis, falconibus, aquilis: Rondeletius, Aldrovandus, Plinius *bb* & alii de balænis, delphinis, crocodilis, draconibus, aſpidibus & aliis ſerpentibus.

V. 8. LINGUAM AUTEM humanam NULLUS HOMINUM ſolis naturæ viribus DOMARE POTEST: poteſt divina virtute & gratia, ut pulchre oſtendit, & media ſuggerit, S. Auguſt. *cc* immo & Eccleſiaſticus XIX. 10. Præ omnibus autem iuvare ſilentium, adverſitates, & acrem in defectus inquiſitionem, correptionem & caſtigationem, conſtans eſt Patrum doctrina, & probat experientia. INQUIETUM MALUM: Græcum *ἀκατάσχετον* ſignificat etiam

ſeditioſum & *tumultuoſum*, PLENA VENENO MORTIFERO, quo proximi famam & fortunas tollit, ſuam & audientis animam, ac ſæpe etiam corpus, occidit per odia, rixas & bella quæ ſuſcitat *dd*. Alludit Apoſtolus ad linguam aſpidum & ſerpentum *ee*, quæ venenum appenſum habent in veſica *ff*, quæ dum mordent rumpitur, & venenum hoſti affunditur, inquit Mercurialis *gg*. Porro adeo plena eſt veneno, ut illud effundat etiam tunc cum

V. 9. DEUM, qui eſt *pater* & creator omnium, laudat pſallendo, orando, prædicando: nam quidam mox ut e templo domum regreſſi ſunt, *maledicunt*, execrantur, diris devovent, calumniantur, ſubſannant proximum ſuum QUI AD SIMILITUDINEM & imaginem *hh* DEI *factus eſt:* hoc ipſo maledicentes & execrantes etiam ipſum Deum, ſi non in propria perſona, certe in ipſius viva imagine. *Qui enim calumniatur egentem, exprobrat factori eius ii*. Contra naturam vero eſſe & rerum ordinem, ut ex lingua, ore & corde ad hoc unum a Deo & natura deſtinato ut laudet ac benedicat Deum, procedat maledictio, probat ſimilitudine fontis, uvæ & ficus: nam cum natura pugnat, ut fons dulcis emanet aquam amaram, aut vitis proferat ficus, aut ficus uvas. Hoc ipſo inſinuans, laudes divinas ex ore in proximum maledico promanantes, tali maledictione reddi prorſus amaras, ingratas & diſplicentes Deo, nec tam laudes cenſeri, quam convicia & maledicta, ſaltem nullum divinæ laudis fructum vel præmium ſperare poſſe, inquit Beda.

V. 13. QUIS INTER vos, qui tantopere ambitis nomen magiſtri & doctoris, revera eſt SAPIENS non ſpeculative tantum, ſed & practice, quoad mores bene DISCIPLINATUS & inſtructus? *Hoc* OSTENDAT & palam faciat primum CONVERSATIONE BONA & laudabili: ſecundo, MANSUETUDINE non abiectionis, ſed SAPIENTIAE ac diſcretionis.

V. 16. UBI ENIM ZELUS amarus; ſeu invidia eſt ET CONTENTIO, ſeu diſſidium, IBI eſt etiam ἀκαταστασία, id eſt INCONSTANTIA, inquietudo, tumultus, ſeditio, ut ſupra *kk* dixi. Id ſatis ſuperque docent Calviniſtæ ceterique hæretici noſtri, qui amaro zelo ſuo & perpetua contentione ſerunt bella ex bellis, ET OMNE OPUS PRAVUM, puta cædes, rapinas, ſacrilegia, blaſphemias & innumera alia ſcelera.

Nota hic decem antitheſes quas ponit Apoſtolus inter veram & falſam ſapientiam *ll*. Vera primo

V. 17. DESURSUM EST, quia a Deo tradita, & ſine cæleſti ac ſupernaturali lumine & gratia capi vel practicari non poteſt: falſa *terrena* eſt, nec ad altiora contendit. Secundo, vera ſapientia PUDICA, græce, *pura*, caſta; intemerata eſt quoad doctrinam & mores: falſa *animalis*, ſordida & impudica. Conſule Alcoranum, & Lutheri, Calvini, Mennonis paradoxa. Tertio, vera eſt PACIFICA; Syrus *plena pace* & caritate: falſa *contentioſa*, fons litium, rixarum, bellorum. Quarto vera eſt MODESTA; Syrus *manſueta demiſſa, humilis:* Pagninus, *morigera*, civilis: falſa petulans ac ſuperba. Quinto, vera eſt SUADIBILIS, id eſt perſuaſu facilis: cum enim nil contineat quod ſit naturæ vel rectæ rationi contrarium, facile audienti probatur ac perſuadetur: falſa imperſuadibilis, quia plurima continet abſurda, impia, turpia, incredibilia. Id de doctrina Lycurgi, Platonis, Ariſtotelis, Stoicorum & Epicuræorum bene probat a Lapide *mm:* de hæreſibus noſtri temporis Iod. Coccius *nn* & alii. Sexto, vera eſt BONIS CONSENTIENS, tum rebus, tum hominibus, iiſdem favens, ſubſerviens, diligens, promovens: falſa *bonis* invidet & adverſatur, malis favens, adhærens, glorians. Septimo, vera eſt PLENA MISERICORDIA, ex intimis viſceribus compatiens proximo, eique bene faciens: falſa immiſericors, crudelis, *diabolica*. Octavo, vera abundat FRUCTIBUS BONIS & operibus piis: falſa ſcatet ſceleribus. Nono, vera *neminem* temere *iudicat oo*, carpit, cenſurat, ſpernit: falſa iudicium præcipitat, omnia carpit, omnia improbat. Decimo, vera eſt ſincera & SINE SIMULATIONE *pp*: falſa eſt ſimulata & hypocritica.

V. 18. Porro FRUCTUS iam dicti IUSTITIAE, id eſt ſapientiæ (ſapientia enim practica, de qua tam hic, quam alibi *qq* Scriptura meminit, eſt *iuſtitia*, ſeu complexio omnium virtutum:) non ſemper ſe produnt in hac vita; prodent ſe tamen in altera: nam hic IN, ſeu cum, PACE

SE-

Digitized by Google

SEMINANTUR; unde FACIENTIBUS PACEM, ſeu opera pacis, id eſt *pacificis*, ut Syrus vertit, copioſa ſuccreſcet pacis, id eſt felicitatis æternæ, meſſis, in cælo demetenda.

(a) Epheſ. iv. 11.
(b) Matt. xxiii. 6.
(c) Actor. xv. 1.
(d) Aug. Prolog. Lib. I. Retract.
(e) Sap. vi. 6.
(f) Clem. Alex. I. Pædag. cap. 11.
(g) Trid. ſup. can. xxiii.
(h) Eccleſ vii. 21. Prov. xxiv. 16. I. Cor. iv. 4. I Ioan. 1. 8.
(i) Eccli. xix. 17. & xxviii. 50. Pſal. xxxviii. 2 &c.
(k) Val. Max. Lib. VIII. cap. ix.
(l) Plutarch. in Vita eiuſd.
(m) Val. ſup. cap. xi.
(n) II. Reg. xvi. ult.
(o) III. Reg. xi. 14.
(p) Ibid. verſ. 28.
(q) Prov. xviii. 21.
(r) Baſil. in Pſalm. xxxiii.
(ſ) I. Cor. xv. 33.
(t) Num. xii. 1.
(u) IV. Reg. xiii. 10.
(x) Lipſius cent. 1. ep. x.
(y) M. Paulus Ven. in Tartaria.
(z) Sveton. in Domitiano.
(aa) Plutarch. in Synopſiis. Macrob. Lib. II. Saturn. cap. x.
(bb) Rondel. & Aldrov. Lib. de Piſcibus. Plin. Lib. IX. cap. viii. Lib. X. cap. lxxiv. Lib. VIII. cap. vii. &c.
(cc) Aug. de Nat. & gratia cap. xv. & Serm. IV. de verbis Domini ſecundum Matthæum.
(dd) Pſal. v. 11. Pſal. cxxxi. 4.
(ee) Ibid.
(ff) Iob. xx. 12.
(gg) Mercurial. de Venen.
(hh) Gen. 1. 26.
(ii) Prov. xiv. 31.
(kk) Hic verſ. 8.
(ll) I. Cor. xiii. 4.
(mm) Lap. hic & Act. xvii. 18.
(nn) Iod. Coccius in Theſauro controv. in notis Eccl.
(oo) Matt. vii. 1.
(pp) Sap. 1. 5. vii. 11.
(qq) In Libris Sapientialibus.

GORDONI.

Verſ. 1. NOLITE. In hac reprehenſione ambitionis videtur notare vitium illo tempore inter eos qui volebant eſſe doctores & magiſtri fidelium. Sicut etiam ſupra in Pauli epiſtolis ipſe ſæpe cavere iubet a pſeudoapoſtolis: tales tunc in illis initiis eſſe poterant rudiores, qui Ieroſolymis profecti miſcebant errores docendo alios. Nec hic damnat Iacobus in academiis bonum uſum graduum & doctoratus, ſed abuſum. PLURES, id eſt ſinguli ex pluribus. MAIUS IUDICIUM, onus gravius, cum quiſque ſatis negotii habeat ut pro ſe reſpondeat Deo.

V. 2. IN MULTIS. Dum docere volumus, offendimus in multis: adeoque arduum eſt alios docere & regere, ut ne propriam poſſimus vitam tutam a labe ſervare. Pro exemplo ſit unius in membris gubernatio: linguam intellige. Sane ſi quis in lingua non offendit, magnus eſt, & qui hoc poteſt, ſe totum facile reget.

Ex occaſione horum verborum quæſtio eſt, an ſit neceſſe omnes peccare. In qua re certum eſt, quicumque peccet, peccare eum libere. Nunc prætereo Calvinum. Certum quoque eſt poſſe hominem ex ſpeciali auxilio vitare quodlibet ſingulare peccatum. Ceterum de tota collectione, ut loquuntur Theologi, alia quæſtio eſt; etiam in venialibus: quam alibi & ſuo loco diſcuſſi. Lege interim rem definitam in Trident. Seſſ. vi. Can. xxiii. ubi tria diſtinguuntur; gratia ordinaria, ſpeciale auxilium & privilegium. Porro quæ hic habere poteſt locum neceſſitas circa collectionem erit moralis, & non phyſica.

V. 3. SI AUTEM. Pro *εἰ δὲ*, commodius aliqui legunt *ἴδου*, *eſſe*, & planus erit ſenſus; ſi fræno equum, ſi gubernaculo navem regimus: quanto magis oportet ita linguæ legem ponere, ut ipſa totum hominem regat. Quid enim non poteſt? Et hoc eſt quod exaggerat uſque ad verſum 13. obſcuriores hic voces ſunt; *rota* NATIVITATIS, verſ. 6. deſignat vitæ curſum & periodum. NULLUS DOMARE POTEST, verſ. 8. Certe ſine gratia non poteſt homo. Lege Auguſt. Lib. X. cap. xxxvii.

V. 13. & 14. QUIS SAPIENS. Regreditur ad id quod dicebat de magiſtris aliorum, & doctoribus, quibus impenſe commendat manſuetudinem & modeſtiam: ut certe plus exemplo hoc, quam verbo prodeſſe poſſunt. *Zelus amarus*, verſ. 14. eſt zelus invidiæ, qui rancorem amarum ſecum afferre ſolet, ubi non ſolent abeſſe contentiones. NOLITE GLORIARI. Qui tali zelo impelluntur magiſtri, ſolent pro inani nominis exiſtimatione etiam certare, & ita ſua tueri placita, ut deſerant veritatem: talis, inquit, ſapientia terrena eſt, & non a Deo. Addit verſ. 17. conditiones ſapientiæ, quæ eſt a Deo. Non

Digitized by Google

eſt contentioſa, manſueta eſt, tractabilis, & ſuadibilis. NON IUDICANS, verſ. 18. Non aliena dicta & facta contemnens: faſtus eſſet, invidiam hanc extinguit modeſtia & contemptus gloriæ.

V. 18. Concludit oſtendens fructum pacis eſſe uberrimum. Pacis enim auctorem ſequuntur opera pietatis & iuſtitiæ. Denique hic deſignata vera ſapientia, quæ eſt a Deo, plena eſt bonis fructibus, altera & terrena malis operibus repletur. Itaque ſapientia tota, de qua hic loquitur, practica eſt: nec ſatis eſt ſpeculari bonum.

CAPUT IV.

Concupiſcentiis non eſt obſequendum, ſed diabolo reſiſtendum, & Deo appropinquandum, mutuæque dilectioni ſtudendum, rebus incertis divinæ providentiæ commiſſis.

1. UNde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris? 2. Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis. 3. Petitis, & non accipitis: eo quod male petatis: ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis. 4. Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi, inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur. 5. An putatis quia inaniter ſcriptura dicat: Ad invidiam * concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis? 6. Maiorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: (a) Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. 7. Subditi ergo eſtote Deo: reſiſtite autem diabolo, & fugiet a vobis. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo. 9. Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem. 10. (b) Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos. 11. * Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem ſuum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem: non es factor legis, ſed iudex. 12. * Unus eſt legiſlator, & iudex, qui poteſt perdere, & liberare. 13. (c) Tu autem quis es, qui iudicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: 14. qui ignoratis quid erit in craſtino. 15. Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; &: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. 16. Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis, maligna eſt. 17. Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.

(a) Prov. III. 34. (b) I. Petr. 5. 6. (c) Rom. XIV. 4.

BRU-

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 5. *Concupiſcit ſpiritus*. Cave præponas *non* negationem verbo *concupiſcit*.

Sequitur: *Qui habitat in vobis*. Non mutes *vobis* ſecundæ perſonæ pronomen, in *nobis* primæ.

Verſ. 11. *Nolite detrahere alterutrum fratres*. Non ſubiicias pronomen *mei*.

Verſ. 12. *Unus eſt legiſlator & iudex*. Non addas coniunctionem *enim*.

Notatio.

Verſ. 5. AN *putatis quia inaniter ſcriptura dicat, ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* Varia eſt huius loci diſtinctio; una *An putatis* (*putas* o.) *quia inaniter ſcriptura dicat, ad invidiam? concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis*; quam Oecumenius Græcus auctor enarrat, verum τὸ πνεῦμα quarto caſu accipiens (*concupiſcit ſpiritum*) tametſi interpres id non animadverterit. Altera: *An putatis quia inaniter ſcriptura dicat? ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis*, quam ii quorum Beda meminit ediſſeruere. Tertia: *An putatis quia inaniter ſcriptura dicat: Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* quam Syrus ſecutus eſt: præpoſuit enim τῷ *in invidia*, vel *in æmulatione*, dolath litteram, quæ ut Græcorum, ὅτι, alterius verbis quæ referuntur, præmittitur, ceteroqui otioſa; porro Græce non præmittitur ὅτι hic. Quarta: *An putatis quia inaniter ſcriptura dicat? ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* quam Beda probat, & poſt eum Auctor Gloſſæ, Carenſis, Richelius. Tertium diſtinguendi modum Neotericorum plerique amplexantur; deque Deo zelote interpretantur, quem ſi quis noſtram quærat ſententiam, non equidem improbaverimus, ſed quartum prætulerimus in eum ſenſum enarratum, quem Franciſci Titelmanni paraphraſis habet. An perſuaſeritis vobis luſorie aut ſine cauſa ſacram ſcripturam monere, prædicareque, ut a mundo ſeparemini, & eorum qui mundo adhærent conſortia fugiatis? vel ſpiritum ſanctum ſcripturæ Auctorem, qui per regenerationis ſacramentum ſedem poſuit in vobis, voſque gubernandos ſuſcepit, mundi vobis amicitiam, ut quæ e re veſtra ſit, invidere? Immo vero maiore dat dona, quam vel accipi, vel ſperari poſſint a mundo, ea quæ amicis mundi negat. Propter quod ſcriptum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Vel certe ſi fas eſt tot diſtinguendi modis alium addere (multæ tentantur viæ, cum obſcura eſt, deliteſceniſque quæſita res) totum unica interrogatione legerim, τῷ *ad invidiam* præcedentibus iuncto hunc in modum: *An putatis, quia inaniter ſcriptura dicat, ad invidiam: Concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* quod ſit: An exiſtimatis fruſtra ſcripturam dixiſſe, eo quod vobis invideat, Spiritum carnis veſtræ prave concupiſcere, nec bona ea eſſe quæ deſiderat? Non ita ſane quod vobis invideat, quinimmo maiorem pollicetur cæleſtis gratiæ opulentiam, quam quæ cunctis carnis deſideriis queat comparari. Propter quod dicit: Deus iis qui ſibi ipſi duces eſſe volunt atque id ſequi quod concupiſcunt ipſi, hoc eſt, ſuperbis reſiſtit, humilibus vero qui ſuis renuntiant deſideriis, Deoque ſe ſubdunt, dat gratiam, ac verorum bonorum affluentiam. Videtur opponere Apoſtolus illi *ad invidiam*, hoc *maiorem autem dat gratiam*; quaſi dicat: Non tantum non invidet, verum etiam maiorem dat gratiam. Hactenus de interpunctionis diverſitate: ſunt hic & lectionis aliquot varietates, ſed quæ fere ſenſum non mutent. *Aut* legendum eſt iuxta antiquos codices, non *an*; & *dicat*, non *dicit*, quod eſt in nonnullis Græco conforme. *Non* quod videtur Carenſis in quibuſdam libris ſuis habuiſſe (*non concupiſcit*) nullius eſt auctoritatis: *inhabitat*, quod in duobus ſcriptis reperimus, G & Atr. Græco κατῴκησεν voce ſimilius eſt quam *habitat*, ſed ſenſu æquale: ceterum aoriſti præteritum eſt κατῴκησεν, *habitavit* vel *ſedem poſuit*. *Nobis* denique quod habet exemplar Germanicum latum, reſpondet Græco, & Syro, ſed non ceteris Latinis libris, nec Latinorum Auctorum enarrationibus; quamquam ut quorumdam eſt ſcribendi modus, parvum ſit inter *nobis* & *vobis* diſcrimen; nec tamen maius Græcis, inter ἡμῖν & ὑμῖν. Oecumenii Græci textus ὑμῖν *vobis* ſcribit; commentarius prius ἡμῖν *nobis*, poſtea ὑμῖν *vobis* ut quoad ſententiam parum refert.

COM.

COMMENTARIA

GAGNAE I.

Verſ. 1. NONNE EX CONCUPISCENTIIS VESTRIS? Gr. eſt *οὐκ ἐντεῦθεν ἐκ τῶν ἡδονῶν*; id eſt, nonne illic ex voluptatibus ſive libidinibus & delitiis veſtris; ut hoc nomine non modo rei venereæ, ſed cuiuſcumque appetitum illicitum intelligas.

V. 2. & 3. OCCIDITIS ET ZELATIS: pro occiditis, quidam Græci codices habent *φθονεῖτε*, id eſt *invidetis*. Græca ſcolia exponunt cædes & bella ſpiritualiter de nece animarum. NON POSTULATIS, id eſt non bene poſtulatis: unde ſubdit, PETITIS ET NON ACCIPITIS, eo quod male petatis, UT IN CONCUPISCENTIIS ſive (ut prius) libidinibus & delitiis INSUMATIS & conſumatis.

V. 4. ADULTERI NESCITIS. Græci addunt, *καὶ μοιχαλίδες*, id eſt adulteræ. Adulteros autem vocat qui ſapientiæ cæleſtis amore relicto, ad amplexus mundanæ amicitiæ deflectunt: QUAE (inquit) INIMICA EST: Græce pro inimica eſt *ἐχθρὰ*, quod ſi accentum habet in prima, inimicitiam ſignificat: ſi in ultima, inimicam.

V. 5. & 6. AD INVIDIAM CONCUPISCIT SPIRITUS QUI HABITAT IN VOBIS. Græce eſt, *κατῴκησεν*, id eſt *habitavit*, propter quod mihi non de ſpiritu hominis, ut putavit Eraſmus; ſed de Spiritu ſancto qui per baptiſmum habitare cœpit in nobis, intelligere videtur; tum ob ſequentem locum: MAIOREM AUTEM DAT GRATIAM; qui de ſpiritu hominis intelligi non poteſt. Eſt autem ſenſus, nolite putare inaniter dictum quod Spiritus ſanctus qui vos inhabitat per baptiſmum, concupiſcit vos veſtrique deſiderio ardet (hoc enim ſignificat verbum *ἐπιποθεῖ*) vel uſque ad invidiam. De Spiritu enim ſancto per *ἀνθρωποπάθειαν* tamquam de homine loquitur. Sicut enim procus & zelotypus ſi cuius ferventi amore tenetur, non fert alium quem amat alteri amicitiam præſtare, invidetque illi quem amari ſentit: ſic Spiritus ſanctus noſtri (ut ita loquar) præ nimio amore zelotypus, non fert indignaturque ſi quid huius mundi ſecum in amicitiam recipiamus: neque in amicitia ſui rivalem admittit.

Quum ergo prædixiſſet quod plerunque poſtulata accipiant quia noxia poſtulant, ne putetis, inquit, inaniter dictum quod Spiritus ſanctus vel ad invidiam uſque vos concupiſcit veſtrique deſiderio flagrat mundo & diabolo invidens, qui vos ab ſeſe alienarunt: *maiorem autem ad gratiam*: Spiritus ſanctus ſcilicet, quam mundus: cuius amicitia Deo vos inimicos reddit. Quibus autem dat gratiam? humilibus, ſicut ait, PROPTER QUOD DICIT, ſub ſcriptura, DEUS SUPERBIS RESISTIT, HUMILIBUS AUTEM DAT GRATIAM. Hic locus in quibuſdam deeſt Gr. codicibus: & locus præcedens, *Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis*, verbis expreſſis in bibliis non invenitur, licet ſenſu ipſo facile ſit invenire.

V. 8. EMUNDATE MANUS, PECCATORES, id eſt externas actiones, ET PURIFICATE CORDA, internas animi actiones. DUPLICES ANIMO, Græce *δίψυχοι*; ubi Græca ſcholia *διψύχους* vocant, qui nullum vivendi certum genus præſtituerunt, ſed vacillant ſemper: vano ſcilicet & inſtabili propoſito homines.

V. 9. MISERI ESTOTE. Græce eſt *ταλαιπωρήσατε*, id eſt *affligimini*; hoc eſt, affligite animas veſtras & corpora, ieiuniis, orationibus & ſimilibus rebus.

V. 11. QUI DETRAHIT FRATRI ET IUDICAT FRATREM, DETRAHIT LEGI ET IUDICAT LEGEM: quaſi ipſa non recte fecerit vetando ne trahamus, aut quempiam iudicemus, id eſt condemnemus. Hic enim iudicare pro condemnare ponitur. SI AUTEM IUDICAS LEGEM; id eſt, ut Græca ſcholia explicant, condemnas & deſpicis, NON ES FACTOR LEGIS, SED IUDEX, qui iudicas & deſpicis quaſi inutilem. Tuum autem non eſt iudicare, neque abrogare legem, ſed eius qui eſt unus & ſolus legislator Chriſtus: quam autem legem iudicat, qui fratrem iudicat? eam quæ ait: *Nolite iudicare & non iudicabimini*.

V. 13. & ſequent. IBIMUS IN ILLAM CIVITATEM, &c. Omnia hæc futura indicati-

Digitized by Google

cativi Græcis ſunt ſubiunctivi : ſcilicet, eamus, faciamus, mercemur: ſed interpres omnia legiſſe videtur per ὀμικρὸν, ubi autem eſt FACIEMUS ANNUM, Græci habent ἐνιαυτὸν ἕνα, id eſt *annum unum*, hoc eſt, annum unum degemus. Pro eo autem quod habent interpretes, ECCE NUNC QUI DICITIS, Græce eſt ἄγε νῦν λέγοντες, id eſt, ad verbum, *age nunc dicentes*, HODIE AUT CRASTINO IBIMUS, &c. Quia autem legendo relativum *qui*, non eſt verbum quod ſententiam perficiat, mihi videtur participium pro verbo ſumi more Hebræorum, ut ſit ſenſus: agite, nunc qui dicitis hodie aut craſtino ibimus, ut vulgo Galli dicunt, *or ſus, vous dictes*, Agite ergo, nunc dicitis & vobiſcum ita proponitis, hodie aut craſtino ibimus, &c. QUI TAMEN IGNORATIS QUID ERIT IN CRASTINO? QUAE EST ENIM VITA VESTRA? Vapor eſt ad modicum parens, id eſt, apparens. PRO EO UT DICATIS, id eſt pro quo dicere debueratis: SI DOMINUS VOLUERIT: nam hic locus (qui tamen ignoratis) uſque τὸ EXTERMINABITUR, per parentheſim legendus eſt. Id vult ergo Iacobus, quaſi futurorum ſecuri vobiſcum proponitis & dicitis, illuc ibimus, mercabimur, lucrabimur; quum adiicere deberetis, ſi Dominus voluerit; quæ eſt enim & quam longa vita noſtra ut polliceri vobis illud audeatis? quid, inquam, niſi vapor & bulla, quæ ſtatim ubi apparuerit, exterminabitur, id eſt evaneſcet & diſparebit? Nam Græce eſt ἀφανιζομένη, id eſt, diſparens & evaneſcens.

S A.

Verſ. I. LITES, id eſt pugnæ. MILITANT, ſcilicet contra ſpiritum. Vide I. Petr. II.

V. 2. NON HABETIS, ſcilicet quod optatis. OCCIDITIS, ſcilicet alii alios. ZELATIS, id eſt invidetis. LITIGATIS, id eſt contenditis. PROPTER; pro, propterea. POSTULATIS, ſcilicet a Deo, ut par eſt.

V. 4. ADULTERI, ſcilicet violata fide coniugii ſpiritualis, per peccatum.

V. 5. INANITER, id eſt ſine cauſa. SCRIPTURA. Quam Scripturam dicat, ignoro, niſi forte referendum id ſit ad id quod inf. dicitur, ſcilicet *Deus ſuperbis*, &c. AD; pro, per. SPIRITUS, ſcilicet humanus. Quidam tamen ad Dei Spiritum referunt, quem dicunt *ad invidiam*, id eſt per zelotypiam, optare in nobis bonum, idque ſignificare Scripturam, cum Deum dicit zelotem, &c.

V. 6. DAT, ſcilicet Deus ad reſiſtendum tentationibus; quaſi dicat, Maior eſt vis gratiæ quam tentationum. DICIT, ſcilicet Prov. III. ſecundum LXX. ubi nos legimus, *Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam*.

V. 8. MANUS, id eſt opera. DUPLICES, ſcilicet nunc bona, nunc mala amantes.

V. 9. MISERI, id eſt deiecti, ſeu humiles; vel quaſi dicat, Affligite vos.

V. 11. ALTERUTRUM, id eſt alius alii. LEGI, ſcilicet id prohibenti; quaſi dicat, Perinde agit ac ſi legi detraheret, quaſi non recte prohibenti. IUDICAT, id eſt condemnat, ſcilicet facto legi contrario.

V. 12. LIBERARE, id eſt ſalvare.

V. 13. FACIEMUS IBI, id eſt manebimus ibi.

V. 15. VAPOR; pro, velut vapor. PARENS, id eſt apparens, ſeu durans. EXTERMINABITUR, id eſt delebitur, ſeu deficiet; quaſi dicat, Qui paulo poſt evaneſcit.

V. 17. BONUM, ſcilicet debitum ex præcepto.

M A R I A N AE

Verſ. I. UNDE BELLA ET LITES? Egerat de pace, nunc belli interni explicat cauſam. NONNE HINC? EX CONCUPISCENTIIS VESTRIS. Græce, ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν, id eſt *ex voluptatibus*, ſeu *delitiis veſtris*, nempe ex earum appetitu, ea eſt concupiſcentia. Bella autem ex concupiſcentiis concitantur, quia ſæpe appetunt contraria.

V. 2. OCCIDITIS, ET ZELATIS. Quorſum *occiditis* hic? pro φονεύετε, Græc. legendum φθονεῖτε, *invidetis*, & *zelatis*, Gagneius ait. Noſtri tamen codices, etiam Syr. *occiditis* habent, quod intelligo de appetitu, cupitis alios mori, ut eorum loca teneatis. PROPTER QUOD NON POSTULATIS, ſcilicet bene, ideo quæ cupitis non habetis, quod verba proxima magis explicant, *petitis & non accipitis*.

V. 3. UT IN CONCUPISCENTIIS VESTRIS INSUMATIS, ſcilicet ſubſtantiam veſtram.

Syr.

Syr. *ut alatis* (ſeu *conſummetis*) *veſtras concupiſcentias*. Goth. *ut in concupiſcentiis veſtris conſummamini*. Vocem δαπανήσητε. paſſive ſumpſit, quaſi ex media coniugatione.

V. 4. ADULTERI. Græc. additur, *& adulteræ:* verum Syr. non eſt. Sic iuguletur obelo ea dictio. INIMICA EST DEI? Goth. *Deo:* ſed non refert. Ergo amicitia mundi, id eſt rerum caducarum & moliorum Deo eſt inimica. Forte *adulteros* vocat, qui relicto Deo vana & noxia ſequuntur.

V. 5. AN PUTATIS. Græc. Syr. Goth. *aut putatis*. Sed perinde eſt. QUIA INANITER SCRIPTURA DICAT. Ubi? verba nuſquam invenias, ſententiam vix. Quid dicit? AD INVIDIAM CONCUPISCIT SPIRITUS, ſcilicet ſanctus. Zelotes eſt, conſortis impatiens, non fert ut alia amemus, quaſi adulteri. QUI HABITAT. Græc. *habitavit*, ſcilicet ante, non nunc, quia adulteri.

V. 6. MAIOREM AUTEM DAT GRATIAM. Ecce de Spiritu ſancto loquitur. Quibus dat maiorem gratiam? iis qui convertuntur, humilibus. DEUS SUPERBIS RESISTIT. Unde hoc citatur? I. Pet. v. 5. totidem verba ſunt, an inde ſumpſit Iacobus?

V. 8. EMUNDATE MANUS, id eſt externa & interna opera caſtigate. DUPLICES ANIMO: ſupple, qui eſtis iniqui, ſeu inſtabiles, non ſatis in bono conſtantes.

V. 9. MISERI ESTOTE, id eſt affligite vos ieiunio, vigilia, aliis duris operibus.

V. 11. QUI DETRAHIT FRATRI, AUT QUI IUDICAT, id eſt condemnat. DETRAHIT LEGI. Quaſi non bene fecerit vetando detractionem. ET IUDICAT LEGEM, id eſt condemnat. In eo quod facit, quod ſuum non eſt. Ad te enim ſpectat facere quod lex iubet. Iudex legis, eſt legiſlator.

V. 12. UNUS EST LEGISLATOR: nempe Chriſtus. Ad eum ſpectat de lege, & de te iudicium, & de aliis. Quid tibi arrogas alienas partes?

V. 13. IBIMUS IN ILLAM CIVITATEM. Aut *eamus*, *faciamus*, *mereemur*, ut eſt Græce. Verum codices Græci variant. Alii in ſubiunctivo per ω habent, alii in futuro indicativi per ο. Syr. in futuro legit, ut noſter. ET FACIEMUS IBI QUIDEM ANNUM. Græc. additur *unum*, id eſt morabimur anno uno.

V. 13. QUAE EST ENIM VITA VESTRA? VAPOR. Homo bulla. EXTERMINABITUR. Græc. *evaneſcet*, ſeu *diſparebit*, ἀφανιζομένη. Verum quorſum hæc? Nempe, ut per vitæ brevitatem & inconſtantiam avocet a malo & a iudicando fratres.

V. 16. NUNC AUTEM EXULTATIS, id eſt ſuperbitis, veſtræ mortalitatis obliti.

MENOCHII.

Verſ. 1. BELLA ET LITES, id eſt diſſenſiones, & diſcordiæ; nam tempore primitivæ Eccleſiæ cum hæc ſcribebat Apoſtolus, non fuerunt bella inter Chriſtianos. EX CONCUPISCENTIIS. Græce ἡδονῶν, id eſt voluptatibus, quas ſcilicet concupiſcitis, ex concupiſcentiis opum, honorum, & deliciarum. QUAE MILITANT IN MEMBRIS VESTRIS. Dicuntur concupiſcentiæ militare in membris noſtris, hoc eſt, in illis caſtra figere; illis tamquam ſtrenuis militibus adverſus ſpiritum decertare, in membris vigere, ac menti repugnare. Vide ad Roman. VII. 23.

V. 2. CONCUPISCITIS, ET NON HABETIS: vel quia eadem caduca bona, quæ ardenter appetitis, ab aliis intercipiuntur, vel quia ipſa difficillime parantur. OCCIDITIS; ſcilicet, alii alios. ZELATIS, id eſt invidetis. ET NON POTESTIS ADIPISCI: id quod concupiſcitis, & ob quod zelatis, & occiditis. LITIGATIS ET BELLIGERATIS: contentionibus, & diſcordiis inter vos certatis. ET NON HABETIS PROPTER QUOD NON POSTULATIS: non obtinetis quod optatis, propterea quod non poſtulatis. Reſpondet Italica locutio, *perchè nol dimandate*.

V. 3. PETITIS, ET NON ACCIPITIS, &c. Quod ſi forte petitis, ideo non accipitis, eo quod male petatis, ut iis abutamini contra Deum, & proximum, & ad explendas veſtras libidines.

V. 4. ADULTERI: qui adhærentes mundo, nuntium remittitis Chriſto vero animarum ſponſo.

V. 5. INANITER, id eſt ſine cauſa. SCRIPTURA. Hoc teſtimonium in ſacris litteris, quæ nunc habentur non extat. Videtur D. Iacobus non certa aliqua verba citare libri alicuius ſacri, ſed id ſumma-

matim voluiſſe docere, quod paſſim teſtantur ſacræ litteræ, ſcilicet, eo uſque flagrare Deum amore hominum, ut ſi idola gentium, aut ſæculi voluptates illi præferantur, flagrantiſſimo zelo exardeſcat. AD INVIDIAM CONCUPISCIT SPIRITUS; id eſt, Spiritus divinus quaſi zelotypia tactus, optat, & concupiſcit ut illi adhæreamus, rebus mundanis, & caducis poſthabitis. AD INVIDIAM: accipitur nomen invidiæ in bonam partem ſcilicet, pro zelo. QUI HABITAT IN VOBIS: ſic de Spiritu S. loquitur D. Paul. ad Rom. VIII. 11. *Propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis*. MAIOREM AUTEM DAT GRATIAM. Tantam vero iniuriam quam illi infertis non ulciſcitur, ut maioris gratiæ munere conetur corda veſtra ad ſe pellicere, & pertrahere. Vel ſenſus eſt, zelo commovetur, & quodammodo mundo invidet, quod cum ipſe amatoribus ſuis maiora, & nobiliora dona largiatur, pauciores tamen quam mundus habeat ſectatores.

V. 6. PROPTER QUOD DICIT, &c. Probat Spiritum Dei maiorem dare gratiam iis qui ipſum amant, reverentur, & invocant, ipſique totos ſe ſubdunt, ex eo quod dicit Scriptura cap. III. Proverb. verſ. 34 iuxta editionem LXX. *Deus ſuperbis*, &c RESISTIT: deprimit, *comprimit*, ut habet Syrus. DAT GRATIAM: illis favet, & uberi dono gratiæ ſuæ muneratur.

V. 7. SUBDITI ERGO ESTOTE DEO: ut maiora in dies chariſmata per humilitatem accipiatis. RESISTITE AUTEM DIABOLO, ET FUGIET A VOBIS; quaſi dicat: Fremet, ſat ſcio, diabolus, nullumque non movebit lapidem ut vos oppugnet, ſed tantum ne animis cadatis, aut ſuccumbatis; nam ſimulatque vos viderit obfirmatos ad reſiſtendum, haſtas abiiciet, & ſuperatus aufugiet.

V. 8. APPROPINQUATE DEO: non greſſibus corporis, ſed mentis, & cordis paſſibus, id eſt affectibus, illius opem implorando, animum a vitiis purgando, & Chriſtianæ perfectioni ſtudendo. EMUNDATE MANUS. Manuum munditia ſignificatur morum innocentia: ſic Iob XXII. 30. dicitur, *ſalvabitur innocens: ſalvabitur autem in munditia manuum ſuarum*. DUPLICES ANIMO: vide dicta cap. I. 8.

V. 9. MISERI ESTOTE, &c. Ad emundandas manus, & purificanda corda, unica via, eaque maxime compendiaria, & pœnitentia, quæ ex ante actæ vitæ recordatione gemitu, & lacrymis concipitur, qua concepta, riſus, & gaudium mundi repudiantur. MISERI ESTOTE, ταλαιπωρήσατε, *affligite vos*, corpori afflictiones ſponte ſuſcipite, vel a Deo immiſſas, libenter admittite ad cæleſte numen vobis propitiandum.

V. 10. HUMILIAMINI: humiliate vos. Vera animi humilitas perpetuo ſolet pœnitentiam comitari, ſic III. Regum XXI. 29. de Achab pœnitente dicit Dominus: *nonne vidiſti Achab humiliatum coram me?* IN CONSPECTU DOMINI: ita ut humiliatio non ficta ſit, & fucata, ſed vera, & ſincera, & cum magna reverentia divinæ maieſtatis. ET EXALTABIT VOS: nam humiliati debitum præmium, & ſubinde in Scriptura promiſſa eſt exaltatio. Matth. XXIII. 12. *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Vide Iob V. 11. & cap. XXII. 29. Proverb. XV. 333.

V. 11. QUI DETRAHIT FRATRI, AUT QUI IUDICAT FRATREM. Loquitur de iis qui detrahunt, aut iudicant fratrem bene agentem, & legi parentem; is enim eo ipſo contra legem loqui videtur, & illam, quaſi malam, damnare. SI AUTEM IUDICAS LEGEM: & eam damnas tamquam malam, longe ab illius obſervatione.

V. 12. UNUS EST LEGISLATOR, &c. Hoc eſt aliud argumentum contra detrahentes, ductum ab iniuria lata legiſlatori; quaſi dicat: Quid tibi hoc arrogas, ut proximum iudices? Solus eſt Deus, qui ita legem tulit, ut etiam nos iuxta illam iudicet. Illius eſt autem damnare nos, aut abſolvere, non autem hominum.

V. 13. ECCE. In Græco eſt, ἄγε, *age*: quæ vox tranſitionis eſt nota, novumque ſe ſermonem, & materiam inchoat; quaſi dicat, Agite, videte, veſtram prudentiam, quam ſit exigua. FACIEMUS IBI: ibi manebimus.

V. 14. QUI IGNORATIS, id eſt cum tamen ignoretis.

V. 15. VAPOR EST, id eſt quaſi vapor, quaſi afflatus quidam exilis, halituſque tenuiſſimus, qui facillime diſſipatur, & evaneſcit. PARENS: apparens. DEINCEPS EXTERMINABITUR: paulo poſt evaneſcet. PRO EO UT DICATIS; hoc eſt, pro eo quod dicere deberetis.

Digitized by Google

V. 16. NUNC AUTEM EXULTATIS IN SUPERBIIS VESTRIS. In Græco eſt ἐν ἀλαζονείαις, in arrogantiis, & iactantiis veſtris, quibus iactatis vos hoc, aut illud facturos, talia aut tanta lucra capturos, aut reportaturos. Vel, *in ſuperbiis*, idem eſt ac, *in divitiis;* proprium enim eſt divitiarum facere ſuperbos. EXULTATIO: καύχησις, *gloriatio*. MALIGNA EST, id eſt ſuggeſta a maligno ſpiritu. Græce πονηρά, mala, improba eſt.

V. 17. SCIENTI IGITUR BONUM, &c. quaſi dicat: Exiſtimo vobis hæc quæ monui eſſe bene nota; itaque illa opere præſtate, ſecus magnæ culpæ rei eritis: quippe quos ignorantia, quæ peccatum tollit, aut minuit non excuſabit.

T I R I N I.

Verſ. 1. UNDE BELLA, ſeu pugnæ inter vos? NONNE EX CONCUPISCENTIIS, Græce, *ex voluptatibus* VESTRIS? Nempe obiectum concupiſcentiarum ſunt voluptates, opes, honores: pro quibus obtinendis, mutuoque ſubtrahendis oritur contentio, lis & pugna. Porro bellum iuſtum, debito modo ſuſceptum, etiam Chriſtianis licitum eſſe & ſanctum, contra Eraſmum & Anabaptiſtas, conſtat ex Scripturis & geſtis Sanctorum, ut alibi *a* docui, & fuſe probat S. Auguſtinus *b*. Sed in eo ſuſcipiendo gerendoque cavendum ne ſe interferant appetitus vanæ gloriæ, vel rei alienæ, vel inutilis vindictæ, & ſimiles concupiſcentiæ, QUAE MILITANT non in animis tantum, ſed & IN MEMBRIS VESTRIS, in quibus paſſiones illæ ſedem ſuam habent: v. g. ira in felle, libido in renibus, amor in iecore, dolor in liene, &c. Unde & *concupiſcentia* a S. Paulo ſubinde *lex membrorum c*, ſubinde *caro d* vocatur, quia carni & membris dominatur, ſaltem quoad motus *primo primos*, ſeu indeliberatos: nam quoad motus & actus liberos tam concupiſcentia, quam membra ſubſunt imperio voluntatis ſeu liberi arbitrii.

V. 2. CONCUPISCITIS quidem, ut iam dixi: ET tamen NON HABETIS; id eſt, non obtinetis hac via quæ concupiſcitis; PROPTER QUOD; Græce, *quia*, NON POSTULATIS illa a Deo, rerum omnium auctore & datore abſque cuius nutu nemo poteſt quidquam obtinere. Vel ſi

V. 3. PETITIS illa a Deo, MALE *petitis*, nempe UT illis abutamini contra Deum, ad *concupiſcentias*; Græce, *voluptates*, *veſtras* explendas.

V. 4. ADULTERI, in Græco additur, *& adulteræ*, quia ſcilicet, reiecto Deo ſponſo animæ veſtræ mundo quaſi adultero adglutinamini, tam ſtupidi eſtis, ut *non ſciatis*, vel ſaltem non expendatis, quod AMICITIA HUIUS MUNDI, ſeu cum mundo & rebus mundanis inita, INIMICA EST DEI? Adde, & inimica tibi? nempe *arridet mundus*, ut bene notavit S. Cyprianus, *e* ſed *ut ſæviat: blanditur*, ſed *ut fallat: illicit*, *ut occidat: extollit*, *ut deprimat*.

V. 5. AN PUTATIS QUIA INANITER, ſeu fruſtra, SCRIPTURA, multis locis *f Spiritum* ſanctum, QUI IN VOBIS iam inde a ſuſcepto baptiſmo HABITAT, *concupiſcere* AD INVIDIAM, id eſt zelotypum eſſe animæ veſtræ, quaſi ſponſæ ſibi chariſſimæ. Qui enim zelotypus eſt, ita rem amatam concupiſcit, ut eamdem rivali cuilibet invideat, velitque ea ſolus potiri: ita Caietanus, Gagneius, Catharinus, Salmeron, Mariana, Lorinus, a Lapide. Et vel inde poteſt vobis conſtare, quanto zelo, immo zelotypia vos proſequatur, quod ut vos ab amplexibus mundi divellat,

V. 6. MAIOREM & longe ampliorem GRATIAM, dona & beneficia vobis conferat, quam mundus conferre poſſit. Invidet enim mundo, quod pauca & vilia donans, multum ametur. Unde ut hunc æmulum ſuum eliminet, optima ipſe nobis & ſelectiſſima dona liberaliſſime impertit; ſi tamen *humiles g* fuerimus, & humiliter eius imperio & nutui nos ſubdiderimus, & ab eo nos in omnibus duci & regi permiſerimus.

V. 7. SUBDITI ERGO ESTOTE DEO, in omnibus, ut ampliorem ab eo gratiam accipiatis; Græce eſt, *ſubordinamini*; Syriace, *ſervi eſtote Deo*. DIABOLO AUTEM, qui ſuæ vos tyrannidi *h* ſubdere conatur per veſtraſmet concupiſcentias, viriliter RESISTITE, negando conſenſum, & FUGIET A VOBIS victus, ſpretus, confuſus. Nam ut notat S. Ambr. *i veræ virtuti cedere ſolet, etſi invidere non deſinat: tamen inſtare formidat, quia refugit frequentius triumphari*.

V. 8. APPROPINQUATE DEO per integram ſubiectionem, per ferventem orationem, per ardentem amorem ipſius & pro-

xi-

ximi: ET ipſe maiori continuo amore & gratiarum elargitione APPROPINQUABIT VOBIS *k*. Ut autem appropinquare poſſitis, EMUNDATE MANUS *l* ab omni rapina, pugna, libidine, gula, & omni alio externo peccato: CORDA quoque PURIFICATE ab omni prava cogitatione, delectatione, conſenſu, machinatione. Per *corda* enim deſignat internas animi affectiones, ſicut per *manus* externas actiones. Neque ſitis DUPLICES ANIMO; Graece δίψυχοι, *bianimes*, de quo ſupra *m*; quaſi dicat: Ne alium animum in viſceribus geratis, quam in manibus, ſeu in opere externo.

V. 9. MISERI ESTOTE. Græce, ſenſu miſeriæ veſtræ tangimini per claram agnitionem, per ſeriam compunctionem, per humilem tolerantiam, per ſedulam expiationem. Thomas Angelicus octo genera recenſet miſeriarum huius vitæ perpetuis lacrymis deploranda. Primum, culpæ originalis. Secundum, peccatorum actualium. Tertium, innatæ concupiſcentiæ & fragilitatis. Quartum, mundanarum ærumnarum. Quintum, humanæ perſecutionis. Sextum, diabolicæ tentationis. Septimum, inſtantis calamitatis æternæ. Octavum, privationis ſummi boni. Propter hæc & talia

V. 10. HUMILIAMINI; Syrus & Tigurini, *humiliate vos*, non ficta, non affectata, non coacta humiliatione, ſed ſeria & IN CONSPECTU DOMINI, ex toto corde, intime & profunde; ET ipſe EXALTABIT VOS *n* in cælo per gloriam, in mundo per gratiam, ſubinde etiam per famam & ſplendorem æternum. Præ omnibus autem

V. 11. & 12. NOLITE DETRAHERE ALTERUTRUM, ſeu falſum crimen impingendo, ſeu verum nimis exaggerando, ſeu occultum prodendo, ſeu benefactum extenuando, ſeu virtutes & laudes reticendo cum debent pandi. Quod merito grave crimen cenſetur, quia proximo famam adimit, quæ melior eſt omnibus fortunæ bonis. Unde detractor odibilis & abominabilis dicitur Deo in Scripturis *o*. ET DETRAHIT LEGI, cum detrahit proximo ob opera virtutis lege præſcripta vel conſulta. Nam hæc in probrum vel irriſionem trahens damnat legem quæ illa, ſeu iubet, ſeu ſuadet. Atque ita iniurius eſt etiam ipſi unico *p* ac ſupremo *legislatori* & *iudici* arcanorum *Deo*: iniurius eſt, inquam, duplici via. Primo, quia legem eius ſaltem tacite redarguit. Secundo, quia iudicium de arcanis humani cordis, uni Deo proprium, ipſe ſibi arrogat & uſurpat *q*.

V. 13. TU QUIS ES, quam imprudens, quam inconſideratus, quam temerarius, QUI *fratrem* in re occultiſſima incertiſſimaque IUDICAS, & damnas, cum *ecce* tu ipſe in re clariſſima notiſſimaque tam fœde hallucinaris, promittens tibi longam & felicem vitam, & quaſi a nutu tuo dependentem, cum omnia pendeant a nutu ſolius Dei, qui filum fortunæ & felicitatis, quod tibi longiſſimum tetendiſti, ſubito & inexſpectato ſuccidet, forte craſtina die *r*

V. 15. VITA noſtra VAPOR EST qui ſtatim diſpergitur & evaneſcit. Alibi comparatur *momento ſ*, *guttæ t*, roris, *fumo u*, *flori* vel *fœno x*, *pulveri*, *palmo y*, telæ *araneæ z*, *vento aa*, *aquæ bb* effuſæ, *nuntio* percurrenti, *avi*, *navi*, *ſagittæ cc*, *imagini*, *vanitati dd*, *umbræ ee*, *nihilo ff*.

V. 16. EXULTATIS IN SUPERBIIS; Græce, *gloriamini in iactantiis* VESTRIS, id eſt in divitiis quibus ſuperbitis & vos iactatis. OMNIS TALIS EXULTATIO, ſeu gloriatio, MALIGNA EST, & maligno ſpiritu ſuggeſta. Et ſcitis quidem hæc omnia, ſed

V. 17. SCIENTI BONUM FACERE, ET NON FACIENTI, PECCATUM EST ILLI. Infert S. Ephrem *gg*: ergo multo magis malum ſcienti & illud facienti peccatum erit.

(a) Iſaiæ II. 4.
(b) Auguſt. Enchirid. cap. lxxviii.
(c) Rom. vii. 23.
(d) Galat. v. 17
(e) Cypr. ep. ad Donatum.
(f) Exodi x. 5.
(g) Prov. III. 34. xxix. 2. & 5. Pſalm. xvii. 28. Iſai. II. 1. lxvi. 1. &c. (h) Iob xii. 25.
(i) Ambr. in cap. iv. Lucæ.
(k) Zach. 1. 3. Prov. III. 27. & I. Ioan. iv. 16.
(l) Pſalm. xxiii. 4. & I. Timoth. II. 8.
(m) Iac. 1. 8.
(n) Lucæ xiv. 11. & I. Petr. v. 6. Eccl. III. 21. Prov. xxix. 23. Iob xxii. 29.
(o) Prov. vi. 16. & 17. & Rom. 1. 30. &c.
(p) Prov. viii. 15. (q) Rom. xiv. 4. & 10.
(r) Lucæ xii. 17. & Seneca Lib. XVII. epiſt. 10.
(ſ) Iſaiæ lx. 15. (t) Sap. ix. 13.
(u) Sap. II. 2.
(x) Iſaiæ xl. 16. & Iob xiv. 1. & 15.
(y) Pſalm. xxxviii. 6. in Hebr.
(z) Pſalm. lxxxix. 10.
(aa) Iob vii. verſ. 7. (bb) I. Reg. xiv. 14.
(cc) Sap. viii. 9. &c.
(dd) Pſalm. xxxvii. 7.
(ee) Sap. II. 5.
(ff) Iſaiæ lx. 17.
(gg) Ephrem ſerm. de pœnit.

GORDONI.

Verſ. 1. UNDE BELLA. Totum hoc caput ut damnat cupiditates, ita ex adverſo commendat humilitatem, & animi modeſtiam. Hæc bella hoc loco ſunt contentiones: nam in illis Eccleſiæ initiis fideles nondum gerebant inter ſe bella: quia autem ex contentione res geritur, vix quicquam, inquit, ex ſententia ſuccedit.

V. 4. ADULTERI NESCITIS. Pergit in reprehenſione, & adulteros vocat tam viros, quam mulieres, qui ſervientes concupiſcentiis nuncium remittunt Deo. Utitur hac voce tantum ad correptionem, non autem ad infamandum; nempe non ex odio, ſed ex amore correptionis. Sic magiſter qui verbere uti poteſt ad caſtigandum, poteſt & verbo acerbiore interdum.

V. 5. &c. AN PUTATIS. Non videtur hic Apoſtolus certum aliquem Scripturæ locum citare, ſed id abſolute dicere, quod ex Scripturis variis colligi certum erat. Sententia autem collecta, quam profert, eſt, Deum eſſe amatorem hominum, & ſimul in hoc amore eſſe zelotem, & velle nos ita illi viciſſim adhærere, ut non adhæreamus mundo; quando amicitia huius mundi facit hominem Deo inimicum: atque ita ſpiritus Dei qui habitat in nobis, recte (& quaſi ad invidiam) nos compeſcit, & amat, ut nolit aliud æque amari cum ipſo: ſic ille hominibus affectum moderantibus dat uberem gratiam, & humilibus; ſuberbis autem & eum contemnentibus, nec ſyncere amantibus, reſiſtit. En ut Deus mundo quaſi invideat, nos impellenti ad varias ſuas illecebras, & quomodo ne mundus ſic nobis illudat, maiorem det gratiam.

V. 7. SUBDITI ERGO. Infert ex hoc iam iacto fundamento exhortationem, ubi inſignes ſunt ſententiæ & antitheſes. MISERI ESTOTE (verſ. 9.) Græce, affligite ad Deum vobis propitiandum.

V. 11. NOLITE DETRAHERE. Humilitatem commendavit: iam prohibet detractionem, grave crimen eſt, famam lædens, (quæ melior eſt opibus,) furto gravius, & quoddam homicidium, & ideo abominabilis Deo eſt detractor, Proverb. VI. verſu decimoſexto. Credi vix poteſt, quot in omni hominum ordine etiam religioſo pereant ex hoc ſolo peccato. De hac venenata vipera Bernardus Serm. de triplic. cuſt. QUI DETRAHIT FRATRI. Loquitur de eo, qui detrahit operanti recte ſecundum virtutem & legem: nam hoc ipſo detractor loquitur contra legem, inquit, & legislatorem: adverſatur enim obſervationi legis. UNUS EST (verſ. 12.) Porro male agit quicumque peccat in legem. Dei eſt legem iubere aut revocare, noſtrum eſt eam ſervare.

V. 13. ECCE NUNC QUIDEM. Monui initio ſpargi per hanc epiſtolam monita bene vivendi varia, ut tempus illud poſtulabat. Hic tranſit Apoſtolus ad reprehenſionem perverſæ fiduciæ, qua homines qui Deo niti deberent, & ab eius providentia pendere, ſibi fidunt, ſuæque providentiæ, ac ſi inde penderent quæ ipſi fieri deſiderant, nullius prudentiæ, ſed vanitas eſt promittere ſibi longævitatem. Lege Senecam Lib. XVII. Epiſt. cit. Vapor, inquit Apoſtolus, eſt vita hæc, vix apparens niſi ut gutta roris antelucani. Omnia, inquit Seneca, etiam felicibus dubia ſunt. Hæc vos monita, inquit Iacobus verſ. 17. ſcire credo: hæc facite, quando vos non excuſabit ignorantia.

CA-

C A P U T V.

Divitibus pauperum oppreſſoribus gravem comminatur ultionem, pauperes verò ad longanimitatem hortatur: iuramentum fugiendum, & infirmi a preſbyteris oleo ungendi, ac peccata invicem confitenda: quam efficax ſit iuſti oratio: errantes ad veritatem ſunt reducendi.

1. AGite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis. 2. Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt. 3. Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. * Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus. 4. Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini ſabaoth introivit. 5. Epulati eſtis ſuper terram, * & in luxuriis enutriſtis corda veſtra, in die occiſionis. 6. * Addixiſtis, & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis. 7. Patientes igitur eſtote fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. 8. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: * quoniam adventus Domini appropinquavit. 9. Nolite ingemiſcere fratres in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce iudex ante iannam aſſiſtit. 10. * Exemplum accipite, fratres, exitus mali, & laboris, & patientiæ, Prophetas: qui locuti ſunt in nomine Domini. 11. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericos Dominus eſt, & miſerator. 12. Ante omnia autem, fratres mei, (*a*) nolite iurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: ut non ſub iudicio decidatis. 13. * Triſtatur aliquis veſtrum? oret: AEquo animo eſt? pſallat. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: 15. Et oratio fidei ſalvabit infirmum, * & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua. 17. (*b*) Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. 18. Et rurſum oravit: & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum. 19. Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: 20. Scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, * ſalvabit animam eius a morte, & operiet multitudinem peccatorum.

(a) Matth. v. 34. (b) III. Reg. xvii. 1. Luc. iv. 25.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus*. Non temere omittendum eſſe illud *vobis iam*, docent noſtræ Notationes.

Verſ. 5. *Et in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis*: *τὸ in die occiſionis*, non eſt ſeparandum ab hoc verſu, & conſtituendum initium ſexti.

Verſ. 6. *Addtxiſtis, & occidiſtis iuſtum*. Cavendum eſt, ne recidatur in vetus vitium, quo ſcribebatur *adduxiſtis*, quod eſt, accedere feciſtis, pro eo quod iam Romanorum Patrum opera reſtitutum eſt, *addixiſtis*, quod eſt condemnaſtis, vocali quinta *u* commutata cum tertia *i*.

Verſ. 8. *Quoniam adventus Domini appropinquavit*. Servandum eſt præteritum *appropinquavit*, non mutandum in futurum *appropinquabit*.

Verſ. 10. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali laboris, & patientiæ*. Correctores addendum iudicarunt illud *exitus mali* quod eſt in quibuſdam libris, quamquam videri poſſit eiuſdem græcæ vocis verſionem eſſe, cuius eſt *laboris*, quod ſequitur.

Verſ. 13. *Triſtatur aliquis veſtrum?* Non addatur coniunctio *autem*.

Verſ. 15. *Et alleviabit eum Dominus*. Alii libri omiſſa e medio vocali tertia *i* ſcribunt *allevabit*, eodem ſenſu, eriget, levius reddet malum.

Verſ. 20. *Salvabit animam eius a morte*. Non commutes *eius* cum reciproco *ſuam*.

Sequitur: *Et operiet multitudinem peccatorum*. Retinendum eſt ſuturum *operiet*, non ſupponendum præſens *operit*.

Notationes.

Verſ. 3. T*Theſaurizaſtis* (*theſaurizatis* o.) *vobis iram in noviſſimis diebus*. Tria a Pariſienſibus Ge. I. Di. I. Do. & quatuor ab Hentenio ſignata exemplaria omittunt duas has medias voculas, *vobis iram*. Græcis codicibus, & B. Auguſtini ſpeculo conſormiter legunt: *Theſaurizatis in noviſſimis diebus*. Adſtipulatur Syrica editio, tametſi *vobis* addat, ab Interprete, quod ſuſpicor, ſententiæ gratia adiectum. Unom ex noſtris Latinis antigraphis, id quod Atrebatenſe collegium ſuppeditavit, tollit *vobis*: quod an Hentenius inter quatuor ſua numeraverit (uſus enim eodem eſt) neſcio. Cetera noſtra omnia, etiam Donatianicum illud quod hic apud nos eſt, cura enarratoribus Latinis habent: *Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus*; quibus Græcus Oecumenii textus ſuffragatur: ἐθησαυρίσατε ὑμῖν ὀργὴν ἐν ἐχάτοις ἡμέραις. Porro commentarius Oecumenii, & duo codices Græci (primus qui eſt Complutenſis, & decimus) cum Syricis illud ὡς πῦρ, quod Latinus Interpres primo caſu vertit (*ſicut ignis*;) ac præcedentibus iunxit (*Et manducabit carnes veſtras ſicut ignis*) ad ſequentia referunt, quarto caſu intellectum: *Tamquam ignem theſaurizaſtis in noviſſimos dies* (quamquam Syrici non legant ὡς *tamquam*) & ſubaudit Oecumenii commentarius *quas divitias*. Videri poſſint voculæ iſtæ *vobis iram* gloſſema fuiſſe ex II. ad Romanos capitis 5. verſu *Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis iuſti iudicii Dei* ſumptum, & textui tandem commixtum; ſed an Latino, an Græco Latini Interpretis non auſim ego ſtatuere. Ceterum Zegerus caſtigator e Latino textu ſuſtulit; ſubaudiri vero poſſe docet, aut per Ironiam locum intelligendum. Caietanus huic oppoſitum exiſtimat id quod ſubſequitur: *Ecce merces operariorum &c.*

V. 6. *Adduxiſtis & occidiſtis iuſtum, & non reſtitit vobis*. Plerique Latini & codices, & enarratores *τὸ in dis occiſionis* (*perditionis* o.) conſtituunt initium 6. verſus: *In die occiſionis adduxiſtis &c.* Quidam vero cum Græcis libris finem quinti: *Et in luxuriis enutriſtis corda veſtra in die occiſionis*, melius ut arbitror (quæ & Zegeri opinio eſt) ut intelligas, perſiſtere Apoſtolum in prædicendis miſeriis, quæ impie & feliciter agentes divites tandem maneant; quaſi dicat: Laute ac laſcive vos ipſos alitis, & ſolicite ſagioatis in diem mactationis. Cui convenit quod nonnulli codices (Lob. Pl. ang. P. So. tu. M.) habent *in diem*; & id quod Syrus vertit: *Enutriſtis corpora veſtra tamquam ad diem mactationis*: nam Græce additur ὡς *tamquam*, ſive *ut*: ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς, *tamquam in diem* (ἐν pro εἰς ut & ſuperiori 3. verſu) *mactationis*, qui vos nimirum expectat. Denique in hunc ſenſum Oecumenius locum tractavit ad expugnationem Iudæorum a Romanis referens; quamquam poſſit generaliter intelligi de mortis die, quo mactantur impii in epulum dæmonum; ſed & de extremi iu-

Digitized by Google

iudicii, quo celeberrimum atque inſtructiſſimum convivium, convivium pinguium & medullatorum paraturus eſt Deus, & victimam grandem nimis immolaturus omnibus avibus cæli, & beſtiis terræ coovocatis, dæmonibus inquam, de caroibus, adipe, & ſanguine fortium.

Sexti verſus initium non *adduxiſtis* eſt, ut plerique libri legunt, ſed *addixiſtis*, quod eſt in uno Hentenii manuſcripto, uno noſtro, (T.) tribus Pariſieoſium (Di. l. Ge. l. Do. ſed aliud rurſus eſt hoc Donatianicum quam id quod oos habeus) & primis Typographorum excuſionibus Moguntina, Nurenburgenſi, Colooienſi, Græco Syroque conformes ſunt, *condemnaſtis*, *reum egiſtis*. Proxime optime quique Latini codices cum Græcis omittunt *&*; ſed quod deinde ſequitur *&*, plerique omnes contra Græcos addunt. Quare Zegerus caſtigator emendavit: *Addixiſtis, occidiſtis iuſtum*, *& non reſtitit vobis* Porro poſtremum *reſtitit* uoum Pariſienſium, tria Hentenii, & tria (Di. o.) noſtra ſcripta exemplaria preſenti tempore *reſiſtit* ſcribunt, Græca lectione ſuſtragante, *ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον, οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν*, cui Latina Venetorum editio anoi 1497. & io coniunctionis prætermiſſione conſentit: *Occidiſtis iuſtum: non reſiſtit vobis*. Maouſcriptum G littera inſignitum habet: *Occidiſtis iuſtum* non *reſiſtentem vobis*. Similiter nono Pariſienſium Græco antigrapho ad id quod legit: *τὸν δίκαιον οὐκ ἀντιτασσόμενον ὑμῖν*. Senſus is eſt Græce receptæ lectionis, ſi *qui* ſubaudias quod non roro Hebræi. Addit Apoſtolus noo impune hanc eos tyraonidem laturos; ſed quaſi ipſis ſpretis, ſermone ad bonos quos opprimebant verſo; *Patientes igitur eſtote fratres uſque ad adventum Domini*.

V. 20. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam eius a morte, & operit multitudinem peccatorum. „ Notan-„ dum ſaoe, inquit Beda, quod quidam co-„ dices habent: *Salvabit animam ſuam a* „ *morte*; & ex ambiguo Græco, ita etiam „ recte interpretari poteſt. “ Plane ambigua ſunt Græca, ſive tollant *αὐτοῦ*, ut pleraque, ſive addant, ut cum Syris quædam, tria a Pariſienſibus notata δ, ι, ια, unum a Simone Colioæo excuſum: *σώσει ψυχὴν αὐτοῦ*. Ambigua ſunt autem & Syra. Ceterum ſicuti rectius intelligas eius, eum qui reduxerit errantem fratrem, ſervaturum quidem animam illius, ſuorum vero peccatorum multitudioem operturum iuxta illud: (I. Pet. IV. verſ. 8.) *Caritas operit multitudinem peccatorum*; ſic eam germanam eſſe arbitror noſtræ editionis lectionem. Nam ut prima eſt Bedæ, ex quo Gloſſa, atque ex Gloſſa Carenſis, Thomas, & Richelius varietatis meminerunt; ita ſola codicum omnium, quotquot nos poſt alios vidimus. Porro magna emphaſi oobilitatis animæ Græci fere libri id ſubaudiendum relinquunt.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. ÆRUGINAVIT, id eſt æruginem contraxit. Eſt autem ærugo proprie æris vitium, ſed ad alia etiam metalla transfertur, & ad vitium quoque ſegetum.

V. 4. QUAE FRAUDATA EST A VOBIS. Græce, *ἀπεστερημένος ἀφ' ὑμῶν*; id eſt, merces qua illos ipſi privaſtis & fraudaſtis, CLAMAT ſcilicet ad Dominum: ET CLAMOR EORUM IN AURES DOMINI SABAOTH, id eſt exercituum, intravit: Græci pro *clamor* habent *αἱ βοαὶ*, id eſt *clamores*.

V. 5. EPULATI ESTIS, Græce *ἐτρυφήσατε*, id eſt *deliciati eſtis*, genio indulſiſtis.

V. 6. ADDIXISTIS ET OCCIDISTIS IUSTUM. Pro *addixiſtis*, Græce eſt *κατεδικάσατε*, id eſt *condemnaſtis*: ideoque interpres vertit addixiſtis; eſt enim addicere, morte damnare: unde Cicero in Piſooem, huius ipſius domum evertiſti, cuius ſanguinem addixeras, id eſt quem morti addixeras: forte ſciolus ignorans quid ſignificaret *addixiſtis*, pro eo repoſuit *adduxiſtis*: nam in veteribus libris ſcriptum invenitur *addixiſtis*: iuſtus autem iſte de quo loquitur Iacobus, Chriſtus eſt, de quo Stephanus Actor. VI. *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt eos qui annunciabant de adventu iuſti: cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis*. Exprobrat autem illis Domini necem, quod cum iuſtum & ſuum Meſſiam occidiſſent, proque eo facinore lugere deberent, delitiis tamen & luxuriæ prorſus ſe manciparent: *occidiſtis* ergo *iuſtum* (ait) ET NON RESTITIT VOBIS, Græce, *ἀντιτάσσεται*, id eſt *reſiſtit* in præſenti

ſenti. Græci habent ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐσπαταλήσατε, ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς; id eſt, *deliciati eſtis, laſciviſtis, & enutriſtis corda veſtra ſuper terram*; id eſt, quamdiu in terra vixiſtis, ſicut in die occiſionis victimæ, id eſt quum ſolemnes victimæ immolantur, quo die genio omnes indulgent; quaſi diceret, Omnes dies curando & in deliciis alendo corpori dediſtis, quaſi perpetuo dies feſti & geniales eſſent. Si non legimus τὸ ut ſenſus eſt, *in die victimæ*, id eſt ſolemni die paſchæ, quo mactabantur victimæ, iuſtum Ieſum occidiſtis.

V. 7. PATIENTES ESTOTE. Hic patientia non pro virtute tolerantiæ, ſed pro longanimi expectatione promiſſionum Chriſti ſumitur, unde Græce eſt μακροθυμήσατε, id eſt *longanimes eſtote*. TEMPORANEUM ET SEROTINUM. Græce eſt, ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, id eſt pluviam matutinam ſive tempeſtivam & ſerotiam. Eſt autem ſenſus: Si agricola pro ſpe terreni fructus patientes expectat de cælo matutinam ſerotinamque pluviam, neque ante deficit; quanto maiori longanimitate pro ſpe æternorum bonorum, largitorem eorum Dominum Ieſum expectare debemus? cuius adventus non longe eſt, appropinquabit cito, ſive appropinquavit, Græci habent ἤγγικε.

V. 9. NOLITE INGEMISCERE IN ALTERUTRUM, UT NON IUDICEMINI; id eſt, ſi inter expectandum Domini adventum variis vos preſſuris & afflictionibus contingit affici, nolite ob id invicem ſuſpirare & ingemiſcere: & contriſtari triſtitia quæ eſt ſecundum hoc ſeculum, *ut non iudicemini*, id eſt a Domino propter impatientiam condemnemini: hoc enim non eſt conſtantis animi; ſed fortiter durate, ſcientes, quia ECCE IUDEX ANTE IANUAM ASSISTIT; id eſt, non longe eſt Dominus, ſed prope, qui & veſtram patientiam remuneraturus & adverſariorum veſtrorum iniquitatem eſt ulturus.

V. 10. EXEMPLUM ACCIPITE FRATRES LABORIS ET PATIENTIAE, ET EXITUS MALI. In Græcis codicibus qui nunc extant, nihil eſt quod reſpondeat τῷ exitus mali, neque τῷ patientiæ, ſed tantum eſt τῆς κακοπαθείας, καὶ τῆς μακροθυμίας, id eſt, laboris ſive afflictionis & longanimitatis. Exitum autem malum quem poſuit interpres, aſperam ſanctorum mortem accipere oportet, quam ſancti prophetæ aliique viri ſancti paſſi ſunt. Hortatur itaque eos ſanctorum prophetarum & Iob exemplo, ne deficiant in afflictionibus, conſiderantes quoniam beati & ſancti pro Deo & iuſtitia afflictati ſunt.

V. 11. SUFFERENTIAM IOB AUDISTIS, ET FIDEM DOMINI VIDISTIS. Hunc locum quidam exponunt: Vidiſtis ſufferentiam Iob & patientiam, quomodo videlicet ſit remunerata, quando duplicia recepit in vita ſua. *Et finem Domini vidiſtis*, id eſt exitum ac mortem Chriſti ignominioſam, quanta gloria compenſata ſit. Mihi videtur de Iob totus locus intelligendus, *audiſtis Iob patientiam, & interim vidiſtis finem Domini*, id eſt, qualis illi finis & exitus a Domino Deo fuerit, ob id quod ſequitur, quoniam miſericors, valde miſericors. Græce πολύσπλαγχνος eſt, & miſerator: ſicut enim afflictati Iob miſertus eſt, ſic & veſtri miſerebitur: vidiſtis ergo fidem Domini in Iob ſcilicet, id eſt, qualem afflictionum ſuarum exitum illi Dominus dederit aucto in omnibus bonis & dupliciter multiplicato: QUONIAM MISERICORS ET MISERATOR DOMINUS, qui ſervum Iob miſeratus, & vobis tandem afflictis benignus præmiator aderit.

V. 12. NOLITE IURARE NEQUE PER CAELUM, &c. Levem, privatam, frequentem, & indiſcretam iurandi conſuetudinem tollit his verbis; nam & iudicis auctoritate iurare quandoque licet, & ad perſuadendam iis qui aliter credituri non ſunt, veritatem. *Nolite ergo iurare*, &c. UT NON SUB IUDICIO DECIDATIS, interpres legit ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν, id eſt *ut non ſub iudicium incidatis*. Græca habent, ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν, quod quidam vertunt, *ut non in ſimulationem incidatis*: nam qui iuramento aſſueſcit, incidit in hypocriſim & ſimulationem quando qui mentitur iuramento ſuo cupit verax videri. Certe Græca ſcholia ὑπόκρισιν ſumunt ἀντὶ τῆς κρίσεως, id eſt pro iudicio & condemnatione, quomodo & noſter interpres vertit.

V. 13. AEQUO ANIMO EST? PSALLAT. Gr. εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω, id eſt læto ac gaudibundo animo eſt? pſallat: unde errore librariorum factum eſt ut legeretur, *Triſtatur quis inter vos? oret æquo animo & pſallat*, quum legendum ſit, *oret*: de-

inde

Digitized by Google

inde puncto facto, æquo, id eſt læto animo eſt? pſallat: ſed facilis eſt lapſus ab *eſt* ad *&*, qui librarii vitio inolevit: pro triſtatur autem Græce eſt κακοπαθεῖ, id eſt *affligitur*.

V. 14. INFIRMATUR QUIS IN VOBIS? Hinc, & ex loco Marci cap. VI. ubi dicitur de Apoſtolis, *Exeuntes, ungebant oleo multos ægros & ſanabantur*, trahitur ſacramentum unctionis, quo infirmos ungit eccleſia oleo ſenſibili & corporali, quod quidem eſt ſignum inviſibilis olei, quæ eſt unctio Spiritus.

V. 16. CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA. Ut hoc loco inquit venerabilis Beda, in hac ſententia debet eſſe illa diſcretio, ut quotidiana leviaque peccata invicem coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione ſalvari; porro gravioris lepræ immunditiam, iuxta legem ſacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter & quanto tempore iuſſerit purificari curemus. ORATE PRO INVICEM UT SALVEMINI. Græce ἰαθῆτε, id eſt *ſanemini*: MULTUM ENIM VALET DEPRECATIO IUSTI ASSIDUA, pro aſſidua Gr. eſt ἐνεργουμένη, id eſt efficax.

V. 17. SIMILIS NOBIS. Græca paulo amplius habent, ſcilicet ὁμοιοπαθὴς, id eſt ſimilibus affectionibus obnoxius.

S A.

Verſ. 1. NUNC; pro, dum; quaſi dicat, Igitur, ſeu itaque. In; pro, ob.

V. 2. PUTREFACTAE, &c. præterita pro futuris; vel quaſi dicat, Potius permiſiſtis veſtra perdi, quam daretis egenis.

V. 3. AERUGINAVIT, id eſt ærugine vitiatum eſt. TESTIMONIUM, ſcilicet veſtræ avaritiæ. VOBIS, id eſt contra vos. MANDUCABIT, id eſt faciet manducari, vel corrodet per conſcientiæ vermem. IRAM, id eſt ſupplicium.

V. 5. EPULATI, id eſt deliciati. LUXURIIS, id eſt laſciviis. DIE OCCISIONIS. Græc. *velut die occiſionis*, ſcilicet feſto quo mactatis victimis epulum fit.

V. 6. ADDIXISTIS, id eſt condemnaſtis.

V. 7. TEMPORANEUM. Græc. *pluviam matutinam*, ſeu *tempeſtivam*, ſcilicet tempore ſementis. SEROTINUM, ſcilicet imbrem tempore veris; vel quaſi dicat, Fructum præcocem, & ſerum.

V. 9. INGEMISCERE, ſcilicet conquerentes. IN ALTERUTRUM, id eſt invicem. IUDICEMINI, id eſt condemnemini.

V. 10. EXITUS MALI, id eſt adverſi ſucceſſus, ſeu afflictionum. IN NOMINE, id eſt ex parte, ſeu loco.

V. 11. BEATIFICAMUS, id eſt beatos dicimus. FINEM DOMINI, id eſt quid ei in fine Deus præſtiterit.

V. 12. EST, EST, &c. id eſt de eo quod eſt, dicite, eſſe; de eo quod non eſt, non eſſe. IUDICIO, id eſt condemnatione. Græc. *hypocriſi*, id eſt ſimulatione, ſcilicet dicentes falſum.

V. 13. TRISTATUR, id eſt affligitur. PSALLAT, ſcilicet Deo gratias agens.

V. 14. INDUCAT. Græc. *advocet*, IN NOMINE, id eſt cum invocatione.

V. 15. ALLEVIABIT, id eſt faciet ſurgere e lecto, ſeu liberabit morbo. SI IN PECCATIS SIT, id eſt peccavit.

V. 16. ALTERUTRUM; id eſt homines hominibus, ad id deputatis a Deo, ſcilicet ſacerdotibus. Ideo dixit *ergo*, ſcilicet ante extremam unctionem præmittenda confeſſio.

V. 17. PASSIBILIS, id eſt paſſionibus obnoxius.

V. 20. PECCATORUM. Syr. *peccatorum ſuorum*.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. AGITE NUNC DIVITES. Ex vitæ brevitate, divitiarum cupiditatem coercet; tum etiam ex earum inconſtantia. Brevi pereunt, multis corrumpuntur modis.

V. 3. AURUM ET ARGENTUM VESTRUM AERUGINAVIT. *AErugo* metallorum vitium, ſed ad ſegetes etiam transfertur. SICUT IGNIS. Quidam codices Græci hoc iungunt cum ſequentibus. *Sicut ignem theſaurizaſtis*: ſic Syr. & Oecumenius. VOBIS IRAM. Hoc Græc. non eſt, nec Syr. nec in Goth. ſed tantum: *Theſaurizatis in noviſſimis diebus*, id eſt in ſenectute, quod eſt turpius. Oecumenius autem ut noſter legit:

V. 4. CLAMAT. Vindictam petit fraudata

data merces. ET CLAMOR, &c. Græc. *clamores in aures Dei ſabaoth introierunt.*

V. 5. EPULATI ESTIS. Græc. *deliciati eſtis*, genio indulſiſtis. IN DIE OCCISIONIS; pro, in diem occiſionis. Syr. *Enutriſtis corpora veſtra, tamquam ad diem mactationis*, id eſt ut altilia ſaginantur ad eſum, ſic vos corda aut corpora veſtra ſaginatis. Quidam codices, auctore Beda, illud, *in die occiſionis*, iungunt cum verſu ſequenti.

V. 6. ADDIXISTIS, id eſt condemnaſtis: id *addicere* ſignificat. Ergo die, quo decreviſtis iuſtum occidere, illum morti addixiſtis. Hæc ſunt divitum vitia, cupiditas, deliciæ, ſævitia. Mox ad pios ſermonem vertit.

V. 7. PATIENTES IGITUR ESTOTE. Agricolæ exemplo vult fideles pati mala, & expectare laborum fructum. Qui agricola expectat, DONEC ACCIPIAT TEMPORANEUM, ET SEROTINUM, id eſt imbrem. Temporanea pluvia Octobri menſe, ſerotina Aprili: Deut. XI. 14. & multis aliis locis.

V. 9. NOLITE INGEMISCERE FRATRES IN ALTERUTRUM, id eſt unus adverſus alterum, ne conqueramini, & litigetis; quando adventus Domini prope eſt. UT NON IUDICEMINI, id eſt ob diſcordiam condemnemini.

V. 10. EXEMPLUM ACCIPITE, FRATRES. Græc. *fratres mei*. Sanctorum exempla magnum ad pietatem momentum. EXITUS MALI, id eſt finis, quem ſanctorum afflictio habuit. LABORIS, ET PATIENTIAE. Græc. *exemplum accipite, fratres mei, patientiæ & longanimitatis*. Goth. *exemplum accipite, fratres, laboris & patientiæ, exitus mali, & longanimitatis*, ſcilicet ſanctorum.

V. 11. ECCE BEATIFICAMUS EOS. Beatitudo fuit finis & meta malorum quæ ſunt paſſi. QUONIAM MISERICORS ſuos Deus liberat. Iobum ditavit poſt laborem, Chriſtum poſt mortem ſuſcitavit.

V. 12. NOLITE IURARE, leviter ſcilicet & temere: novum præceptum. UT NON SUB IUDICIO DECIDATIS. Græc. *ut non in hypocriſim*, id eſt *ſimulationem* & mendacium decidatis. Noſter pro ὑπόκρισιν, legit ὑπὸ κρίσιν, pro *hypocriſi, ſub iudicio*. Atque Syr. ſic legit: *Ne ſitis obnoxii iudicio*, id eſt condemnationi.

V. 13. TRISTATUR. Goth. *affligitur* aliquis in vobis, κακοπαθεῖ, *male habet*. PSALLAT. Muſica malorum levamen, ſic opifices & viatores canunt. De muſica, multa Libro noſtro de Spectaculis, cap. XI.

V. 14. UNGENTES EUM OLEO. Hinc & ex Marc. VI. ubi dicitur Apoſtolos oleo unxiſſe ægrotos, colligitur Sacramentum Unctionis. Plura Marc. VI. 13.

V. 16. MULTUM ENIM VALET DEPRECATIO IUSTI ASSIDUA. Græc. *efficax*.

V. 17. ELIAS HOMO ERAT SIMILIS NOBIS PASSIBILIS. Græc. *ſimilibus affectionibus obnoxius*. Oravit,

V. 18. ET TERRA DEDIT FRUCTUM SUUM. Fortaſſe *edidit*, ut Syr. habet, ἐβλάστησε, *germinavit*.

V. 20. SALVABIT ANIMAM EIUS. Beda quoſdam codices habere ait, *animam ſuam*, vox, αὐτοῦ, utramque interpretationem admittit. ET OPERIET MULTITUDINEM PECCATORUM, aut eius, quem quis a peccato & errore convertit; aut ſuorum, propter bonum opus.

MENOCHII.

Verſ. 1. ULULANTES: eiulantes. IN MISERIIS, ἐπὶ, *ſuper*, propter miſerias.

V. 2. DIVITIAE VESTRAE PUTREFACTAE SUNT, &c. Hoc accidit divitibus avaris, parcunt ſuis divitiis, veſtibus, tritico, vino, nec pauperibus largiri ſuſtinent, interim omnia corrumpuntur, & ipſi theſauro carent, quem ſibi in cælo recondere potuiſſent.

V. 3. AURUM ET ARGENTUM VESTRUM AERUGINAVIT, &c. Aurum, & argentum vere æruginem contrahit; id enim affirmat hic S. Iacobus, & Baruc VI. 3. & 23. & Salomon Proverb. XXV. 4. Non tamen facile, ſed poſt multum tempus vitiatur, & minuitur; quo ſenſu intelligendus Plin. Lib. XXXIII. qui hoc negat. Vel intelligendus de auro plane puro, quale communiter non eſt aurum. IN TESTIMONIUM VOBIS ERIT: argumentum, ſignum, & teſtimonium erit veſtræ avaritiæ, & crudelitatis in pauperes, quod malitis divitias veſtras corrumpi, quam eas pauperibus elargiri. MANDUCABIS CARNES VESTRAS, &c. quaſi dicat: Quia vos ex avaritia

Digitized by Google

ritia permiſiſtis æruginem divitias veſtras corrodere; hinc pariter ærugo carnes veſtras abſumet in inferno; id eſt, cauſa erit ut vos igne gehennæ perpetuo cruciemini, & quaſi devoremini. THESAURIZASTIS VOBIS IRAM: voluiſtis divitias colligere, & ingentem theſaurum parare; ſed ecce vobis damnationem ab irato numine conciliaſtis.

V. 4. CLAMAT. Metaphora clamoris ſignificatur gravitas, & enormitas ſceleris adeo magna, ut excuſari, aut occultari nequeat, quæ Dei oculos, & aures quodammodo verberat, & eum ad vindictam, & iram exſtimulat. CLAMOR EORUM: qui meſſuerunt, & mercede fraudati ſunt. DOMINI SABAOTH: Domini exercituum, cuius potentiam effugere non poteritis.

V. 5. EPULATI ESTIS: ἐτρυφήσατε, *deliciati eſtis*. LUXURIIS: luxuria hic ſignificat luxum epularum, veſtium, omniumque delitiarum. IN DIE OCCISIONIS. In Græco eſt, *Sicut in die occiſionis*, ſcilicet die feſto, quo mactatis victimis epulum fit.

V. 6. ADDIXISTIS; ſcilicet, morti, ut patet ex Græco κατεδικάσατε, *condemnaſtis* iuſtum. OCCIDISTIS IUSTUM. Plerique intelligunt Chriſtum; quaſi dicat: Chriſtum innocentem occidiſtis, & cum pro tam immani ſcelere lugere deberetis, contra ventri, delitiis, & abdomini indulgetis. Vel *occidiſtis* idem eſt quod, bonis evertiſtis, & ſpoliaſtis iuſtum, nam ut dicitur Eccleſ. 34. 25 *Panis egentium vita pauperum eſt, qui defraudat illum homo ſanguinis eſt: qui auſert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.*

V. 7. USQUE AD ADVENTUM DOMINI: uſque ad mortem, & iudicium. TEMPORANEUM, ET SEROTINUM. Græca addunt ὑετὸν, *pluviam*, *imbrem*. Imber temporaneus eſt qui menſe Octobri decidit iacta ſemente, & eam germinare facit. Serotinus, qui ſero, verbi gratia in Aprili depluit, ad maturandas ſegetes.

V. 8. ADVENTUS DOMINI APPROPINQUAVIT: poſt breve tempus huius ſæculi, nam licet extremum iudicium ab Apoſtoli hæc ſcribentis temporibus multum diſtaret, tamen *in conſpectu Domini mille anni ſicut dies heſterna que præteriit*: Pſal. LXXXIX. 4. Vide ſimilem locum ad Hebr. X. 36.

V. 9. NOLITE INGEMISCERE IN ALTERUTRUM; quaſi dicat: In iniuriis, & præſſuris nolite nimis dolere, & flere, impatientiam oſtendere, vobis mutuo iraſci, &c. ECCE IUDEX ANTE IANUAM ASSISTIT: proximus eſt, adeſt pro foribus.

V. 10. EXEMPLUM ACCIPITE, &c. Senſus eſt: Permoveant vos prophetæ ſancti exemplo ſuo ad laborum ſuſtinentiam, qui in hac vita multa perpeſſu aſpera tolerarunt, & plerique eorum *exitu malo*, id eſt acerbiſſima morte immortales ſibi coronas pepererunt. QUI LOCUTI SUNT IN NOMINE DOMINI: Prophetæ enim a Deo inſpirati promebant oracula, & mandata Dei, non ſua.

V. 11. ECCE: eſt nota admirationis, & adhortationis ad imitandum. BEATIFICAMUS: fortunatos, & felices eos exiſtimamus, & prædicamus. SUSTINUERUNT: adverſa. ET FINEM DOMINI VIDISTIS, id eſt ut vertit Syrus, *Finem quem præſtitit ei Dominus vidiſtis*, cum ſcilicet poſt calamitates, *benedixit Dominus noviſſimis Iob, magis quam principio eius;* ut legimus Iob XLII. 12.

V. 12. NOLITE IURARE, &c. Deſumpta eſt hæc ſententia totidem fere verbis ex Matth. V. 24. vide ibi dicta. UT NON SUB IUDICIO DECIDATIS: ut non incidatis in condemnationem iurando falſum.

V. 13. TRISTATUR: κακοπαθεῖ, mali aliquid patitur, ſive vexationes ſint corporis, ſive ægritudines animi. ORET: ut inde robur ad ſuſtinenda mala, & ſolatium aliquod reportet. Sic Chriſtus *factus in agonia prolixius orabat*, Lucæ XXII. 43. AEQUO ANIMO EST: hilari, pacato, tranquillo. PSALLAT: cantet Deo laudes, & gratias agat pro acceptis beneficiis, & proſperis rerum ſuarum ſucceſſibus.

V. 14. INDUCAT PRESBYTEROS ECCLESIAE, &c. agit de extrema unctione, cuius miniſter eſt ſacerdos. ORENT SUPER EUM; tum aliis precibus, tum præcipue abhibendo formam verborum deprecatoriam huius ſacramenti, *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, &c.*

V. 15. ORATIO FIDEI; id eſt, precatio hæc, & ſacramentum, quod nobis propo. nit fides noſtra, & per miniſtros ſuos

conſert Eccleſia. SALVABIT INFIRMUM, &c. reſtituet illi corporis ſanitatem. Hic tamen effectus non certo ſemper evenit huius ſacramenti virtute, ſed ea dumtaxat adhibita conditione, quam expreſſit Trident. Seſſ. xiv. cap. 11. *Sanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur*. ALLEVIABIT EUM DOMINUS: ut melius habeat in corporis infirmitate. ET SI IN PECCATIS FUERIT, &c. Per huc enim ſacramentum gratia infunditur, & fieri poteſt ut quis bona fide oblitus alicuius peccati mortalis cuius habet tantum attritionem, auxilio huius ſacramenti primam gratiam recipiat, per quam peccatum illud deleatur.

V. 16. CONFITEMINI ALTERUTRUM PECCATA VESTRA: non ſoli Deo, ut docent hæretici, ſed homines homini, alter alteri, oves paſtori, laici ſacerdoti, &c. ET ORATE PRO INVICEM, &c. tam in privatis precibus, quam in publicis. UT SALVEMINI: ut animi, corporiſque ſalutem conſequamini. DEPRECATIO: δέησις, quæ proprie eſt precatio quæ adhibetur ad malum evadendum. ASSIDUA. In Græco eſt ἐνεργουμένη, quæ vox actuoſam, & efficacem ſignificat.

V. 17. ELIAS, &c. Exemplo Eliæ oſtendit quanta ſit vis orationis: nota eſt hiſtoria ex Lib. III. Reg. xvII. 1. PASSIBILIS: ὁμοιοπαθὴς, ſimiliter obnoxius affectionibus, & ærumnis, quod addit ne diffidamus nos etiam a Deo impetraturos ea quæ cum fiducia poſtulaverimus.

V. 20. AB ERRORE VIAE SUAE: vitæ, morum, actionumque ſuarum pravarum. SALVABIT ANIMAM EIUS A MORTE: eius, qui prius aberraverat a recta via. In Græco nihil eſt quod reſpondeat voci illi *eius*, olim tamen fuit αὐτοῦ, *eius*, vel αὑτοῦ, per ſpiritum aſperum, *ſuam*, ut ſignificetur, eum qui alienam animam ſalvat, etiam ſuam ſalvare; ſi enim iuſtus eſt de condigno meretur opere tam pio gloriam cæleſtem; ſi vero eſt in peccato, de congruo merebitur gratiam, & iuſtitiam, qua ſalvetur. OPERIET MULTITUDINEM PECCATORUM, id eſt pro ſua virili reſtinguet peccatorum incendium; quod omnia populatur.

T I R I N I.

Verſ. 1. AGITE DIVITES divitiis corde affixi, PLORATE ULULANTES more luporum & canum rabida fame cruciatorum. Quales enim pauperibus vos exhibuiſtis, tales viciſſim vobis erunt Veſpaſianus & Titus, immo ipſe Deus, ſeu in hoc, ſeu in futuro ſæculo.

V. 3. ÆRUGO quam aurum veſtrum in arca nimis diu concluſum contraxit, *erit* in divino tribunali VOBIS IN TESTIMONIUM, ſeu contra vos, in teſtem crudelitatis & avaritiæ veſtræ, qua maluiſtis ipſum corrumpi & perire potius, quam in pauperes erogari. ET MANDUCABIT CARNES VESTRAS in gehenna *a*. *Manducabit*, inquam, non phyſice, ſed moraliter, ſeu commeritorie. Crudelis enim hæc ærugo cauſa erit *b* commeritoria cur ignis gehennæ manducet, id eſt urat & cruciet tum carnes, tum animas veſtras. Iuſta enim & congrua pœna IGNIS avaritiæ eſt *ignis* gehennæ. Igitur non opum, delitiarum, vel gaudiorum theſauros, ut opinabimini, ſepoſuiſtis, ſed theſauros *iræ* ac vindictæ divinæ, maxime IN NOVISSIMIS *c* DIEBUS, id eſt, in die iudicii totaque æternitate.

V. 4. MERCES OPERARIORUM DEFRAUDATA CLAMAT *d* in cælum poſcens vindictam a Deo tam atrocis iniuriæ. Cum enim laborando exhauriant vitalem ſuccum & ſanguinem, nec aliunde habeant quo illa reſtaurent, ſi divina merces illis negetur, pereant oportet. CLAMOR ergo hic per catachreſin eſt ipſa criminis atrocitas, quæ vel excuſari, vel occultari nequeat, ſed Dei aures & oculos continuo verberet, eiuſque iram ac vindictam provocet, ut punire cogatur, nec poſſit differre pœnam, inquit Salvianus *e*. De tribus aliis ſceleribus *in cælum clamantibus*, alibi egimus *f*. ET CLAMOR EORUM INTROIVIT IN AURES DOMINI SABAOTH, id eſt, exercituum, puta angelorum, fulminum, grandinum, leonum, luporum, muſcarum, febrium, peſtilentiarum, ceterarumque creaturarum, quæ militant omnes Deo, & ad eius nutum inſiliunt in eius hoſtes, ut eos plectant, crucient, exſcindant.

V. 5. EPULATI ESTIS cibis lautis, delicatis, exquiſitis: *ſicut* (hoc addunt Græca)

Digitized by Google

ca) IN DIE OCCISIONIS, ſeu ſolemnis ſacrificii, quo multæ mactantur pecudes & altilia. In veſtras igitur crapulas profuſi eſtis, qui in pauperes extreme avaros vos exhibetis *g*. Immo inſigni crudelitate & iniuſtitia nil tale merentes.

V. 6 ADDIXISTIS ſuppliciis & morti, Græce & Syriace *condemnaſtis*, corrumpendo pecuniis teſtes, advocatos & iudices: nempe ut occiſorum bona vobis raperetis. In his divitum inſolentiis, vos o fratres,

V. 7. PATIENTES ESTOTE; Græce, *longanimes*, USQUE AD ADVENTUM DOMINI, id eſt per totam vitam, uſque dum veniat ſupremus iudex ad iudicium, ſeu particulare, ſeu extremum, quod poſt brevem hanc vitam, & hoc breve ſæculum omnibus imminet. Ibi enim cauſa vobis adiudicabitur, & tyrannorum plectetur ſævitia, & veſtra coronabitur patientia. De *temporaneo* & *ſerotino* imbre alibi *h* diximus. Porro calumniis, & iniuriis preſſi,

V. 9. NOLITE ex mœrore vel impatientia INGEMISCERE, flere, dolere, queri, iraſci, murmurare IN ALTERUTRUM, ſeu in vos mutuo, ut fere ſolent pauperes: vel in ipſos divites, maledicendo illis aut detrahendo, UT NON IUDICEMINI, & propter impatientiam damnemini & puniamini a Deo, qui IUDEX ANTE IANUAM ASSISTIT, id eſt imminet & brevi aderit, puta in iudicio cuiuſque particulari.

V. 10. *Exitum malum* vocat aſperam *Prophetarum*, id eſt Sanctorum mortem. Græce eſt κακοπαθεία, id eſt *malorum*, ſeu dolorum, *perpeſſio*, qualis eſt in martyrio & omni violenta morte.

V. 12. NOLITE IURARE, ſupple, leviter & temere. Citat Iacobus ipſa verba Chriſti Matth. v. 34. ubi illa expoſui.

V. 13. TRISTATUR; Græce, κακοπαθεῖ, id eſt mala patitur, vexatur, affligitur, ALIQUIS VESTRUM; ne captet ſolatiola a vanis amicis, a fabulis, ab epulis, ſed ab *oratione* & colloquio cum Deo. Si autem AEQUO ANIMO EST, & lætus, atque alacer, PSALLAT, atque ita Seraphinos imitetur, qui perpetuo Dei laudes concinunt, Iſaiæ vi. 3. inquit Cyrillus *i*: atque inſuper læta pſalmodia fideles alios præſentes excitet ad ſimilem lætitiam, amorem & laudem Dei. Et hæc eſt cauſa cur in templa & in conventus ſacros inducta ſit pſalmodia, teſte S. Athanaſio, Chryſoſt. *k* & aliis Patribus.

V. 14. INFIRMATUR QUIS graviter inter vos, INDUCAT; Græce, *advocet*, per ſe vel per alios, unum vel plures PRESBYTEROS non curiæ vel communitatis laicæ, ſed *Eccleſiæ*, id eſt Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos: ET ORENT hi SUPER EUM, oratione tum communi, tum ſacramentali (forma enim Sacramenti Extremæ unctionis eſt deprecatoria, *indulgeat tibi Deus*, &c.) UNGENTES EUM OLEO proprie dicto olivarum per Epiſcopum conſecrato, & *nomen* DOMINI ſuper ipſum invocantes.

V. 15. ET ORATIO FIDEI, ſeu oratio fidelis, id eſt certa & indubitata, (qualis eſt forma huius Sacramenti, operans certo & infallibiliter ex opere operato) SALVABIT INFIRMUM, id eſt conferet infirmo gratiam, qua *alleviabitur*, tum corporaliter, tum ſpiritualiter, accipiendo novum robur, alacritatem, lætitiam & vigorem, (unde etiam B. Deiparam inunctam fuiſſe docent Albertus, Silveſter, Caniſius & alii, quos citat & ſequitur Suarez *l*.) ET SI IN PECCATIS SIT, qualibuſcumque demum, REMITTENTUR EI rite diſpoſito ſaltem per præviam attritionem: remittentur & pœnæ peccatis ante remiſſis debitæ. *Extrema* enim *unctio* ad hoc peculiariter eſt a Chriſto inſtituta, & hic per Iacobum promulgata, ut ſub finem vitæ removeat omnia impedimenta, quæ animam mox e corpore migraturam, ab ingreſſu cæli remorari poſſint: unde nulli eſt negligenda aut prætermittenda cum haberi poteſt. Ita hunc locum de Sacramento hoc exponi debere, docet expreſſe, immo ſub anathemate definit Conc. Tridentinum, & ante etiam Florentinum & alia Concilia, & unanimiter SS. Patres, quos Bellarminus *m*, Valentia, Suarez *n*, Koninck & alii Doctores magno numero producunt. Splendidum autem Calvini mendacium eſt, quo fingit, non Chriſtum, ſed Innocentium primum inſtituiſſe hoc Sacramentum, & ita aſſerere Sigebertum in Chronico. Nam neque Sigebertus, vel quis alius probatus hiſtoricus tale quid habet: & Apoſtolus Iacobus, 400. annis antiquior Innocentio, illud iam pridem a Chriſto inſtitutum, hic promulgat, ut videmus. Simili modo Sacramentum Confeſſionis olim a Chriſto inſtitu-

ſtitu-

ſtitutum verſ. ſeq. per Iacobum promulgari docent S. Bonaventura, Alenſis *o* & alii Doctores; quod perperam negat Caietanus nimis credulus Eraſmo. Cum enim ſpeciale moribundis remedium explicuiſſet Apoſtolus, nempe *Extremæ unctionis* Sacramentum, mox generale addit, quo tam ſani, quam ægri poſſint a peccatis expediri, nempe Sacramentum *Confeſſionis*.

V. 16. CONFITEMINI ERGO, (Syrus, *autem*,) non ſoli Deo, ut quidam ſuadent, ſed & ALTERUTRUM PECCATA VESTRA, nempe homines homioibus veſtri ſimilibus, puta illis, quibus tamquam propriis miniſtris cura & poteſtas abſolvendi demandata eſt, a Chriſto, nempe *ſacerdotibus*, iuxta illud I. Petri IV. *Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes*. Sic vulgo dicimus, Docete invicem, curate invicem, ſuſtentate invicem, ſacrificate pro invicem, nimirum doctores docete rudiores, medici curate ægros, divites ſuſtentate pauperes, ſacerdotes ſacrificate pro laicis. Similia enim verba exponi debent appoſite ad ſubiectam materiam, gratiam & officium cuiuſque. Ita exponit locum hunc Concil. Senonenſe *p*, Beda, Bernardus, Hugo Victorinus, Alcuinus & alii apud Henr. Caniſium, Turrianum *q* & Serarium. Denique aliud generaliſſimum, & omnibus ubique obvium remedium proponit, licet non ex opere operato, ut duo præcedentia, tamen ex opere operantis & ſingulari Dei inſtitutione efficaciſſimum, nempe, ORATE PRO INVICEM, ſive laici, ſive presbyteri, ſive proprio, ſive publico Eccleſiæ nomine, idque UT SALVEMINI tum anima, tum corpore. *Sanctorum* enim *deprecatio*, inquit Theodoretus *r*, *eſt commune omnium morborum remedium*. Et Ruffinus *ſ*, *Quis dubitet, mundum precibus ſtare Sanctorum*? Ut vero ſtimulum vobis addam orandi & ſatagendi pro mutua ſalute, *ſcitote*

V. 19. SI QUIS *errantem* A VERITATE, ſeu ſpeculativa fidei, ſeu practica morum, *converti fecerit*, ſeu orando, ſeu docendo, ſeu exemplo vel benefactis trahendo, SALVABIT ANIMAM EIUS A MORTE præſenti, ſpirituali, futura, æterna. Eripit enim illam a peccato & gehenna, redditque ei gratiam & gloriam æternam. Iam vero quanti eſt *anima* ſanguine Filii Dei empta & redempta? Certe *nullum Deo tale ſacrificium, quale zelus animarum*, inquit Magnus Gregorius *t*. Porro pro αὐτοῦ, id eſt *eius*, ut olim Noſter legit, iam cum Beda, Gloſſa, Hugone, Dionyſio & aliis legunt αὑτοῦ ſpiritu aſpero, id eſt *ſuam* animam ſalvabit, qui alienam convertit, ET OPERIET MULTITUDINEM PECCATORUM tum ſuorum, tum proximi converſi. *Univerſa enim delicta operit caritas*, Prov. X. 12. Operiet, inquam, vel, ut græce eſt, *obducet*, non abſcondendo (ut ſomniant hæretici;) ſed abolendo, ſicut lux tenebras, aqua ignem exſtinguit. Vere enim exſtinguit hic zelus peccata proximi; præterita, per pœnitentiam; futura, per cautelam. Propria quoque eodem zelo reſtinguit, puta venialia, ſi iuſtus eſt, & pœnas pro præteritis adhuc debitas, & occaſiones evadit ac pericula futurorum; ſin iniuſtus eſt, hoc eius ſtudium, ſollicitudo & ardor convertendi proximum, provocat, elicit, & quaſi de congruo meretur a Deo gratiam efficacem qua & ipſe excitetur ad priſtina peccata deteſtanda, vitamque in melius mutandam. Unde Damaſcenus *u* ex his S. Iacobi verbis docet, certiſſimum modum abolendi propria peccata, eſſe ſtudium abolendi aliena. Et S. Paulus, *Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis; hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*.

(a) IV. Reg. XXIII. 10.
(b) Lucæ XVI. 24. & Iſaiæ I. 21. & Mich. VI. 2.
(c) Rom. II. 5.
(d) Eccl. VII. 22. & XXXIV. 27. Tobiæ IV. 15. & Iob XXXI. 38.
(e) Salvian. Lib. I de Provid. cap. I. & II.
(g) Gen. IV. 10. XVIII. 20. Exod. II. 23. Eccli. XXXV. 18.
(g) Ezech. XVI. 40. & Proverb. XXIII. 29. & Ierem. XXII. 13. & Amos VI. 6.
(h) Ioel. II. 13.
(i) Cyrill. Catecheſi XIII.
(k) Athan. de interpret. Pſalm. Chryſoſt. in Pſal. CXXXIV.
(l) Suarez III. p. tom. IV. diſp. XVIII. ſect. III.
(m) Bellarm. de Ext. unct.
(n) Suarez & alii in 3. p.
(o) Bonav. in 4. diſt. XVII. a. I. q. III. Aleſ. ibid. num. 3. art. II.
(p) Conc. Senen. decreto X.
(q) Bernard. Lib. Medit. cap. IX. Hugo Lib. II. de Sacram. part. XIV. cap. I. Alcuin. epiſt. XXVI. Henr. Caniſ. tom. I. Antiq. lection. Turrian. in Lib. II. Conſtit. S. Clem. cap. XVIII.
(r) Theod. hiſt. cap. XVI.
(ſ) Ruffin. præfat. in vitas Patrum.
(t) Greg. Lib. XXXIV. Moral, cap. VII.
(u) Damaſcen. Lib. I. Paral. XLVIII. I. Tom. IV. 16.

GOR-

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. . REprehenduntur divites uſque ad verſum ſeptimum . Hæc vobis contingent , putreſcent divitiæ , quibus parare debuiſtis theſaurum in cælo . Periere vobis reliqua : æruginem quidem contrahet aurum , quamvis nec facile nec brevi tempore hæc vobis contingent in teſtimonium avaritiæ : & hinc ærugo veſtras carnes in inferno comedet : damnandos his verbis denunciat . IN DIE OCCISIONIS (verſ. 5.) hoc eſt , ut in die feſto quo occiduntur multæ victimæ , & laute inſtruitur menſa . OCCIDISTIS IUSTUM (verſ. 7.) hoc eſt , exuiſtis bonis, ut aliqui ſentiunt : nam hoc eſt occidere . Vel etiam per iuſtum intelligi poteſt Chriſtus.

V. 7. PATIENTES . Hortatur fideles ad patientiam exemplo agricolæ . Imber temporaneus eſt , qui mox iacta ſemente contingit , & germinare facit . Serotinus , qui volvente iam anno , & circa Aprilem contingit , & facit ut matureſcant ſegetes . Addit expectandum iuſtis eſſe Domini adventum : ſecundum intelligit , quando erit ſingulis patientiæ corolla.

V. 9. NOLITE INGEMISCERE . Vetat in alterutrum iraſci uſque ad impatientiam , ne peccando & ipſi iudicentur a Deo : nam præſto ſemper Deus . Exempla dat patientiæ Prophetas ; alia verſ. 12. ſed clara.

V. 14. INFIRMATUR . Hic locus eſt , ex quo habemus inſtitutionem ſacramenti extremæ unctionis factam a Chriſto , & hic promulgatam ; ubi Apoſtolus proponit ſacramenti materiam , formam , miniſtrum ſacerdotem , & promiſſionem gratiæ , quæ ſufficiunt ad rationem ſacramenti ; & Apoſtoli , ac ſacri huius voluminis auctoritate publicatur ab Eccleſia , perinde ut in aliis ſacramentis.

ORATIO FIDEI (verſ. 15.) SALVABIT , hoc eſt precatio , quæ eſt in forma huius ſacramenti deprecatoria , & ipſum deniquè ſacramentum ſalvabit , & proderit tum corpori , tum animæ . Non enim omiſit Iacobus principalem ſacramenti effectum . Et quidem corpori proderit , & reſtituet ſanitatem , ut docet Tridentinum Seſſ. XIV. capite primo , ſi animæ expedit . Certus vero effectus (ſublato obſtaculo) eſt conceſſio gratiæ ſacramentalis ad vincendas circa mortis articulum tentationes . Docent etiam Theologi quomodo hic remittuntur peccata tum venialia , tum etiam interdum mortalia , ſi aliqua fuerunt relicta poſt priora ſacramenta , ubi valet cum ſacramento attritio , ſed illa quæ probabiliter putatur contritio : ſeu quando confeſſio fuit invalida , ob defectum quem bona fide ignorat infirmus : ſi , inquam , tunc adſit illa attritio cum ſacramento dabitur prima gratia . Attritio , inquam , etiam generalis de omnibus peccatis ſufficiet . Unde patet quo ſenſu hoc ſacramentum dicatur tollere reliquias peccatorum , facere ex attrito contritum , & dare primam gratiam iuſtificantem : ſemperque faciet hoc ſacramentum vel iuſtum ; vel iuſtiorem ſublatis impedimentis . At quid hic Calvinus ? non moror : tantum negat Scripturæ auctoritatem , Concilia , traditionem ſacram novus homo , & totam auctoritatem Eccleſiæ.

V. 16. CONFITEMINI . Errant Novatores , qui addunt textui , ſoli Deo , cum dicat Iacobus , ALTERUTRUM . Male etiam cum Eraſmo negat hic Caietanus agi de ſacramentali confeſſione , quæ fit deſtinatis ad hoc munus paſtoribus . Plura Theologi.

Commendat verſ. 17. orationem : addito Eliæ exemplo ex III. Reg. 17. Concludit hanc Epiſtolam commendans zelum animarum . OPERIET verſ. 20. peccata , tum illius qui convertitur , ut inſtrumentum ; tum ſua propria etiam , dum pro opere & zelo diſponitur ad remiſſionem.

Digitized by Google

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI PRIMA.

PETRUM Apoſtolum huius Epiſtolæ auctorem eſſe ex ipſa inſcriptione, ex traditione & conſenſu univerſalis Eccleſiæ ſic conſtat, ut ea de re nemo ex veteribus umquam dubitaverit. Romæ ſcriptam eſſe, quam Babylonem vocat ob colluviem omnium religionum, & falſorum deorum cultum, plerique exiſtimant: tametſi non deſunt qui eam Babylone conſcriptam pertendant. Cum autem Marci mentionem faciat, qui tertio Claudii anno, ut multis videtur, Alexandriam miſſus eſt a Petro, palam eſt hanc Epiſtolam iuxta hanc opinionem anno eiuſdem Imperatoris ſecundo, aut ineunte tertio, circa annum ſalutis 43. perſcriptam fuiſſe.

Quinque Aſiæ provinciis inſcribitur, his verbis: Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ. *Illud admodum eſt probabile, Petrum Apoſtolum his provinciis lumen Evangelii intuliſſe. Unde Act.* XVI. *prohibuit Spiritus Sanctus Paulum, ne verbum Dei in ea Aſiæ provincia annuntiaret, neve in Bithyniam intraret, quod forte in iis provinciis iam annuntiatum eſſet Chriſti Evangelium; ac iuſſit Dominus ut in Macedoniam ſe conferret, quæ illius ope magis indigebat. Ita ſuſpicatur Auctor Analyſeos Gallicæ, qui diſſertatione* 18.

mul-

multis ſuadet rationibus hanc Epiſtolam non ſolis Iudæis per eas provincias diſperſis, ſed Chriſtianis omnibus cum e Iudæis tum e gentibus ad fidem converſis inſcriptam fuiſſe. Primum enim hæc Epiſtola in cœtu fidelium, qui e Iudæis & Gentilibus conſtabat, legenda erat, neque æquum videtur Gentilibus omiſſis, qui numero erant potiores, ſolos Iudæos eſſe ſalutatos. Et quidem complura ſunt loca, quæ in Iudæos non conveniunt, cuiuſmodi eſt ille cap. I. *verſ.* 14. Non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis; *quæ ignorantia Iudæis vix umquam fuit exprobrata. Sic illud Oſee vaticinium ad Gentium vocationem pertinet, quo utitur cap.* II. *verſ.* 10. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. *Mitto alia in eam ſententiam loca, quæ idem Auctor proſequitur.*

Quod autem cap. III. *verſ. 6. mulieres fideles compellans, eas eſſe ait filias Saræ, id utique intelligi poteſt ſecundum ſpiritum, ex imitatione virtutum Saræ*, cuius eſtis filiæ benefacientes. *Textus Græcus factas eſſe filias Saræ indicat*: bene facientes, *per bona opera, & conſtantiam animorum*, & non pertimeſcentes ullam perturbationem.

Huius Epiſtolæ argumentum partim eſt dogmaticum, idque maxime in primo capite, & aliis ſparſim locis, ubi admirandum Dei conſilium in myſterio Incarnationis, & beneficium redemptionis, atque hæreditatem regni cæleſtis, ad quam vocati ſunt fideles, imprimis commendat; partim eſt paræneticum & exhortatorium, cum univerſim ad omne virtutum genus, ad innocentiæ in Baptiſmo acceptæ cuſtodiam, ad caritatem, temperantiam, obedientiam, orationem, tum ſigillatim ad cuiuſque conditionis ſtatum deſcendit, a ſervis incipiens, de mutuis coniugum officiis, de paſtorum vigilantia, de iuvenum moribus ad legem divinam informandis, ſtylo brevi & contracto, ſed ſublimi ſic diſſerit, ut ubique paſtoris auctoritas cum eximia caritate coniuncta eluceſcat: ſed nunc ad textum ipſum veniamus.

CAPUT PRIMUM.

Gratias Deo agit de vocatione ad fidem & vitam æternam, quæ tamen per multas tribulationes acquiritur, de qua Prophetæ vaticinati ſunt: hortatur eos ad vitæ munditiem, ut qui Chriſti ſanguine redempti ſunt.

1. PETRUS Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis advenis diſper-
ſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ,
2. ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificatio-
nem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſangui-
nis Ieſu Chriſti: Gratia vobis & pax multiplicetur. 3.
(*a*) Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regene-
ravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, 4.
in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem,
conſervatam in cælis in vobis, 5. qui in virtute Dei cuſtodimini per fi-
dem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo. *6.* † In quo e-
xultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus: 7.
ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignem probatur)
inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, * in revelatione Ieſu Chri-
ſti: 8. quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non vi-
dentes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorifi-
cata: *9.* reportantes finem fidei veſtræ, * ſalutem animarum. 10. De qua
ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis
gratia prophetaverunt: 11. ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignifica-
ret in eis Spiritus Chriſti: prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones,
& poſteriores glorias: 12. quibus revelatum eſt, quia non ſibi metipſis,
vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis per eos qui
evangelizaverunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant
Angeli proſpicere. 13. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſo-
brii * perfecte ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelatio-
nem Ieſu Chriſti: 14. quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus i-
gnorantiæ veſtræ deſideriis: 15. ſed ſecundum eum, qui vocavit vos, San-
ctum; * & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis: *16.* quoniam ſcriptum
eſt: (*b*) Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. 17. Et patrem invoca-
tis eum, qui (*c*) ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundum uniuſcuiuſ-
que opus, in timore incolatus veſtri tempore converſamini. 18. Scientes
quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra
converſatione paternæ traditionis: *19.* (*d*) ſed pretioſo ſanguine quaſi agni
immaculati Chriſti, & incontaminati: 20. præcogniti quidem ante mundi
conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos, 21.
qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum a mortuis, & de-

dit

dit ei gloriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo: 22. (d) Animas veſtras caſtificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentius: 23. renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum: 24. (e) quia omnis caro ut fœnum: & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. 25. Verbum autem Domini manet in æternum: hoc eſt autem verbum, * quod evangelizatum eſt in vos.

(a) I. Cor. I. 3. Eph. I. 3. (b) Lev. XI. 44. & XIX. 2. & XX. 7. (c) Deut. X. 17. Rom. II. 11. Gal. II. 6. (d) I. Cor. VI. 20. & VII. 23. Heb. IX. 12. I. Ioan. I. 7. Apoc. I. 5. (e) Iſa. XL. 6. Eccli. XIV. 8. Iac. I. 10.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 7. In revelatione Ieſu Chriſti. Ablativus *revelatione*, non eſt mutandus in accuſativum *revelationem*.

Verſ. 9. Salutem animarum. Non addas *veſtrarum*.

Verſ. 13. Perfecte ſperate. Non ſubſtituas nomen *perfecti*, pro adverbio *perfecte*.

Verſ. 15. Et ipſi in omni converſatione ſancti ſitis. Non præponatur his verbis *ut*.

Verſ. 25. Quod evangelizatum eſt in vos. Non mutes accuſativum *vos* in ablativum.

Lectionum Varietas.

Verſ. 6. IN *quo exultabitis*. Alii libri legunt præſens *exultatis*, ſicut omnes infra verſ. 8. ſuffragante textu Græco.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. & 2. PETRUS APOSTOLUS. Scribit Petrus Iudæis infidelibus, qui ſive ex veteri diſperſione, ſive ex nova (quæ ſub Stephano facta eſt) in diverſas ſeſe orbis partes receperant, unde recte advenas & incolas, Gr. παρεπιδήμους vocat, qui regione ſua pulſi alienam incolebant. Aſia autem de qua hic, Aſia minor intelligenda eſt. Electos autem dicit IN SANCTIFICATIONEM SPIRITUS, ſive ut Græci habent, *in ſanctificatione ſpiritus*, id eſt per ſpiritum ſanctificantem, & IN OBEDIENTIAM, ET ASPERSIONEM SANGUINIS IESU CHRISTI; id eſt, ut obedirent & crederent, & Chriſti (non hirci aut vituli, quemadmodum olim) ſanguine aſperſi, a peccatis mundarentur.

V. 3. 4. & 5. BENEDICTUS DEUS ET PATER. Vult his verbis Petrus quod Chriſti reſurrectione regenerati ſumus ad æternam illam hereditatem poſſidendam, quæ nunc quidem nobis non offertur, ſed in cælis aſſervatur. Pro eo autem quod interpres habet, QUI CUSTODIMINI, Græce eſt, εἰς ὑμᾶς φρουρουμένους, φρουρῶ autem ſignificat cuſtodire civitatem ab hoſtibus: unde & φρούριον, præſidium ac locum munitum ſignificat: itaque φρουρουμένους ſignificare mihi videtur eos qui fide veluti munito præſidio aſſervantur ad ſalutem æternam conſequendam.

V. 6. & 7. IN QUO EXULTABITIS. Pro *exultabitis*, Græce eſt ἀγαλλιᾶσθε, id eſt *exultatis*: ſicut & paulo poſt, CREDENTES AUTEM EXULTABITIS, &c. noſter legit ἀγαλλιάσεσθε, in futuro: ubi autem legitur *contriſtari*, puto vitium eſſe librariorum, pro contriſtati: nam Græce eſt λυπηθέντες a verbo λυπέω, quod ſignificat triſtitia afficio & vexo. Quod autem interpres τοῖς πειρασμοῖς *tentationibus*, vertit, præſtat quam τῷ experimentis ob id quod ſequitur, UT PROBATIO FIDEI VESTRAE (Hebraiſmus eſt) id eſt probata & explorata fides veſtra, explorata, inquam, tentationibus, & afflictionibus, MULTO PRETIOSIOR AURO, &c. ubi autem eſt, QUOD PER IGNEM PROBATUR, deſunt Latinis

duo vocabula, *perit*, *&c.*, eſtque ſenſus, Ut probatio fidei veſtræ auro quod perit, & igni purgatur, multo pretioſior, IN REVELATIONE IESU CHRISTI, id eſt die iudicii quum revelabitur iudex, & occulta cordium revelabit, inveniatur in laudem, gloriam & honorem; id eſt, vobis ceſſiſſe ad laudem, gloriam & honorem.

V. 8. IN QUEM NUNC QUOQUE NON VIDENTES CREDITIS. Græci non habent *creditis*, ſed *in quem non videntes*, CREDENTES AUTEM EXULTABITIS, ſive ut Græci habent, *exultatis* LAETITIA INENARRABILI REPORTANTES FINEM FIDEI VESTRAE, SALUTEM ANIMARUM veſtrarum.

V. 10. 11. & 12. DE QUA SALUTE. De qua ſalute vobis per Chriſtum futura ſcrutati ſunt prophetæ qui de futura in vobis vel ventura in vos gratia prophetarunt ſcrutantes in quod vel quale tempus venturam eiuſmodi gratiam ac ſalutem illis ſignificaret Spiritus ſanctus qui erat in eis, prænuncians venturas Chriſti afflictiones, & poſtmodum ſequuturas eius glorias: quibus ita ſcrutantibus revelatum eſt, quod non iſta ſibi cavereut, ſed nobis; neque ſuo tempore evenirent ea quorum nobis prophetiam & ſpem miniſtrabant, ſed noſtro: quæ quidem olim ab aliis prædicta nuper ab apoſtolis Spiritu ſancto ſuperne miſſo afflatis, nunciata ſunt nobis: IN QUEM DESIDERANT ANGELI PROSPICERE: noviſſima hæc particula Græcis aliter legitur; habent enim εἰς ἃ, id eſt in quæ, ſcilicet myſteria deſiderant Angeli proſpicere. Noſter interpres legit εἰς ὃν, id eſt *in quem*; & quidam referunt ad Chriſtum, in quem proſpicere illi deſiderant, non quod non proſpiciant, ſed quia proſpicientes numquam ſatiantur, ſed quo fruuntur magis, eo frui magis ſitiunt. Beda putat etiam ad Spiritum ſanctum referri poſſe. Pro eo quod eſt, SIGNIFICARET IN EIS SPIRITUS. Græce eſt τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα, id eſt ſpiritus qui in eis eſt; ubi eſt PRAENUNCIANS, Græci habent προμαρτυρόμενον, id eſt proteſtans ſive præteſtificans: ubi eſt POSTERIORES GLORIAS, Græci habent τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, id eſt ſecuturas poſt tot afflictiones, glorias.

V. 13. 14. 15. & 16. PROPTER QUOD. Hic locus ſatis eſt facilis intellectu. Succingit quidem lumbos corporis, qui per continentiam concupiſcentiam refrænat carnis: mentis autem lumbos ſuccingit, qui a noxiis erroribus intellectum, & a vanis illicitiſque cogitationibus & internis deſideriis coercet affectum. Itaque ſuccincti, perfecti, ſperate in eam quæ vobis offertur gratiam, ſive perfecte ſperate. Græci enim habent τελείως, id eſt perfecte, in gratia quæ offertur vobis, ſcilicet conſummata, IN REVELATIONEM, id eſt quando revelabitur Ieſus. Græci tamen habent ἐν ἀποκαλύψει, id eſt *in revelatione*. NON CONFIGURATI PRIORIBUS IGNORANTIAE VESTRAE DESIDERIIS. Græce eſt, μὴ συσχηματιζόμενοι ταῖς πρότερον ἐν τῇ ἀγνοίᾳ ἐπιθυμίαις; id eſt, nequaquam conformati & addicti prioribus illis quæ ignorantiæ veſtræ tempore fuerunt, concupiſcentiis: & refertur ad τὸ ſperate non configurati. Quod vero ſequitur, SECUNDUM EUM QUI VOS VOCAVIT SANCTUM, UT ET IPSI IN OMNI CONVERSATIONE SANCTI SITIS. Græci non habent, *ut*; & facilior eſt lectio: Sed & ipſi ſancti ſitis ſecundum ſanctum illum qui vocavit vos: ſi legimus *ut*, ſic ordinanda eſt lectio, Sperate enim non configurati, &c. ſed ſecundum eum qui vos vocavit ſanctum.

V. 17. 18. 19. & 20. ET SI PATREM INVOCATIS. Iubet hic Petrus ut toto tempore vitæ noſtræ, quæ non niſi incolatus quidam eſt & peregrinatio, in timore verſemur, nec nos tanto pretio redemptos tantis periculis leviter exponamus: IN TIMORE, inquit, CONVERSAMINI INCOLATUS VESTRI, id eſt huius vitæ veſtræ tranſeuntis tempore, SCIENTES QUOD NON CORRUPTIBILIBUS REDEMPTI ESTIS DE VANA VESTRA CONVERSATIONE PATERNAE TRADITIONIS: Græc. pro *paternæ traditionis* eſt verbum unicum πατροπαραδότου, id eſt *a patribus traditæ*. Intelligit autem iugum legalium ceremoniarum tunc temporis inutilium: a quibus redempti, inquit, eſtis pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati. PRAECOGNITI QUIDEM. Hic præcognitum pro prædeſtinato ſumit.

V. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES. Reliquum capitis ſatis eſt intellectu facile, niſi quod aliquot locis diſcedit a Græco. Sic enim græce τὰς ψυχὰς ὑμῶν ἡγνικότες ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας, διὰ πνεύματος, εἰς φιλαδελφίαν ἀνυπόκριτον ἐκ καθαρᾶς καρδίας ἀλλήλους ἀγαπήσατε; id eſt, purificatis animabus veſtris in obedien-

dientia veritatis, per Spiritum ſanctum in amore fraternitatis non ficto, ex puro corde invicem inter vos diligite: nam pro CARITATIS, græca habent ἀληθείας, id eſt *veritatis*: noſter ſecus legit, & pro *caſtificantes*, ἡγνικότες aoriſtus, id eſt *qui purificaſtis*, & Græci addunt, quo carent Latini, διὰ πνεύματος per ſpiritum, & pro ſimplici eſt ἀνυπόκριτον: eſt autem ἀνυπόκριτος apertus homo neque diſſimulator. Quod autem habemus, PER VERBUM DEI VIVI ET PERMANENTIS, Græc. habent, διὰ λόγου ζῶντος Θεοῦ, & poteſt genitivus referri ad τὸ Θεοῦ, id eſt *Dei* ut noſter vertit: poteſt etiam ad τὸ λόγου, id eſt *Dei verbum*, ut ſit ſenſus: per verbum Dei vivum & permanens, ob comparationem ſequentem. QUIA OMNIS CARO, &c. componit enim verbum Dei cum carne & omni gloria illius, quod ſtatim caro cum gloria ſua ut fœnum exareſcat; Verbum autem Domini evangelizatum in æternum maneat.

S A.

HOtatur ad vitæ ſanctitatem, ubi multa de Fide, Spe, Caritate, Patientia, Chriſti imitatione, & cuiuſque ſtatus inſtitutione. Eſt autem Romæ ſcripta.

V. 1. DISPERSIONIS, id eſt qui diſperſi ſunt. Vide Iacob. c. 1. PONTI, &c. id eſt per Pontum, &c.

V. 2. PRAESCIENTIAM, id eſt prædeſtinationem, iunge eum *electis*. IN; pro, ad; quaſi dicat, Ut ſanctificentur Spiritu; vel, per, Spiritum ſanctum, & obediant, ſcilicet fidei, & aſpergantur ſanguine Chriſti, id eſt redimantur, vel baptizentur.

V. 3. VIVAM, ſcilicet per caritatem, vel *vivam*, id eſt de vita æterna. RESURRECTIONEM, ſcilicet per hanc eſt confirmata ſpes noſtra.

V. 4. IN; pro, ad; quaſi dicat, Ut heredes ſimus, &c. de hoc enim ſpes, & ad id regenerati. CONSERVATAM. Syr. *paratam*. IN VOBIS; pro, vobis.

V. 5. IN VIRTUTE, id eſt per potentiam.

V. 6. IN QUO, ſcilicet tempore, vel Chriſto. EXULTABITIS. Syr. *lætamini in æternum*. OPORTET, id eſt opus ſit. CONTRISTARI. Græc. *contriſtati*, id eſt afflicti.

V. 7. PROBATIO, &c. id eſt probata, ſeu, explorata fides veſtra. REVELATIONE id eſt apparitione, ſeu adventu.

V. 8 EXULTABITIS, ſcilicet poſtea. Græc. *exultatis*.

V. 9. REPORTANTES, ſcilicet tunc.

V. 10. EXQUISIERUNT, ſcilicet a Deo. SCRUTATI, id eſt contemplati.

V. 11. IN EIS, ſcilicet loquens. SUNT, id eſt futuræ eſſent. POSTERIORES, id eſt conſecuturas poſt paſſionem.

V. 12. VOBIS AUTEM; pro, ſed vobis. MINISTRABANT, id eſt prophetabant. QUEM. Græc. *quæ*; quaſi dicat, Quibus myſteriis conſpectis etiam Angeli mirifice delectantur. DESIDERANT; pro feruntur deſiderio, ſeu amore & voluptate.

V. 13. SUCCINCTI, &c. id eſt prompto animo. SOBRII. Verti poterat *vigilantes*. OFFERTUR, id eſt, parata eſt. REVELATIONE. Græc. *revelatione*, id eſt cum apparebit.

V. 15. EUM, id eſt eius voluntatem, vel imitationem.

V. 16. ERITIS; pro, eſtote.

V. 17. INCOLATUS, id eſt vitæ.

V. 18. PATERNAE, &c. id eſt a patribus tradita.

V. 20. PRAECOGNITI. Syr. *præordinati*.

V. 21. FIDELES ESTIS IN DEO. Græc. *veritatis*, id eſt vera, ſeu perfecta. SIMPLICI. Græc. *non ſimulato*. EX CORDE. Græc. *ex puro corde*. ATTENTIUS. Græc. *intente*, ſeu *continenter*.

V. 24. FOENUM, id eſt herba.

M A R I A N A E.

Verſ. 1. PETRUS auctor Epiſtolæ, circumciſionis Apoſtolus. ELECTIS: e Iudaiſmo converſis. ADVENIS, id eſt incolis peregrinis. Tales Iudæi erant inter Gentes, non cives. DISPERSIONIS. Qui erant diſperſi per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Bithyniam, quæ omnes Aſiæ minoris provinciæ, ſed ASIAE addidit, ut reliquas Aſiæ minoris (de ea enim loquitur) uno verbo comprehenderet.

V. 2. SECUNDUM PRAESCIENTIAM DEI PATRIS, ſcilicet electis. Ad quid? IN SANCTIFICATIONEM, ut ſanctificemini, ſitis ſancti, obediatis, & aſpergamini non vitulorum ſanguine ut olim, ſed ſanguine Chriſti, quo remittuntur peccata.

V. 3. BENEDICTUS DEUS ET PATER; pro,

pro, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. QUI .... REGENERAVIT NOS IN SPEM VIVAM. Syr. *in ſpem vitæ*. Gotth. *in ſpem vitæ æternæ*, ſeu *vivam*, id eſt vivificantem.

V. 6. IN QUO EXULTABITIS, id eſt *in ea te nunc*, ut Syr. Græc. *exultatis*: ſed noſter pro ἀγαλλιᾶσθε, legit ἀγαλλιάσεσθε, quam eſſe veram lectionem Syr. & Veleſius oſtendunt. MODICUM NUNC st. Gotth. *etſi*: ſic Syr. Græc. hic pro εἰ, ut nunc eſt, legerunt εἰ καί. SI OPORTET CONTRISTARI, ſeu *contriſtati*, λυπηθέντες. Ergo, etſi nunc contriſtemini, poſt exultabitis in cælo.

V. 8. IN QUEM NUNC QUOQUE NON VIDENTES CREDITIS. Græc. non eſt *creditis*, ſed ſic: *In quem nunc non videntes, credentes autem*; ſententia eadem. Noſter eam vocem addidit, maioris claritatis cauſa. EXULTABITIS. Rurſus hic Græc. *exultatis*. Verum ſequentia, *lætitia inenarrabili, & glorificata*, oſtendunt non de præſenti lætitia loqui, ſed futura; tum illud, *reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*.

V. 10. DE QUA SALUTE locuti ſunt Prophetæ, ſcrutantes quo tempore futuram eſſe ſignificaret Spiritus ſanctus, cum Chriſti mortem & gloriam illis prænunciabat.

V. 12. QUIA NON SIBIMETIPSIS, id eſt ſuo tempore, ſed VOBIS, id eſt veſtro tempore eam fore gloriam cognoverunt, ſicut Apoſtoli per eumdem Spiritum ſanctum de cælo miſſum nuntiarunt vobis. IN QUEM, ſcilicet Spiritum ſanctum. Græc. εἰς ἃ, *in quæ*, ſcilicet myſteria deſiderant Angeli proſpicere: noſter legit, εἰς ὃν.

V. 13. PROPTER QUOD SUCCINCTI LUMBOS MENTIS VESTRAE. Non opere tantum mundi eſſe debemus, ſed cogitatione. Sic Ioan. Apoc. 1. 13. videt Angelum præcinctum ad mamillas, ubi eſt cor. De quo Gregorius multa XXI. Moral. cap. 11. IN REVELATIONEM. Sic Gotth. ſignificat debere nos in eam gratiam ſperare, quæ continget cum Chriſtus venerit. Græc. *in revelatione*: ſicque legunt multi Latini cod. ſenſus idem.

V. 14. NON CONFIGURATI, ſeu *conformati*, addicti prioribus deſideriis.

V. 15. SED SECUNDUM EUM, QUI VOCAVIT VOS, SANCTUM; ET IPSI, id eſt eſtote ſancti, ut eſt ſanctus qui vocavit vos: ſecundum eum qui vocavit vos, & ipſi ſancti ſitis. Quidam codices legunt, *ut & ipſi*. Sed male.

V. 16. SANCTI ERITIS. Græc. Syr. & Gotth. *ſancti eſtote*. Perinde eſt.

V. 17. ET SI PATREM INVOCATIS; pro, quod ſi patrem invocatis, qui iuſtus eſt, & reddit cuique iuxta opera ſua, debetis in timore vivere. Non enim liberati eſtis a vanitate.

V. 18. PATERNAE TRADITIONIS, id eſt veteris Legis, auro, ſed ſanguine Agni.

V. 20. PRAECOGNITI, id eſt prædeſtinati ante mundi conſtitutionem. MANIFESTATI AUTEM NOVISSIMIS. Sic vocat Chriſti tempora, quia poſt illum non eſt alia Lex expectanda. Aut comparatione loquentis erant tempora noviſſima; quaſi dicat, His noſtris temporibus manifeſtati propter vos.

V. 21. QUI PER IPSUM, id eſt eius opera. FIDELES ESTIS; pro, creditis in Deo, qui Chriſtum ſuſcitavit. UT FIDES VESTRA, ET SPES ESSET IN DEO, aut *in Deum*, Græc. & Gotth. ſcilicet facturum vobiſcum, quod cum illo fecit, ſuſcitaturum vos.

V. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES, id eſt ſi tamen animas veſtras ſanctificaveritis. IN OBEDIENTIA CARITATIS. Græc. *in obedientia veritatis*, id eſt vera: ſic Syr. & Gotth. Noſter pro ἀληθείας, legit ἀγάπης. Additur Græc. *per Spiritum*, ſcilicet ſanctum. INVICEM DILIGITE ATTENTIUS; pro, intenſius, ἐκτενῶς, *intenſe*. Gotth. *perſeverantes*.

V. 23. PER VERBUM DEI VIVI, ET PERMANENTIS IN AETERNUM; per quod renati eſtis. Secus quam caro;

V. 24. QUIA OMNIS CARO UT FOENUM: brevi corrumpitur & cadit, Verbum manet.

MENOCHII.

Verſ. 1. ELECTIS, ſcilicet ad fidem, & gratiam. ADVENIS. Sic vocat Iudæos Chriſtianos, qui tum alias, tum recenter ob perſecutionem a nece Stephani a Iudæis excitatam. Actor. VIII. 1. e Iudæa diſperſi fugerant in Pontum, Galatiam, &c. ibique hoſpites erant, & advenæ. PONTI. Pontus regio eſt Aſiæ mi-

Digitized by Google

noris Ponto Euxino adiacens, a quo nomen accepit. Tam Pontus quam reliquæ provinciæ, quæ hic numerantur, pertinent ad Aſiam minorem. ASIAE. Eſt peculiaris quædam pars Aſiæ minoris, quæ totum illum terrarum, & inſularum tractum complectitur, qui eſt circa Epheſum, videlicet, Troadem, Phrygiam, Lydiam, Cariam, Lyciam, Mæoniam, Ioniam, denique ſeptem illas urbes, de quibus agit D. Ioannes in Apocalypſi cap. 1. 4. & deinceps.

V. 2. SECUNDUM PRAESENTIAM DEI PATRIS: electis ſecundum præſentiam. Præſentia ſignificat providentiam, & prædeſtinationem Dei, qua Ponticos elegit ad fidem, & gratiam Chriſti, providendo eis prædicatores, & alia media opportuna, quibus prævidebat eos Chriſti fidem libere amplexuros. DEI PATRIS. Pater hic accipi poteſt tum notionaliter, ut ſignificat primam perſonam Sanctæ Trinitatis; tum eſſentialiter, ut ſignificet Deum, qui tribus perſonis eſt communis. Hic enim eſt Pater reſpectu Angelorum, hominum, & reliquarum creaturarum. IN SANCTIFICATIONEM SPIRITUS: electis ad ſanctificationem Spiritus, quos ſcilicet Spiritus ſanctificet, & qui ab eo ſanctitatem recipiant. In Græco eſt, *ἐν ἁγιασμῷ*, *in ſanctificatione*, ſed particula ἐν ponitur pro εἰς. IN OBEDIENTIAM, ET ASPERSIONEM SANGUINIS IESU CHRISTI. Significat ad hoc electos eſſe eos ad quos ſcribit, ut ſanctificati per gratiam Spiritus ſancti, obediant divinis præceptis, memores Chriſti ſanguiguinis, quo ſunt aſperſi, & abluti in baptiſmo, atque per eiuſdem merita redempti. GRATIA VOBIS, ET PAX MULTIPLICETUR. Nomine gratiæ, & pacis omne bonorum genus complectitur, ſpiritualium, & temporalium, itaque illis precatur divinæ gratiæ, & proſperitatis etiam humanæ incrementum, quantum conducit ad finem vitæ æternæ conſequendum.

V. 3. BENEDICTUS DEUS, &c. laudetur, & benedicatur Deus, qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. REGENERAVIT NOS; quaſi dicat: Deus per Chriſtum, & baptiſmum eius, & gratiam nos regeneravit, id eſt iuſtificavit, & a morte peccati ad vitam gratiæ revocavit. IN SPEM VIVAM: hoc fine, & fructu, ut ſcilicet per gratiam ſperemus conſequi gloriam, & vitam æternam. PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI: cum enim Chriſtus caput noſtrum reſurrexit, concipimus ſpem vivam conſequendæ per ipſum vitæ æternæ.

V. 4. IN HEREDITATEM; quaſi dicat: Regeneravit nos Deus in baptiſmo, ſuoſque filios effecit, ut hereditatis ſuæ facerent participes, & poſſeſſores. INCORRUPTIBILEM: non qualem parentes filiis relinquunt, quæ corruptibilis eſt, & brevi tempore poſſidetur. INCONTAMINATAM: ἀμίαντον, quod etiam ſignificat *incontaminabilem*, ſignificat hereditatem cæleſtem fore plane puram ab omni ſorde peccati, & ab omni turpi voluptate carnis, contra quam putant infideles aliqui, ut Turcæ, qui Paradiſum expectant, in quo omni voluptate carnis fruantur, omnique luxu, & libidine ſe contaminent. IMMARCESSIBILEM: ἀμάραντον, quæ marceſcere non poteſt. Talis eſt corona quæ paratur beatis in cælo; non quales coronæ quæ plectuntur in terris, quæ illico marceſcunt, & putreſcunt. CONSERVATAM IN CAELIS IN VOBIS. Syrus, *Quæ parata eſt vobis*: itaque *in vobis* ponitur pro, *vobis*.

V. 5. QUI IN VIRTUTE DEI: qui divinæ potentiæ virtute. PER FIDEM: non nudam, & mortuam, ſed vivam, & gratia & caritate animatam. CUSTODIMINI IN SALUTEM: ne in priſtinos errores recidatis, ut porro progrediamini per viam, quæ ducit ad ſalutem æternam. PARATAM REVELARI IN TEMPORE NOVISSIMO: quæ parata eſt, & nobis ſepoſita, ut in extremo iudicii die manifeſtetur in nobis, qui illa tunc ornabimur, etiam quoad corpus; nam beatorum animæ etiam ante iudicium gloriæ cæleſtis erunt participes.

V. 6. IN QUO EXULTABITIS. *In quo* refert omnia præcedentia; quaſi dicat, Exultabitis ſi cogitetis vos regeneratos eſſe in ſpem vivam hereditatis æternæ, &c. MODICUM NUNC SI OPORTET CONTRISTARI: etiam adverſa aliqua brevi hoc tempore vitæ ferenda ſint, exultabitis gaudio, magnitudinem, & æternitatem retributionis reputantes. Sic dicebat Divus Paulus II. Cor. VII. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.*

V. 7. UT PROBATIO VESTRAE FIDEI; id eſt, ut veſtra fides probata, & explorata

rata quæ multo pretioſior eſt auro, IN-VENIATUR IN LAUDEM ET GLORIAM, &c. quaſi dicat: Ut fides veſtra ita probata, ſit vobis laudi, & cedat vobis in gloriam, & honorem in die iudicii. IN REVELATIONE IESU CHRISTI. Sic appellatur dies iudicii, tum quia in eo revelabitur, & apparebit oculis noſtris Chriſtus, qui nunc eſt inviſibilis: tum quia in eo cuiuſque opera, & merita revelabuntur.

V. 8. IN QUEM NUNC QUOQUE NON VIDENTES CREDITIS: quem cum non videatis, nec umquam videritis, creditis tamen. CREDENTES AUTEM EXULTABITIS LAETITIA INENARRABILI, ET GLORIFICATA; quaſi dicat: Præterea licet multis malis, & ærumnis premamini, tanta tamen eſt memoratæ fidei virtus, ut hæc adverſa non ſolum patienter, & conſtanter toleretis, verum etiam exultetis gaudio ineffabili, & tam glorioſa lætitia, ut cum venturi ſæculi beatitudine poſſit aliquo modo comparari. EXULTABITIS. In Græco eſt *ἀγαλλιᾶσθε, exultaſtis*. GLORIFICATA; quaſi dicat, Lætitia hæc veſtra veſtita eſt quodammodo, & perfuſa gloria, quia ob gloriam cœleſtem, quam ſperatis lætamini, atque adeo hæc lætitia eſt prægustus quidam gloriæ illius, quam poſt hanc vitam conſequimini.

V. 9. REPORTANTES FINEM, &c. id eſt mercedem, quam in præſenti reportatis, nimirum ſalutem inchoatam per gratiam, & iuſtitiam, in futuro autem plenam, & perfectam per felicitatem, & gloriam ſempiternam.

V. 10. EXQUISIERUNT ATQUE SCRUTATI SUNT: accurate, diligenter, & ſolicite perquiſierunt prophetæ hanc ſalutem; non enim eſt novum hominum inventum, ſed priſcum Dei decretum prophetis revelatum, qui ſtudioſe illud indagarunt, prædixerunt, & expectarunt.

V. 11. SCRUTANTES IN QUOD, VEL QUALE TEMPUS SIGNIFICARET. Pro *ſignificaret*, in Græco eſt *ἐδήλου*, id eſt declararet, demonſtraret venturam hanc gratiam Chriſti, & Chriſtianiſmi. Ita Daniel cap. IX. intellexit in medio 70. hebdomadæ, id eſt in anno 487. occidendum eſſe Chriſtum. Iacob poſt ablatum ſceptrum a Iuda Geneſ. XLIX. 10. Malach. cap. III. 1. mox poſt adventum, & prædicationem Sancti Ioannis Baptiſtæ. SPIRITUS CHRISTI. Spiritus Chriſti, *qui erat in eis*, ut eſt in Græco: erat autem in eis tum inhærendo per gratiam, tum inſpirando per prophetiam. PRAENUNCIANS EAS, QUAE IN CHRISTO SUNT PASSIONES: prænuncians Chriſto obventuras, & infligendas paſſiones, & plagas. ET POSTERIORES GLORIAS: & gloriam Chriſti poſt paſſionem ſcilicet in reſurrectione, aſcenſione, miſſione Spiritus ſancti, converſione gentium, &c.

V. 12. QUIBUS REVELATUM EST, &c. quibus revelatum eſt a Spiritu ſancto ea quæ ipſis oſtendebantur de Chriſto non pertinere ad tempus in quo ipſi vivebant, ſed multo tempore poſt eſſe adimplenda. MINISTRABANT EA: ipſi prophetæ ſubminiſtrabant vobis oracula. PER EOS QUI EVANGELIZAVERUNT VOBIS: per Apoſtolos, & alios, qui vobis Chriſtum prædicarerunt. SPIRITU SANCTO MISSO DE CAELO, refert ad *evangelizaverunt*; quaſi dicat: Sicut prophetæ per Spiritum Chriſti, de quo ſuperiori verſiculo, prædixerunt Chriſtum venturum: ita Apoſtoli evangelizaverunt vobis eundem iam præſentem inſpiratione Spiritus ſancti, quem receperunt in Pentecoſte. IN QUEM DESIDERANT ANGELI PROSPISCERE. Eum enim videndo, vident pariter Patrem, & Filium; omnium enim una eſt eſſentia, & hac viſione beantur. In Græco nunc non eſt *εἰς ὅν, in quem*, ut legit noſter interpres, ſed *εἰς ἅ, in quæ*, & ſenſus eſt, Angelos deſiderare proſpiſcere in myſteria Chriſti, præſertim ſalutis, & gloriæ beatificæ, ut ſcilicet ea videant perfecta, & completa. Vel, *in quæ, εἰς ἅ* refert Chriſti *παθήματα*, id eſt paſſiones, & poſteriores glorias, ut ſignificetur Angelos mire delectari viſione humanitatis Chriſti, eiuſque plagarum, & ſtigmatum ſacrorum.

V. 13. PROPTER QUOD; quaſi dicat, Cum hereditas incorruptibilis, & cæleſtia bona vobis parata ſint. SUCCINCTI LUMBOS MENTIS VESTRAE, id eſt mentis prompti, alacres, & expediti ad ea capeſſenda, & facienda, quæ ad hunc finem conſequendum utilia ſunt. SOBRII: *νήφοντες*, quod etiam verti poteſt *vigilantes*, ut vertit Vatablus, & S. Hieronym. Lib. I. contra Iovinian. Unde & Syrus vertit: *Excitamini perfecte*. Utraque lectio in idem fere recidit, nam ſobrietas

Digitized by Google

mater eſt vigilantiæ, ut ebrietas ſomni, & ignaviæ. Loquitur tamen Apoſtolus de vigilantia mentis, qua cavemus ne hoſtium inſidiis circumveniamur. PERFECTE: necti poteſt cum *ſobrii*, ut ſenſus ſit: Perfecte vigilate, nam ſomno, vel dormitationi, locus non eſt inter tot hoſtes agentes. Alii nectunt cum ſequentibus, *Perfecte ſperate*, ut non quamlibet ſpem ſuadeat Petrus, ſed ſpem perfectam, hoc eſt, virtutem Theologicam, quæ cum caritate coniungitur, præcipueque divina beneficentia, & liberalitate nititur, ita tamen ut propria merita non penitus negligat, quam D. Paulus ad Rom. cap. v. 2. *ſpem* vocat *filiorum Dei*. IN EAM, QUAE VOBIS OFFERTUR, GRATIAM. Per gratiam intelligit gloriam; hanc enim fideles, & iuſti ſperant, quæ licet ſit merces bonorum operum, tamen hæc ortum habet a gratia; unde ad Rom. vi. 23. dicitur: *Gratia Dei, vita æterna*. IN REVELATIONEM IESU CHRISTI. Græce eſt *in revelatione*, ἐν ἀποκαλύψει; quaſi dicat, Sperate hanc gratiam vobis dandam in revelatione Chriſti, hoc eſt in die iudicii. Senſus vulgati idem eſt; quaſi dicat, Spem veſtram extendentes uſque ad revelationem Chriſti, & adventum eius ad iudicium, tunc enim gloriam perfecte conſequimini.

V. 14. QUASI FILII OBEDIENTIAE, &c. Hæc pendent a præcedentibus; quaſi dicat, State ſuccincti lumbos, id eſt expediti, & parati ſervare divina præcepta, ut decet filios obedientiæ, id eſt filios obedientes. NON CONFIGURATI: non conformati. IGNORANTIAE VESTRAE DESIDERIIS: iis deſideriis & concupiſcentiis quibus ſerviebatis tempore Gentiliſmi, cum pluribus erroribus tenebamini.

V. 15. SED SECUNDUM EUM QUI VOCAVIT VOS: ſed ſancti eſtote, ut eſt ſanctus, ille qui vos ad fidem vocavit, ad gratiam, & ad ſalutem; hoc eſt id quod docuit Chriſtus Matth. v. 48. *Eſtote igitur perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*. IN OMNI CONVERSATIONE: in omnibus actionibus veſtris.

V. 16. QUONIAM SCRIPTUM EST, &c. Levit. xx. 26. SANCTI ERITIS, &c. id eſt, mundi, & puri ab omni labe peccati.

V. 17. ET SI PATREM INVOCATIS EUM, &c. Pergit ſuadere ut ſancte vivant, quod ille ipſe ſanctus, qui eos vocavit ſit ipſorum Deus, Pater, & Iudex. IN TIMORE CONVERSAMINI: reverentia enim, & timor debetur Patri, Iudici, & Deo. INCOLATUS VESTRI TEMPORE: brevi hoc tempore peregrinationis præſentis vitæ, Grece eſt χρόνος παροικίας, tempus peregrinationis, vel habitationis in alieno.

V. 18. SCIENTES QUOD NON CORRUPTIBILIBUS, &c. eſt alius ſtimulus, quo eos ad quos ſcribit urget D. Petrus, ut ſancte vivant, quod ſcilicet a Chriſto redempti ſint, non auro, aut argento, quæ corrumpuntur, & pereunt, ſed pretioſo ſanguine Chriſti, ut ſancte viventes in hoc ſæculo ad cæleſtem pervenire poſſent. DE VANA VESTRA CONVERSATIONE PATERNAE TRADITIONIS, ſcilicet de vana, & prava ratione vivendi, quam ſecuti eſtis vel in Iudaiſmo, vel in Gentiliſmo, ſic a parentibus veſtris edocti.

V. 19. QUASI AGNI. Vocat quaſi agnum, id eſt ſimilem agno in puritate, innocentia, manſuetudine, obedientia, &c.

V. 20. PRAECOGNITI QUIDEM ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM: qui Chriſtus ante mundi conſtitutionem prædeſtinatus fuit. MANIFESTATI AUTEM: per incarnationem, vitam, mortem reſurrectionem, & prædicationem Apoſtolorum. NOVISSIMIS TEMPORIBUS; quaſi dicat: His extremis temporibus, quibus nunc vivimus, poſt aliquot chiliadas a conſtitutione mundi. PROPTER VOS: quos fideles fecit, & cultores ſuos.

V. 21. QUI PER IPSUM: Chriſtum. FIDELES ESTIS IN DEO. *In Deum creditis*, ut eſt in Græco, πιστεύοντας εἰς Θεὸν. UT FIDES VESTRA, ET SPES ESSET IN DEO: ut videntes a mortuis reſurrexiſſe Chriſtum, qui eſt caput noſtrum, credatis, & ſperetis membra illius viva, quæ illi per fidem, & caritatem adhærent pariter a mortuis reſurrectura, & eamdem gloriam adeptura.

V. 22. ANIMAS VESTRAS CASTIFICANTES, &c. Totius verſiculi ſenſus eſt: Caſto, id eſt puro amore fraterno invicem impenſe diligite, ſervite, & obedite. CASTIFICANTES: ἡγνικότες, id eſt cum animas veſtras caſtificaveritis, & purificaveritis. IN OBEDIENTIA CARITATIS: obedientia caritatis eſt ſubiectio, qua fidelis in

omnibus ſubdit ſe legi, dictamini, & impulſui caritatis, ut quidquid facit, faciat ex ductu caritatis. In Græco eſt, *obedientia veritatis;* quaſi dicat, *Qui animas veſteras purificaſtis obediendo veritati*, ut vertit Vatablus. IN FRATERNITATIS AMORE: idem eſt ac ſi dixiſſet fraterna caritate vos diligite. SIMPLICI EX CORDE: animo ſincero. ATTENTIUS: ἐκτενῶς, *extenſe*, continenter, ut ſcilicet amor non ſit brevis temporis, ſed extendatur, & complectatur omne tempus, & omne genus proximorum. Vatablus & Pagninus vertunt, *impenſe*. Alii *intente*, ſeu *intenſe*.

V. 23. RENATI NON EX SEMINE CORRUPTIBILI. Dat cauſam cur Chriſtiani debeant fraterno amore invicem diligere, quia ſcilicet fratres ſunt, renati ex eodem ſemine verbi Dei, & Evangelii Chriſti; ac conſequenter ut filii & heredes eamdem ſperant patriæ cæleſtis hereditatem. ET PERMANENTIS IN AETERNUM; quaſi dicat, Sicut Deus eſt æternus, & permanet in æternum.

V 24. QUIA OMNIS CARO UT FOENUM: reſpicit, & citat locum Iſa. cap. XL. *6.* ubi hæc eadem ſententia habetur.

V. 25. VERBUM AUTEM DOMINI MANET IN AETERNUM: nam ut ait Chriſtus Matth. XXIV. 35. *Cælum, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*. HOC EST VERBUM QUOD EVANGELIZATUM EST IN VOS, id eſt vobis; quaſi dicat, Hoc Iſaiæ verbum eſt verbum Evangelii de Chriſto, eiuſque redemptione, vocatione, fide, gratia, ſalute, & gloria, quam vobis attulit.

T I R I N I.

Verſ. 1. ADVENIS DISPERSIONIS PONTI, &c. id eſt Iudæis ad Chriſtum converſis, ac recenter ob Iudæorum [a] perſecutionem e Iudæa profugis, & per *Pontum*, *Galatiam*, reliquumque Orientem diſperſis, ac proinde hoſpitibus iſtic & advenis. Quam barbari & inhumani fuerint *Pontifici*, antequam ad fidem converterentur, vide Tertullianum initio librorum contra Marcionem hæreſiarcham oriundum ex Ponto, Aſiæ Minoris regione, vicina *Ponto* Euxino, unde & nomen accepit. Vide & Suidam, & Strabonem & alios Coſmographos.

V. 2. *Electis* [b] IN SANCTIFICATIONEM SPIRITUS, id eſt ad fidem & gratiam, qua non ſola caro, ut in veteri lege, ſed ipſe etiam ſpiritus, ſeu anima ſanctificatur, & eſt hæc *gratia* ſemen gloriæ & felicitatis æternæ. *Electis*, inquam, ad tantam, IN, id eſt per [c], OBEDIENTIAM, ſeu meritum obedientiæ Chriſti, *uſque ad mortem*, & per *ſanguinem* eius in cruce effuſum, quo in baptiſmo ceteriſque Sacramentis aſperſi & luſtrati eſtis: ita Lyran, Caietan. & a Lapide. Aſſignat ergo hic cauſam meritoriam noſtræ ſanctificationis, ſicut paulo ante aſſignavit cauſam eius efficientem, *præſcientiam Dei*, eiuſque providentiam, non nude ſpeculativam, ſed practicam, quæ includit etiam divinam voluntatem, amorem & decretum dandi gratiam, adeoque & ipſam donationem gratiæ qua ad fidem, iuſtitiam & ſalutem perducamur, ut alibi [d] vidimus.

V. 3. REGENERAVIT, id eſt iterato generavit; nempe genitos per naturam in vitam corporis mortalem, ſecundo genuit per gratiam in vitam animæ immortalem, nempe IN SPEM VIVAM, ſemperque victuram, nec umquam interituram, donec ad rem ſperatam, puta ad vitam & gloriam æternam nos deduxerit. Unde licet rem ipſam, ſeu æternam vitam, non ſtatim nobis conſignet, conſignat tamen eius *ſpem vivam*, certam, veracem, qua, niſi per nos ſteterit, infallibiliter gloriam illam ſumus adepturi, inquit Beda. Idque PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI EX MORTUIS, id eſt ex numero, ſtatu & loco mortuorum, puta ex ſepulcro & inferno. Chriſtus enim paſſione & morte ſua, cuius finis & terminus fuit reſurrectio, promeruit nobis hanc ſpem, & hanc regenerationem.

V. 4. IN HEREDITATEM, quam tamquam nati Deo filii conſequemur, non caducam aut fluxam (ut erat hereditas terræ promiſſionis:) non etiam modici temporis (v. g. mille annorum, qualem ſomniabat Cerinthus [e] S. Petro coævus: vel 36. millium annorum, ut Origenes ex Platone,) ſed INCORRUPTIBILEM, immortalem, æternam: (hereditas enim hæc eſt ipſe Deus immortalis, cuius æterna fruitione & complexu beantur Sancti in cælis:) INCONTAMINATAM, id eſt plane puram ab omni ſorde, ſeu peccati, ſeu con-

Digitized by Google

concupiſcentiæ & voluptatis carnalis, quam in ſuo paradiſo præſtolantur Iudæi & Mahometani: ET IMMARCESCIBILEM, id eſt quæ nequit marceſcere, flacceſcere, putreſcere, ſed incorruptibilis & immutabilis perpetuo ſibi conſtat, nec ætate ſeneſcens, nec tempore defloreſcens, nec ſpecie, nec ſapore nec alia qualitate deficiens, nec maturitate degenerans, nec rugoſitate decreſcens, nec æſtimatione vileſcens: *conſervata* IN VOBIS; Syrus, *paratam vobis*, IN CAELIS a Deo *a conſtitutione mundi f.* Vobis, inquam, filiis & heredibus Dei,

V. 5. QUI non propria, ſed DEI VIRTUTE, ſeu potentia, quaſi fida & invicta manu, CUSTODIMINI & protegimini contra omnes dæmonis, mundi, carnis inſultus. Cuſtodia autem, ſeu præſidium militare quo vos Deus ſic cuſtodit, eſt *fides* & *gratia* cæleſtis. Fructus vero huius cuſtodiæ eſt *ſalus*, vita & gloria æterna, nunc quidem vobis occultata & obſcura, ſed *parata* REVELARI clareque innoteſcere etiam toti mundo, IN TEMPORE NOVISSIMO, nempe in die iudicii *g*, quando omnes cum glorioſo corpore reſurgetis ad vitam immortalem.

V. 6. IN QUO, id eſt, in qua re, ſi ſapitis, EXULTABITIS, nempe ſpe viva gloriæ cæleſtis olim certo perſeverantibus obventuræ, recreabitis vosipſos etiam in mediis tentationibus & afflictionibus *h*, quas in hac vita ſubire neceſſum eſt, divina ſapientia ſic providente.

V. 7. UT *fides veſtra* per illas probatior reddatur, ſicut *aurum* PER IGNEM, atque ita INVENIATUR eſſiſſe vobis IN LAUDEM ET GLORIAM, id eſt reddidiſſe vos extreme laudabiles ac glorioſos, maxime IN REVELATIONE IESU CHRISTI, id eſt in die iudicii tum particularis, tum univerſalis, quando cum maxima maieſtate revelabitur toti orbi: & eidem quoque revelabit veſtram pietatem, integritatem, ſanctitatem, nunc tectam, obſcuratam & incognitam.

V. 8. QUEM *Ieſum* etſi plerique *numquam* VIDERITIS, adeo tamen DILIGITIS, ut pro eius honore gaudeatis non tantum bonis temporalibus exui & probris affici, ſed & verberari, fuſtigari, quin & morte mulctari: *exultantes* (nam in Græco eſt præſentis temporis) LAETITIA INENARRABILI, etiam in hac vita plena moleſtiis & afflictionibus. Nam primo, per fidem & gratiam poſſidetis Chriſtum, & in eo infinitos theſauros. Secundo, per ſpem poſſidere incipitis futuram gloriam fidelibus a Chriſto promiſſam, quæ ſane eſt ineffabilis. Tertio, per internas illuminationes, inſpirationes & conſolationes prægustum aliquem accipitis obventuræ olim beatitudinis, qui vere eſt inenarrabilis. Et licet impii ac mundani homines contemnant ac rideant hanc fidelium lætitiam, coram Deo tamen & angelis *glorificatur*, laudatur & magni æſtimatur: ita Hugo, Thomas Anglicus & alii. Hac enim via

V. 9. *Reportatis* FINEM & mercedem FIDEI VESTRAE, puta SALUTEM ANIMARUM VESTRARUM, inchoatam hic per gratiam & iuſtitiam, in futuro complendam per gloriam æternam.

V. 10. DE QUA SALUTE, &c. Occurrit tacitæ obiectioni. Fides hæc & ſalus, quam dico vobis per Chriſtum obtigiſſe, non eſt figmentum humani cerebri, vel nuperum inventum: nam *de* hac *ſalute* ſic per Chriſtum nobis procuranda, extat ab æterno decretum divinum, quod iam inde a primis ſæculis EXQUISIERUNT, & ſolicite SCRUTATI SUNT PROPHETAE ac Patriarchæ *i*.

V. 11. SCRUTANTES IN QUOD VEL QUALE TEMPUS SIGNIFICARET; Græce *declararet*, SPIRITUS ſanctus Chriſto quidem proprius, ſed tamen IN EIS quoque exiſtens, & ipſos etiam erudiens, ac PRAENUNTIANS ipſis, & per ipſos nobis, PASSIONES omnes ex divino decreto & humana nequitia Chriſto obventuras: *ut* ET POSTERIORES eius GLORIAS, id eſt quæ poſt paſſiones & mortem ipſius ſubſecuturæ erant, quaſi merces illarum & præmium, puta, reſurrectionem, aſcenſionem in cælum, miſſionem Spiritus ſancti, converſionem omnium gentium, &c.

V. 12. QUIBUS, de tempore quo hæc futura eſſent ſolicitis, REVELATUM EST, QUIA NON SIBI, nec pro ſua ætate, ſed pro veſtra & VOBIS MINISTRABANT, ſeu tradebant oracula ſua, QUAE NUNC adamuſſim completa, & vobis per me, *per que* alios *Evangelii* præcones NUNTIATA SUNT, ſuggerente & linguas eorum dirigente eodem *Spiritu ſancto* CHRISTI, (de quo verſu præcedenti,) IN QUEM DESIDERANT, & extreme gaudent, ANGELI *k* PROSPICERE, tamquam in principium *l*

ſuum chariſſimum æque ac glorioſiſſimum. Ita de Chriſto hæc ultima verba exponunt Auctor libri de Spiritu & anima apud S. Auguſtinum *m*, Gloſſa, Bernardus *n*, Beda, Hugo, Thomas Anglicus, & Titelmannus. Vult enim S. Petrus ſibi & ceteris Apoſtolis parem cum antiquis Prophetis fidem conciliare, ex eo quod quæ illi prædixerunt futura de Chriſto ipſi iam facta & completa denuntient, non alio Spiritu ſuggerente vel hos docente, quam qui in illis olim fuit, nempe *Spiritu ſancto Chriſti*, ſeu qui Chriſto proprius eſt, & ab eo ut procedit, ita & miſſus eſt ad utroſque docendos ac dirigendos: ſicut & angeli omnes gaudent eidem deſervire, & ab eodem quocumque vult mitti, in eum, tamquam principem & Dominum ſuum, fixis continuo oculis, tamquam promptiſſimi famuli, proſpicientes.

V. 13. PROPTER quæ iam dicta, decet VOS, ut SUCCINCTI LUMBOS MENTIS VESTRAE, coercitis rectæ rationis *o* cingulo paſſionibus animi, contemptis omnibus mundi illecebris, minis, odiis, perſecutionibus, SOBRII, (νήφοντες poteſt etiam verti *vigilantes*, ut vertit S. Hieron. & Vatablus) PERFECTE, & omni ex parte complete *ſperetis* IN EAM, QUAE VOBIS OFFERTUR GRATIAM; hebraiſmo; pro, *ſperetis gratiam* ſupradictam cæleſtis hereditatis, puta gloriam æternam: (*Gratia* enim *Dei vita æterna*, Roman. VI. 23.) quæ vobis obtinget IN REVELATIONEM IESU CHRISTI [ſic habent Græca,] id eſt in die iudicii. Succincti, inquam,

V. 14. QUASI FILII OBEDIENTIAE, id eſt obedientiſſimi *p*, qui minimos etiam nutus parentum obſervant, ut iis obſequantur. NON amplius CONFIGURATI, ſeu conformati per inhæſionem & obſequium, PRIORIBUS IGNORANTIAE VESTRAE DESIDERIIS, id eſt appetitibus & paſſionibus carnis, quibus olim, cum in tenebris infidelitatis eſſetis, ſervire ſolebatis.

V. 15. SED configuremini divinæ ſanctitati, ut plene & perfecte IN OMNI CONVERSATIONE veſtra SANCTI, puri, immaculati, a terrenis fecibus ſegregati SITIS, SECUNDUM EUM *Sanctum q* QUI VOS ad fidem, gratiam & ſalutem ſupradictam VOCAVIT, id eſt ſecundum Deum & Chriſtum, qui ut fons, ita & exemplar eſt omnis ſanctitatis. Hunc enim

V. 17. INVOCATIS ut amantiſſimum PATREM, & ut iuſtiſſimum *iudicem*: ergo decet ut eumdem etiam, toto INCOLATUS, ſeu peregrinationis veſtræ, TEMPORE, ſanctiſſime colatis, ut decet morigeros filios, graviter alioquin ab eo iudice puniendi, cuius oculos & manus effugere numquam poteritis. Sed eſt & alter ſtimulus quo ad omnem vitæ ſanctitatem compellimini nempe

V. 18. QUOD ad eam colendam empti ESTIS & REDEMPTI, & quidem inæſtimabili pretio, *ſanguinis* & mortis *Chriſti*.

V. 20. PRAECOGNITI, & ad hoc prædecreti, ſeu *prædeſtinati*, (ut Syrus & Tigurini vertunt,) ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM ab omni æternitate, ut ſupra *r* dicebam: ſed veſtris demum TEMPORIBUS reipſa mundo exhibiti & MANIFESTATI per incarnationem, nativitatem, paſſionem, reſurrectionem &c. Idque generatim quidem pro toto mundo, ſpeciatim tamen PROPTER VOS, quibus de facto applicatus eſt fructus adventus & paſſionis Chriſti,

V. 21. QUI PER IPSUM, id eſt merito & dono ipſius, FIDELES facti ESTIS IN DEO; Græce & Syriace, *creditis in Deum*: QUI etſi permiſerit eum ſuſpendi in cruce & ignominioſe occidi, tamen mox SUSCITAVIT EUM A MORTUIS redivivum ac glorioſum: idque tum ob ipſius merita, tum in veſtrum bonum, nempe *ut* firma *fide* & certa *ſpe* vos quoque (utpote membra eius) pari modo reſurrecturos ad ſimilem gloriam, exſpectetis beneficio Dei, & merito eiuſdem Chriſti. State igitur *ſuccincti lumbos*,

V. 22. CASTIFICANTES ANIMAS VESTRAS, id eſt purificantes animi veſtri affectus & appetitus omnes, non tam ſervili OBEDIENTIA quæ eſt timoris, quam filiali quæ eſt CARITATIS, inquit S. Bernardus *ſ*. Et præ omnibus AMORE *fraterno*, eoque SIMPLICI, non ficto, non ſimulato, ſed ſincero & EX TOTO CORDE, INVICEM DILIGITE quanto poteſtis ATTENTIUS, id eſt impenſiſſime atque intenſiſſime: quia nempe omnes in Chriſto fratres eſtis, pari iure filii Dei, & heredes cæli,

V. 23. RENATI EX eodem SEMINE *verbi* DEI & Evangelii *t* Chriſti, & illuſtrationis atque inſpirationis divinæ, & gratiæ iuſtificantis. Quod *ſemen* eſt *incorruptibile*

cau-

Digitized by Google

cauſaliter, quia hominem quem regenerat, facit *incorruptibilem u*, & ſupervicturum IN AETERNUM. In quo ſane plurimum differt hoc ſemen divinum a ſemine humano & terreno, ex quo nil niſi caducum, corruptibile & mortale progignitur, quod inſtar *fœni x* & *floſculi* vix natum moritur, contabeſcit & exareſcit.

(a) Act. viii. 1.
(b) II Petr. ii. 12. & Epheſ. i. 4.
(c) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 12.
(d) Rom. viii. 9.
(e) Apoc. x. 4.
(f) Matth. xxv. 34.
(g) I an. iii. 2.
(h) II. Cor. vii. 4. & Iac. i. 2.
(i) Iſaias xlv. 28. Habac. ii. 1. Daniel ix. &c. Malach. iii. 1. Iacob Gen. xlix. 10. & 18. Moyſes Exod. iv. 13.
(k) Iſa x lxiii. Pſalm. xiii. &c.
(l) Coloſſ. i. 16.
(m) Auguſt. tom. iii. cap. lix.
(n) Bern. Serm. I. & IV. de omnibus Sanctis.
(o) Epheſ. vi. 14.
(p) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. xl.
(q) Dan. ix. 44.
(r) Hic verſ. 10.
(ſ) Bern. tract. de Præcepto & diſpenſat. cap. ix.
(t) Hic verſ. ult.
(u) Ioan. iii. 5.
(x) Iſaiæ xl. 6. & Pſ. ci. 12.

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. PETRUS APOSTOLUS. Sermo itaque eſt ad diſperſos Iudæos Chriſtianos, quos electos vocat ad fidem & gratiam. Cauſam diſperſionis, vide Act. viii. 1. Provinciæ iſtæ ſunt Aſiæ minoris partes: immo quæ hic dicitur Aſia, eſt minoris Aſiæ pars aliqua. Vocat hos Iudæos electos SECUNDUM PRAESCIENTIAM, deſignans hos Aſiaticos eſſe per ſpecialem Dei providentiam electos ad fidem, & ſanctificationem ſpiritus, ut ſic ſanctificati obediant Evangelio, & præceptis per Evangelium propoſitis; habentes continuo ante oculos aſperſum & effuſum pro ipſis ſanguinem Chriſti.

V. 3. BENEDICTUS DEUS. Hoc eſt, quod in Synopſi capitis dixi de gratiarum actione pro regenerationis beneficio per Chriſtum & baptiſmum, quibus perducimur ad iuſtificationem, & mortem peccati, non ſine ſpe magnorum bonorum in cælo, quando iam reſurgens Chriſtus iter aperuit. Hanc hæreditatem exaggerat verſu 4. quæ conſervata, ita & parata eſt vobis, ut vertit Syrus. Tota hæc fidei doctrina eſt, quam ſuis locis aperiunt Scripturæ, & declarant Theologi omnes.

V. 5. QUI IN VIRTUTE DEI. Cuſtodit ſuos Deus, tum ne cadant (niſi ſibi deſint) tum ut progrediantur in via ſalutis. Cuſtodit vero per fidem vivam & operatricem, ubi non deeſt caritas. Cuſtodit autem ad ſalutem, quæ plane iuſtis conceditur, etiam quoad corpus in die iudicii. Beda hic per fidem intelligit Chriſtianam religionem, & Chriſti gratiam.

V. 6. IN QUO EXULTABITIS. *In quo*, hoc eſt, in quarum rerum promiſſarum cogitatione fructuoſa exaltabitis, quamvis nunc ad modicum ferenda ſunt adverſa. Sic enim per tribulationem probata fides tunc invenietur vobis in gloriam & honorem, in die iudicii, quam hic vocat revelationem Ieſu Chriſti: quod amplius declarant inſequentes verſiculi, præſertim verſ. 9. ubi docet reportandam eſſe mercedem. Hinc ſtatue de merito, ut alibi dictum eſt.

V. 10. DE QUA SALUTE; quaſi diceret: Salus hæc tanta, quam vobis annuncio, non eſt novum aliquid aut leve, ſed eſt ea quam Deus ab æterno decrevit: quæ revelata eſt Prophetis, diu deſiderata a Patribus, & vobis iam palam oblata. In hoc vobis miniſtrabant antiqui illi Patres, denunciantes futurum, quod nunc vobis evangelizatur, miſſo ad ſanctificandum vos Spiritu Sancto. Vobis ergo miniſtrabant Prophetæ, prophetabantque per Spiritum Chriſti; & Apoſtoli evangelizant per Spiritum Sanctum.

V. 13. PROPTER QUAE. Præfatus ſum hanc eſſe alteram capitis partem, ubi de moribus agitur. Infert S. Petrus, cum tot bona ſint propoſita legitime certantibus, oportere eſſe mente promptos, & alacres ad ea quæ utilia ſunt ad finem obtinendum. SOBRII, νήφοντες. Sobrietas mater eſt vigilantiæ; quo fit, ut aliqui legant, *vigilantes*. Utraque lectio reſpicit vigilantiam mentis; & præſertim ſi τὸ PERFECTE referatur ad ſobrietatem: quamvis aliqui vocem *perfecte* referant ad ſpem, ut ſit ſpes non quæcumque, ſed Chriſtiana, nempe quæ eſt *per* GRATIAM, ut hic dicitur, quæ fovet ſpem, & medium eſt ad id quod ſperamus; tamen per gratiam aliqui non male gloriam ſperatam intelligunt.

V. 14. 15. 16. QUASI FILII OBEDIENTIAE.

TIAE. Sequitur ad id quod dictum eſt in exhortatione ad vigilantiam in hoc vitæ ſtadio. Vult hos filios & ſperantes eſſe filios obedientes, non adhærentes ſolitis olim concupiſcentiis, quas vocat ignorantiæ deſideria, quibus opponit ſanctitatem, eoque invitat exemplo vocantis eos, qui ſanctus eſt. Ad quod citat locum Levitic. xx. 26.

V. 17. 18. 19. ET SI PATREM. Et merito, inquit, ſuadeo ſanctitatem, quia Deus, qui vobis eſt pater, ſanctus eſt: immo & iudex ſine acceptione perſonarum. SCIENTES (18.) Aliud argumentum eſt ad ſancte vivendum; quia redempti eſtis ab impuritate magno pretio, non auro, ſed divino ſanguine Chriſti. Pretium eſt infiniti valoris. Agnum vocat Chriſtum, id eſt agno ſimilem in puritate, omnique innocentia. Reſpicit agnum Paſcalem, qui debebat eſſe ſine macula & vitio.

V. 20. & ſequent. PRAECOGNITI QUIDEM. Hi duo verſus velut per parentheſin explicant, quantus ſit hic redemptor; nempe prædeſtinatus ab æterno, apparens in tempore per incarnationem; per quem fideles eſtis, ſperantes in caritate veſtram etiam reſurrectionem & gloriam. CASTIFICANTES. Alludit ad id quod dixit de agno. Caſtum, ſyncerum & purum amorem fraternum deſignat. OBEDIENTIA CARITATIS deſignat ex motu caritatis ſubiectos homines legi & mandatis Dei, maxime cum ſint fideles hi renati, & fratres nati ad fraternum hunc amorem ex gratia, ſemine incorruptibili, & perpetuo, quantum eſt in ipſo. CARO fœnum eſt. Vide Iſai. XL. 6. VERBUM DOMINI. Eſt verbum de Chriſto, eiuſque myſteriis recenſitis: unde ſemen, gratia, & tota hæc ſecunda generatio noſtra.

CAPUT II.

Excluſa omni fictione, regenerati ad Chriſtum lapidem vivum accedant credentes qui ſunt genus electum, cum prius eſſent populus abiectus: hortatur ut tamquam peregrini ab omnibus mundanis abſtineant, ſuperioribus obtemperent, afflictioneſque ad Chriſti imitationem ferant.

1. DEponentes igitur omnem (*a*) malitiam, & omnem do-
lum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractio-
nes, 2. ſicut modo geniti infantes, * rationabile, ſine
dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem:
3. ſi tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus. 4.
Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus qui-
dem reprobatum, a Deo autem electum, & honorifica-
tum: 5. * & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis,
ſacerdotium ſanctum, offerte ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum
Chriſtum. 6. Propter quod continet Scriptura: (*b*) ecce pono in Sion la-
pidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum,
non confundetur. 7. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus au-
tem, (*c*) lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput an-
guli, 8. & lapis offenſionis, & petra ſcandali, his qui offendunt verbo, nec
credunt † in quo & poſiti ſunt. 9. Vos autem genus electum, regale ſa-
cerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annuntietis eius,
qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum. 10. (*d*) Qui ali-
quan-

quando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. 11. (*e*) Chariſſimi, obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, 12. converſationem veſtram inter gentes habentes bonam: ut in eo, quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. 13. (*f*) Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive regi, quaſi præcellenti; 14. ſive ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: 15. quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: 16. quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei. 17. Omnes honorate: (*g*) fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. 18. (*h*) Servi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. 19. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. 20. * Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes patienter ſuſtinetis; hæc eſt gratia apud Deum. 21. In hoc enim vocati eſtis: * quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum ut ſequamini veſtigia eius: 22. (*i*) qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius: 23. qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: * † tradebat autem iudicanti ſe iniuſte: 24. (*k*) qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui iuſtitiæ vivamus: cuius livore ſanati eſtis. 25. Eratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.

(*a*) Rom. vi. 4. Epheſ. iv. 22. Col. iii. 8. Heb. xii. 1. (*b*) Iſa. xxviii. 16. Rom. ix. 33.
(*c*) Pſalm. cxvii. 22. Matth. xxi. 42. Act. iv. 11. Iſa. viii. 14. (*d*) Oſee ii. 24. Rom. ix. 25.
(*e*) Rom. xiii. 14. Gal. v. 16. (*f*) Rom. xiii. 1. (*g*) Rom. xii. 10.
(*h*) Epheſ. vi. 5. Coloſſ. iii. 22. Tit. ii. 9. (*i*) Iſai. liii. 9. (*k*) I. Ioan. iii. 5. Iſai. liii. 5.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. *Rationabile, ſine dolo, lac concupiſcite.* Retinendum eſt neutrum ſingulare *rationabile*, non ſupponendum maſculinum plurale *rationabiles*.

Verſ. 5. *Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis.* Inſignis correctio, qua reſtitutus eſt nominativus ſingularis vocibus *domus*, vel *domos ſpirituales*, qui legi ſolent, nunc addita, nunc dempta *in* præpoſitione.

Verſ. 20. *Quæ eſt enim gloria.* Non mutes *gloria*, poſitum pro gloriandi materia, cum *gratia*.

Verſ. 21. *Quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum.* Quidam boni libri legunt duplex *vobis*, ſecundæ perſonæ, ſed male illi, qui duplex *nobis* primæ perſonæ: ſequitur enim ſecunda perſona: *ut ſequamini veſtigia eius:* tametſi veteres quidam docendi cauſa, citent prima perſona *ſequamur*. Legat, cui placet, Notationes noſtras.

Verſ. 23. *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* In quibuſdam codicibus hæc reperiuntur vitia; ut pro *autem* legant *enim*; addant alterum *ſe*, præpoſitum participio *iudicanti*; participium illud ſingulare dativi caſus mutent, nonnulli in accuſativum pluralem *iudicantes*, nonnulli in verbum infinitum *iudicari*. De reliquo lege Notationes.

Lz.

Lectionum Varietas.

Verſ. 8. IN *quo & poſiti ſunt*. Quidam libri pro ablativo *quo* legunt accuſativum *quod*, Græco ſimiliter: vide Notationes.

V. 23. *Tradebant autem iudicanti ſe iniuſte*. Ex Notationibus noſtris augurari liceat, legendum eſſe, *tradebat autem iudicanti iuſte*.

Notationes.

Verſ. 5. ET *ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini domos ſpirituales*. *Domos ſpirituales* plerique codices legunt; *domus ſpiritualis* quidam, ſcripti duo, Di. o. Ge. l. a Pariſienſibus notati, impreſſi aliquot Complutenſis, Regius, & maxime textus Neotericorum enarrationibus iuncti. Utriuſque lectionis Beda meminit. *Domus ſpiritales* legit, additque poſtea: „ Nec prætereundum quod quidam codices habent in „ ſingulari, *ſuperædificamini domus ſpiritualis*“. Poſterior hæc Græco conſonat (οἶκος πνευματικὸς) eſtque apud Auguſtinum epiſtola 57. ad Dardanum; quamquam nonnulla Auguſtini exemplaria *domus ſpirituales* legant: quo modo ſcribit, & Lobienſis Abbatiæ manuſcriptus codex, ac Typographorum priores editiones, Moguntina, Nurenburgenſis, Colonienſis, id quod nominandi caſu per appoſitionem addito intelligi poſſit, ſimiliter illi *domus ſpiritualis*; ſed multitudinis numerus, ut non perinde exprimit eccleſiaſtici ædificii unitatem; quod annotarunt quidam, ita non ſatis congruere videtur comparationi illi *tamquam lapides vivi*: neque enim ſinguli lapides domum efficere poſſunt: niſi intelligas non ſingulas perſonas lapidibus comparatas moneri, ut domus ſpirituales fiant, ſed plures ac ſingulos cœtus. Syricum Teſtamentum multitudinis numero: *Et eſtote templa ſpiritalia* habet (facile enim Græce, vel οἶκοι πνευματικοὶ, vel οἶκοι πνευματικῶς lectum fuiſſe potuit) ſed ſi puncta demas ſingulari numero intelligas licet: *Et eſtote templum ſpiritale*. Plerique probant nobis ſingulari numero *domus ſpiritualis* legi, ac nominatim caſtigator Zegerus, qui & editionem ſuam eum ad modum emendavit; exiſtimatque indocta ſcribarum temeritate demutatum id eſſe in *domos ſpirituales*. Ceterum neſcio, qui mutare potuerint ſcribæ obſcurum legendi modum in obſcuriorem; niſi forte *ſuperædificamini* active intellexerint, ut certe B. Thomas intelligit. Undecim noſtra manuſcripta *in domos ſpirituales* habent; ſed illa minori fide digna. Adiectum eſt a quibuſdam *in* explicationis ergo: ſubaudiri enim debet, ſi *domos* legas. Ita vero & ſingularis numeri lectionem claritatis ergo mutarunt quidam, *in domum ſpiritalem*; quo modo eſt apud Auguſtinum Pſalmum lxxxvi. enarrantem, & Beda notat in quibuſdam exemplaribus haberi.

V. 8. *Qui offendunt verbo, nec* (*non* o.) *credunt in quo & poſiti ſunt*. Vetuſtiſſimus Malmuadarii codex, & alter G littera inſignitus, & quem Pariſienſes notarunt, Dionyſii oblongus, V. Beda adſtipulante, legunt *in quod & poſiti ſunt*, Græco ſimiliter, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. Quidam Bedæ codices habuerunt *in quo*; noſtri plerique omnes id habent; ac ſolet Interpres non raro ſextum caſum quarti loco *in* præpoſitioni dare; ſed cum hoc loco quintus caſus fide digniſſimis libris, & graviſſima Bedæ auctoritate conſtet, amplectendus certe videtur. Porro id quod Interpres vertit *nec credunt*, Græcis unica vox eſt; eaque participii ἀπειθοῦντες *imperſuaſi*, *increduli*. Quare Germanum eſſe crediderim loci ſenſum, quem Græci tractatores, Didymus, & OEcumenius dedere: qui per incredulitatem in Evangelicæ prædicationis verbum impingunt, ad quod ad impingendum inquam, & conſtituti ſunt, iudice Deo, dum huiuſmodi ſortem ſuam ſibi perverſitate meruere. Sic Paulus ad Romanos 1. 24. 26. 28. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum*, *in paſſiones ignominiæ*, *in reprobum ſenſum*.

V. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis*, *vobis relinquens exemplum*, *ut ſequamini veſtigia eius*. Varie hic leguntur pronomina *nobis*, & *vobis* tum Latine, tum Græce, ut parvo inter ſe diſcrimine, unius videlicet literæ, (ἡμῖν, ὑμῖν) eiuſque alterius alteri perſimilis, utraque lingua differunt. Latini plerique codices, & enarratores Carenſis, Thomas, ac Richelius manifeſte cum Græcis Hiſpanorum editionibus, & Pariſienſium ea quæ anno 49. prodiit, *nobis*, *vobis* legunt: *Paſſus eſt pro nobis*, *vobis relinquens exemplum &c.* Græci plerique codices cum Syricis *nobis*, *nobis* habent; quibus conſonant tria Latina exemplaria Pariſienſium unum, (Ge. l.) Hentenii unum, ac noſtrum unum, (E.) & Quentelii excuſio. Alia 7. Latina manuſcripta noſtra, (Do. Leod. T. Q. H. Atr. Buſ.) & quædam Hentenii cum Græcis Pariſienſium exemplaribus δ, & θ, & Græci Tractatoris OEcumenii textu, *vobis*, *vobis*, ſcribunt. Nicolaus Zegerus tertium hunc legendi modum, *paſſus eſt pro vobis*, *vobis relinquens*, ſeriei orationis ceteris accommodatiorem iu-

dicat;

dicat; cui nos ſententiæ ſubſcribimus. Servos enim alloquitur Petrus, docetque Servatoris exemplo æquo animo ferre, ſi a dyſcolis dominis plagas referant, dum bene fecerint. Quæ eſt enim gloria, inquit, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? Sed ſi benefacientes, & patientes ſuſtinetis, hæc eſt gloria apud Deum: in hoc enim vocati eſtis. Quia & Chriſtus paſſus eſt pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia eius. Ad hoc, inquit, vocati eſtis, ut pro benefactis, male patientes toleretis iniurias. Chriſtus enim vocationis veſtræ auctor, & dux, iſque Dei filius tanta clarus maieſtate pro veſtra ſalute paſſus, exemplum vobis huiuſce rei dedit, quod imitemini; idque clarius explicans pergit: *Qui peccatum non fecit*, &c. Hanc itaque legendi rationem quæ ſecundæ perſonæ pronomen iterat, germanam eſſe exiſtimarim Apoſtoli ſcripturam. Cumque eadem & in lectiſſimis ſit noſtræ verſionis exemplaribus, quibus V. Bedæ commentarius exactius diſcuſſus ſuffragari deprehendatur, non dubito quin ab Interprete data ſit. " Notandum attentius, ait Beda, ,, quam ſummæ conditionem ſervorum glorificet, quos benefacientes, & ſine culpa ,, vapulantes a dominis crudelibus & improbis, imitatores eſſe Dominicæ Paſſionis affirmat. Audis autem quia paſſus eſt pro ,, nobis (non ob hoc legit *nobis*, quamquam ,, facile eſſe poſſit *vobis*) & gaudes quia pro ,, te mortuus eſt, attende quod ſequitur: *Relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia eius* ". Et quod clariſſimum eſt paulo poſt in illud: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit &c.* " Cum ſupra, ait, ad ſervos ſpecialiter fecerit ſermonem, nunc generaliter admonet, ut etiam domini in memoriam revocent, quid pro illis Deus & Dominus ſuſtinuerit. Immo totam Eccleſiam ,, inſtruit, quid pro eius liberatione ſuus auctor pertulerit. Non enim ait peccata veſtra, ſed etiam ſe addito: *Quia peccata*, ,, inquit, *noſtra ipſe pertulit* &c. " Perſpicue loquitur, ita a ſe lectum prius fuiſſe, ut ſeipſum Petrus non addiderit, ſervos ſolum alloquutus. Porro hinc mutatam crediderim ſecundam perſonam in primam, quod non advertentibus orationis ſeriem, ingrati animi dictum videretur, *paſſus eſt pro vobis*, tamquam qui ſuæ per Chriſti paſſionem redemptionis beneficium non agnoſceret; arrogantis, *relinquens vobis exemplum*, quaſi qui perfectiorem ſe duceret, quam ut Servatoris opus haberet exemplo. Poſterius tamen *vobis* propter verbum *ſequamini* (*ut ſequamini veſtigia eius*) pauciores auſi ſunt mutare. B. Auguſtinus iterat nobis, *paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum*, cum tractatu in Ioannem XXI. tum in Pſalmum LXXXVII. verum adferens locum non ad verbum, ſed iuxta ſententiam quæ etſi primo ad ſervos dicta ſit, libris æque convenit. Unde pro *ſequamini*, *ſequamur* dixit: id quod nulli habent, niſi forte unum ex Latinis noſtris manuſcriptis, idque *vobis* legens. Zegerus pro lectione, quæ repetit *nobis*, Hieronymum citat in LIII. Iſaiæ caput, pro ea quæ *nobis vobis* ſcribit, Cyprianum libri tertii ad Quirinum cap. XXXIX. & Leonem ſermone XIV. de paſſione. Miror hominis *ἀκρισίαν*, qui frequenter hunc ad modum Patres ad lectionum varietates citet, cum nihil ex ipſis Patrum verbis nude loca adferentium liquear, neque ipſa lectio huiuſmodi ſit, ut ſuis ipſa iudiciis loquatur, librariorum ſe manus effugiſſe, qui fere ſolent Patrum citationes iuxta eum legendi modum, cui ipſi aſſueverunt, immutare, etiam tum cum ex circumſtantibus Patrum verbis aliud liquet; & doctuli præſertim qui Typographorum editionibus præfuerunt nonnumquam iuxta vulgatam Græcorum lectionem. Zegeri Hieronymus hunc locum legit, *nobis*, *nobis*; noſter & Pariſiis, & Antuerpiæ nunc ex Romana editione excuſus, *nobis*, *vobis*.

V. 23. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte. Græci codices, & enarratores (Didymus OEcumenius) conſtanter legunt: *παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως: Committebat autem iudicanti iuſte*, ſupple, vindictam, vel cauſam ſuam, aut eos a quibus affligebatur iuxta illud Deuteronomii XXXII. 35. quod Paulus aliquoties citat: (Rom. XII. verſ. 19. Hebr. X. verſ. 30.) *Mihi vindictam ego retribuam*. Græcis Syri concinunt, qui paraphraſticas verterunt: *Sed tradebat iudicium ſuum iudici iuſtitiæ*. Græcis, & Syris B. Auguſtinus tractatu in Ioannem XXI. convenit legens: *Sed commendabat illi qui iuſte iudicat*. Exiſtimarim his conſone traduxiſſe Interpretem noſtrum: *Tradebat autem iudicanti iuſte*; verum cum id intelligendum putaretur de iudicibus a quibus Chriſtus malis affectus eſt (quibus niſi ſe ipſe tradidiſſet, permiſiſſetque malis affici ab eis haud potuiſſet) mutatum eſſe *iuſte* cum *iniuſte*, ac *ſe* additum claritatis gratia: *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte*: ita enim in duobus eſt *ſcriptis*, K. & Beſſarionico. Unicum ſi addatur, aptius quadret *τῷ indicanti* præpoſitum, quo loco apud S. Cyprianum ponitur 3. ad Quirinum XXXIX. capite: *Tradebat autem ſe iudicanti iniuſte*. Nam quod *τῷ* iu-

indicanti poſtpoſitum eſſet, offenſi quidam verterunt *indicanti*, alii in *indicantes*. Atrebatenſis Collegii ſericatum manuſcriptum habet: *Tradebat autem iudicari ſe iniuſte*. Auctor Gloſſæ & Çarenſis enarrant, cum eo qui vulgo receptus eſt, hunc legendi modum: *Tradebat autem indicantes ſe iniuſte*: cui ſubaudiunt *Deo Patri*. Quidam pro *autem* ſcripſerunt *enim* (*T. O. Pl. m.*) *Tradebat enim iudicanti ſe iniuſte*; ut ſententiam redderent loco convenientiorem: quamquam rectius conveniat *autem*, pro *quinimmo* acceptum. Porro ſi ἀδίκως Græce pro δικαίως legas, & *ſe* ſubaudias, habeas eum legendi modum, qui vulgo receptus eſt: *Tradebat autem indicanti ſe iniuſte*; ſed minus auctoritate firmatum, itaque affinem firmatiori ac probabiliori, eique, obſcuriori: *Tradebat autem indicanti iuſte*, ut non poſſit non fieri veriſimile ex illo mutatum eſſe. Zegerus pro eo DD. Cyprianum, & Leonem citat; eodem iudicio, quo iam ante ad proximam varietatem. Ceterum Paulinus epiſtola 2. ad Severum, antiquo, opinor, librariorum errore deceptus, ſcripſit: *Tradebat autem ſe ad mortem indicanti iniuſte*.

COMMENTARIA

GAGNAE I.

Verſ. 1. & 2. DEPONENTES. Pro deponentes Græce eſt ἀποθέμενοι aoriſtus: eſt ergo ſenſus, depoſita igitur (in baptiſmo ſcilicet) omni malitia, &c. rationabiles & ſine dolo, concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem, id eſt ſemel in ſpirituali nativitate in baptiſmo regenerati, tales eſtote per huius nativitatis gratiam, quales decet nuper natos infantes per innoxiæ ætatis naturam, ignari ſcilicet malitiæ & doli, invidere & detrahere neſcit: & ſicut illi lac maternum deſiderant, quo aliti in adultam ætatem creſcant: ita vos de matris eccleſiæ uberibus, lac concupiſcite & ſugite, id eſt ſimplicia fidei rudimenta non arduas fidei quæſtiones, qui cibus eſt grandium, & in ſcripturis exercitatos ſenſus habentium, quærite: ut huiuſmodi lacte primum aliti creſcatis in viros perfectos, & perfectam ſalutem adipiſcamini. Hæc prope ex Beda: quod autem noſter interpres τὸ RATIONABILES ET SINE DOLO refert ad τὸ *deponentes*, Græci referunt ad τὸ *lac*; nam quod ille legit λογικοὶ καὶ ἄδολοι, Græca quæ nunc extant, habent λογικὸν καὶ ἄδολον, id eſt rationabile, ac ſine dolo lac: vocat autem lac λογικὸν & rationale, ad diffrrentiam lactis corporei, vel etiam, ſi metaphoram ſequimur, ad differentiam lactis animalis, carnalis ſcilicet doctrinæ: & lac ἄδολον, id eſt ſine dolo, ad diffrrentiam doctrinæ hæreticæ, quæ ſe doloſe inſinuat. Huiuſmodi ergo lac, inquit, concupiſcite, ſi tamen vel ſi quid em guſtaſtis quod ſuavis & dulcis & benignus eſt dominus; utrumque enim ſignificat, τὸ χρηστὸς. Quod autem interpres verterat, UT IN EO CRESCATIS IN SALUTEM, miror quid in mentem Eraſmo venerit, ut verteret etiam in noviſſima editione, expungens τὸ in ſalutem, ut per illud ſuboleſcatis; non enim memini legiſſe ſubolrſcatis pro adoleſcatis, & vetus codex Dionyſianus habet in contextu εἰς σωτηρίαν, id elt in ſalutem.

V. 4. & 5. AD QUEM ACCEDENTES. Accedentes, inquit, ad Dominum, LAPIDEM VIVUM, (recte enim inquit Beda Chriſtus lapis eſt, qui in carne veniens ædificationi ſanctæ eccleſiæ ſeſe inſerere dignatus eſt, & bene vivus, qui via, veritas & vita:) AB OMNIBUS QUIDEM REPROBATUM, quum dicerent Iudæi, non habemus regem niſi Cæſarem. A DEO AUTEM ELECTUM, quando conſtitutus eſt rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. Qui vere electus Dei fuit, teſtante Eſaia XXIV. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea*. ET HONORIFICATUM, quando donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, & gloria atque honore coronavit eum. Ad talem ergo lapidem accedentes & illi conformes pro captu veſtro effecti, TAMQUAM VIVI LAPIDES, non velut mortui, qui laborantis operam per ſe iuvare nihil poſſunt; ſed architectis prædicatoribus, & doctoribus ipſi tanquam vivi lapides cooperantes. SUPERAEDIFICAMINI DOMOS SPIRITUALES: puto errore librariorum pro domus poſitum domos. Iudicat au-

Digitized by Google

autem Beda triplicem lectionem fuiſſe. *Superædificamini domus ſpiritualis, & in domum ſpiritualem, & domos ſpirituales:* quod ſi interpres vertit domos ſpirituales, puto addiſſe τὸ in, ſed magis credo vertiſſe vel domus ſpirituales in plurali, vel domus ſpiritualis in ſingulari, ſicut Græce eſt οἶκος πνευματικὸς. Accedentes ergo ad vivum lapidem Chriſtum, & illi conformes effecti, ſuperædificamini domus ſpirituales; id eſt, ſuperædificate voſmetipſas ſuper firmum illud fundamentum & ſolidam petram Chriſtum, tamquam domos ſpirituales, ac ſpirituale templum Dei in quo habitat Chriſtus: ſuperædificamini inquam, *in* SACERDOTIUM SANCTUM, id eſt, ut ſitis ſacerdotium ſanctum, ſicut poſtea ait, *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium*. Græcis deeſt τὸ in, & ſenſus eſt, ut templum Chriſti & ſacerdotium effecti; id eſt, ſacerdotes (ſicut circumciſio pro circumciſis ſumitur) ſuperædificemur ſuper ipſum ſeu domus ac templum & ſacerdotium, id eſt ſacerdotes *offerentes* SPIRITUALES HOSTIAS ACCEPTABILES DEO PER IESUM CHRISTUM, ad differentiam legalium ſacerdotum, qui carnales hoſtias offerebant: nos autem ſpirituales offerre oportet, eleemoſynas, orationes, & ieiunia, corque purum & contritum; quia iam ſacrificium & oblationem animalium non vult Deus.

V. 6. PROPTER QUOD CONTINET SCRIPTURA. Græce eſt paulo ſecus διὸ καὶ περιέχει ἐν τῇ γραφῇ, ſive διότι, ut codex Dionyſianus habet: περιέχω autem ſignificat contineo & amplector, etiam excello, utroque modo ſumi poteſt. Intelligendo quod antea dixit, Chriſtum eſſe lapidem vivum & electum, propterea & in Scriptura continet, id eſt deſcribitur continens & connectens res inter ſe ſicuti ſcriptum eſt: ECCE PONO IN SION LAPIDEM SUMMUM ANGULAREM, ubi pro ſummum angularem græce eſt unica dictio ἀκρογωνιαῖον, id eſt ut ita dicam, ſummangularem, hoc eſt, in ſummo angulo poſitum: nulli autem dubium, quin angularis lapis connectat duos parietes, ita Chriſtus duos parietes, duos ſcilicet, Gentilium & Iudæorum populos coniunxit, ex utriſque unum populum unumque ovile faciens. Si ſumamus περιέχειν pro excellere, ſenſus eſt, propterea in ſcriptura excellit, id eſt excellens iſte lapis declaratur in Scriptura dicente: *Ponam Sion lapidem ſummum angularem*, PROBATUM, ELECTUM, ET PRETIOSUM: QUI CREDIDERIT IN EUM NON CONFUNDETUR vel pudefiet. Græce eſt καταισχυνθῇ. Vide etiam num & περιέχει paſſive ſumatur, ut pleraque vocis activæ, pro continetur & habetur in Scriptura: puto interpretem noſtrum non legiſſe ἐν, immo vertiſſe *continet ſcriptura*.

V. 7. & 8. VOBIS IGITUR HONOR. Si quis crediderit in eum non confundetur; igitur vobis in eum credentibus non ignominia, ſed honor efficitur iſte lapis, ſicut contra incredulis ſcribis & phariſæis, quorum intererat plebem ædificare, vivum lapidem Chriſtum abiicientibus & reprobantibus, factus eſt in caput anguli, qui ex fortiſſimo lapide fieri ſolet: non quod eos contineat & Deo conglutinet, ſed quod ad eorundem nationem fideles Deo uniat, quando poſitus eſt, & ad hoc homo factus ut tamquam lapis angularis utrumque populum fide uniret; nec ſic exaltatus modo eſt, ut caput anguli fieret, ſed illis etiam in ruinam factus eſt: unde ait, ET LAPIS OFFENSIONIS ET PETRA SCANDALI, IIS QUI OFFENDUNT VERBO NEC CREDUNT, IN QUO POSITI SUNT, id eſt, nec in Chriſtum credunt qui ad hoc poſiti & facti ſunt, ut in eum credant. Græci habent εἰς ὃ ἐτέθησαν, id eſt *ad quod poſiti ſunt*; & græca ſcolia explicant: factum eſt petra ſcandali iis qui non credunt, ad quod poſiti ſunt; id eſt, ad quod ſcilicet, ut non crederent & offenderent, poſiti ſunt, id eſt deſtinati ſunt: non quod ad hoc illos Deus induxerit, ſed quod in illud barathrum ipſi ſeſe præcipitarint. Senſus ergo eſt: Scandalo & offenſioni Iudæis eſt lapis iſte Chriſtus, non ſua natura, ſed illorum vitio, qui ſponte in illum inſurgunt, & qui offendunt verbo. Græce, οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, id eſt qui impingunt in verbum evangelii, vel filium ac verbum Dei Chriſtum, & non credunt: credentibus autem, honor eſt, id eſt illis eſt in pretio, hoc eſt, quod Paulus ait I. Cor. VIII. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis, & Græcis Dei virtutem ac ſapientiam.*

V. 9. VOS AUTEM ESTIS GENUS ELECTUM:

CTUM: quos ſcilicet noviſſimo tempore per fidem ſui cultores elegit Deus REGALE SACERDOTIUM: quia, ut inquit Beda, illius corpori uniti ſunt, qui rex ſummus & ſacerdos eſt verus. Regale autem ſacerdotium ait ad differentiam Iudaici, quod Leviticum erat non regale, nos autem ſacerdotium regale, quia ſacerdotes ſpirituales de vice illius & ordine, qui rex eſt & ſacerdos in æternum, quales nos ille fecit, ut ſcribitur Apocal. v. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes*: ut ergo ſpirituales illis hoſtias offeramus, facti ſumus ſacerdotes & gens ſancta per baptiſmum, & populus acquiſitionis, redempti non hircorum aut taurorum, ſed pretioſiſſimo Ieſu Chriſti ſanguine. Vos autem (inquit) talibus ab illo beneficiis eſtis affecti, ut ingrati non ſitis, ſed virtutes eius annuntietis, QUI DE TENEBRIS VOS VOCAVIT, &c. quos dignatus eſt de non ſuo populum ſuum facere, & miſericordia donare. Quod autem interpres habet POPULUS ACQUISITIONIS, Græce eſt, λαὸς εἰς περιποίησιν, id eſt, populus in acquiſitionem: non ut Eraſmus vertit, qui acceſſit ei in lucrum, ſed quem ille multo emit.

V. 11. TAMQUAM ADVENAS ET PEREGRINOS, ABSTINERE A CARNALIBUS DESIDERIIS: nam peregrinos ab omnibus abſtinere oportet quæ nimium gravant: ita nos orbis huius incolas & peregrinos, qui meliorem patriam & manentem ſubſtantiam inquirimus, a carnalibus deſideriis, quæ animam gravant, & adverſus illam militant, abſtinere oportet.

V. 12. IN DIE VISITATIONIS; id eſt, quum Deus illos, veſtra honeſta converſatione ad meliorem frugem reverſos, viſitare, & afflatu ſuo ad fidem vocare dignabitur.

V. 16. NON QUASI VELAMEN HABENTES MALITIAE LIBERTATEM, ut noſtra tempeſtate hæretici qui evangelicæ libertatis prætextu ac velamine, omnem enervant eccleſiaſticam diſciplinam.

V. 18 SUBDITI ESTOTE DOMINIS, ETIAM DYSCOLIS. Græc. eſt σκολιοῖς, id eſt pravis ſive aſperis, quod alia voce Græca reddidit interpres *dyſcolis*, id eſt difficilibus ac moroſis; id enim ſignificat δύσκολος: quod vero antea dixit, *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ*, Græca ſcolia aiunt τὴν κτίσιν, id eſt creaturam ſumi ab apoſtolo pro principatu & poteſtate.

V. 19 SI PROPTER CONSCIENTIAM DEI. HAEC EST ENIM (inquit) GRATIA, *ſi propter Dei conſcientiam* SUSTINET QUIS TRISTITIAS vel moleſtias (utrumque enim ſignificat τὸ λύπας) PATIENS INIUSTE. Nemo, quod viderim, ſatis explicuit quid illud ſit *propter conſcientiam Dei*. Beda omnino ea de re tacet, Græca ſcholia ſilent, Thomas de Vio Caietanus inter ceteros hunc locum explicare aggreſſus, plane mihi deviare videtur, dum ſic explicat: *Propter conſcientiam Dei*, hoc eſt, propter applicationem ſcientiæ, quam habet de iis, quæ grata ſunt Deo. Vide, obſecro, lector, quid iſte iudicii habere potuit in explicatione ſcripturarum ad litteram, quæ ex Græcis & Hebræis litteris pendet: hoc autem te admonitum volui, quia præterquam quod imprudenter eccleſiaſticam verſionem lacerare ubique pene contendit, homo bonarum litterarum (quæ ad inſtitutum illius erant perneceſſariæ) ignarus, etiam multa ſuis in ſacram ſcripturam rhapſodiis infarſit, orthodoxæ fidei ac ſanctæ eccleſiæ dogmatis contraria: quemadmodum egregie oſtendit frater Hippolytus Catharinus Senen. & ipſe Prædicatorii Ordinis homo doctus & pius ac vere Chriſtianus. Ordinis quidem eiuſdem, ſed fidei melioris: ne tu poſt hæc eius commentariis fidem habeas.

Ceterum ad explicationem loci revertar, & quod poſſum (dum melius iudicium expecto) coniiciam, is mihi videtur eſſe ſenſus: Mundus & qui e mundo ſunt etiam ſpectatæ in ſpeciem fidei & virtutis, indignum viro bono putant, ſi illatam non referant iniuriam: non de philoſophis illis loquor, ſed de iis qui ſe Chriſtianos apprime putant: quinimmo ob id non vulgo tantum, ſed viris, ut vocant bonis, & nobilibus ſe peſſime audituros, ſi illatam iniuriam diſſimulent: adverſum hos Petrus; quaſi diceret, Nolite ſpectare quid de vobis dicat mundus, patienter iniuriam ferentibus: *Hæc eſt*, inquit, *gratia*, id eſt, in hoc gratia eſt, *ſi propter Dei conſcientiam*, id eſt ſi propter Deum qui & tuæ patientiæ & illorum nequitiæ conſcius eſt, quis iniuſte moleſtias ſuſtinet. Paulus Act. XXIV. coram Fœlice præſide teſtatur, ſe quantum in ſe fuit, operam dediſſe, ut con-

conſcientiam haberet apud Deum & homines bonam. In hoc & ipſe, inquit, ſtudeo conſcientiam habere apud Deum & homines ſemper: conſcientiam ſtudet habere apud homines bonam, qui nihil agit quod eos offendat: utrumque curare debet qui poteſt, ſicut dicit Apoſtolus II. Cor. VIII. *Providemus enim bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Ceterum ſi quod Deo gratum eſt, diſplicet hominibus ac mundo, conſcientia negligenda eſt hominum. Ideo conſcius ſibi Petrus quia iniuriam non modo non ferre patienter, ſed neque diſſimulare poteſt mundus: *Hæc eſt*, inquit, *gratia*, ſi neglecta hominum conſcientia propter conſcientiam Dei, id eſt quia Deus mentem tuam novit, ſtudens tantum conſcientiam habere apud Deum rectam, patienter quis ferat iniurias: unde eas propter conſcientiam Dei patienter ferenti præmium reponit gratiam non apud homines, ſed Deum. SED SI (inquit) BENEFACIENTES PATIENTER SUSTINETIS, HAEC EST GRATIA APUD DEUM. QUAE ENIM GRATIA (Græce κλέος, id eſt gloria) SI PECCANTES SUFFERTIS? Quum ergo συνεῖδα, & Latinum conſcius ſum, ſignificet non modo ſcium & certum eſſe apud ſe de re aliqua, ſed id una cum alio ſcire: conſcientiam Dei id puto vocari ab Apoſtolo ſcientiam quam de tuo facto una tecum Deus habet. Itaque ſenſus eſt: Hæc gratia ſi propter conſcientiam Dei, id eſt ſi propter Deum qui & tuæ patientiæ & iniuriorum hominum nequitiæ conſcius eſt, ſuſtinet quis *triſtitias*: Græc. τὰς λύπας, quod ſignificat etiam moleſtias patiens iniuſte: hæc ſunt quæ de loci huius ſenſu coniicere potui: ſi quis meliora afferet, lubens & cum gratia amplexabor.

V. 23. QUI CUM MALEDICERETUR NON MALEDICEBAT. Græc. οὐκ ἀντελοιδόρει, id eſt maledicta non regerebat. QUUM PATERETUR, NON COMMINABATUR: TRADEBAT AUTEM IUDICANTI SE INIUSTE. Interpres ſecus legit quam Græci habeant, & ſenſus prout ipſe legit & vertit bonus eſt: quod Chriſtus non modo comminabatur ſeſe affligentibus, ſed ſponte Pilato eum iudicanti licet iniuſte, ſeſe tradebat, ſicut Eſaias ait: *Oblatus eſt, quia voluit*. Græca habent, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, id eſt *tradebat iuſte iudicanti*, cauſam ſcilicet ſuam, hoc eſt, Deo, qui iuſte iudicat, cauſam ſuam remittebat iudicandam.

S A.

Verſ. 2. RATIONABILE, id eſt mentis. Syr. *ſpirituale*. SINE DOLO, id eſt ſincerum. Syr. *purum*. LAC, ſcilicet doctrinæ Evangelicæ, ſeu gratiæ. CONCUPISCITE, id eſt amate, & ſumite. IN EO, id eſt per id.

V. 3. DULCIS, id eſt ſuavis, vel benignus.

V. 5. DOMUS, id eſt templum. OFFERRE; pro, ad offerendum.

V. 6. SUMMUM ANGULAREM. Græce unica eſt dictio; quaſi dicat, In extremo angulo collocandum. Syr. *in caput anguli*. CONFUNDETUR, id eſt erubeſcet, ſeu pudefiet.

V. 7. HONOR, id eſt honori eſt.

V. 8. OFFENSIONIS, ſcilicet ad quem offendant. SCANDALI, id eſt ad quam impingant. IN QUO. Græc. *in quod*, ſcilicet credendum. POSITI, id eſt deſtinati.

V. 9. REGALE Vide Exod. XIX. ACQUISITIONIS, id eſt acquiſitus. Syr. *redemptus*.

V. 11. ANIMAM, id eſt ſpiritum, ſeu mentem.

V. 12. DETRECTANT, id eſt detrahunt. VISITATIONIS, ſcilicet cum Deus illos illuminaverit, ſeu converterit; quaſi dicat, Iuvabit id ad eorum converſionem.

V. 13. CREATURAE, id eſt magiſtratibus ab hominibus creatis.

V. 14. DUCIBUS, id eſt præſidibus. MALEFACTORUM, ſcilicet hominum.

V. 15. SIC; pro, hæc: vel iunge cum *benefacientes*.

V. 16. VELAMEN, id eſt prætextum.

V. 17. FRATERNITATEM, id eſt fratres.

V. 8. MODESTIS, id eſt æquis, ſeu humanis. DYSCOLIS, id eſt aſperis, ſeu difficilibus.

V. 19. GRATIA, id eſt gratiæ effectus. DEI CONSCIENTIAM, id eſt Deum omnium conſcium, vel conſcientiam ſecundum Deum. Syr. coniungit *Dei* cum *gratia*. TRISTITIAS, id eſt moleſtias.

V. 20. QUAE ENIM, &c. quaſi dicat, Quid magnum eſt. Græc. & Syr. *quæ enim gloria*, ſeu *laus*. GRATIA APUD DEUM,

UM, id eſt Deo gratum, ſeu gratiæ Dei opus.

V. 23. MALEDICERETUR, id eſt convitiis inceſſeretur. MALEDICEBAT, id eſt convitiabatur. TRADEBAT, id eſt permittebat. INIUSTE. Græc. & Syr. *juſte*, ut ad Deum referatur.

V. 24. LIVORE, id eſt plagis.

V. 25. VESTRARUM. Græc. *noſtrarum*.

MARIANAE.

Verſ. 1. DEPONENTES IGITUR. Exhortatur ut recte vivant, & proferant fructus regenerationis.

V. 2. RATIONABILE, SINE DOLO, non hæreticorum. LAC, doctrinam ſimplicem, non ſubtiles quæſtiones, ſed ut infantes molle alimentum concupiſcite.

V. 4. AD QUEM ACCEDENTES LAPIDEM VIVUM. Beda: *Bene* VIVUM *vocat, qui eſt via, veritas & vita*. Aut *vivum*, id eſt vivificantem.

V. 5. ET IPSI TAMQUAM LAPIDES VIVI SUPERAEDIFICAMINI, DOMUS SPIRITUALIS, id eſt templum. Triplex huius loci lectio. Hæc noſtra, quæ & Græcorum eſt, & Auguſtini Pſal. LVII. Altera *domos ſpirituales*, quæ eſt Lovan. *ædificamini in domos ſpirituales*. Tertia Gotth. *in domum ſpiritualem*, quæ & Auguſtini epiſt. LXXXVI. Beda hic tres omnes lectiones affert. Ecce pono lapidem.

V. 6. SUMMUM ANGULAREM, id eſt in ſummo angulo pono lapidem Chriſtum.

V. 7. VOBIS IGITUR, hic ſcilicet lapis, honor eſt.

V. 9. VOS AUTEM GENUS ELECTUM a Deo, REGALE SACERDOTIUM. Myſtice fideles omnes ſunt ſacerdotes offerentes hoſtias Deo, ſeque ipſos regentes quaſi Reges. POPULUS ACQUISITIONIS, id eſt redemptus.

V. 10. QUI ALIQUANDO NON POPULUS, id eſt non eratis populus Dei. QUI NON CONSECUTI MISERICORDIAM: ſupple, aliquando. Sed nunc contra.

V. 11. TAMQUAM ADVENAS ET PEREGRINOS. Peregrini urbana non curant, nec cupiunt, quam primum diſceſſuri: ſic nos abſtinere debemus ab iis quæ caro cupit.

V. 12. UT IN EO, QUOD DETRECTANT: obloquantur DE VOBIS. Gotth. *detrahunt*. GLORIFICENT DEUM IN DIE VISITATIONIS. Syr. *examinis*. Is eſt dies afflictionis, cum mala ingruerint. Videntes veſtram in eos benignitatem, Deum laudent.

V. 13. SUBIECTI IGITUR ESTOTE OMNI HUMANAE CREATURAE, κτίσει. Vox hæc *creaturam* ſignificat & *ordinationem*, ſic Gotth. *omni humanæ ordinationi*, Scholia Græca *magiſtratui*, qui *creatura* vocatur, quia creatur ab hominibus, præſertim ſecularis. Syr. *omnibus filiis hominum*, ſic *creatura* pro *homine* ſumetur, ut Marci ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*.

V. 14. SIVE DUCIBUS, id eſt *iudicibus*, ut Syr. exponit.

V. 16. QUASI LIBERI: a lege, a peccato. ET NON QUASI VELAMEN HABENTES, libertatem, ut noſtri hæretici faciunt.

V. 17. FRATERNITATEM DILIGITE, id eſt fratres.

V. 18. SERVI SUBDITI ESTOTE, veſtris dominis. ETIAM DYSCOLIS. Syr. *aſperis*. Gotth. *difficilioribus*, id. σκολιοῖς ſignificat.

V. 19. HAEC EST ENIM GRATIA, id eſt Deo placet. Aut Evangelii gratia id vult, non liberat ſervos. SI PROPTER DEI CONSCIENTIAM, id eſt conſcientiam, quam apud Deum habere debemus, patimur iniuſta, nempe heros difficiles.

V. 20. QUAE ENIM EST GLORIA? Sic lege, non *gratia*, ut multi codices habent.

V. 21. QUIA ET CHRISTUS PASSUS EST PRO NOBIS, VOBIS RELINQUENS. Sic Græc. Regia, ſic Syr. Beda, & plerique codices Latini. At Græca Roberti *nobis*, ſic Auguſt. Tract. XXI. in Ioannem. Alii *vobis*, ut Oecum. & duo codices Roberti notati ad marginem Græci Teſtamenti. Gotth. *Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemptum*. Loci ſententia aperta eſt.

V. 23. TRADEBAT AUTEM IUDICANTI SE INIUSTE, id eſt in morte iudicem iniuſtum pertulit. Gotth. *tradebat ſe iudici iudicanti iniuſte*. Græci codices conſtanter, *tradebat iudicanti iuſte*, id eſt ſuam cauſam Deo iuſto iudici ſervabat: ſic Auguſt. Tract. XXI. in Ioan. Se commendabat illi, qui iuſte iudicabat. Græca noſter Interpres ſic legit, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι ἑαυτὸν ἀδίκως. Utraque ſententia congruit, etſi diverſa.

ME-

Digitized by Google

MENOCHII.

Verſ. 1. DEPONENTES IGITUR OMNEM MALITIAM; quaſi dicat: Cum ſitis renati in baptiſmo ex ſemine incorruptibili per verbum Dei, ut dictum eſt extremo ſuperiori capite, & facti ſitis novi homines, curate, ut depoſitis antiquis moribus, & vitiis, infantiam, & innocentiam Chriſtianam, quam in hac regeneratione inchoaſtis, retineatis. DEPONENTES: ἀποθέμενοι, id eſt *cum depoſueritis* ſcilicet, per baptiſmum. MALITIAM: omne genus vitiorum, & peccatorum. ET OMNEM DOLUM: dolus eſt fraudis machinatio, ad circumveniendum aliquem.

V. 2. RATIONABILE: λογικὸν, lac non materiale, ſed rationale, & ſpirituale, quo mens alitur, & roboratur, qualis eſt ſalutaris doctrina, & inſtitutio, & ſacramenta Eccleſiæ, &c. SINE DOLO: ἄδολον, id eſt ſincerum. UT IN EO: ut virtute lactis huius. IN SALUTEM. Syrus, *ad vitam*. Vita enim gratiæ actu creſcit per operum merita, vita vero gloriæ per eadem creſcit in ſpe, & in iure, maiora enim merita maius dant ius ad gloriam, eamque maiorem.

V. 3. SI TAMEN: εἴπερ, *ſi quidem*. Poteſt etiam εἴπερ accipi pro ἐπειδήπερ, *quandoquidem*. GUSTATIS QUONIAM DULCIS EST DOMINUS: participes facti eſtis conſolationum ſpiritualium, quibus fideles ſuos dignatur Dominus. DULCIS: ſuavis, benignus, Græce enim eſt Χρηστὸς.

V. 4. AD QUEM: Dominum Chriſtum. LAPIDEM VIVUM: a metaphora nativitatis novæ, & lactis, tranſit ad aliam fabricæ, & lapidum eius: vocat Chriſtum lapidem vivum, ut intelligant ſe loqui per metaphoram de Chriſto, qui non eſt lapis inanimatus, ſed vivus, & vivificans. AB HOMINIBUS QUIDEM REPROBATUM. Iudæi enim, Scribæ, Phariſæi, & Pontifices ſpreverunt Chriſtum, eumque quaſi lapidem inutilem, immo noxium reiecerunt a fabrica ſuæ Synagogæ. A DEO AUTEM ELECTUM; in fundamentum Eccleſiæ. ET HONORIFICATUM, fecit enim celebrem toto orbe, & voluit ab omnibus coli, & adorari.

V. 5. ET IPSI TAMQUAM LAPIDES VIVI SUPERAEDIFICAMINI; id eſt, ſuperædificate vos Chriſto per charitatem eiuſque opera quæ fides vivificat. DOMUS SPIRITUALIS, id eſt in domum ſpiritualem; quaſi dicat, Super Chriſtum ædificamini, ut ſitis domus Dei myſtica, & ſpiritualis, per fidem, ſpem, charitatem, religionem Dei, & Chriſti. Syrus vertit, *eſtote templa ſpiritualia*. SACERDOTIUM SANCTUM: ἱεράτευμα ἅγιον. Vel per ἱεράτευμα ſignificatur cœtus ſacerdotum, quo modo cœtus clericorum vocatur κλῆρος, *clerus*, & accipitur proprie pro ſacerdotibus. Vel ſumitur myſtice, & improprie, ut comprehendit etiam laicos, qui quodammodo ſunt ſacerdotes Deo offerentes ſacrificia bonorum operum, qui ſenſus eſt Apoſtoli hoc loco. OFFERRE: ad offerendum, ut offeratis. SPIRITUALES HOSTIAS: de quibus ait D. Paulus ad Rom. XII. 1. *Obſecro vos fratres*, &c. *ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*, *ſanctam*, *Deo placentem*, &c. ACCEPTABILES DEO: gratas Deo. PER IESUM CHRISTUM: Redemptorem, & mediatorem noſtrum, per quem omnia Patri offerre debemus, ut ei accepta, grata, meritoria, & impetratoria ſint.

V. 6. PROPTER QUOD CONTINET SCRIPTURA, id eſt dicit ſcriptura Iſa. XXVIII. 16 vide dicta ad Epheſ. II. 20. ubi totum hunc verſiculum explicavimus, ut etiam ſuo loco apud Iſaiam.

V. 7. VOBIS IGITUR HONOR CREDENTIBUS; quaſi dicat: Vos, o credentes in Chriſtum, non confundemini, ſed honorabimini a Chriſto in die iudicii, cum accipietis coronam gloriæ, iuxta illud Pſal. CXXXVIII. 17. *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum*. NON CREDENTIBUS: ἀπειθοῦσι, *non obedientibus*, qui ſcilicet noluerunt Chriſto obedire, ſive ut in eum crederent, ſive ut legi eius parerent. FACTUS EST IN CAPUT ANGULI: factus eſt lapis capitalis, angularis, primarius, & fundamentalis domus Dei, id eſt Eccleſiæ.

V. 8. ET LAPIS OFFENSIONIS, ET PETRA SCANDALI: citat verba Iſaiæ VIII. 14. Hoc eſt quod ait Simeon Luc. II. 34. *Poſitus eſt hic in ruinam*, & *in reſurrectionem multorum in Iſrael*. Vide ibi dicta, & loco citato Iſaiæ. HIS QUI OFFENDUNT VERBO: προσκόπτουσι τῷ λόγῳ, id eſt *qui impingunt ad verbum*, id eſt qui ad

ver-

Digitized by Google

verbum Evangelii offenduntur, & ſcandalizantur; unde Syrus vertit, *Qui offendunt ad petram, eo quod non acquieſcunt ſermoni*. NEC CREDUNT: ἀπειθοῦντες, *non obedientes*, imperſuaſi, & increduli. IN QUO ET POSITI SUNT; quaſi dicat: Non credunt in fundamentum, & lapidem angularem, in quo poſiti, & collocati fuerant, ſcilicet in Chriſtum. Iudaica enim religio, & ſynagoga tamquam vera Dei Eccleſia in Chriſto poſita, & fundata erat, eiuſque meritis nitebantur. Sic explicat Vatablus, Caiet. Titelm. & alii. Vel ſenſus eſt, εἰς ὃ, *in quod, ad quod*; quaſi dicat: Infideles poſiti, id eſt deſtinati ſunt ad non credendum a ſe, ſuaque voluntate, & malitia. Vel, infideles ob priora ſua ſcelera merentur relinqui a Deo, execrari, & obdurari, ut non credant Evangelio, licet gratiam ſufficientem eis non deneget. Ita Gagneius, Salmeron, & alii. Vel ſenſus eſt, poſiti ſunt ut credant Chriſto, & Evangelio, nec tamen credunt, quia erede re nolunt. Ita Beda, Lyranus, &, Cornelius.

V. 9. VOS AUTEM: o cœtus fidelium. Vel, vos ſinguli, qui in Chriſtum creditis. GENUS ELECTUM: electi eſtis a Deo, ut eius Eccleſiæ membra electis. REGALE SACERDOTIUM. Citat verba Exod. xix. 6. ubi Moyſes Synagogam Iudæorum vocat *regnum ſacerdotale*, vel, ut eſt in Hebræo, *Regnum Sacerdotum*. Eccleſia enim eſt regnum Chriſti, non temporale, laicum, & prophanum, ſed cæleſte, ſacerdotale, & ſacrum, ſinguli etiam fideles ſunt reges, & ſacerdotes, ideoque regale ſacerdotium; Reges, quia regunt ſuos ſenſus, membra, potentias, paſſiones, iiſque dominantur; tum quia familiares & filii ſunt ſummi Regis Chriſti Ieſu. Sacerdotes vero ſunt quia offerunt ſacrificia bonorum operum, ut diximus ſupra verſ. 5. GENS SANCTA: Deo dicata, & per baptiſmum ſanctificata. POPULUS ACQUISITIONIS, id eſt *acquiſitus*, Syrus, *Congregatio redempta*, quam ſcilicet Chriſtus ſuo ſanguine acquiſivit, redemit, & poſſeſſionis ſuæ fecit. UT VIRTUTES ANNUNCIETIS EIUS: τὰς ἀρετὰς, eius ſapientiam, caritatem, iuſtitiam, & ceteras virtutes. Vel, eius egregia facta, hoc enim etiam ſignificat vox Græca. IN ADMIRABILE LUMEN SUUM: Chriſtianæ fidei, & Evangelii.

V. 10. QUI ALIQUANDO NON POPULUS, NUNC AUTEM POPULUS DEI. Citat verba Oſee cap. 1. 9. vide ibi dicta. Ante baptiſmum non eratis populus Dei, nec eius Eccleſiæ membra nunc autem facti eſtis popolus fidelis, & miſericordiam conſecuti, deletis peccatis veſtris per lavacrum baptiſmi.

V. 11. OBSECRO: παρακαλῶ, *hortor*. TAMQUAM ADVENAS, ET PEREGRINOS: ut ſcilicet rebus huius ſæculi non adhæreatis nimio affectu, ſed ſitis ſimiles peregrinis, qui omnia quæ peregre vident, a ſe aliena exiſtimant. ABSTINERE A CARNALIBUS DESIDERIIS: non ſolum gulæ, aut libidinis, ſed etiam iræ, invidiæ, ſuperbiæ, &c. hæc enim omnia ſunt opera carnis, ut docet D. Paulus ad Galat. v. 19. QUAE MILITANT ADVERSUS ANIMAM: quæ pugnant contra animam, & illam per bona deſideria ad Deum aſſurgere non permittunt. *Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*: ad Gal. v. 17.

V. 12. CONVERSATIONEM: vivendi rationem & mores. INTER GENTES. Syrus, coram omnibus filiis hominum. HABENTES BONAM: ſanctam, & irreprehenſibilem. UT IN EO QUOD DETRECTANT: detrahunt, obtrectant, calumniantur. TAMQUAM DE MALEFACTORIBUS: dicebant enim Chriſtianos eſſe contemptores Principum, Numinis, & Deorum, voluptuarios, uſurpare promiſcuos concubitus, veſci carnibus humanis, & propter ipſorum impietatem gravibus malibus, & cladibus vaſtari orbem terrarum. Quo circa pro innocentia Chriſtianorum graves, & doctas Apologias ſcripſerunt Iuſtinus martyr, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Tertullianus, Arnobius, & alii. CONSIDERANTES: ἐποπτεύοντες, *introſpicientes*, & æſtimantes. IN DIE VISITATIONIS: cum placuerit Deo per inſpirationes ſuas infideles viſitare, & ad ſe adducere. Vel, cum ad exercendam veſtram patientiam, & exemplum virtutis ethnicis proponendum, permiſerit Deus vos malis vexari. Vel, ut cum Gentilium præſides de vobis inquirunt, & veſtra viſitant, deprehendentes omnia eſſe ſancta glorificent Deum.

V. 13. OMNI HUMANAE CREATURAE; ſcilicet omnibus ſuperioribus, quibus obedientia, & ſubiectio debetur. PROPTER DEUM: quia Deus iubet illis obedientiam præ-

præſtari, & qua Rex, & Princeps eſt viva Dei in terris imago, eſtque Dei Vicarius in terris. Vel, ſenſus eſt, *Propter Deum*, ex Dei amore, ne Deum offendatis, quod D. Paulus ait, *Propter conſcientiam*. Rom. xiii. 5. QUASI PRAECELLENTI: quippe qui imperium obtinet, & collocatus eſt in faſtigio regiæ poteſtatis. SIVE DUCIBUS: ſive præſidibus; ἡγεμόνες, enim Græce vocantur Præfecti, præſides, ceterique magiſtratus, qui a maiori pendent, ſuntque eius quaſi vicarii. Syrus vertit *Iudicibus*. MALEFACTORUM: ſontium, nocentium, contra leges peccantium. BONORUM: ἀγαθοποιῶν, *recte agentium*.

V. 15. IMPRUDENTIUM HOMINUM IGNORANTIAM: qui leviſſimis ducti ſuſpicionibus, vel ex ſua malitia male de vobis iudicant, & de Chriſtiana religione. QUASI LIBERI, &c. eſt occupatio: occurrit enim obiectioni: Chriſtus nos fecit liberos; ergo nulli Principi ſubiici, & ſervire debemus. Reſpondet S. Petrus facti eſtis liberi a Chriſto, ſed a peccato, non autem a lege Dei, nec ab obedientia Principum: nolite ergo inobedientiæ, turpitudini, & malitiæ veſtræ prætexere libertatem Chriſti: Idem monuit S. Paulus ad Galatas cap. v. 13 *Vos in libertatem vocati eſtis: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis*. SED SICUT SERVI DEI: qui libere, & liberaliter ſerviunt, & obediunt non tantum Deo, ſed & omnibus magiſtratibus, quos Deus ſibi vicarios, noſtroſque ſuperiores ordinavit.

*V.*17. OMNES HONORATE: iuxta ſtatum cuiuſque, & honorem ei debitum. FRATERNITATEM DILIGITE, id eſt fratres, hoc eſt, Chriſtianos. REGEM HONORIFICATE: honore eo qui regi, id eſt ſummæ poteſtati civili debetur.

V. 18. IN OMNI TIMORE: illos valde reverentes, & etiam timentes. MODESTIS: ἐπιεικέσι, æquis, benignis, moderatis, clementibus. DYSCOLIS. Græce σκολιοῖς, pravis, aſperis, difficilibus, moroſis.

V. 19. HAEC EST ENIM GRATIA; quaſi dicat; Hic eſt effectus illuſtris divinæ gratiæ. Vel, hoc eſt Deo gratum. Italice diceremus; *Queſto ſi è far coſa grata, e gradita*, &c. Vel ponitur gratia pro gloria; quaſi dicat; Hæc eſt gloria veſtra. Vide explicationem ſequentis verſiculi. PROPTER DEI CONSCIENTIAM: propter Deum, qui tuæ patientiæ, ut etiam dominorum tuorum ſævitiæ conſcius eſt. Vel, propter Deum, Deique fidem, & cultum, quem in conſcientia geris, in cuius odium male a domino tractaris. SUSTINET TRISTITIAS: λύπας, id eſt triſtia, & acerba. PATIENS INIUSTE: quia eſt innocens, & multo magis ſi patiatur pro iuſtitia.

V. 20. QUAE EST ENIM GLORIA, &c. quaſi dicat, Quam enim gloriam aſſequetur is, qui propter ſua ſcelera ſevere plectitur? COLAPHIZATI: colaphis cædi erat pœna ſervilis HAEC EST GRATIA APUD DEUM. Syrus, *Tunc creſcit gloria veſtra apud Deum*. Vide dicta verſic. ſuperiori.

V. 21. IN HOC ENIM VOCATI ESTIS: ad hoc, ſcilicet ad crucem, & patientiam.

V. 22. NEC INVENTUS EST DOLUS IN ORE EIUS: etiam a Scribis, & Phariſæis, qui ſtudebant eum capere in ſermone. Matth. xxii. 15.

V. 23. QUI CUM MALEDICERETUR: vocaretur potator vini, Samaritanus, poſſeſſus a diabolo, ſeditioſus, hoſtis Cæſaris, ſubverſor gentis, &c. NON MALEDICEBAT: ἀντελοιδόρει, *recriminabatur*, remaledicebat. TRADEBAT AUTEM IUDICANTI: permittebat ſe a Pilato iniuſte iudicari, & condemnari. INIUSTE. Græcus & Syrus habent, *Iuſte*, ut ad Deum referatur, cui ſe Chriſtus obtulit in ſacrificium, ut expiaret peccata generis humani.

V. 24. PECCATA NOSTRA, id eſt pœnas peccatorum noſtrorum. UT PECCATIS MORTUI, &c. ut relicto ſtatu peccati, & abolitis præteritis culpis, *induamus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*. Epheſ. iv. 24. CUIUS LIVORE SANATI ESTIS: μώλωπι; id eſt vulnere, vibicibus, plagis.

V. 25. ERATIS ENIM SICUT OVES ERRANTES: aberrantes a via ſalutis, & in exitium ruentes. CONVERSI ESTIS: per gratiam Chriſti ad ſe vocantis, & trahentis. PASTOREM, iuxta illud Ioannis x. 11. *Ego ſum paſtor bonus*. EPISCOPUM: Chriſtus enim eſt Epiſcopus, ſpeculator, ſuperintendens, dirigenſque oves ſuas in vitam æternam.

TIRINI.

Verſ. 1. LAC, id eſt cibum, CONCUPISCITE, non carnalem, ſed ſpiritualem: non brutis communem, ſed *rationalem*, ſeu rationali creaturæ proprium: non DOLO, fraude, vel incuria cuiuſpiam vitiatum, ſed purum & ſincerum, qualem Chriſtus & Eccleſia præſtant filiis ſuis, nempe doctrinam Evangelii, gratiam omnis generis, fercula Sacramentorum, ac præ omnibus SS. Euchariſtiæ, de qua ſpeciatim Turrianus *a* & Salmeron hæc exponunt. Sed alii generalius accipiunt, ut ante dixi, de omni alimento ſpirituali, quo tamquam cæleſti manna Chriſtianus alitur, impinguatur, & creſcit IN virum perfectum, uſque ad completam SALUTEM & gloriam æternam. Hoc alimentum expetite.

V. 3. SI TAMEN; græce, εἴπερ, id eſt, *ſiquidem*, *quandoquidem*, aliquando iam uſu *guſtatis* & probatis quod DULCIS ſit DOMINUS *b*. Græce eſt χρηστός, quod idem eſt ac *ſuavis*, *benignus*, *bonus*, *utilis*, *officioſus*. Unde forſan meo etiam exemplo *c*, aliquando exclamaſtis: *Domine bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic* nobis *tabernacula*.

V. 4. & 5. AD QUEM Dominum Ieſum Chriſtum ACCEDENTES paſſibus fidei, ſpei, caritatis, TAMQUAM LAPIDES VIVI e viva rupe divina exciſi, una cum ipſo, qui eſt *angularis lapis d*, coaleſcite in unam *domum ſpiritualem*, nempe Eccleſiam, quæ *ſpiritualis* dicitur, quia myſtica eſt & Spiritu Dei animata, ſpiritalibuſque donis & gratiis plena: non vero quia inviſibilis, ut ſomniant hæretici: nam externa fidei & cultus ſui profeſſione ſat ubique conſpicuam & viſendam ſe præbet: ſicut homo etſi ſpiritali anima præditus, conſpicitur tamen per externas corporis ſui qualitates, actiones & motus. Porro hæc Eccleſia, ſeu cœtus *fidelium*, non eſt profana vel profanorum hominum collectio, ſed *ſancta* & ſanctorum: neque mere laica, ſed vere *ſacerdotalis*. Immo ſicut eſt proprie dictum *regnum*, quia in ea regnat Chriſtus, & quia ipſa per præpoſitos tum politicos, tum Eccleſiaſticos regit ſingula ſua membra: ita eſt & proprie dictum SACERDOTIUM, quia in ea Chriſtus quotidie ſeipſum offert & ſacrificat Deo Patri, proprie quidem per proprie dictos ſacerdotes in Miſſa, improprie vero ac metaphorice per quoſvis fideles, etiam laicos, in oblatione divinarum laudum & precum, & quorumvis bonorum operum. *Sacrificium* enim *verum*, id eſt reale & non fictum, *eſt omne opus quod agitur, ut ſancta ſocietate inhæreatur Deo, relatum ad illum finem, quo beati eſſe poſſimus*, inquit S. Auguſtinus *e*: & ſubſcribunt S. Athanaſius, Hilarius *f*, Clemens Alexandrinus, Origenes, Ambroſius & alii *g*. Sed hoc ſacrificium etſi verum, id eſt reale ſit, tamen non eſt niſi metaphoricum. Nam proprie dictum ſacrificium requirit realem ſubſtantiæ alicuius immutationem, qualis apud Chriſtianos ex inſtituto Chriſti eſt in ſola oblatione SS. Euchariſtiæ, cuius miniſtri idcirco etiam ſunt ſacerdotes proprie dicti, peculiari ordinatione Epiſcopali ad id deputati ab Eccleſia, ut fuſe & ſolide docet Bellarminus *h*. Sed quales erunt horum ſacerdotum hoſtiæ? Reſpondet, SPIRITUALES; quaſi dicat: Non ſunt carnales aut brutales hoſtiæ, quales offerunt Aaronici ſacerdotes, mactando, excoriando, cremando vitulos & boves in honorem Dei: ſed ſunt myſticæ, & ad inſtar ſpirituum oblatæ Deo: nam in ſacrificio Euchariſtico corpus & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini latentia, tota ſub totis, & tota ſub ſingulis particulis etſi indiviſibilibus, (quod proprium eſt ſpirituum,) offeruntur Deo. In metaphorico autem ſacrificio laudes, preces, & pia opera ex ſpiritu profecta, & fide & caritate ſpirituali informata, conſecrantur Deo *i*.

V. 8. QUI OFFENDUNT VERBO; græce, *qui impingunt in verbum Evangelii*, offenſi vel ſcandalizati *k* eius vilitate: ita etiam Syrus. Hinc explicans ſubdit S. Petrus, NEC CREDUNT verbum Evangelii, IN QUO; græce, *ad quod* credendum POSITI SUNT, id eſt creati, ordinati, iuſſi ſunt a Deo, nempe per legem & Prophetas, qui fidem Chriſti ubique inculcant: ita Beda, Lyranus & a Lapide. E contrario autem

V. 9. Vos fideles eſtis GENUS ELECTUM, nempe in populum, proſapiam & familiam Dei: ſicut enim olim Iudæos *l*, ſic nunc vos Chriſtianos elegit ſibi Deus in ſpecialem populum & familiam ſuam. Unde in

vos

vos meliori iure quadrat quod olim ſynagogæ attribuebatur Exodi XIX. 6. REGALE SACERDOTIUM; ſic enim LXX. iſtic vertunt, pro eo quod in Hebræo & Latino eſt, *regnum ſacerdotale*, vel *regnum ſacerdotum*. Eccleſia enim *regnum* eſt Chriſti non profanum, terrenum, vulgare, ſed ſacrum, cæleſte, divinum: & vice verſa eſt *ſacerdotium* Chriſti non legale, gentilitium vel plebeium, ſed ſpirituale, ſolidum & *regale*, id eſt eximium, illuſtre, magnificum. Alludit iam Petrus, quam Moyſes ad priſcam conſuetudinem, qua ſacerdotium iunctum erat regno, uti fuit in Machabæis, & olim in primogenitis familiarum, qui ſimul erant ſacerdotes & principes, ut alibi *m* dixi; quaſi dicat: Uſque eo honoris & dignitatis extulit vos Deus, ut ex viliſſimis mancipiis, qualia eratis in AEgypto & in ſervitio diaboli, iam facti ſitis ſpirituales reges & ſacerdotes, quæ utraque dignitas ſuprema eſt in orbe terrarum. Vere POPULUS ACQUISITIONIS, id eſt, acquiſitus, coemptus; ſyriace, *redemptus* Deo per ſanguinem Chriſti, in ſpeciale eius peculium, poſſeſſionem & hereditatem. Unde ſicut olim Hebræi, tranſito mari rubro, gratias egerunt Deo decantantes publico hymno magnalia ipſius *n*, ita merito debetis etiam vos, & quidem pluribus titulis, *annuntiare* VIRTUTES Dei, id eſt eximia & magnifica opera divinæ potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis exhibita vobis per Chriſtum.

V. 11. Per *carnalia deſideria* intelligit paſſiones & appetitus non ſolius gulæ vel libidinis, ſed etiam iræ, invidiæ, ſuperbiæ, &c. Ad hæc enim omnia ſe extendunt *opera carnis*, id eſt concupiſcentiæ, de quibus alibi *o*.

V. 12. IN, ſeu pro, EO QUOD DETRECTANT, (id eſt detrahunt & calumniantur) DE VOBIS, quaſi ſitis contemptores principum, voluptuarii, athei, carnibus humanis veſcentes, promiſcuos concubitus uſurpantes, cauſa omnium in orbe malorum & cladium. *Si Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi terra movet, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem*. Tertulliani *p* verba ſunt. GLORIFICENT DEUM IN DIE VISITATIONIS, qua Deus vos per illorum flagella viſitat: ita Hugo, Thomas Anglicus & a Lapide. Nempe heroica patientia extorquet laudes & encomia etiam ab ipſis tortoribus. Sic extorta ſunt a Plinio *q* Secundo, Proconſule Aſiæ, cum iuſſu Traiani Imperatoris inquiret in facta Chriſtianorum. Et multi Præſides, perſpecta Chriſtianorum ſanctitate, innocentia, patientia, converſi ſunt ad Chriſtum, ut conſtat ex vita S. Iuſtini, Iacobi, Alexandri, Luciani, Tryphonis, aliorumque Martyrum apud Baronium.

V. 13. SUBIECTI, ſeu obedientes, ESTOTE OMNI HUMANAE CREATURAE, id eſt omni ſuperiori ex hominibus creato, ſeu evecto ad id munus, qualiſcumque is fuerit, etſi infidelis, impius, indoctus, inexpertus, &c. hoc ſolo nomine, quia ſuperior eſt, obedite illi & ſubiecti eſtote in omnibus, non coacti metu gladii aut pœnæ ab ipſo imminentis, ſed PROPTER DEUM, id eſt ex reverentia & amore Dei, cuius ipſe eſt *r* vicarius & viva imago, & quaſi alter terreſtris Deus.

Sed Chriſtus ſua morte nos ut redemit, ita & liberos fecit. Reſpondeo, Liberos fecit, non a lege ſua, ſed a peccato & a lege Moſaica, & a ſervitute diaboli. Unde etiam nolo ut inſtar mancipiorum coacte & ſolo metu pareatis magiſtratibus, ſed

V. 16. QUASI LIBERI, & ingenui filii Dei & obedientiæ, libere & liberaliter, SICUT decet *ſervos* DEI parere Deo, non ſolum in propria perſona, ſed etiam in vicariis ſuis imperanti. Nolite ergo veſtræ MALITIAE, ſeu inobedientiæ, VELAMEN prætexere LIBERTATEM filiorum Chriſti: quia hæc vos non eximit, ſed aſtringit legibus principum, utpote vicariorum Dei, ut fuſe demonſtrat Bellarminus *ſ*, ſed fuſius Ioannes Leſſæus Belliolanus, qui de Libertate Chriſtiana libros quindecim conſcripſit.

V. 17. OMNES HONORATE honore cuique debito iuxta ſtatum & conditionem perſonæ. FRATERNITATEM, id eſt fratrum ſeu Chriſtianorum cœtus & publicos, DILIGITE, frequentando communes preces, conciones, ſynaxes.

V. 18. SERVI IN OMNI TIMORE, puta non ſcandali tantum & pœnæ, ſed & culpæ, inquit Oecumenius, SUBDITI ESTOTE DOMINIS, ETIAM DYSCOLIS; græce, σκολιοῖς, id eſt pravis, obliquis, tortuoſis, aſperis, moroſis, ſeveris.

V. 19. Haec est enim gratia, id eſt, res valde grata Deo, utpote eximia virtus & perfectio Chriſtiana, si propter Dei conscientiam, id eſt propter cultum Dei, quem gerit in conſcientia, multa *triſtia* & acerba *patiatur*.

V. 21. In hoc, nempe ad crucem & patientiam, vocati estis, exemplo Chriſti, ducis & anteſignani veſtri, ut sequamini vestigia eius, ſanguine ipſius ſignata, ideoque inventu facilia. An hæc ſequuntur, qui volunt ſolam fidem ſufficere ad ſalutem? aut forſan imitari paſſionem & compati, & adimplere *u* quæ deſunt paſſionibus Chriſti, non eſt aliud quam in ipſum credere?

V. 24. Qui peccata nostra, id eſt pœnas peccatis noſtris debitas, pertulit in corpore suo super lignum crucis quaſi hircus emiſſarius, cui peccata totius populi imponebantur, Levitici xvi. 21. Cuius livore; græce, μώλωπι, id eſt vulnere, vibice, plaga, sanati estis *x*: ſicut icterici ſanantur aſpectu avis, (quæ Plinio *y* icterus dicitur græce, latine galgulus,) a malo *icteri*, id eſt morbi ſui regii, quam avis illa in ſe attrahit, eoque emoritur.

V. 25 Chriſtus vocatur animarum, utique & corporum noſtrorum, non modo *paſtor* z, ſed & *epiſcopus*, id eſt ſpeculator, quia attentiſſime intendit regimini, cuſtodiæ & directioni ovicularum ſuarum in vitam æternam. Quod unicum etiam munus eſt Epiſcoporum, Chriſti in hoc munere vicariorum.

(a) Turrian. Lib. II. de Euchar. cap. xx. & xxi.
(b) Pſal. xxxiii. 7.
(c) Matt. xvii. 4.
(d) Iſaiæ liv. 11. & Matth. xvi. 18. & Epheſ. ii. 20.
(e) Aug. Lib. X. de Civit. cap. vi.
(f) Athanaſ. homil. de ferment. Hilar. &
(g) Ambroſ. in Pſal. cxviii. octon. vi. Clem. orat. ad Gentes. Orig. hom. ix. in Levitic.
(h) Bellarm. Lib. I. de Miſſæ cap. iii. & ſeqq
(i) Rom. xii. 1.
(k) I. Cor. 2. 23.
(l) Deut. xxvi. 17.
(m) I Par. v. 2.
(n) Exodi xv. 1.
(o) Galat. v. 19.
(p) Tertull. Apolog. xl.
(q) Plin. Lib. X. epiſt. xcvii.
(r) Rom. xiii. 1. & 9.
(ſ) Bellarm. IV. de Iuſtificat. cap. v. & 19.
(t) Hebr. x. 2.
(u) II. Tim. ii. 22. Coloſſ. 1. 24.

(x) Iſa. liii. 5.
(y) Plin. Lib. XXX. 11.
(z) Iſaiæ xl. 11. & Ioan. x. 11.

GORDONI.

Verſ. 1. Deponentes. Senſus hic eſt: Aequum eſt, ut vos per vocationem & baptiſmum geniti in novum hominem deponatis veteres mores, omne genus peccati, appetentes infantium more lac rationabile: nempe quale vobis proponit Eccleſia Chriſtiana, ut hoc lacte ſpirituali, & ſolida doctrina nutriti, creſcatis in ſalutem. Moralia ſunt hæc: & paucis verbis, pulſa ſimulatione, dolo & invidia, proponunt ſynceritatem mentis & notos caritatis fructus.

V. 3. Si tamen. Ut creſcatis, inquit, in ſalutem, *ſi tamen* participes facti eſtis ſpiritualium conſolationum, quæ ſolent fidelibus a Deo concedi. Græce ὕπερ, *ſiquidem*, aut ut alii interpretantur, *quandoquidem*, participes facti eſtis. Accedentes verſ. 4. ad Chriſtum lapidem vivum, & vivificantem. Metaphora eſt, deſignans Chriſtum, qua ſæpe utitur Scriptura, ut Zachar. iii. & alibi i Sed lapis ab hominibus ſcilicet Iudæis reprobatus ut fabricantibus; ſed electus a Deo in fundamentum Eccleſiæ.

V. 5. Et ipsi tamquam lapides. Ecce iactum fundamentum; ædificate vos in hoc fundamento, ut ſitis templa ſpiritualia, ut vertit Syrus, per fidem, ſpem, & caritatem. Sacerdotium sanctum. Referri poteſt hæc particula exhortationis vel ad cœtum ſacerdotum; vel myſtice & improprie ad laicos, qui ut orant & offerunt ſacrificium laudis Deo, ſunt velut ſacerdotes: iuxta id quod eſt Rom. xii. 1. Nec tamen umquam caruit Eccleſia veris & proprie dictis ſacerdotibus. Bellarm. Lib. I. de Miſſa, cap. ii. & xv.

V. 6. & 7. Propter quod. Concludit quod de Chriſto lapide angulari dixit, citatis hic Scripturæ locis eo ſpectantibus, Isa. xxvi. 16. & ad Epheſ. ii. 20. Vide ibidem datam explicationem. Vos (verſ. 7.) Apoſtrophe ad denotandum credentium gloriam, & incredulorum opprobrium. Evaſit nempe lapis ille corona regia, lapis capitalis & primarius domus Dei & Eccleſiæ. Vocat vero lapidem offenſionis

ex

ex Iſa. VIII. 14. ut etiam habetur Luc. II. 34. poſitus in ruinam.

V. 8. ET LAPIS OFFENSIONIS ..... HIS QUI OFFENDUNT VERBO, qui ad verbum, Evangelii offenduntur. Græce impingunt in verbum, ſicut qui offendunt ad petram, ut loquitur Syrus. Hi, inquit Petrus, NEC CREDUNT, IN QUO ET POSITI SUNT. Impie pervertit Beza hæc verba, quaſi Deus decretoria & prædeterminante voluntate ponat hominem in certo ſtatu, ut non credat, nec obediat Deo. Non advertit Novator ſe facere Deum eſſe cauſam mali operis, tam in requiſitis ad operandum, quam in executione; & efficere ut homo adductus ad impoſſibile poſſit ſe excuſare a peccato. Alius ergo eſt ſenſus Petri, ex Græco etiam textu *in quo*, *εἰς ὃ*, *ad quod*; hoc eſt, non credunt fundamento (Chriſto) in quo poſiti ſunt, ſeu ad quod ordinati ſunt ab eo, qui vult omnes ſalvos fieri. Certe gratia utriuſque Eccleſiæ fundamentum habet in gratia per Chriſtum.

V. 9. VOS AUTEM. Oratio eſt ad cœtum fidelium citans verba Exod. XIX. 6. ut Moſes ibi ad Synagogam, ita Petrus ad Eccleſiam, quæ habet regale ſacerdotium: quiſque enim apud ſe regia utitur poteſtate, ſuis quiſque imperans affectibus. Sacerdotes porro ſunt, dum offerunt hoſtiam laudis. GENS, Deo dicata. POPULUS acquiſitus, cœtus redemptus ſanguine Chriſti, vocati ut annuncietis virtutes vocantis vos ad lumen fidei & ſalutem. Declarat magis hanc gratiam vocationis ex antitheſi inter duos terminos, a quo, & ad quem. Mirum eſt quam inaniter Novatores velint ex hoc loco omnes eſſe ſacerdotes. Sane, tales ſunt iſti ſacerdotes, quales ſunt reges; nempe myſtici, ſeu metaphorice: an non etiam verba illa Exodi ſint iubente Deo ad univerſum populum? Ubi tamen certum eſt fuiſſe veros ſacerdotes præter hos myſticos.

V. 11. & 12. CHARISSIMI. Hæc eſt ſecunda pars capitis, in qua repelli vult mundanas vanitates. Hinc eos compellat ut in hac vita peregrinos, hoc eſt, quorum eſt omnia quæ iter agentibus occurrunt exiſtimare ad ſe non pertinere. Per carnalia deſideria intelligit non modo vitia luxuriæ, ſed (ut explicat Paulus, Gal. V. 19.) inſuper ſuperbiam, iram, invidiam, &c. Contra hæc, inquit, deſideria ſtat noſtra militia: ſunt enim hoſtes animæ, & hoc, inquit, curandum (verſ. 12.) ut ſitis bono exemplo gentilibus, qui nos obruunt calumniis, & perſequuntur. Diem viſitationis intelligit vel cum in perſecutione inquirunt de vobis; vel etiam cum illi viſitantur a Deo, & vocantur ad fidem.

V. 13. SUBIECTI IGITUR. Pars capitis tertia de obedientia: & ponitur veluti inſequens corollarium ad bonam converſationem. OMNI HUMANAE CREATURAE: nempe quibus debetur ſubiectio. Ergo certe ſuperioribus, maxime ut occurratur calumniæ, & intelligant gentiles, Deo licet dicatos & cœli hæredes, non eſſe exemptos ab obedientia debita ſuperioribus. PROPTER DEUM, quia Deus iubet, & ne ille offendatur, Rom. XIII. 5. Quibus porro ſpeciatim, & cur honor deferendus ſit, declarat verſ. 14. & 15. & uſque ad verſ. 19. DISCOLIS, Græce. δύσκολος, moroſus, difficilis: non eſt legendum δίσχολος.

V. 19. HAEC EST ENIM GRATIA. Iam poſtremo de patientia, quæ eſt perfectio obedientiæ: gratia ſeu laus & gloria obedientiæ veſtræ erit ſuſtinere hæc obſequia patienter, etiam triſtitias, hoc eſt triſtia omnia. PATIENS INIUSTE, pro iuſtitia. At quid illud, PROPTER DEI CONSCIENTIAM? Certe propter Deum qui conſcius eſt tuæ innocentiæ & patientiæ. Conſcientia etiam Dei eſt conſcientia ſecundum Deum, & Deo placens.

V. 20. QUAE EST ENIM. Præclara eſt & plana exhortatio ad patientiam. Efficax eſſe debet apud Chriſtianos, qui ob oculos habent paſſionem Chriſti, & qui per crucem quam geſtant, vocantur ad veram ſalutem. Via cœli eſt crux Chriſti.

CAPUT III.

De mutua inter coniuges converſatione, & mulierum ornatu: hortatur ad varias virtutes, utque Chriſti exempla ferant adverſa: & quod per Baptiſmum ſalvamur in ſimilitudinem eorum qui in arca Noe ſalvabantur.

1. SImiliter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: (*a*) ut & ſi
qui non credunt verbo, per mulierum converſationem
ſine verbo lucrifiant, 2. conſiderantes in timore * ca-
ſtam converſationem veſtram. 3. (*b*) Quarum non ſit
extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indu-
menti veſtimentorum cultus: 4. ſed qui abſconditus eſt
cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpi-
ritus, * qui eſt in conſpectu Dei locuples. 5. Sic enim aliquando & ſan-
ctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubiectæ propriis viris. 6.
(*c*) Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans: cuius eſtis filiæ
benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. 7. (*d*) Viri ſimi-
liter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri im-
partientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impedian-
tur orationes veſtræ. 8. * In fine autem, omnes unanimes, compatientes,
fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles: 9. (*e*) non redden-
tes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed econtrario bene-
dicentes: quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hereditate poſſideatis.
10. (*f*) Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat lin-
guam ſuam a malo, & labia eius ne loquantur dolum. 11. (*g*) * Declinet
a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam: 12. Quia ocu-
li Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem Do-
mini ſuper facientes mala. 13. Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmu-
latores fueritis? 14. (*h*) Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati.
Timorem autem eorum ne timueritis, * & non conturbemini. 15. Domi-
num autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſa-
tisfactionem omni poſcenti vos rationem * de ea, quæ in vobis eſt, ſpe:
16. (*i*) ſed cum modeſtia, & timore, conſcientiam habentes bonam: ut in
eo, quod detrahunt vobis, confundantur, qui calumniantur veſtram bonam
in Chriſto converſationem. 17. * Melius eſt enim benefacientes (ſi volun-
tas Dei velit) pati, quam malefacientes: 18. quia & Chriſtus ſemel pro
peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, ut nos offerret Deo, *
mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. 19. * In quo & his,
qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: 20. qui increduli fue-
rant aliquando, (k) quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe,
cum fabricaretur arca: in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt
per aquam. 21. * Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma:

non

Digitized by Google

non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti, 22. qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.

(a) Coloſſ. III. 18. Epheſ. v. 25. (b) Tim. II. 9. (c) Gen. XVIII. 12. (d) I. Cor. VII. 3. (e) Prov. XVII. 13. Rom. XII. 17. Theſſ. v. 15. (f) Pſal. XXXIII. 13. (g) Iſa. 8. 16. (h) Matt. v. 10. (i) Sup. II. 12. Rom. v. 6. Hebr. IX. 28. (k) Gen. VI. 14. Mat. XXIV. 37. Luc. XVII. 26.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 2. *Caſtam converſationem veſtram*. Correctores prætulerunt *caſtam*, ei quod alii legunt *ſanctam*.

Verſ. 4. *Qui eſt in conſpectu Dei locuples*. Non mutes maſculinum, *qui* in neutrum *quod*.

Verſ. 8. *In fine autem omnes unanimes*. Legendum eſt *in fine*, poſitum, pro demum ſive poſtremo non *in fide*, tamquam Chriſtiana. Nec voci *unanimes*, adiiciendum eſt *in oratione eſtote*, quam id habeat Epiſtola Dominicæ quintæ poſt Pentecoſten. De his latius noſtræ Notationes.

Verſ. 11. *Declinet a malo*. Non addas *autem*.

Verſ. 14. *Et non conturbemini*. Non ſcribas *ut* pro *&*, id eſt vocalem quintam pro ſecunda.

Verſ. 15. *De ea quæ in vobis eſt ſpe*. Superfluit, quod alii libri ſubiiciunt, *& fide*.

Verſ. 17. *Melius eſt enim benefacientes*. Non addas coniunctionem *ut* ante *benefacientes*.

Verſ. 18. *Mortificatus quidem carne vivificatus autem ſpiritu*. Eregia emendatio qua reſtituti ſunt nominativi ſingulares, *mortificatus*, & *vivificatus*, pro iis qui vulgo ſcribuntur accuſativis pluralibus, *mortificatos*, & *vivificatos*.

Verſ. 19. *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit*. Pro *carcere*, quod eſt cuſtodia male quidam legunt *carne*, quod eſt, corpore. Deinde verbo *erant* ſuperflue adiiciunt alii participium *concluſi*. Denique dativus pluralis *ſpiritibus*, ex Patrum correctione ſervandus eſt pro eo qui a pleriſque legitur ablativo ſingulari *ſpiritu*.

Verſ. 21. *Quod & vos nunc*. Non facile mutandum eſt pronomen ſecundæ perſonæ *vos* in primæ *nos*.

Notationes.

Verſ. 8. IN *fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores &c.* V. Beda Auctor Gloſſæ, Thomas, Carenſis, Lyranus, & Richelius interpretantur *in fide*: id enim plerique omnes codices legunt. Porro duo Pariſienſium Ge. I. Di. I. unus Hentenii, unus noſter T. littera ſignatus, is quem Quentelius excudit, & ii quos Claudius Guilliandus vidiſſe ſe memorat, habent *in fine*, id quod probant Guilliandus, Zegerus, Heſſelius, & plerique noſtræ ætatis enarratores. Græce enim conſtantiſſime legitur τὸ δὲ τέλος *finis autem*; ita & Syriace. Id alii tranſtulerunt, *ſumma autem* ſive *in ſumma autem*, vetus Interpres *in fine autem* pro demum, ſive poſtremo. Hoc quidam non intelligentes, quod τὸ *in fine* referrent ad *unanimes*, mutandum iudicarunt *fine* in *fide* vocem ut propinquiſſimam, ita optime congruentem illi *unanimes*. Ceterum plurima Latina exemplaria præſertim ſcripta tametſi *in fide* habeant, loquuntur *in fine* legendum eſſe. Addunt enim *in oratione eſtote* (*In fide autem omnes unanimes in oratione eſtote*) id quod convenire poteſt ſi *in fine* legas; ſi *in fide* nequaquam. Carenſis id animadvertens retulit ad id quod ſequitur *compatientes*. *In oratione eſtote compatientes*. Rectius Thomas, Lyranus, & Richelius ad textum non pertinere annotarunt, nec eſſe in antiquis, aut correctis libris. Impreſſi codices pauci habent, optima ſcripta reiiciunt. Beda & Auctor Gloſſæ non agnoſcunt; Græci, & Syri ignorant. Epanorthotes, *Omnes*, inquit, *unanimes compatientes*, Græcus, antiqui; in eccleſia in epiſtola legitur *in oratione eſtote*. Epiſtola Dominicæ quintæ poſt Pentecoſten ita incipit: *Fratres, omnes unanimes in oratione eſtote, compatientes &c.* Prætermiſit divini officii collector τὸ *in fine*, quod eo iſtud præcedentibus connectatur, ac proinde non congrueret eccleſia-

ſiaſticæ lectioni, quæ, præcedentibus omiſſis, hinc inchoanda cenſebatur. Adiecit autem id quod ſubaudiebat *in oratione eſtote:* quod id congregatis ad orationem fidelibus opportune conveniret, cum mutilum alioqui & mancum videretur fore exordium, maxime *τῷ in fine* dempto. Porro ſi *in fide* legiſſet, neutiquam id dempſiſſet, neque *in oratione* addidiſſet. Quod autem hic eccleſiaſticæ lectionis principio coactus adiecerat, id alii in textum ſcripturæ temere retulerunt. Simile accidit Eccleſiaſtici xv. verſu primo, id quod ibi eſt annotatum.

V. 15. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem, de ea quæ in vobis eſt ſpe*. Ita legunt emendatiſſimi codices, Brug. Malm. And. O. T. Mog. Gregorio magno in fine 2. partis De vita paſtoris ſuffragante. Conſonant Græci libri, & Græcanicus Scoliaſtes Oecumenius'. Complures porro Latinorum codicum addunt *&* *fide;* ſed non eodem omnes loco. Multi *de ea quæ in vobis eſt ſpe & fide* habent: plures: *de ea quæ in vobis eſt fide, & ſpe;* unus: *de fide quæ in vobis eſt & ſpe*. Quare addititium id eſſe vel hac ex varietate ſatis clarum evadit. Syri ſcribunt, *de ſpe Fidei*, ſive ut in manuſcripto Syrico eſt, *fidei veſtræ*, explicantes, haud dubito, id quod prototypum legit: *περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος: De ea quæ in vobis eſt ſpe*.

V. 19. *In quo & his qui in carcere erant ſpiritu veniens prædicavit*. Codices quidam, etiam Beda teſte, *carne* legunt pro *carcere:* verum cum pleriſque Græca, ac Syra reclamant. Græci *ἐν φυλακῇ in carcere* ſcribunt; Syri quem intellexerint carcerem ſignificantes בשיול quod eſt, *in ſepulcro*, vel *in inferno*. Quod iuxta libros quoſdam addit Beda *concluſi*. *Qui in carcere erant concluſi*, Syricæ editioni, & undecimo Pariſienſium Græco exemplari Græco conforme eſt, ſed vulgatæ editionis noſtræ, non eſſe videtur. „ Alia littera, inquit B. Thomas, habet: „ *In carne concluſi erant*. " Eamque ſequitur vocem, *ſpiritu*, quædam exemplaria *ſpiritibus* legunt, quibus Græca antigrapha conſtanter velunt, Syraque adſtipulantur, & concinit Patrum Hieronymi in 54. Iſaie caput, & Auguſtini epiſtola 99. lectio. *In quo & his qui in carcere erant concluſi ſpiritibus veniens præ*. Ceterum facile Interpres pro *πνεύμασι ſpiritibus*, *πνεύματι* legiſſe potuerit, id quod *ſpiritu* eſt, quo modo legi opinor in verioribus editionis noſtræ exemplaribus. Vidi id in vetuſtiſſimo integerrimoque manuſcripto Abbatiæ S. Andreæ iuxta Brugas (quo uno Lovanio exules deinceps uti potuimus) id quod hunc locum cum D. Thoma ita legit, ut initio propoſuimus ſ *In quo & his qui in carcere erant ſpiritu veniens prædicavit*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. SIMILITER ET MULIERES. Pauca ſunt in hoc capite explicatu difficilia, præterquam circa finem, pro *mulieres*, & paulo poſt mulierum, Græce eſt *γυναῖκες*, quod mulierem & uxorem ſignificat, quas vult ſubeſſe viris ſuis, etiam infidelibus: ut etiamſi qui non credunt VERBO, id eſt prædicationi evangelicæ, quam non admittunt, ſine verbo lucrifiant, per ſolam ſcilicet mulierum converſationem honeſtam, &, ut ait, ſanctam, pro quo Græci habent *ἁγνήν*, id eſt puram & caſtam. Græca ſcolia explicant ſine verbo, ceſſante omni verbo & contradictione.

V. 3 & 4. QUARUM NON SIT EXTRINSECUS. Græca paulo ſecus habent, & dilucidiora ſun; ſic enim haben *ὧν ἔστω οὐχ ὁ ἔξωθεν ἐκ πλοκῆς τριχῶν, καὶ περιθέσεως χρυσίων, ἢ ἐνδύσεως ἱματίων κόσμος;* id eſt, ad verbum, Quarum ſit non externus in capillorum plicatura, aut in appoſitione auri, ac veſtium amictu, cultus & ornatur: mihi videtur græce legi poſſe *περιθέσεως ἢ ἐνδύσεως χρυσέων ἱματίων κόσμος*, ut *χρυσέων* adiectivum ſit, id eſt quarum ſit non in amictu & indumento aureorum veſtimentorum cultus & ornatus: ſed abſconditus ille homo cordis, in integritate quieti & modeſti ac manſueti ſpiritus: *ſit*, ſubaudi illis vice cultus & ornatus. Quamquam *περίθεσις χρυσίων* l, monilia aurea ſignificare poteſt, quæ collo vel capiti circumponunt nimis comptæ mulieres, ſicut *πλοκὴ τριχῶν*, mihi ſignificare videtur affectatam in mulieribus capillorum criſpaturam. Nunc autem dixit hominem cordis pro interiori homine ac ſpirituali: quod autem addidit, QUI EST IN CONSPECTU DEI LOCUPLES ſive ... ſum-

Digitized by Google

ſumptuoſus, pretioſus & magnificus, id enim ſignificat τὸ πολυτελὲς, ad ſpiritum quietum ac manſuetum referri debet, quia neutri generis eſt, nec mihi ſubſtantive capi videtur, tunc enim adderetur τὸ articulus.

V. 6. CUIUS ESTIS FILIAE: *cuius*, ad Saram referri debet, non ad Abraham, eſt enim Græce ἧς articulus, femininus. NON PERTIMENTES ULLAM PERTURBATIONEM. Gr. μὴ φοβέμεναι μηδεμίαν πτόησιν, id eſt nullo pavore perterritæ. Eraſmus interpretatur illum pavorem, quo ſolent de nihili rebus conſternari mulieres, qui abeſſe debet, inquit, a ſanctis mulieribus: ego intelligendum puto de perturbatione & pavore ob ſupervenientes afflictiones & tentationes, quales multæ in primitiva eccleſia. BENEFACIENTES, inquit, *&* *non pertimentes ullam perturbationem*; id eſt, tantum beneſacere ac vivere ſtudeatis, & ob nullam rem pertimeſcatis & paveatis, quia ad nullam rem pavet mens ſibi conſcia recti.

V. 7. VIRI SIMILITER. Vult viros moderate ſe ac temperater habere erga uxores, COHABITANTES, inquit, SECUNDUM SCIENTIAM, id eſt cum diſcretione & prudentia: QUASI INFIRMIORI VASCULO IMPARTIENTES HONOREM, TAMQUAM COHAEREDIBUS GRATIAE, UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES VESTRAE. Hieronymus interpretatur honorem, abſtinentiam a coitu nimio; ſic enim honorem haberi infirmiori vaſculo muliebri, ſi non inquinetur libidine, ne paſſim tamquam pecus ignorans, vir illam cognoſcat, ſed cum ſcientia & diſcretione, interim abſtinens ab ea, ne per immoderatam libidinem interrumpantur orationes illorum: neque tamen omnino reiecerim illorum opinionem, qui interpretantur hoc agere Petrum, ut ſuum quoque honorem vir mulieri deferat tamquam infirmiori vaſculo, ne ſi deſpici ſe intelligat vaſculum illud imbecille & infirmum, ſtatim in iras & rixas ebulliat, atque ita contentionibus impediantur illorum orationes: *Impartientes*, inquit, *honorem tamquam cohæredibus gratiæ vitæ*, id eſt conſiderantes, quod non modo compares & conſortes ſunt in coniugio, ſed in gratia, quia ad eandem gratiam vocati. Græci quidam ſecus habent, ſcilicet ὡς καὶ συγκληρονόμοι, id eſt *tamquam cohæredes gratiæ vitæ*: quidam Græci codices habent ζώσης, id eſt *vivæ*. Codex Veronenbet ὡς καὶ συγκληρονόμοις χάριτος ζωῆς, id eſt *tamquam etiam cohæredibus gratiæ vitæ*, hoc eſt vitæ gratiæ, Hæbræorum more.

V. 8. IN FINE AUTEM. Aut longe aliud legit Interpres quam Gr. habent, aut τὸ *in fine* ſcripſerat: pro quo, vitio librariorum poſitum eſt *in fide* ob verbum ſubſequens UNANIMES. Gr. habent τὸ δὲ τέλος πάντες ὁμόφρονες συμπαθεῖς; id eſt, in ſumma denique omnes unanimes condoleſcentes & compatientes invicem. MODESTI. Gr. φιλόφρονες, id eſt *affabiles*: quod habemus HUMILES, Eraſmus expungit, quia, inquit, non habetur in Græc. codicibus. Certe in vetuſto codice Dionyſiano pro eo quod Interpres vertit humiles, eſt φιλοταπεινόφρονες, quo verbo ſignificantur ii, qui humilitatem ut eſt animi virtus, amant & ſectantur.

V. 13. ET QUIS EST QUI VOBIS NOCEAT? Græce καὶ τίς ὁ κακώσων ὑμᾶς? id eſt, *& quis eſt qui vos affligat?* SI BONI AEMULATORES FUERITIS. Boni hic genitivi caſus neutri generis eſt. Græce enim eſt τῦ ἀγαθῦ, id eſt *bonitatis*.

V. 15. & 16. DOMINUM AUTEM CHRISTUM SANCTIFICATE IN CORDIBUS VESTRIS, id eſt ſanctum Dominum Chriſtum in cordibus veſtris, ſive ut Græca habent, *Dominum Deum geſtate*. PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM, OMNI POSCENTI VOS RATIONEM DE EA QUAE IN VOBIS EST, SPE ac fide. Vult Chriſtianos ſemper ad reddendam de ſua ſpe & fide ſatisfactionem eſſe paratos; quamquam Græci codices nunc tantum habent *ſpe*, non fide; pro eo autem quod eſt *ſatisfactionem*, Græci habent ἀπολογίαν, id eſt *defenſionem*; quanquam parum differunt: pro MODESTIA; Græci habent πραΰτητι, id eſt *manſuetudine*: & in hoc loco ubi DETRAHUNT *de vobis* vel VOBIS; Græci addunt ὡς κακοποιῶν, id eſt *tamquam de malefactoribus*.

V. 18. MORTIFICATOS QUIDEM CARNE. Pro eo quod interpres vertit mortificatos & vivificatos (nimirum aliud legens, quam nunc Græca habeant) Græci codices habent θανατωθεὶς καὶ ζωοποιηθεὶς, id eſt *vivificatus*, *&* *mortificatus*: CARNE QUIDEM, id eſt ob carnis imbecillitatem mortificatus & occiſus: *Spiritus* autem, id eſt

Spiritus ſancti virtute vivificatus. Senſus autem interpretis (quem aliud Græce legiſſe oportet, niſi vitio librarii mortificatos pro mortificatus repoſitum eſt) valde congruus eſt; quod ſcilicet iuſtus pro iniuſtis, mortuus eſt Chriſtus, ut nos offerret Deo carne quidem mortificatos, vivificatos autem ſpiritu.

V. 19. & 20. IN QUO ET HIS QUI IN CARCERE ERANT SPIRITIBUS VENIENS PRAEDICAVIT. Beda indicat duplicem fuiſſe lectionem. *Qui in carne concluſi erant*, vel *qui in carcere:* concluſos autem carne vocat carnalibus deſideriis vehementer aggravatos. Concluſos autem carcere, vel qui hoc corpore tamquam carcere mancipantur, unde erui cupiens David dicebat: *Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo*: vel *in carcere*, id eſt cæcitate mentis. Quod autem ait *ſpiritu veniens prædicavit*, Græc. habent, pro *ſpiritu*, πνεύμασι, id eſt *ſpiritibus:* ut ſit ſenſus, quod iis qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicavit. Quidam tamen codices Latini habent ſpiritu, & facilis eſt tranſitus a σ in τ. In quo ergo, ſcilicet ſpiritu quo vivificatus eſt Chriſtus, ipſe veniens iis qui in carcere erant ſpiritibus, prædicavit, QUI INCREDULI FUERANT IN DIEBUS NOE: hic locus obſcurus eſt admodum: ad cuius explicationem multi multa afferunt, quorum partim non ſatisfaciunt, partim non auſim aſſerere. Quidam interpretantur quod Chriſtus ut nos offerret, mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu, id eſt per virtutem Spiritus ſancti: in quo Spiritu ſancto olim ſcilicet ipſe veniens prædicavit iis qui in carcere erant conſtituti ſpiritibus, id eſt hominibus quorum animæ vinculis corporis coercebantur, qui increduli fuerant, quum ſcilicet expectantes & abutentes Dei longanimitate in diebus Noe, prædicante illo diluvium & arcam fabricante (in quo tantum octo ſalvati ſunt) non crederent, quæ quidem arca forma fuit & figura noſtri baptiſmi. Sed quorſum hæc inquies? ut oſtendat Petrus quod Chriſtus qui noviſſimis temporibus veniens in carne prædicavit nobis, non tunc primo cœpit eſſe, ſed idem erat qui in ſpiritu diebus Noe hominibus eius temporis prædicabat pœnitentiam, & diluvium inſtans: atque ob id huiuſmodi locum a Petro adductum eſſe, ut oſtendat, quod ſicut tempore Noe ii, qui increduli permanſerunt, nec pœnitentiam egerunt, neque ſe in arcam receperunt: & in ſpiritu per Noe, prædicanti Chriſto non crediderunt, perierunt: ita qui nunc venienti ad nos in carnem Chriſto non crediderunt, aut pœnitentiam egerunt, neque baptizati ſunt, peribunt: quemadmodum in Actis II. ait idem Petrus, *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Quidam (inter quos Caiet.) liberius interpretantur; quod Chriſtus ad inferos deſcendens, iis qui tempore Noe increduli fuerant prædicavit, etiam fructuoſe; quoniam illi in bonitate Dei confiſi eſſent: ſed cur magis iſtis quam illis? & quis illi indicavit præter Noe & aliquos in arcam admiſſos, alios credidiſſe? Certe non admodum video quo pacto recte is locus explicari queat: Græci explicant in carcere ἐν τῷ ᾅδῃ id eſt *in inferno*, & ſic eſſet ſenſus, in quo ſpiritu veniens Chriſtus, iis qui in carcere, id eſt inferno erant ſpiritibus prædicavit, iis ſcilicet qui tempore Noe tamdiu increduli fuerunt: prædicavit autem illis non proficiendi, ſed exprobrandi gratia, quod prædicanti Noe & per centum annos arcam fabricanti non crediderint: quando expectabant Dei patientiam. Græci paulo ſecus habent ſcilicet ὅτι ἅπαξ ἐξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία; id eſt, quum ſemel expectaretur Dei longanimitas, & lenitas, & quum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt *per aquam*: hic mihi videtur Apoſtolus uſus præpoſitione per, pro ab, ut ſit ſenſus, ſalvæ ſunt factæ ab aqua. Certe locum hunc iis *qui in carcere erant prædicavit*, Græca ſcholia in loco cap. IV. *propter hoc & mortuis evangelizatum eſt*, confirmant hac ſententia quod Chriſtus in inferno perverſis illis conſtitutis, prædicaverit, ſed ad illorum condemnationem: aiunt enim, εἰρημένου δὲ ἀνωτέρω περὶ τῶν ἐν τῷ ᾅδῃ ὅτι καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν ἐκηρύχθη: τὸ κήρυγμα τοῦτο εἰς κατάκρισιν ἐγένετο τούτοις ἤτοι εἰς κατάκρισιν; id eſt, quum ſuperius dictum eſſet de iis qui in inferno agunt, quod & illis in carcere conſtitutis ſpiritibus prædicatum eſt, huiuſmodi prædicatio in iudicium illis fuit, id eſt in condemnationem.

V. 21. QUOD ET VOS NUNC SIMILIS

FOR-

FORMAE SALVOS FACIT BAPTISMA. Obſcurus eſt locus, nec minus Græce: ſic enim habet ὃ ϗ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα, quæ ad verbum interpres vertit: ergo crederem in Græcis mendum eſſe, & pro ὃ, id eſt *quod*, legendum ᾧ, cui ſcilicet aquæ conforme ac ſimile baptiſma, nunc quoque ſalvos vos facit: ut ſit ſenſus quod Noe & octo animæ beneficio aquæ arcam ſublevantis ſalvæ factæ ſunt: cui aquæ conſimile baptiſma quod nos a terra in cælum elevat, ſalvos nos facit. Arca quoque eccleſiam ſignificat: quia ſicuti extra arcam tempore diluvii nemini fuit ſalus, ſic nulli extra eccleſiam ſalus: ſicut etiam ad omnes ventos agitata arca, nullis umquam aquarum diluviis ſubmergi potuit, ſic multis tyrannorum & hæreticorum procellis diu agitata ac frequenter Eccleſia perire numquam poterit: fundata eſt enim ſupra firmam petram. Quoniam vero ſua habebant Iudæi baptiſmata, quæ carnem tantum mundabant, addidit NON CARNIS DEPOSITIO SORDIUM, id eſt non depoſitio ſordium carnis, hoc eſt non ablutio carnalium ſordium, SED CONSCIENTIAE BONAE INTERROGATIO IN DEUM. Et hic locus etiam obſcurus eſt: quomodo enim conſcientiæ interrogatio ſalvat? verbum Græcum, quod interpres vertit *interrogatio*, eſt ἐπερώτημα, quod etiam ſtipulationem ſignificat, & hoc certe ſignificato mihi quadrare videtur. Eſt autem ſtipulatio verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturumve ſe quod interrogatus eſt, reſpondet: qualis in baptiſmo fieri ſolet rogante baptizandum parocho. Credis in Deum? & reſpondente illo, ſi adultus eſt, aut nomine illius, ſi infans eſt, ſuſceptore: credo. Abrenuncias Satanæ & operibus eius? abrenuncio: ſic enim de eunucho legimus Act. VIII. quod eunucho interrogante *ecce aqua, quid me prohibet baptizari? dixit Philippus, ſi credis ex toto corde, licet: & reſpondens ait, credo Ieſum eſſe filium Dei*: & poſtmodum baptizavit. Huiuſmodi ergo ἐπερώτημα & ſtipulatio, qua ſe in Deum credere & Satanæ nuncium remittere profitetur baptizandus, ſalvum eum facit; non carnalium ſordium ablutio: & hoc quidem per reſurrectionem Ieſu Chriſti a mortuis. Chriſti enim reſurrectio, noſtra fuit iuſtificatio, QUI EST IN DEXTERA DEI, DEGLUTIENS MORTEM, UT VITAE AETERNAE HAEREDES EFFICEREMUR. PROFECTUS IN CAELUM, &c. Græca ſcholia exponunt *conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*, id eſt bonæ conſcientiæ arrabo, pignus & demonſtratio ſecundum Deum: nam ἐπερώτημα, quod interpres vertit *interrogatio*, ſic exponunt: ἐπερώτημα δὲ τουτέστιν ἀῤῥαβὼν, ἐνέχυρον ἀπόδειξις: & εἰς θεὸν dicunt ſumi, pro κατὰ θεὸν, id eſt *ſecundum Deum*. Hæc de loco admodum difficili quantum conicere potuimus: quod autem Latinus habet *deglutiens mortem ut vitæ æternæ heredes efficeremur*, Græca quæ nunc extant non habent: ab hoc autem loco *deglutiens*, uſque ad τὸ *profectus*, nihil eorum quæ Latini habent eſt apud Græcos.

S. A.

Verſ. 1. VERBO, id eſt prædicationi.

V. 2. IN TIMORE, id eſt cum timore, ſcilicet exacto.

V. 3. CAPILLATURA. Græc. *capillorum plicatura*, ſeu *criſpatura*. INDUMENTI, id eſt quibus induuntur. CULTUS, ſcilicet ornatus, ſcilicet ſuperfluus.

V. 4. SED, ſcilicet ornetur. CORDIS, id eſt interior. INCORRUPTIBILITATE, id eſt integritate.

V. 6. CUIUS, ſcilicet Saræ. BENEFACIENTES, ſcilicet illæ, vel vos; quaſi dicat, Si bene feceritis, &c. PERTIMENTES, &c. quaſi dicat, Nullo pavore turbatæ, aut affectu, ſcilicet feminæ facile turbantur.

V. 7. SCIENTIAM, id eſt prudentiam. INFIRMIORI, &c. Iunge cum præcedentibus. HONOREM, ſcilicet abſtinendo a copula: Hieron. I. contra Iovin. VITAE, id eſt vivificantis; vel quaſi dicat, Gratiæ vitam æternam conferentis.

V. 8. IN FINE, id eſt poſtremo, vel denique.

V. 9. MALEDICTUM, id eſt convitium.

V. 12. VULTUS, id eſt ira.

V. 13. BONI AEMULATORES, id eſt bonitatis ſectatores.

V. 14. TIMOREM, id eſt minas, ſeu ea quibus terrent.

V. 15. SANCTIFICATE, id eſt glorificate.

V. 16. CONFUNDANTUR, id eſt pudefiant.

V. 19. IN QUO. Iunge cum *ſpiritu*, id eſt anima, hac enim deſcendit ad limbum. CARCERE, ſcilicet inferni. PRAEDICAVIT, ſcilicet exprobrans incredulitatem, vel annuntiavit liberationem, ut carcer Purgatorium vel Limbus intelligatur, & illi quidem fuiſſe increduli prius, ſed in morte pœnituiſſe.

V. 20. QUANDO; pro, velut quando, ut ſit poſitum exempli cauſa. EXPECTABANT, &c. quaſi dicat, Putabant Deum diutius laturum illos. Græc. *expectabat Dei patientia*, ſcilicet illos ad pœnitentiam.

V. 21. QUOD, pro, quo modo. SIMILIS FORMAE; pro, correſpondenter, ſeu, ſimili ratione. NON CARNIS, &c. quaſi dicat, Non per depoſitionem ſordium corporis, ſed per bonæ conſcientiæ purificationem apud Deum, ita ut ſi interrogetur, poſſit dicere, nullius ſibi conſcium eſſe peccati, vel *interrogationem in Deum*, probationem apud Deum intellige, ſic Pſal. CXXXVIII. *interrogare*, pro probare; quaſi dicat, Non corporis ſordes abluens, ſed probatam reddens conſcientiam. PER RESURRECTIONEM, id eſt ad imitationem reſurrectionis, vel per fidem in mortem, & reſurrectionem.

V. 22. DEGLUTIENS MORTEM; pro, ubi mortem abſorbuiſſet (alludit enim ad illud Oſee XIII. *Abſorpta eſt mors*) id eſt deſtruxiſſet, ſeu conſumpſiſſet.

MARIANAE.

Verſ. 1. SIMILITER. Poſt ſervos præcipit coniugatis; ac uxores viris ſubditas eſſe vult, ut ſi vir eſt infidelis, per uxoris probitatem convertatur.

V. 2. CONSIDERANTES IN TIMORE, cum conſiderat ſanctam converſationem uxoris, quæ in timore & humilitate eſt. Porro ornatum, cui mulieres in primis ſtudent, modeſtum eſſe vult. De qua re pulchra & longa Diſputatio Romæ habita extat apud Livium Decad. 4. Lib. IV. Multa in utramque partem argumenta.

V. 4. SED QUI ABSCONDITUS EST CORDIS HOMO, id eſt interior homo ornetur virtutibus. QUI (ſcilicet ornatus) EST IN CONSPECTU DEI LOCUPLES, id eſt excellentior. Sic olim ornabant ſe viris ſubditæ.

V. 6. SICUT ET SARA OBEDIEBAT ABRAHAE, DOMINUM EUM VOCANS. Ignatius Epiſt. ad Antioch *Mulieres*, ait, *honorificent viros ſuos, ſicut carnem ſuam; nec eos audeant proprio nomine vocare*. Nonius Marcell. *dominum* ait pro *marito* ſumi, probat ex Æneid. Lib IV. illis verbis:

Connubia noſtra
Reppulit, ac dominum Æneam in regno vocavit.

Chryſoſtomus plura in I. ad Corinth. Homil. 26. CUIUS ESTIS FILIAE, ſcilicet Saræ. Græc. ἧς, *eam*, ſcilicet imitamini. ET NON PERTIMENTES ULLAM PERTURBATIONEM. Græc. *terrorem*, id eſt nulla erunt iurgia, ſi ſic vos geratis.

V. 7. VIRI SIMILITER, ſcilicet honorate uxores. SECUNDUM SCIENTIAM, id eſt ut qui maiori prudentia eſtis præditi, Plutarchus in Opuſculo, *in Principe requiri doctrinam*, ait, Perſarum Regem præter uxorem omnes pro ſervis habere. TAMQUAM ET COHEREDIBUS. Chriſtus ſexus non diſtinguit. GRATIAE VITAE, id eſt vitæ æternæ. Hieronymus contra Iovin. hunc honorem intelligit abſtinentiam & ſeparationem, ad tempus nempe: quia ſequitur, UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES VESTRAE. Sic Paulus I. ad Cor. VII. 5. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu, ad tempus, ut vacetis orationi.*

V. 8. IN FINE. Sic lege, non *in fide*, ut Beda, Lovan. & plerique. Goth. *in ſumma*; quaſi dicat, ut Syr. *Finis hic eſt*. Denique OMNES UNANIMES, ſcilicet eſtote. FRATERNITATIS, pro, fratrum, AMATORES.

V. 12. ET AURES EIUS, Dei, ſcilicet patent, ſcilicet in preces eorum. VULTUS AUTEM DOMINI, id eſt ira contra facientes mala. Quis nocebit? SI BONI AEMULATORES, id eſt *ſectatores fueritis*, ſic Goth.

V. 14. TIMOREM AUTEM EORUM, ſcilicet facientium mala, ne timueritis. ET NON CONTURBEMINI. Goth. & Reg. *neque conturbemini*, ſcilicet propter timorem, quem mali incutiunt.

V. 15. DOMINUM AUTEM CHRISTUM: ſive *Deum*, ut Græc. SANCTIFICATE; id eſt portate IN CORDIBUS, Memoria eius numquam excidat, parati rationem reddere.

Digitized by Google

re. De ea, quae in vobis est, spe. Goth. *de fide, & ſpe, quæ in vobis eſt.* Sic Beda legit. Syr. *de ſpe fidei*, pro, *de ſpe & fide*. In Græcis modo nulla mentio *fidei*, & ſine ea legit Greg. II. Part. Paſtoralis, in fine.

V. 17. Melius est enim benefacientes. Sic lege, ut Goth. & Græc. non *ut benefacientes*, quod multi codices perperam habent. Chriſtus mortuus eſt, ut nos offerret Deo,

V. 18. Mortificatus. Sic Græce: multi Latini codices *mortificatos* habuere. Utraque ſententia commoda: nam & Chriſtus carne eſt mortuus, & Spiritus ſancti virtute revixit. Et nos obtulit Deo carne mortificatos anima & ſpiritu vivificatos.

V. 19. In quo, id eſt inſuper non ſolum eſt mortuus, ſed et his. Goth. *eis*. Syr. *illis*, qui in carcere erant. Syr. *in inferno* בשיול *bašiul*. Chryſoſtomus Hom. Feſt XII. & alibi ſæpe, Διεκήρυξε δὲ καὶ τοῖς ἐν ᾅδῃ πνεύμασιν: *Prædicavit iis qui in inferno ſpiritibus*. Clemens Strom. VI. non ſolum in limbo prædicaſſe Chriſtum ait Iudæis, ſed Philoſophis: inde qui tunc crediderunt liberaſſe, quod verum non eſt. Tangit hoc etiam Gregorius Nazianzenus Orat. 2. in Paſcha, & ibi Nicetas Platonem, quia in inferno Chriſto prædicanti credidit, liberatum credi. Spiritibus. Sic Græc. Syr. *animabus*. Goth. *ſpiritualibus* pro *ſpiritibus*. Lovan. *ſpiritu*, & plerique codices Latini olim habuerunt, nempe, non intelligentes quomodo ſpiritus in carcere eſſent, ſic mutarunt. Goth præterea habet: *qui in carcere erant concluſi*, quod in quodam Græco codice Robertus invenit: ſicque Hieronymus citat Iſai. xliv. & Auguſtinus epiſt. 99.

V. 20. Qui increduli fuerant aliquando, ſcilicet ſpiritus, homines. Quando expectarant Dei patientiam, & ea ſcilicet abutebantur. Græce, *cum expectaret Dei patientia, ut fabricaretur arca*. Syr. *quando patientia Dei præcepit, ut fieret*, id eſt non continuo eos ſubmerſit, ſed expectavit ut pœniterent. Verum quare potius de illis, & eo tempore meminit, quam de alio, in quo fuerunt increduli? Nimirum, quoniam de Baptiſmo agere vult, cuius figura fuit diluvium. Beda de Sex. ætat. *In aqua Baptiſmus ſignificatur; in arca Eccleſia, in octo animabus reſurrectio, in cuius fide baptizamur: nam is numerus octonarius reſurrectionem ſignificat.*

V. 21. Quod et vos. Quidam *nos*. Et pro *quod*, Græc. in Regiis eſt ᾧ, id eſt *cui vos*, ſcilicet aquæ, *& vos ſimilis formæ ſalvos fecit baptiſma*. Quæ lectio commoda videtur, niſi Latini omnes & plerique Græci codices reclamarent, qui pro *quod* Latine, Græc. ὃ habent. Non carnis depoſitio sordium, ut, ſcilicet Iudæorum baptiſmata, quæ corpus ſolum abluebant; sed conscientiae bonae interrogatio. Ἐπερώτημα *interrogationem* & *ſtipulationem* ſignificat. Ergo *ſtipulatio* & *profeſſio*, qua Deo nos obſtringimus in Baptiſmo, ea ſalvos nos facit, non exterior ablutio tantum: ſed & *interrogo*, *iudicare* ſignificat. Pſal. x. 4. & 5. *Dominus interrogat iuſtum & impium*. Ergo non ſolum ablutio exterior, ſed iudicium bonæ conſcientiæ, & decretum, quo nos Deo ſubiicimus, ſalvat. Genevenſes, *reſponſio & atteſtatio ad Deum*. Sed hic latet anguis.

V. 22. Deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes efficeremur. Totum hoc Græc. non eſt, nec in Syriaco, fortaſſis vitio; nam Latini codices id conſtanter habent, & olim legiſſe videtur: καταπιὼν τὸν θάνατον ἵνα τῆς αἰωνίου ζωῆς κληρονόμοι γενώμεθα.

MENOCHII.

Verſ. 1. Similiter. Dicit *ſimiliter*, quia ſuperiori capite egerat de ſubiectione ſervorum dominis ſuis, nunc autem de ſubiectione uxorum ſuis viris. Non credunt verbo: Evangelii prædicationi. Per mulierum conversationem: videntes ſanctos, & irreprehenſibiles uxorum ſuarum mores. Sine verbo lucrificant: ſolo bono exemplo commoti convertantur, & Chriſtus, & Eccleſia eorum animas, quaſi ingens lucrum, acquirat.

V. 2. Considerantes; ſcilicet mariti. In timore, id eſt cum timore Dei, ſcilicet exactam converſationem, & emendatos mores timore Dei oſtentæ. Castam conversationem: vitæ puritatem, & ſanctitatem morum.

V. 3. Quarum non sit extrinsecus capillatura, &c. ſenſus eſt, Quarum

ornatu

ornatus ſit non externus, qui ſitus eſt in plicatura capillorum & cincinnis. Aut circumdatio auri: aut in circumpoſitione auri, geſtando veſtes auro intextas, monilia, bullas aureas, &c. Aut indumenti vestimentorum cultus, aut in amictu palliorum, ut quidam vertunt, quo ſignificatur abuſus mulierum, quæ multis, & pretioſis veſtibus amictæ incedunt.

V. 4. Sed qui absconditus est cordis homo; quaſi dicat, Sed interior mens, & animus hic virtutibus ornetur. In incorruptibilitate quieti et modesti spiritus. In hoc enim conſiſtit ornatus interioris himonis. Incorruptio ſpiritus eſt integritas animi manſueti, & tranquilli, qui nullis exagitatur cupiditatum procellis, ſed quietus eſt, moderatus, & tranquillus: Qui: ſpiritus incorruptus, quietus, & modeſtus. Est in conspectu Dei locuples: quia ſuper terrena omnia ſe elevans, Deum poſſidet, hereſque eſt cæli, & regni æterni.

V. 5. Sperantes in Deo: & conſequenter credentes, & amantes Deum. Ornabant se, ſcilicet modeſte.

V. 6. Sicut Sara obediebat Abrahae: adeo ut cum ex patria Chaldæa abeuntem, relictis parentibus, & cognatis ſecuta ſit, & cum eo continuo peregrinata per Chananæam. Dominum eum vocans: ut patet Geneſ. xviii. 12. Cuius estis filiae: hinc patet ſanctum Petrum proprie, & directe hæc ſcribere Iudæis; conſequenter tamen ſcribit & Gentibus; hi enim erant filii, & filiæ Saræ ſecundum ſpiritum, quia eius fidem, & pietatem, & opera ſancta imitabantur. Benefacientes. Syrus, *in operibus bonis*, ſcilicet imitando Saræ modeſtiam in cultu corporis, eleemoſynas, & beneficentiam in pauperes, hoc enim eſt *ἀγαθοποιεῖν*, quod habemus in Græco. Non pertimentes ullam perturbationem: ſi quæ exiſtant domi perturbationes, moderate, & fortiter ferendo, nec cadendo animis, ſed veſtra prudentia, & gratia iras leniendo, & mitigando.

V. 7. Cohabitantes: eodem tecto, & lecto utentes cum uxoribus habitent viri. Secundum scientiam: ſcientia hic ſignificat prudentiam, & diſcretionem, quæ dictat viro ut infirmitati uxoris ſe accommodet, eique honorem deferat, & tractet quaſi ſociam, non quaſi ancillam. Quasi infirmiori vasculo muliebri. Muliebre vaſculum interpretatur D. Thomas mulieris corpus. Poſſumus mulierem ipſam intelligere, quia Hebraico idiotiſmo omne inſtrumentum, & adiutorium *vas* vocari ſolet: mulier autem eſt viri adiutorium ex Geneſ. II. Porro mulieres infirmæ ſunt tum ſexu, & conſtitutione corporis, tum animo, & iudicio, induſtria etiam, & prudentia ad res gerendas. Impartientes honorem. Divus Hieronymus, & Beda per honorem hunc intelligunt abſtinentiam a nimia, & intempeſtiva Venere, cui explicationi favet, quod ſubditur hoc eodem verſiculo, *ut non impediantur orationes veſtræ*. Alii ex adverſo per honorem accipiunt debitum coniugale, quaſi iubeat illud uxoribus reddi, ſed honeſte, non petulanter, & impudenter. Alii honorem generalius interpretantur ut ſonat, ut, ſcilicet, uxores mariti honorifice compellent, & tractent, ne timore, & puſillanimitate animos plus æquo demittant. Tamquam coheredibus gratiae vitae. Dat cauſam cur viri honorare debeant uxores, quia licet natura, & ſexu ſint infirmæ, & impares, tamen vocatione, & gratia viris ſunt pares; vocatæ enim ſunt ad eamdem cum viris gratiam, & gloriam. Gratiae vitae, id eſt vitalis; dat enim vitam ſpiritualem animæ, & ducit ad vitam æternam. Ut non impediantur orationes vestrae: *μὴ ἐκκόπτεσθαι*, *ne interrumpantur*; ſcilicet, ob iurgia quæ naſcuntur inter coniuges, ſi non honorentur a viris. Vel, ne interrumpantur, ſi nimiæ, & intempeſtivæ libidini viri indulgeant, qua ab orationis ſtudio animus avocatur.

V. 8. In fine: *τὸ δὲ τέλος*, *ad extremum*, in ſumma. Unanimes: eſtote eiuſdem animi, & mentis. Compatientes. Syrus, *patientes cum iis qui patiuntur*. Fraternitatis: fraternæ caritatis amatores, & tenaces.

V. 9. Benedicentes; ſcilicet iis qui vobis male precantur, vituperia laudibus, aſperos ſermones blandis compenſantes. Quia in hoc vocati estis, &c. quaſi dicat, Ad hoc vocati eſtis, ut per iniuriarum tolerantiam, nimirum benedicendo

male-

Digitized by Google

maledicentibus, benedictionem Dei, tum præſentem per gratiam, tum futuram per gloriæ cæleſtis hereditatem, poſſideatis.

V. 10. QUI ENIM VULT VITAM DILIGERE, id eſt qui optat, & diligit in hoc ſæculo proſperam, & longævam; in futuro vero beatam, & æternam. ET DIES VIDERE BONOS: *videre*, id eſt ſentire, frui diebus, & ævo felici, commodo, læto. A MALO: ab omni linguæ peccato.

V. 11. INQUIRAT PACEM: cum Deo, ſecum, & cum proximis. SEQUATUR EAM: *διωξάτω*, *perſequatur*, quaſi fugientem inſectetur, & apprehendere conetur.

V. 12. QUIA OCULI DOMINI SUPER IUSTOS; quaſi dicat, Dominus benignis, paternis, & beneficis oculis reſpicit iuſtos. ET AURES EIUS IN PRECES EORUM: ut eas audiat, & exaudiat. VULTUS AUTEM DOMINI, id eſt vultus iratus, & minax.

V. 13. SI BONI AEMULATORES FUERITIS. *Boni*, eſt caſus genitivi, ἀγαθοῦ. Per bonum autem vel Deum, vel Chriſtum, vel potius ipſum bonum honeſtum, id eſt virtutem, intellige: bonum enim honeſtum eſt quaſi quædam idea, & norma virtutis, quæ omnibus ad imitandum proponitur.

V. 14. PROPTER IUSTITIAM: quia iuſti, quia Chriſtiani. BEATI: nam Chriſti effatum eſt: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, &c. Matth. v. 10. TIMOREM: quem intentant, terrorem, minas. EORUM: qui vos vexant propter iuſtitiam.

V. 15. PARATI SEMPER AD SATISFACTIONEM. Græc *ἀπολογίαν*, id eſt *defenſionem*: parati infidelibus rationem reddere fidei veſtræ. DE EA QUAE IN VOBIS EST SPE: de fide veſtra, quæ proponit ſperanda bona cæleſtia.

V. 16. SED CUM MODESTIA, ET TIMORE; quaſi dicat, Rationem reddite interrogantibus vos, at non arroganter, ſed modeſte, & reverenter. CONSCIENTIAM HABENTES BONAM: tuta enim eſt, nihilque timet bona conſcientia, & vim dat, & efficaciam ſermoni, & apologiæ. UT IN EO QUOD DETRAHUNT VOBIS: in quo obloquuntur de vobis, tamquam de malefactoribus. Vide ſuperiori capite num. 12. & ibi dicta. CONFUNDANTUR: illis os obſtruantur, pudeat illos mendaciorum, quæ contra vos ſpargunt

V. 17. SI VOLUNTAS DEI VELIT: ſi ita Deus voluerit.

V. 18. SEMEL; quaſi dicat, Simul, & ſemel multa, eaque graviſſima cruciatuum genera ſubiit. Vel hac voce *ſemel* efficaciam paſſionis Chriſti ſignificat, quæ non repetita, ſed ſemel tantum exhibita omnibus peccatis omnium hominum delendis ſatis fuit. UT NOS: iam a ſe redemptos, purificatos, & ſanctificatos. MORTIFICATUS QUIDEM CARNE: mortuus quidem corpore. VIVIFICATUS AUTEM SPIRITU. Chriſtus vivificatus eſt ſpiritu, quando ſpiritu, id eſt anima ipſius corpus ſubeunte, a mortuis reſurrexit. Hoc dicit Apoſtolus, ut ſpe reſurrectionis excitet Chriſtianos ad fortiter toleranda adverſa.

V. 19. IN QUO; ſcilicet ſpiritu; anima enim Chriſti, non corpus ad limbum deſcendit. HIS QUI IN CARCERE ERANT, id eſt qui erant in inferno, id eſt in limbo. PRAEDICAVIT: arguens antiquam eorum incredulitatem.

V. 20. QUI INCREDULI FUERANT ALIQUANDO: eos intelligit incredulos, qui Noe non credebant peccata reprehendenti, & diluvium minitanti, qui aliquando, id eſt initio non crediderunt, poſtea vero crediderunt, præſertim cum re ipſa diluvium viderunt a Noe prædictum, tuncque compuncti, & pœnitentes, mentem, & vitam correxerunt. QUANDO EXPECTABANT DEI PATIENTIAM, quando qui credebant, expectabant ut Dei patientia peccatis, & incredulitate provocata, tandem ſceleribus vinceretur, & per diluvium in vindictam erumperet. OCTO ANIMAE; ſcilicet Noe cum ſua uxore, ac tres filii eius, cum totidem uxoribus.

V. 21. QUOD ET NUNC SIMILIS FORMAE SALVOS NOS FACIT BAPTISMA: ordo, & ſenſus verborum eſt; & nunc ſalvos nos facit Baptiſma quod eſt ſimilis formæ. SIMILIS FORMAE, &c. *ἀντίτυπον βάπτισμα*, *baptiſmus ſimilis formæ*; quaſi dicat, Cui nunc antitypus, id eſt ut typo res figurata reſpondet baptiſmus: arca fuit typus, arcæ vero antitypus, & Baptiſmus. Sicut enim olim arca ſervavit octo animas in vita corporali, ita nunc baptiſmus ſalvat animas vita ſpirituali. NON CARNIS DEPOSITIO SORDIUM; quaſi dicat: Baptiſma nos ſalvos facit, non quatenus eſt ablutio carnis, ut ex ea ſordes eluat, & deponat,

Digitized by Google

nat; ſed quatenus eſt ablutio animæ. SED BONAE CONSCIENTIAE INTERROGATIO APUD DEUM. Senſus eſt, quaſi dicat: Baptiſmus facit bonam conſcientiam, adeo ut ipſa audeat interrogari a Deo, eiuſque tribunali in iudicio confidenter ſe ſiſtat, non metuens damnationem, ſed ad interrogata intrepide coram Deo omnium conſcio reſpondeat, ſe bonam eſſe, & ab omni labe mundatam. PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI; quaſi dicat, Hanc vim, conſcientiam ſcilicet bonam, & ſanctam efficiendi, habet baptiſmus ex merito paſſionis Chriſti, cuius terminus, & complementum fuit eiuſdem reſurrectio, iuxta illud ad Rom. IV. 25. *Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.*

V. 22. DEGLUTIENS MORTEM. Senſus eſt, quaſi dicat: Chriſtus moriens, & reſurgens mortem ſuam, & noſtram abolevit, & quaſi abſorpſit, vel, uno verbo, *Ubi mortem abſorbuiſſet*, iuxta illud Oſee XIII. 14 *Ero mors tua, o mors, morſus tuus ero inferne.* SUBIECTIS SIBI ANGELIS, id eſt ſuper omnes Angelorum choros evectus, ſuper Poteſtates, Virtutes, &c.

T I R I N I.

Verſ. 1. MULIERES SUBDITAE SINT VIRIS SUIS in omnibus quæ coniugale ius exigit aut permittit, UT ET mariti, SI QUI NONDUM CREDUNT VERBO Evangelii, PER MULIERUM gratioſam CONVERSATIONEM, & molles in animum influxus, etiam SINE VERBO prædicationis LUCRIFICANT, & Chriſto & Eccleſiæ adiungantur.

V. 2. CONSIDERANTES CASTAM & innocentem CONVERSATIONEM uxorum cum TIMORE, reverentia, amore & cultu non Dei tantum, ſed maritorum ſuorum. Sic Natalia lucrifecit Chriſto Adrianum, Cæcilia Valerianum, Martha Marianum, Gorgonia Vitalianum, Monica Patricium, Clothildis Clodovæum. Et hanc ob cauſam monebat *a* S. Paulus mulieres converſas, ne facile divortium facerent a maritis infidelibus. Et eſt hæc primaria dos uxorum, caſtitas, fides & obedientia erga maritos. Secundaria ſit,

V. 3. & 4. NON EXTRINSECUS CAPILLATURA; Tigurini, *capillorum plicatura*, quomodocumque illa fiat, ſive criſpando capillos, ſive retorquendo, ſive innodando, ſive in cirros & corona calamiſtris diſcriminando, ſive alienos accerſendo & in turres erigendo, in quæ S. Hieron. *b* graviter invehitur. NON CIRCUMDATIO AURI, per aureas veſtes, catenas, bullas: non CULTUS INDUMENTI VESTIMENTORUM, tot tunicis, peplis, velis, palliis, ut ſubinde maritorum opes exhauriant. Solum enim immodicum cultum reprehendit S. Petrus, & qui ſtatum ſuperet, ut S. Baſilius docet in Iſaiæ III. ubi Propheta vanitatibus illis enumerandis multos verſus impendit, Tiraquellus *c* vero multa alphabeta, multaſque paginas, ut & olim Cyprianus, Clemens Alexandr. & Greg. Nazianzenus *d*. Sed verus ac genuinus mulierum cultus conſiſtere debet in ornando componendoque interno homine, QUI ABSCONDITUS EST oculis carnis, ſed interius dominatur *cordi*, id eſt appetitui, curatque ut ſpiritus ſit *incorruptus e*, *quietus*; græce, πραῦς, id eſt mitis, manſuetus, & *modeſtus*. Ubi *incorruptio* opponitur ſordibus incontinentiæ: *manſuetudo*, invidiæ, iracundiæ, ſuperbiæ: *modeſtia*, petulantiæ, levitati, & garrulitati, in quæ vitia mulieres fere propendent. Porro *ſpiritus* incorruptus, quietus & modeſtus, EST IN CONSPECTU DEI, id eſt vere, reipſa, ipſiuſmet Dei iudicio & æſtimatione, LOCUPLES, dives, pretioſus, ſpecioſus, terrenis omnibus ſublimior, proximus Deo, heres cæli & regni æterni. Ceterum officium præſtantis uxoris egregie depingit Sapiens Proverb XXXI. Tobias cap. X. & S. Paulus ad Tit. cap. II.

V. 6. *Sara* exemplo ſitis & vos BENEFACIENTES, id eſt benevolentiam, honorem & obſequium omne maritis exhibentes; NON *timentes* ULLAM PERTURBATIONEM ex eo quod maritis integre ſubiiciamini, quaſi imperioſius ab illis tractandæ: nam prompta illa ſubiectio conciliabit vobis maritorum viciſſim amorem, honorem & pacem: imagines enim amoris, eſt amor, inquit Oecumenius,

V. 7. VIRI ne ſeparamini ab uxoribus, ſeu domo, ſeu thoro, ſed illis COHABITANTES ſitis & conviventes, SECUNDUM SCIENTIAM; id eſt, iuxta regulas prudentiæ, quæ dictat viro, quod infirmitati fragilioris ſexus ſe debeat accommodare, &

uxo-

Digitized by Google

uxori tamquam ſociæ debitum honorem deferre: ita Lyranus, Dionyſius & alii. Eſto enim uxores qualitatibus naturæ & ſexus ſint vobis impares, tamen gratia & vocatione ſunt pares, vocatæ ad eamdem vobiſcum *gratiam* VITAE, ſeu beneficium gloriæ æternæ hereditandum. Hæc vero quæ hactenus dixi, curate quanto poteſtis ſtudio, tum alias ob cauſas, tum UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES VESTRAE; id eſt, ne elidatur vel incidatur vis orationum veſtrarum: hæc enim eliditur & enervatur per diſſidium & diſcordiam: corroboratur autem per concordiam & conſpirationem mariti & uxoris, & quaſi utraque tunc ala devolat *f* in cælum ad thronum Dei.

V. 8. IN FINE, id eſt finaliter, ad extremum; Tigurini, *in ſumma*, fideles OMNES ſint perpetuo UNANIMES, id eſt eiuſdem animi, ſeu mentis, idem ſentientes, idem loquentes. Mox, novem depromit virtutes quibus quaſi totidem dotibus adornatum vult Chriſtianum ut perfectus cenſeatur. Vide eas in textu.

V. 9. IN HOC ad chriſtianiſmum VOCATI ESTIS, ut per patientem iniuriarum tolerantiam, *hereditetis* BENEDICTIONEM Dei, tum præſentem, multiplicium gratiarum; tum futuram, gloriæ æternæ.

V. 10. QUI VULT, id eſt optat & *diligit*, ſeu ambit, VITAM, hic longævam & proſperam, in cælo æternam & beatam: item DIES VIDERE BONOS, id eſt ſentire, gaudere, frui commodis, lætis, beati temporibus, tum huius, tum futuræ vitæ; COERCEAT LINGUAM SUAM A MALO: nam effrænis lingua mille miſeriarum & calamitatum fons eſt & origo, ut alibi *g* vidimus.

V. 13. QUIS VOBIS NOCEAT, SI AEMULATORES FUERITIS BONI, ſeu bonitatis *h* ut eſt in Græco; id eſt, ſi vehementi ſtudio & ardore ſectemini virtutem, & illam inſtar ſponſæ ambiatis: ita Lyranus, Hugo, Caietanus & Thomas Anglicus. Ipſa enim virtus, verbi gratia patientia, caritas, &c. ſuperat omnia mala; tantum abeſt, noceri ipſi poſſit a malo. Nemo enim læditur niſi a ſeipſo, ut pulcherrime S. Chryſoſt. *h* demonſtrat.

V. 14. Tyrannorum autem TIMOREM, id eſt terrorem, minas, plagas, NE TIMUERITIS, *i*. Equulei, gladii, ignes, rotæ, cruces, quas inferunt, breves ſunt & leves, & gratia Dei ſuperatu faciles, & per has conſcenditur ad coronam & regnum æternum.

V. 15. PARATI SEMPER, etiam laici, AD SATISFACTIONEM reddendam OMNI PETENTI VOS RATIONEM fidei & *ſpei* veſtræ. Non dicit, ad diſputandum de quovis myſterio fidei: hoc enim non ſpectat niſi ad doctores & paſtores Eccleſiæ; ſed, ad reſpondendum & rationem reddendam, & quidem in particulari, ſi ſat ſimus inſtructi: vel certe in generali, quia ſic revelatum a Deo, quia ſic traditum, ſic omni ſæculo doctum ab Eccleſia, quæ columna & firmamentum eſt veritatis, ſponſa Chriſti, & gubernata a Spiritu ſancto, ac proinde errare aut fallere neſcia.

V. 16. CONSCIENTIAM HABENTES BONAM & puram, per ſanctam probatamque converſationem, qua nihil efficacius ad revincendum criminatores virtutis vel fidei, ut fuſius vidimus cap. præcedenti verſ. 12. & ſequenti.

V. 18. MORTIFICATUS CARNE; id eſt, morte affectus & occiſus Chriſtus ſecundum corpus, ſed non ſecundum *ſpiritum* ſeu animam, ſecundum quam ſemper vivus manſit, & vivificatus eſt eiuſdem virtute etiam quoad corpus, quando tertia poſt mortem die, regreſſa anima in corpus, reddidit illud redivivum, immortale & glorioſum: ita Vatablus & alii paſſim. Hoc Chriſti exemplo vult Petrus animari fideles, utpote ſimili modo poſt paſſionem & mortem reſurrecturos, & glorificandos corpore & anima. Porro Chriſtum non fuiſſe triduo mortis mortuum quoad ſpiritum ſeu animam, probat ex eo, quod triduo illo

V. 19. IN ſpiritu, id eſt quoad animam VENIENS; græce, πορευθεὶς, id eſt cum veniſſet, *in carcerem*; Syrus, *baſciul*, id eſt in infernum, PRAEDICAVIT animabus omnibus illic captivis, iuxta illud Eccli. XXIV. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes*: & quidem *ſperantes in Domino*, (quales erant in limbo patrum, & in Purgatorio,) *omnes illuminabo* k, etiam lumine gloriæ, inquit Turrianus *l* & plures alii, qui volunt exhauſtum tunc fuiſſe a Chriſto totum Purgatorium. Non ſperantes vero, id eſt damnatos, arguam, increpabo & obiurgabo, inquit Angelus de Paz *m*. Sic omnibus

bus animabus prædicavit tunc Chriſtus: *impiis ad iudicium*, inquit Oecumenius, *piis ad gloriam & ſalutem*. Nec iis ſolis qui haud ita pridem in limbum deſcenderant, ſed & aliis omnibus qui eo devecti erant iam olim, etiam ante diluvium & quidem multis quoque illorum,

V. 20. QUI temporibus Noe INCREDULI FUERANT ALIQUANDO, non credentes initio minis & prophetiæ Noe, quia EXPECTABANT ſibique pollicebantur longanimem DEI PATIENTIAM, qua ut ante per tot ſæcula, ſic etiam tum diſſimularet cum illorum ſceleribus: poſtea tamen cum ſenſerunt inundare diluvium, converſi ſunt, crediderunt & pœnituerunt, atque ita licet aquis præſocarentur, ſalvati tamen ſunt, & ad limbum cum reliquis iuſtis relegati, per Chriſtum iam a morte eo deſcendentem, cum aliis omnibus iuſtis inde educti ſunt.

V. 21. QUOD, hebraiſmo, pro cui, ſupple, arcæ Noe, NUNC SIMILIS FORMAE, græce, *antitypon*, BAPTISMA, præfiguratum allegorice per arcam, VOS SALVOS FACIT. Sicut enim arca olim incluſos ſervabat in vita corporali, ita baptiſma ſalvat nos in vita ſpirituali: non enim abluit ſolam carnem, vel ſordes carnis, (ut baptiſmata Iudaica,) ſed etiam ſordes animæ, ſeu conſcientiæ, quam *interrogat n*, IN DEUM, id eſt explorat, probat, & quaſi lixivio emundans, probatam ac puram reddit coram Deo *o*, idque ex merito paſſionis Chriſti, cuius terminus, complemenſum & quaſi ſigillum fuit *reſurrectio*.

V. 22. DEGLUTIENS MORTEM, id eſt abolens & quaſi abſorbens mortem tum tuam in præſenti, tum noſtram in futuro: SUBIECTIS SIBI ANGELIS omnibus: nam etiam qua homo, ex vi & dignitate unionis hypoſtaticæ, eſt *primogenitus omnis creaturæ*, id eſt princeps omnium creaturarum, dominus & rex totius univerſi.

(a) I. Cor. VIII 13.
(b) Hier. epiſt. ad Marcellam, & ad Lætam.
(c) Tiraquell. in Connub. lege 3. num. 27. & ſeq.
(d) Cypr. de habitu Virginum. Clem. Alex. Lib. II. Pædagog. cap. XII. Lib. III. cap. I. & II Greg. Naz. orat. in mulieres ambitioſius ſe ornantes.
(e) Sap. VI. 20.
(f) Eccli. XXV. 2. Matt. XVIII. 19.
(g) Iacobi III. 2. & ſeq.
(h) Chryſoſt. tom. V. orat. Quod nemo læditur niſi a ſeipſo.
(i) Iſaiæ. VIII. 12.
(k) Zach. IX. 11.
(l) Turrian. Lib. IV. pro Epiſt. Roman. Pontif. cap. XII.
(m) Angel. Paz. Lib. VII. de Symbolo cap. XX.
(n) Pſal. X. 4. & 5.
(o) Hebr. X. 22.

GORDONI.

Verſ. 1. SIMILITER. Sicut dixit de ſervis ad dominos: ita nunc vult mulieres eſſe ſubditas viris in ſancta converſatione, ut hoc exemplo promoveantur ad fidem mariti, ſi infideles ſunt. Subſint ergo viris infidelibus uxores, idque etiam in iis quæ exigit ius coniugale.

V. 3. & 4. QUARUM NON SIT. Prohibet in mulieribus extremum cultum, in quo ſit faſtus aut vanitas; qualis erat in uſu, dum vultum & crines colorabant ceruſſa, ſtibio, aliiſque pigmentis. Nec decerant circumpoſitio auri, amictus palliorum. Apoſtolus requirit internum indumentum, modeſtiam & mores ſanctos; ubi latent coram Deo divitiæ multæ, nempe incorruptio ſpiritus, pax animæ integra. De his divitiis lege Ambroſium, Lib. IV. Epiſt. XXVII.

V. 25. SIC ENIM. Profertur hoc exemplum huius muliebris modeſtiæ in ornatu petitum a piis mulieribus veteris teſtamenti. SPERANTES vocat nempe rite colentes Deum: talis erat Sara, quæ modeſtiam hanc retinuit ſimul cum pietate & obedientia viro debita, quem ſequuta eſt patriam Chaldæam deſerens & parentes. Hanc Saram imitentur mulieres (ut ſint eius filiæ ſecundum ſpiritum) vitantes ſic omnem perturbationem & diſcordiam.

V. 7. VIRI SIMILITER. Iam de viro erga mulierem, ut vivat ſecundum ſcientiam, hoc eſt, prudenter, & conveniente honore vas hoc muliebre ſeu uxorem tractans in omni convictu. At cur utitur nomine vaſis ad deſignandam uxorem? Mihi ſane ut ſæpe alias Hebraiſmus videtur: ſicut dicunt Hebræi vaſa pro inſtrumentis. Uxor inſtrumentum domeſticum eſt, ſed vivum, cui cura domeſtica tota incumbit: & in cuius manu ſunt ſervi, & reliqua domeſtica inſtrumenta. Alii aliud; non moror. Certe Ambroſius legit, tamquam infirmiori vaſi mulieri. UT NON IMPEDIANTUR ORATIONES. Quod hæc omnia ſpectent ad honorifice pro earum ſtatu tractandas uxores, facit ratio ſubiecta,

quia

quia ſunt hæredes cæli, ſicut quod ſequitur de non impedienda oratione vetat diſcordiam, qua vel maxime impediri ſolet tranquilla oratio, & ſolidus Dei cultus.

V. 8. IN FINE AUTEM. Continua eſt & clara exhortatio ad concordiam, caritatem, modeſtiam, humilitatem, & patientiam: ſingulæ virtutes per ſingulas ſententias ſunt expreſſæ.

V. 17. MELIUS EST. Subſunt omnia divinæ providentiæ: ſi ergo ipſo volente, aut permittente patimur adverſa, bonum eſt nobis: ſuaviter omnia diſponet: felicior ſors eſt pati ob bonum, quam ob malum. Et vero fideles (verſ. 18.) exemplo Chriſt. debent pati licet innocentes: nam ille iuſtus & innocens paſſus eſt pro iniuſtis, & totius mundi peccatoribus. Eſt hoc ſuave admodum, pati cum duce pro iuſtitia: utile inſuper, dum ſic acquiritur virtus patientiæ nobis neceſſaria: ſic denique domat ſeipſum homo, & fit athleta fortis. At quomodo Chriſtus dicitur Spiritu vivificatus? Certe quando anima iterum ſubeunte corpus ſurrexit, anima, inquam, tunc vivificante, quæ viva & glorioſa erat.

V. 19. IN QUO ET HIS. Senſus eſt: In quo ſpiritu, ſeu in qua anima Chriſtus deſcendit ad limbum, ad eos qui in illo carcere erant; & *prædicavit iis qui increduli fuerunt aliquando*: iis qui initio quidem non credebant Noemo prædicanti pœnitentiam & diluvium, tamen videntes inſtare diluvium, crediderunt (nec tamen a morte corporis liberati ſunt) & egerunt pœnitentiam.

Sed quid eſt, verſ. 20. QUANDO EXPECTABANT DEI PATIENTIAM? Et quid aliud niſi quod circumſtantia hiſtoriæ docet, tunc illos qui tandem converſi ſunt ad pœnitentiam, manſiſſe expectantes exitum rei, & quouſque Deus differret diluvium: quæ dilatio erat ſpatium conceſſum credulis ad pœnitentiam (& aliis ſi vellent) & in quo ſtabat patientia Dei, nondum veniens ad vindictam. Interim ſalus corporis ab aqua ſolum octo hominum fuit.

Iam ſi quæras fructum huius prædicationis Chriſti in limbo; certe non profuit in inferioribus illis locis ad iuſtificationem, ſeu ſanctificantem iuſtitiam, ſed ad manifeſtandam incarnationem, gloriam Chriſti, & efficaciam mortis ipſius: quæ annunciatio ut gaudium attulit bonis, ita damnatis erat confuſio. Atque hæc paucis de loco alioqui difficili, & multorum diſputationibus ventilato.

V. 21. QUOD ET VOS. Arca typus fuit baptiſmi: baptiſmus antitypus. Baptiſma, inquit, formam habet ſimilem: ſicut enim arca ſalvavit octo animas a morte corporis, ita baptiſmus ſalvat a morte animæ dans vitam ſpiritualem. NON CARNIS DEPOSITIO. Pulchre declarat, quomodo virtute baptiſmi ſalvemur. Non, inquit, eius ablutio delet ſordes corporis, ſed prout eſt animæ ablutio, ubi reſultat bonæ conſcientiæ interrogatio apud Deum; nempe ita mundat baptiſmus, ut ſi interrogetur conſcientia Deo intuente non remaneat ibi amplius peccatum, vel Deo iudice, hoc vero eſt plene mundari. PER RESURRECTIONEM IESU CHRISTI; hoc eſt, baptiſmus habet vim ſic ſanctificandi per merita Chriſti, quorum complementum (omnia priora quaſi involvens] eſt reſurrectio, de qua dixi Rom. IV. verſ. 25. DEGLUTIENS (verſ. 22.) in reſurrectione abſorpta eſt mors noſtra. Vide illud I. Cor. XV. 54. *Abſorpta eſt mors*.

Mirabitur facile aliquis inſipientiam Novatorum, negantium virtutem hanc baptiſmi, cum locus hic tam planus ſit, ut omittam tot Patrum antiquorum eulogia de baptiſmo, & totius Eccleſiæ auctoritatem, cum loquuntur de hac perfecta regeneratione. τὸ ἐπερώτημα varie quidem ab aliquibus explicatur; ſed plane inepte a Luthero vertitur ſigillum, teſtimonium, obligatio, ac ſi vellent hi Novatores baptiſmum non vi ſua nos ſalvos facere, ſed eſſe ſignaculum, aut teſtimonium bonæ conſcientiæ aliunde & per fidem habitæ. Sed dogma hoc quod ſacramenta ſint tantum ſignacula, hæreticum eſt, damnatum hic a S. Petro, Tridentino, & tota Eccleſia.

C A P U T IV.

Chriſti morte redemptos hortatur ut pergant præterita devitare peccata ; incumbentes orationibus ac mutuæ dilectioni, ſemper omnia in Dei gloriam referentes, & gaudentes ſi propter Chriſtum pati oporteat.

1. CHriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione
armamini, quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis:
2. Ut iam non deſideriis hominum, ſed voluntatis Dei,
quod reliquum eſt in carne vivat temporis. 3. (*a*)
Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium
conſummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis,
deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus,
& illicitis idolorum cultibus. 4. * In quo admirantur non concurrentibus
vobis in eamdem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes. 5. Qui
reddent rationem ei, qui paratus eſt iudicare vivos & mortuos. 6. Propter
hoc enim & mortuis evangelizatum eſt: ut iudicentur quidem ſecundum
homines in carne, vivant autem ſecundum Deum in Spiritu. 7. *
Omnium autem finis appropinquavit. Eſtote itaque prudentes, & vigilate
in orationibus. 8. Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis caritatem
continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.
9. Hoſpitales invicem ſine murmuratione. 10. (*b*) Unuſquiſque, ſicut accepit
gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores
multiformis gratiæ Dei. 11. (*c*) Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi
quis miniſtrat, tamquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ut in omnibus
honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum: cui eſt gloria, & imperium
in ſæcula ſæculorum: Amen. 12. * Chariſſimi, nolite peregrinari in fervore,
qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat:
13. ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione
gloriæ eius gaudeatis exultantes. 14. Si exprobramini in nomine Chriſti,
beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui
eſt eius Spiritus, * ſuper vos requieſcit. 15. Nemo autem veſtrum patiatur
ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. 16. Si
autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine:
17. quoniam tempus eſt ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem
primum a nobis: quis finis eorum, * qui non credunt Dei Evangelio?
18. (*d*) * Et ſi iuſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?
19. Itaque & hi, qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli
Creatori commendent animas ſuas in benefactis.

(a) Epheſ. iv. 23. (b) Prov. x. 12. Rom. xii. 13. Hebr. xiii. 2. Philip. ii. 14.
(c) Rom. xii. 6. I. Cor. iv. 2. (d) Prov. xi. 31.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *In quo admirantur*. Ut non eſt ſcribendum plurale *quibus*, pro ſingulari *quo*; ita non eſt mutandum verbum *admirantur*, in *peregrinantur*, aut *obſtupeſcunt*, quæ ſunt græcæ dictionis aliæ verſiones.

Verſ. 7. *Omnium autem finis appropinquavit*. Retinendum eſt præteritum *appropinquavit*, non reſumendum futurum *appropinquabit*.

Verſ. 12. *Chariſſimi, nolite peregrinari*. Pro *peregrinari* quidam libri legunt *mirari*, quemadmodum e contrario ſupra verſ. 4. pro *admirantur*, quidam legunt *peregrinantur*: vox enim græca ξενίζεσθαι, ad verbum quidem transferatur *peregrinari*, ad ſenſum autem *mirari* ſeu *admirari*.

Verſ. 14. *Super vos requieſcit*. Non eſt mutandum præſens *requieſcit* in futurum.

Verſ. 17. *Qui non credunt Dei Evangelio*. Non eſt omittendum *Dei*.

Verſ. 18. *Et ſi iuſtus vix ſalvabitur*. Non addas *quidem*.

Notationes.

Verſ. 12. C*Ariſſimi, nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat*. *Pro peregrinari* in aliis codicibus eſſe *mirari*, teſtis eſt Beda. Græc. ξενίζεσθαι *peregrinari* ſignificat a ξένος *peregrinus* deductum. Porro quia id quod in admirationem venit, peregrinum ſive inſolitum ſit oportet, ſignificat & admirari: quo modo intelligendum hoc loco eſt. Quamobrem Cyprianus libri IV. epiſtola VI. *Cariſſimi nolite mirari ardorem accidentem vobis* legit. Ceterum videtur Interpres Græcam ſectatus vocem, *peregrinari* hic tranſtuliſſe, pro eo quod eſt peregrinum ſive inſolitum ducere (quis enim in locum τοῦ *mirari*, τό *peregrinari* ſubſtituiſſet?) & tamen quarto verſu ſuperiori ex eadem voce *admirari* legitur: quamquam & illic varietas ſit, nonnullis exemplaribus *peregrinantur*, aliis *admirantur*, aliis *obſtupeſcunt* legentibus.

V. 14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcet* (*Requieſcit* MS. G. S.) Bibliorum margo notat in uno ſcripto legi: *Quoniam gloria Dei ſpiritus in vobis requieſcit*; in tribus; *Quoniam gloriæ & Dei ſpiritus in vobis requieſcit*. Illa lectio ad Syriacum accedit. *Quoniam ſpiritus gloriæ* (glorioſus) *Dei ſuper vos requieſcit*: accedit & ad Tertullianum in Scorpiaco: *Quoniam gloria & Dei ſpiritus requieſcet in vobis*. Hæc ad plerorumque Græcorum codicum lectionem; ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, ſive ut in Regio & Complutenſi eſt ἀναπέπαυται: *Quoniam quod* (ſive qui) *gloriæ, & qui Dei ſpiritus ſuper vos requieſcit*, ſeu *requievit*. Tres Greci codices a Pariſienſibus notati ς. ι. ια. addunt δυνάμεως *virtutis*, receptæ a Latinis lectioni conformiter, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, vel ut in ς, eſt ἀναπέπαυται; *Quoniam quod* (ſive qui) *gloriæ & virtutis & qui Dei ſpiritus ſuper vos requieſcit*; vel *requievit*. Addit id & Cyprianus libri IV. epiſt. VI. *Quia maieſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit*. Conicit Cypriani commentator D. Pamelius, Cyprianum νεῦμα legiſſe pro πνεῦμα; potuerit æque ὄνομα ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ ὄνομα. Porro *honoris* quod Latine legitur, nuſquam alibi invenio: an Interpres adiecerit, an alius quiſpiam (idem enim unum eſt cum *gloriæ*) neſcio. Conſequenter legunt Græci codices cum D. Cypriano κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται: (*quod* Cyp.) *Secundum illos quidem blaſphematur, ſecundum vos* [*nos* Cyp.] *autem glorificatur* (*honoratur* Cyp.): id quod cum Tertulliano Latini, & Syrici non agnoſcunt.

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. & 2. CHRISTO IGITUR PASSO. Huius loci ſubobſcuri ſenſus eſt iſte: Quum igitur (ut Græci addunt *ὑπὲρ ἡμῶν*, id eſt pro nobis,) ſecundum carnem paſſus ſit Chriſtus, & vos eadem cogitatione armamini, id eſt ſic deliberate & conſtituite apud vos, ut quemadmodum ille pro vobis paſſus & crucifixus eſt carne, ita & vos pro eo patiamini & carnem veſtram crucifigatis: quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis, ut deinceps quod reliquum eſt temporis in carne vivat, non ſecundum deſideria & concupiſcentias hominum, ſed ſecundum Dei voluntatem. Similem pene ſententiam affert Paulus Rom. VI. Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato: qui enim mortuus eſt iuſtificatus eſt a peccato; pro hac noviſſima ſententia dicit Petrus, QUI PASSUS EST IN CARNE DESIIT A PECCATIS, ſive a peccato, *τῆς ἁμαρτίας*; id eſt, cui caro cum concupiſcentiis ſuis cum Chriſto cruci affixa eſt, ille iam peccare deſiit.

V. 3. 4. & 5. SUFFICIT ENIM PRAETERITUM TEMPUS, &c. Græca habent *ἀρκετὸν γὰρ ὑμῖν παρεληλυθὼς χρόνος τοῦ βίου τὸ θέλημα τῶν ἐθνῶν κατεργάσασθαι*; id eſt, ſat eſt quod præterito tempore voluntatem gentium conſummaveritis; ubi *τὸ θέλημα*, id eſt voluntatem, pro *τῶν ἐπιθυμιῶν* ſumunt, id eſt *libidinibus*. Hic enim Græca ſcholia, nonne ſatis eſſe debet, quod tantum temporis delitiis indulſiſtis, quod ſimilem ante hac gentibus vitam in omni luxu & laſcivia egiſtis? IN QUO ADMIRANTUR, NON CONCURRENTIBUS VOBIS IN EANDEM LUXURIAE CONFUSIONEM: Græce pro *admirantur* eſt *ξενίζονται ξένον*: autem ſignificat rem peregrinam, novam & admirandam, unde bene interpres vertit *admirantur*, tamquam rem ſcilicet novam & extraneam, quod non una cum illis curratis in eandem luxuriæ vel luxus (ut omnium rerum immoderatum abuſum intelligas; eſt enim Græce *ἀσωτίας*) confuſionem: Græce, *ἀνάχυσιν*, quod Græc. ſcholia *σύγχυσιν* interpretantur, & *τὸ ξενίζονται* exponunt per *θαυμάζουσιν*, id eſt admirantur: quod addidi, quia in utroque vocabulo interpretem noſtrum iniuria carpſit Eraſmus: ob id ergo, inquit, admirantur blaſphemantes id in quo blaſphemant & Deo iudice rationem reddent.

V. 6. PROPTER HOC ENIM MORTUIS EVANGELIZATUM EST. Locus iſte obſcurus eſt & varias admittit expoſitiones. Quidam exponunt, quod ſicut vivos & mortuos, id eſt in gratia degentes & libidinibus agentes iudicaturus eſt Deus: ita ab illo iis mortuis qui gentilitiam in omni ſpurcitia vitam egerunt evangelizatum eſt: ſicut Chriſtus ait, *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores*: illis ergo EVANGELIZATUM EST, UT IUDICENTUR QUIDEM SECUNDUM HOMINEM IN CARNE, id eſt per carnem; Græci enim non habent *in*. VIVANT AUTEM SECUNDUM DEUM ſpiritus vel per ſpiritum; *τῷ πνεύματι*: & hoc duobus modis exponitur; primo, ſecundum hominem mortificentur quidem carne; ſecundum Deum autem carne mortificati, ſpiritu vivant, mortificatis in Chriſto Ieſu membris: alio modo mortuis, id eſt peccatoribus: etiam infamibus, quales ſectabantur ut ad ſe Chriſtus attraheret, evangelizatum eſt ab ipſo ſcilicet Chriſto, ut ſecundum homines, id eſt Phariſæos externa tantum ſpectantes: iudicentur & condemnentur in carne, id eſt carnaliter vel in ſpeciem: Phariſæi enim ut ſe iuſtificarent, peccatores damnabant & abiiciebant: illis ergo Chriſtus prædicavit, ut ſic a mundo ſecundum carnem iudicati & damnati, ſecundum Dei vivant Spiritu, id eſt in Spiritu ſancto. Alio modo exponunt hunc locum ad litteram Græca ſcholia: quod Chriſtus ad inferos deſcendens, mortuis illic exiſtentibus prædicavit ſicut & vivis prædicaverat, & ſicut vivis prædicans, iis qui eum agnoverunt, in iuſtificationem adfuit, iis autem qui ignorarunt & reiecerunt, in condemnationem: ita in infernum deſcendens mortuis prædicavit, & iis qui ſecundum hominem in carne, id eſt carnaliter vixerant in con-

dem-

demnationem, iis autem qui ſecundum Deum in ſpiritu egerant, id eſt ſpiritualem & ex virtute vitam vixerant, in gloriam & honorem affuit. Hoc eſt, quod ait Petrus, quod mortuis a Chriſto perinde ac vivis evangelizatum eſt in inferno, ut prædicante illis Chriſto ad bonorum gloriam & malorum confuſionem, iudicentur quidem, id eſt condemnentur qui ſecundum hominem, id eſt in carne vixerant: vitam autem æternam vivant, qui ſecundum Deum in ſpiritu ante vixerant.

V. 7. Estote itaque prudentes. Reliquum capitis ſatis facile eſt, niſi quod in paucis variat interpres a Græco: pro *Prudentes eſtote*, Græce eſt σωφρονήσατε, id eſt modeſti ſive temperantes eſtote; pro vigilate eſt νήψατε, quod vigilate & ſobrii eſtote, ſignificat: quod paulo poſt ſequitur, caritas operit multitudinem peccatorum, interpres legit καλύπτει in præſenti, Græca habent καλύψει in futuro; quod autem ſequitur, Si quis loquitur, tamquam sermones Dei, ſubaudiendum eſt, loquatur; tamquam ex virtute, ſubaudiendum miniſtret.

V. 12. & 13. Nolite peregrinari. Græci habent μὴ ξενίζεσθε; quum autem ξένον rem novam & peregrinam; & ut vocamus, externam ſignificet; ſenſus eſt, nolite perceli tamquam re nova & inſolita: non eſt autem vocabulum Latinum quod huic reſpondeat. Galli dicerent, *ne trouvez eſtrange, ne ſoyez eſtonnez*, quod autem habet interpres, in fervore, græci habent ἐν πυρώσει, quod Græca ſcholia explicant per ἐν δοκιμασίᾳ, id eſt in probatione & exploratione, quæ tamquam per ignem fit. Senſus ergo eſt, nolite percelli ob explorationem quæ vobis fit, tentandi veſtri gratia, quaſi ob rem novam, ſed ob hoc gaudere, quod communicatis paſſionibus Chriſti, id eſt quod vobis datum eſt pro eo affligi.

V. 14. Si exprobramini in nomine Christi; id eſt, ſi opprobrio vobis vertitur, ut aiunt Græca ſcholia, Chriſti nomen, in hoc quod Chriſtiani dicimini, beati eritis, quoniam quod est honoris, gloriae, et virtutis Dei et qui est eius spiritus super vos requiescit. Græca paulo ſecus habent, ſcilicet ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, ubi græci non habent *virtutis* neque *honoris*, nos autem τὸ τῆς δόξης poſſumus gloriam interpretari, & ſic ſenſus eſſet, quod gloria & ſpiritus Dei ſuper vos requieſcit: poſt hunc locum autem græci addunt κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται, id eſt ab illis quidem blaſphematur, a vobis autem glorificatur: quæ interpres noſter non legit: mihi autem videtur Eraſmus contra Latini ſermonis rationem κατὰ αὐτοὺς, κατὰ ὑμᾶς vertiſſe *iuxta vos*: & quis enim ferat ita loquentem? Deus blaſphematur iuxta vos: ego dicerem, a vobis aut per vos.

V. 15. Nemo vestrum patiatur ut fur; id eſt ne committite ut pœnas detis & affligamini, homicidii, furti, aut alterius peccati nomine: ſi autem quis ob Chriſti nomen & quia Chriſtianus eſt, non erubeſcat.

V. 17. Tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. Græca ſcholia κρίμα non ἀντὶ κατακρίματος, ſed ἐξετάσεως, id eſt non pro condemnatione, ſed pro accurata examinatione ſumunt: quæ incipiet a domo Dei, id eſt a Chriſtianis bonis, Deique familiaribus & domeſticis; ut eorum quæ in vita geſſerunt rationem reddant: quod ſi, inquit, exigitur ratio a Dei domeſticis & fidelibus, quis futurus eſt finis infidelium? Baſilius Magnus interpretatur, κρίμα, & iudicium pro afflictionibus quas ab infidelibus paſſuri ſunt fideles. Quod ſi per huiuſmodi afflictiones ſuos tentare viſum eſt Deo, quid futurum putant infideles qui totam vitam agunt in deliciis?

V. 18. Et si iustus vix salvabitur, id eſt cum labore & moleſtia; μόγις enim ſignificat cum labore, quia per multas tribulationes oportet ingredi in regnum cælorum: impius & peccator ubi parebunt?

S A.

Verſ. 1. Eadem; pro, hac, ſcilicet de qua ſtatim. Quia; pro, quod. Passus, id eſt commortuus cum Chriſto.

V. 2. Reliquum. Iunge cum *temporis*.

V. 3. Sufficit; quaſi dicat: Sat mali factum eſt præterito tempore, ut repeti non debeat. Gentium; quaſi dicat, Flagitioſum. Consummandam, id eſt complen-

plendam. DESIDERIIS, id eſt concupiſcentiis. ILLICITIS. Græc. *nefariis*.

V. 4. ADMIRANTUR. Græc. *peregrinantur*, id eſt velut rem novam, & peregrinam mirantur. BLASPHEMANTES, id eſt maledicentes.

V. 6. MORTUIS, id eſt peccatoribus. IUDICENTUR; pro, etſi iudicentur. IN CARNE, id eſt carnales: quod poteſt referri ad iudicantes, vel iudicatos; quaſi dicat, Etſi putentur vivere, more carnalium.

V. 7. PRUDENTES. Syr. *caſti*.

V. 8. IN VOBISMETIPSIS. Græc. *in vosipſos*, id eſt inter vos. OPERIT, id eſt delet:

V. 10. GRATIAM, id eſt donum. MULTIFORMIS, id eſt variæ.

V. 11. ADMINISTRAT, id eſt ſuppeditat HONORIFICETUR, id eſt glorificetur.

V. 12. PEREGRINARI, id eſt velut rem novam ſeu inſolitam mirari. FERVORE, id eſt urente tribulatione. TENTATIONEM, id eſt probationem. FIT, id eſt accidit.

V. 13 COMMUNICANTES, id eſt participantes.

V. 14. IN NOMINE, id eſt cauſa, vel ob nomen, ſcilicit quia Chriſtiani. REQUIESCIT. Sic Syr. Græc. *requievit*.

V. 15. MALEDICUS. Græc. *malefactor*. IN ISTO NOMINE, id eſt ea cauſa. Græc. *in parte hac*.

V. 17. IUDICIUM, id eſt afflictio. QUIS FINIS, id eſt quid erit de iis, &c.

V. 18. SI IUSTUS, &c. Id ſumptum ex Prov. XI. iuxta LXX. ubi nos legimus, *Si iuſtos in terra recipit*, &c. VIX, id eſt cum difficultate, nemo enim ſine peccato, pro quo oportet ſatisfacere per pœnaſia. PAREBUNT, id eſt comparebunt; quaſi dicat: Quomodo poterunt comparere coram Deo: vel ubi invenientur tandem?

V. 19. BENEFACTIS, id eſt bonis operibus.

MARIANAE.

Verſ. 1. CHRISTO IGITUR. Contendit fidelem, qui cum Chriſto mortuus eſt, & veterem hominem depoſuit, non debere amplius peccare. QUIA QUI PASSUS EST. Chriſtus morte, homo ſpiritualiter, qui carnis cupiditatibus mortuus eſt. DESIIT A PECCATIS: non amplius peccat.

V. 2. UT IAM NON DESIDERIIS HOMINUM, id eſt carnis cupiditate. SED VOLUNTATE DEI, aut *voluntate*, ut Gotth. & plerique codices habent, VIVAT.

V. 3. SUFFICIT ENIM PRAETERITUM TEMPUS AD VOLUNTATEM, id eſt concupiſcentias Gentium conſummandum. IN LUXURIIS, DESIDERIIS, VINOLENTIIS. Gotth. *in libidinibus*, *concupiſcentiis*, & *ebrietate*.

V. 4. IN QUO ADMIRANTUR. Ξένον *rem novam*, *peregrinam* & *admirandam* ſignificat: inde ξενίζονται, *peregrinum ducunt & admirantur*, veſtram ſcilicet ab his omnibus continentiam. Hoc verbum recurrit verſ. 12. ſed aliter verſum.

V. 6. PROPTER HOC ENIM ET MORTUIS, ſcilicet ſpiritualiter, peccatoribus evangelizatum eſt. UT IUDICENTUR, id eſt condemnentur, moriantur ſecundum carnem ſpiritualiter. VIVANT AUTEM Deo, & ſecundum interiorem hominem. Aut ſic: Dixerat Deum paratum iudicare vivos & mortuos, nunc addit mortuis prædicaſſe, ſcilicet in inferno, ut cap. ſuperiori verſ. 19. *ut iudicentur*, id eſt condemnentur, qui in carne vixerunt, vivant autem, qui ſpiritu vixerunt. Sic Scholia Græca: nec diſplicet.

V. 7. FINIS APPROPINQUAVIT. Sic Gr. Plerique codices Latini, *appropinquabit*: ſed parum refert. Inſtare finem omnium prædicit, id eſt mundi finem.

V. 8. ANTE OMNIA. Exhortatio eſt ad virtutes, in primis ad mutuum amorem. QUIA CARITAS OPERIT. Græc. *operiet*. MULTITUDINEM PECCATORUM, ſcilicet ſuorum, remiſſione; & fratris, quia ea amans non videt. Amor ideo cæcus pingitur.

V. 11. SI QUIS LOQUITUR, QUASI SERMONES DEI, ſcilicet cum timore & reverentia. Aut ſic: Loquatur ut Deus, qui loquendo facit. *Verbo Domini cæli firmati ſunt*, Gregorius III. Paſtor. cap. XXV. Loquatur etiam ex abundantia cordis, verbum, quod a Deo accipit: ſic debent Concionatores. Ideo additur, SI QUIS MINISTRAT, ſcilicet iungat cum verbo *opus*, & illud faciat ut miniſter Dei, & in ho-

no.

norem Dei. UT IN OMNIBUS HONORIFICETUR DEUS, is debet eſſe ſcopus.

V. 12. NOLITE PEREGRINARI IN FERVORE, id eſt *novum*, *peregrinum*, *inſolens cenſere*: ξενίζω id ſignificat. Gotth. *expaveſcere*. Syr. *mirari*: ſic verſ. 4. vertit noſter hoc verbum, cur mutavit? Græciſmus eſt. Ergo ne miremini cum ferventi tentationes: non loquitur de internis, ſed de externis afflictionibus; nam ſequitur:

V. 13. SED COMMUNICANTES CHRISTI PASSIONIBUS. Magnum eſt Chriſto eſſe ſimilem, magnum in laboribus & moleſtiis ſolamen.

V. 14. SI EXPROBRAMINI IN NOMINE CHRISTI, id eſt quia Chriſtiani eſtis, aut vocamini. BEATI ERITIS. Græc. *beati*. Gotth. *beati eſtis*, ſic Syr. QUONIAM QUOD EST HONORIS, GLORIAE. Græc. *quod eſt gloriæ, & ſpiritus Dei*. Deeſt *honoris & virtutis Dei*. SUPER VOS REQUIESCIT. Sic Græc. & Gotth. Alii *requieſcet*, certe Lovan. & Regia. Quod Græc. ſequitur: *Ab illis quidem blaſphematur, a vobis autem honoratur*: addititium videtur, nec Syr. habet, in Gotth. tamen id invenio. Cyprianus Lib. IV. epiſt. VI. ſic habet: *Quia maieſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit, quod quidem ſecundum illos blaſphematur, ſecundum nos autem honoratur*, pro *ab illis, a nobis*. Græc. ſic: Κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται ſed κατὰ pro ἀπό.

V. 15. NEMO AUTEM, id eſt ne committite, ut ob delicta puniamini. AUT ALIENORUM APPETITOR. Græc. *alienorum inſidiator*, ἀλλοτριοεπίσκοπος. *Si autem, quia Chriſtiani, laudate Deum*: *Quoniam tempus eſt*,

V. 17. UT INCIPIAT IUDICIUM, id eſt, examen, aut afflictio a domo Dei. Deus ita ſtatuit, ut primi probarentur boni, uti igne aurum.

V. 18. ET SI IUSTUS VIX, id eſt cum labore, ægre. SALVABITUR; ſeu *ſalvatur*. Græc. Syr. & Gotth.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN CARNE, id eſt dum viveret in hac noſtra carne mortali, non enim ita loquitur quaſi anima expers fuerit doloris, cum ipſe Chriſtus dixerit: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. EADEM COGITATIONE ARMAMINI; ſimili decreto animi, & propoſito armate vos, ut ſcilicet parati ſitis, & prompti ad patiendum Chriſti exemplo. QUIA QUI PASSUS EST IN CARNE: quia Chriſtianus, qui patitur in carne ſeipſum crucifigendo, concupiſcentias, & vitia mortificando. DESIIT A PECCATO: iam valedixit peccatis, ut deinceps non vivat carni, & concupiſcentiis, ſed Deo.

V. 2. DESIDERIIS HOMINUM; mundanis cupiditatibus, & concupiſcentiis. QUOD RELIQUUM EST IN CARNE: quod reliquum eſt vitæ.

V. 3. SUFFICIT ENIM PRAETERITUM TEMPUS; quaſi dicat, Satis ſit vobis quod anteactam vitam Gentilium more traduxiſtis, dum impuros eorum mores imitaremini. AD VOLUNTATEM GENTIUM CONSUMMANDAM: hoc eſt voluntates, deſideria, & concupiſcentias quibus ſerviunt Gentiles, conſummaſſe, & compleſſe. QUI AMBULAVERUNT IN LUXURIIS: in iis vitam traducentes. Græcum ἀσέλγεια ſignificat laſciviam, inſolentiam, petulantiam, &c. DESIDERIIS: ἐπιθυμίαις, *concupiſcentiis*. VINOLENTIIS: crapulis, & ebrietatibus. COMESSATIONIBUS: intempeſtivis conviviis. ILLICITIS: abominandis, & execrandis: eſt Mioſis: nam minus dicitur quam ſignificatur. Unde S. Auguſt. homil. XX. inter 50. legit *nefandis idolorum ſervitutibus*.

V. 4. IN QUO ADMIRANTUR, &c. ſenſus eſt: In quo genere ſane vos mirantur Gentiles, quod ſcilicet iiſdem ſtudiis non teneamini, ſed ab eis abhorreatis, ideoque vos vituperant, & blaſphemant. LUXURIAE CONFUSIONEM. Græce ἀνάχυσιν, *refuſionem*, *redundantiam*, qua voce ſignificare videtur Apoſtolus late patens vitium, quod quaſi diluvium quoddam omnia obruat. Sic Oſee IV. 2. legimus, *homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt*.

V. 5. QUI PARATUS EST IUDICARE: qui deſtinatus eſt iudex.

V. 6. PROPTER HOC ENIM ET MORTUIS EVANGELIZATUM EST, &c. quaſi dicat: Quia multi Gentiles epicurei, & athei animam mortalem putant, voluit Chriſtus ad inferos deſcendere, & ſanctis Patribus

ibi degentibus lætum nuntium ſalutis, & eductionis ex illo carcere afferte, & hoc fide teneri, & prædicari a Chriſtianis ad evertendam impiorum non credentium infidelitatem. UT IUDICENTUR QUIDEM SECUNDUM HOMINES IN CARNE: ut ii, qui exiſtimantur ab hominibus mundanis eſſe mortui, & ſimul cum corpore periiſſe, ideoque miſeri, ſuperſtitioſi, & fatui habentur, quod voluptates aſpernati ſint, & arduam virtutis, & crucis viam inſtiterint. VIVANT SECUNDUM DEUM IN SPIRITU: iidem ſciantur vivere coram Deo, id eſt dono Dei ſecundum Spiritum, id eſt animam, & rurſum cum corpore victuri in reſurrectione extremi iudicii.

V. 7. OMNIUM AUTEM FINIS APPROPINQUAVIT; quaſi dicat, Paratus eſt Chriſtus iudicare, ut dictum eſt v. 5. ergo par eſt nos ſobrie, & caſte vivere, nam instat omnium finis, & ipſis voluptatibus, quas ſectati eſtis aliquando, mors cito finem imponet. ESTOTE ITAQUE PRUDENTES. Græce σωφρονήσατε, quod aliqui vertunt, *ſobrii eſtote*, & bene cohæret cum ſequentibus, nam temperantia vigilantiæ, & ſtudii orationis fida comes eſſe ſolet; ſed non minus comes eſt prudentiæ, quare etiam etymon σωφροσύνης eſſe volunt ὅτι σώζει τὴν φρόνησιν, quod ſervet prudentiam, & mentis ſanitatem. VIGILATE IN ORATIONIBUS. Videtur S. Petrus in mente habuiſſe monitum Chriſti Matth. XXVI. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*.

V. 8. IN VOBISMETIPSIS, id eſt inter vos. QUIA CARITAS OPERIT MULTITUDINEM PECCATORUM: nam fraterna caritas acceptas iniurias condonat, & quidquid a proximis contra nos peccatum eſt, abolet, & obliterat.

V. 9. SINE MURMURATIONE: ab hoſpitalitate excludit murmurationem; ſolent enim qui tenaces ſunt, & avari, queri de hoſpitum multitudine, diuturnitate, edacitate, libertate agendi &c.

V. 10. UNUSQUISQUE SICUT ACCEPIT GRATIAM, &c. Iubet ut dona, & talenta nobis a Deo data, in proximorum utilitatem conferamus, neque enim huiuſmodi talentorum tam domini ſumus, quam adminiſtratores. MULTIFORMIS GRATIAE DEI: quæ ſcilicet variis varia dona, & talenta largitur.

V. 11. SI QUIS LOQUITUR QUASI SERMONES DEI. Si quis loquitur, Deo digna loquatur, & viro Chriſtiano: de rebus utilibus, & ad animæ ædificationem facientibus, præſertim concionatores, ſacerdotes, & viri Eccleſiaſtici. SI QUIS MINISTRAT: ſi cui miniſterium aliquod creditum eſt in Eccleſia, verbi gratia, adminiſtratio ſacramentorum, eleemoſynarum, &c. TAMQUAM EX VIRTUTE, QUAM ADMINISTRAT DEUS: non tantum recte, & fideliter, non accipiendo perſonas, ſed valenter, ſtrenue & generoſe, ſcientes ſe eſſe Dei miniſtros, & ab eo agi, regi, & protegi. ADMINISTRAT DEUS: χορηγεῖ ſuppeditat, ſuggerit, ſubminiſtrat Deus. PER IESUM CHRISTUM: qui per merita Chriſti mediatoris, hæc dona ſuis miniſtris elargitur Deus. CUI: tam Chriſto, quam Deo. IMPERIUM: κράτος, quod etiam *potentia* verti poteſt. Qui eſt glorioſus, & potens, & cuius imperio ſubiacent univerſa.

V. 12. NOLITE PEREGRINARI: μὴ ξενίζεσθε, id eſt nolite admirari, non videatur vobis res nova, & peregrina. Italice dicimus, *Non vi paia ſtrano*. IN FERVORE: ἐν πυρώσει, *in uſtione*, dum per ignem, & uſtionem tribulationis probamini. AD TENTATIONEM VOBIS FIT, id eſt ad exercendam virtutem, & conſtantiam veſtram. QUASI NOVI ALIQUID VOBIS CONTINGAT; quaſi dicat: Non enim eſt novum, & peregrinum fideles, & pios tentari, & malis vexari.

V. 13. SED COMMUNICANTES CHRISTI PASSIONIBUS GAUDETE: ſed gaudete cum vobis contigerit participes eſſe paſſionum Chriſti. IN REVELATIONEM GLORIAE EIUS, id eſt cum divina eius gloria palam omnibus apparebit in extremo iudicio.

V. 14. SI EXPROBRAMINI: ſi probris, & contumeliis contingat vos affici. IN NOMINE CHRISTI: ob nomen Chriſti, quia ſcilicet eſtis Chriſtiani. QUONIAM QUOD EST HONORIS, GLORIAE, &c. quaſi dicat: Gloria, virtus, & Spiritus Dei ſuper vos requieſcit, agitque ad omne arduum, id eſt ad heroicam patientiam. Vel, ſiquidem glorioſus Dei Spiritus certam quaſi ſibi ſedem in vobis delegit, qui licet ab illis maledictis proſcindatur, a vobis tamen gloria, & honore dignus prædicatur.

V. 15.

Digitized by Google

V. 15. Patiatur : iudicum poteſtate plectatur. Maledicus : *κακοποιός, maleſactor*. Alienorum appetitor, *ἀλλοτριοεπίσκοπος alieni ſpeculator*, ut vertit Tertullianus : qui ad res alienas cupidos adiicit oculos, & conſequenter cupiditate victus illas invadit.

V. 16. Glorificet autem Deum in isto nomine : alacriter patiatur, & ſua paſſione Dei gloriam amplificet. In isto nomine : hac de cauſa.

V. 17. Quoniam tempus est : *καιρὸς*, id eſt opportunitas, occaſio, tempus commodum, & opportunum. Tale enim tempus eſt tum preſens vita, tum Chriſtianiſmus, novaque eius religio, tum fervens illis initiis Iudæorum, & infidelium contra eum odium. Ut iudicium incipiat a domo Dei : par enim eſt ut Iudex prius ſuam domum examinet, quam alienam. Iudicium : iudicium hic non condemnationem, ſed examinationem, & explorationem ſignificat cum punitione aliqua, & tribulatione ſalutari, ut expurgetur Eccleſia, erudiatur, & perficiatur. Si autem primum a nobis, &c. quaſi dicat : Si Deus ſuos fideles, & ſanctos ita iudicat, id eſt examinat, explorat, & exercet, quid expectent ab eo infideles, quæ pœna, quis finis eos maneat ?

V. 18. Et si iustus vix salvabitur, id eſt cum labore, & moleſtia, per multas tribulationes, & afflictiones, perſecutiones, pœnitentias, pro peccatis præteritis, &c. Ubi parebunt ? ubi apparebunt ? quo ibunt ? quis eos locus excipiet ?

V. 19. Itaque et hi qui patiuntur. Eſt epilogus dictorum ; quaſi dicat, cum iuſtus vix ſalvetur ; & nonniſi per multas tribulationes, par eſt ut qui patiuntur commendent ſe Deo, tum ut vires patiendi ſuggerat, tum ut ultimum, difficilemque vitæ agonem ſine ſalutis periculo obeant, ideoque preces cumulent beneſactis, ut certam faciant ſuam electionem, & ſalutem. Secundum voluntatem Dei : patientes pro Chriſto, fide, & iuſtitia, idque patienter, & fortiter, conformantes noſtram divinæ voluntati. In benefactis ; in operibus bonis.

TIRINI.

Verſ. 1. CHristo tam generoſe pro vobis passo & crucifixo, ut vos a peccatis & vitiis veſtris expediret, vos quoque armamini eadem, ſeu ſimili, cogitatione & animi reſolutione, quod velitis vitia veſtra pari modo crucifigere, exemplo & amore Chriſti ; etſi id fiat cum dolore, immo cum morte carnis. Quia quicumque inſtar Chriſti passus & crucifixus *eſt*, nempe carnem ſuam crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis, hic iam desiit & abſtinet a peccatis.

V. 2. Ut deinceps, etſi in carne vivat, non tamen vivat aut ſerviat desideriis hominum, id eſt appetitibus & paſſionibus corrupti cordis humani, sed *voluntati*, beneplacito & legi Dei, ut ei tamquam dominæ ac reginæ ſuæ, in omnibus & per omnia obſecundet.

V. 3. Sufficit enim quod omne praeteritum vitæ tempus impenderitis *a* obſequio carnis & vitiorum, ad complendam consummandamque voluntatem Gentium, ſeu deſideria profanorum Gentium in carnalibus ſordibus perpetuo volutantium.

V. 4. In quo, cum vident vos una ſecum non *concurrere*, vehementiſſime admirantur : Græce, *ξενίζονται*, id eſt *peregrinantur*, id eſt peregrini ſibi videntur, & quaſi in alio mundo verſari, dum veſtros ſanctos mores expendunt : & cum ſuis impiis ſceleribus conferunt, & quaſi rem peregrinam novam atque ſtupendam contrectant quidem, non tamen imitantur ; ſed quaſi ſibi impoſſibilem, ſuiſque ſtudiis ac votis contrariam reiiciunt, execrantur & *blaſphemant*. Sed hi

V. 5. Reddent huius blaſphemiæ, ut & aliorum ſcelerum ſuorum, rationem, ſi non hic, certe in altera vita, iudici Chriſto, qui conſtitutus ac paratus est iudicare non vivos tantum, ſeu durante hac vita (ut multi Gentiles & Epicurei arbitrantur) ſed etiam mortuos omnes. Unde licet, in hac forte vita non puniantur iſti blaſphemi, non evadent tamen iudicium & promeritas pœnas in altera vita. Porro ut manifeſtum mundo faceret Chriſtus ſe iudicaturum mortuos omnes æque ac vivos, dedit ſpecimen ali-

quod, immo initium illius ſui iudicii, quando ſtatim a morte deſcendit ſecundum animam ad inferos, (ut ſupra *b* dixi,) ibique

V. 6. Evangelizavit MORTUIS patribus, Prophetis, aliiſque iuſtis ad id uſque tempus in limbo recluſis, afferens illis pro vita pie ante peracta, lætiſſimum æternæ beatitudinis præmium; ita UT, licet illi SECUNDUM HOMINES, ſeu ab hominibus mundanis, IUDICENTUR & æſtimentur mortui eſſe IN CARNE, & plane interiiſſe (ſecundum Epicureos,) ideoque ſtulti fuiſſe, quod, dum apud nos eſſent, carnis voluptates ſpreverint: tamen revera VIVANT SPIRITU, ſeu anima, SECUNDUM DEUM, id eſt coram Deo & in præſentia divinæ maieſtatis, donati ab ipſo gloria æterna. Subintelligendum relinquit Petrus, vice verſa etiam impiis ante id tempus mortuis ſuum obtigiſſe iudicium & tormentum in eodem illo Chriſti ad inferos triduano deſcenſu: ita ut, licet iudicio Epicureorum cenſeatur plane interiiſſe, revera tamen igne infernali crucientur: ita fere Suarez, a Valentia *c*, a Lapide & quidam alii. Uti AUTEM contigit tunc illis, ita mox continget aliis omnibus:

V. 7. OMNIUM enim hominum, ſive piorum, ſive impiorum, FINIS, mores & iudicium *in propinquo* eſt.

V. 8. MUTUAM IN VOBISMETIPSIS: Græce, *in vos*, ſeu inter vos invicem, colite CARITATEM CONTINUAM; Græcum ἐκτενῆ non tantum *perſeverantem* ſignificat, ſed etiam cordialem, liberalem, profuſam, extenſam, & vehementem caritatem, ut Pagninus & Vatablus vertunt. QUIA CARITAS illa mutua OPERIT MULTITUDINEM, id eſt univerſitatem, PECCATORUM, tum propriorum, tum alienorum; conformiter illi dicto Sapientis *d*, *Univerſa delicta operit caritas*: caritas enim proximi propter Deum, ut animam ſanctificat, & ad Dei amicitiam evehit, ita a peccatis eamdem expurgat, inquit Tertull. Clemens Alex. Ambroſ. Aug. Ephrem, Proſper, *e* & alii. Et, ut iidem docent, operit etiam, tegit, excuſat, condonat proximi offenſas, & ſic ſæpe cauſa eſt, cur proximus quoque reſipiſcat reconcilieturque tum illi, tum Deo. Sed propria peccata ſic tegit, ut prorſus extinguat & aboleat, ſicut aqua tegit ignem, lumen tenebras, &c. aliena vero tegit ſicut emplaſtrum vulnera, nempe curando illa & ſanando, vel ſaltem leniendo & palliando.

V. 9. HOSPITALES INVICEM. Eſt hoc alterum caritatis officium. Tertium ſequitur:

V. 10. QUISQUE GRATIAM, id eſt dona & talenta quæ a Deo ACCEPIT, & SICUT *accepit*, liberaliter, gratis & in uſum proximi *adminiſtret* & expendat: nominatim in prædicando, ſeu docendo, & in miniſtrando *f*.

V. 11. SI QUIS LOQUITUR, prædicet, doceat, loquatur, SERMONES non ſuos, ſed DEI; prædicet non ſeipſum, ſed Chriſtum; doceat non profana, non ludicra, non vana, ſed ſolida, ſed ſancta, ſed Deo digna. SI QUIS *miniſtrandi* curam habet, v. g. Sacramenta, eleemoſynas, vel officia aliis diſtribuendi, alios regendi, aliis invigilandi, id minus adminiſtret EX VIRTUTE non propria, ſed *Dei*, quæ cælitus ipſi ſubminiſtratur. Unde primo, nihil ſibi arroget, non propria lucra vel laudes captet, vel ſuis viribus præfidat: ſecundo, nullum munus ambiat vel aucupetur: tertio, non acceptet perſonas: quarto, præfidat in omnibus Deo, & intrepide, generoſe, fortiter agat ac ſtrenue: quinto, ſit in dando & erogando liberalis, &c.

V. 12. NOLITE PEREGRINARI; Græce, μὴ ξενίζεσθε, quod ſupra *g* vertit, *admirari*; quaſi dicat: Nolite admirari, aut tamquam re nova, inſolenti, peregrina, percelli vel perturbari IN FERVORE; Græce, ἐν πυρώσει, id eſt *in uſtione* afflictionum & adverſitatum, AD TENTATIONEM *h* VOBIS cedit, id eſt ad probationem, explorationem & purgationem; quin potius ſummorum vobis inde gaudiorum occaſio: nam ſic primo,

V. 13. CHRISTI PASSIONIBUS COMMUNICATIS, inſerti & inoculati Chriſto, ſicut ramus arbori, complantati, concrucifixi, commortui Chriſto *i*. Unde Paulus *k*, *Chriſto confixus ſum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, & patitur in me, quaſi in membro ſuo *l*. Quod ſummum mihi decus eſt & gloria, æque ac meritum & gaudium. Secundo, ut cum Chriſto ſimul patimini, ita cum eodem ſimul reſurgetis & conglorificabimini.

V. 14.

Digitized by Google

V. 14. Quoniam quod est honoris, gloriae et virtutis, ſeu potentiæ, Dei, immo ipſemet eius Spiritus, dator & auctor omnis honoris, gloriæ & virtutis, super vos, quando pro Chriſto probra vel verbera patimini, requiescit, immo *in vobis*, quaſi in optatiſſimo templo, palatio & thalamo ſuo, mira cum voluptate deliciatur ac recreatur. Quod ſi in paſſione pro Chriſto conſiſtat omnis honor, gloria, robur, maieſtas & voluntas Dei, quid poterit illa dignius, honorificentius, divinius, Deoque gratius, iucundius aut glorioſius excogitari, ut pulchre S. Cyprianus, Baſilius, & Auguſtinus *m* demonſtrant: ſed eſt etiam alia cauſa cur Deus velit præ infidelibus, & ſceleratis fideles & pios ſervos ſuos exerceri & affligi in hac vita:

V. 17. Quoniam iam tempus commodum & opportunum est exercendi, in eos *iudicii* ac punitionis, quæ manet omnes omnino homines, etiam iuſtiſſimos, ob levia quædam peccata quæ ſinguli aliquando patrarunt: hæc autem ſuaviſſime ac convenientiſſime puniuntur, eluuntur, delentur per afflictiones huius vitæ, quarum immiſſione iuſtus iudex inchoat iudicium ſuum a domo ſua, ut illam prius emundet, quam ad impiorum & infidelium domos exſequendas, iudicandas & puniendas ſe accingat. Prius, inquam, non tempore, ſed providentia & cura, qua præ omnibus invigilat electis ſervis & filiis familiæ ſuæ.

Iam vero si tam grave, tam durum eſt initium iudicii, quod per tot flagella & tormenta huius vitæ primum a nobis, qui chariſſimi eius filii ſumus, depoſcit & inchoat; qualis erit progreſſus, & quam horrendus finis & cataſtrophe eiuſdem iudicii, quod ſummo rigore exercebit in impios & infideles, iuratos hoſtes ſuos. Si divina iuſtitia & ira, cum primum movetur & concitatur, tantas calamitates iuſtis irrogat, qua tandem vi & impetu in fine motus ſui contra impios rapietur & deſæviet? inquit S. Greg. *n* Si tam ſevere flagellantur filii, quid debent ſperare ſervi nequiſſimi? inquit S. Auguſtinus *o*.

V. 18. Et si iustus vix, Græce, *μόλις*, id eſt ægre, difficulter, salvabitur, damnationem evadet, & ſalutem æternam adipiſcetur, nempe nonniſi poſt acrem peccatorum, etſi levium, punitionem; impius et peccator, perſeverans & moriens in peccatis, ubi parebunt? quo ibunt? quis locus, quo ſors illos excipiet *p*? ita S. Hier. Didym. OEcum. Beda & alii. Porro iudicium Dei in impios vide graphice depictum Sapientiæ v. 18. Cum itaque iuſtus vix ſalvabitur, nec niſi per multas tribulationes, æquum eſt ut

V. 19. Hi qui patiuntur iam dura, qui ſubeunt tam periculoſa certamina, ſerio & continuo *ſe* ſuoſque agones commendent *Deo*, tum ut vires certandi ſuggerat, tum ut victoriæ parandæ invigilet: quod ipſi utpote creatori noſtro, & quidem *fideliſſimo*, noſtrique amantiſſimo curæ erit & cordi. Tantum curemus nos per ardentes preces, continuis benefactis, ſeu bonorum operum exercitiis cumulatas, ſedulo id illi & ex animo commendare.

(a) Rom. xiii. 11.
(b) Cap. iii. præced. verſ. 19.
(c) Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 43. Valentia 3. tomo p. 4. q. 4. puncto 2.
(d) Prov. x. 12.
(e) Tertull. in Scorpiaco cap. vi. Clem. Lib. II. Strom. cap. vi. Ambroſ. de Fuga ſæculi cap. ii. Auguſt. tract. 1. & 5. in ep. S. Ioannis. Ephrem tract. de Pœnitentia. Proſper ad Demetriadem.
(f) Rom. xii. 6.
(g) Hic verſ. 4.
(h) Dan. ii. 35. & Eccli. xxvii. 6. & Sap. iii. 6.
(i) Rom. vi. 5. & II. Tim. ii. 11.
(k) Galat. ii. 20.
(l) Actor. ix. 9.
(m) Cypr. Lib. IV. epiſt. 6. & Lib. V. epiſt. 11. Baſil. hom 20 de 40. Martyrib. Auguſt. in Pſalm. cxviii. Serm. XXX
(n) Greg. Lib XXVI. Moral. 18.
(o) Auguſt. in Pſal. xciii. verſ. 20.
(p) Prov. xxxi. 3.

GORDONI.

Verſ. 1. uſque ad 7. Primus hic verſus habet illationem ex verſu 12. capitis præcedentis, ubi dixit Chriſtum ſemel pro peccatis noſtris mortuum; quaſi diceret: Quando ſic Chriſtus paſſus eſt, oportet ut fideles ſe illi conforment plena cogitatione & voluntate. Senſus verborum eſt, Christo passo in carne; id eſt, cum Chriſtus iam mortuus ſit pro vobis. Alioqui Chriſtus moriens non ſolum in corpore, ſed etiam in anima dolores habuit. Non tamen ut blaſphemat Calvinus, cum anima deſcendit ad inferos paſſa eſt pœnas damnatorum.

Qua

Quia qui passus est in carne. Ratio, cur fideles ſe debeant conformare Chriſto; quia ſi per conformationem patiantur cum Chriſto, non peccabunt a ſimili, ſicut homo qui patiendo moritur non amplius peccat: ſic interpretor hoc ſecundum hemiſtichium non de Chriſto, ſed de imitatoribus Chriſti. Et hanc interpretationem produnt inſequentes verſiculi 2. & 3. quibus eoſdem compellat.

V. 4. & 5. In quo. Vobis Chriſtum volentibus imitari ſufficit hactenus vixiſſe iuxta gentium deſideria: veriorem Dei cultum habetis, & ideo (quod vobis gloriæ eſt) illi vos mirantur, & vituperant, rationem tamen reddituri in extremo iudicio, & ſero cognoſcent errorem ſuum.

V. 6. Propter hoc enim. Dixit verſ. 5. & nunc probat Chriſtum iudicaturum vivos & mortuos, ex eo quod cum deſcendit ad inferos, etiam mortuis evangelizatum eſt, ut dixi cap. III. 21. & mortuis quidem carne, vivis ſpiritu. Ubi munus deſignati iudicis exercuit, & quidem univerſe. Nam non ſolum damnatorum apparere fecit iuſtam damnationem, & ſanctis Patribus protulit gratam ſententiam; ſed etiam iudicem ſe oſtendit erga eos qui pœnitentes carne mortui ſunt in aquis diluvii, ut loco iam citato dicebam. Lege Suarez 3. part. tom. 2. diſput. 43. ſect. 3. Aliqui referunt totum hoc Chriſti iudicium apud inferos ad ſententiam, qua Chriſtus Patres adiudicavit cælo, & viam illis iam eſſe apertam: ſed hoc eſt pars quædam prioris applicationis iam declaratæ.

V. 7. Omnium autem finis. Petrus hic hortaturus ad multarum virtutum ſtudium, & vitam perfectam optime orditur a rerum præſentium inconſtantia & interitu, & fine appropinquante. Caritatem præmittit ut præcipuam, & eam quæ fraterna eſt, quæ aliorum delicta condonat. Sane operit καλύψει, operire poteſt, & ſolet. Aliqui hic exprimi volunt caritatem erga Deum, ubi actus dilectionis ſuper omnia non poteſt ſtare cum peccato mortali. Alii accipiunt (& videtur mens Petri) fraternam illam, & erga proximum dilectionem. Et hæc quidem quatenus includit amorem Dei poteſt propria peccata operire. Operit etiam peccata proximi, quatenus qui aliquem per iniuriam offendit, deponit animoſitatem, videns ſe amari ab eo quem offendit. Et hic ſenſus aſſeritur ex præcedentibus, ubi paſſim inculcat Petrus hanc mutuam dilectionem. Per eam operitur ſic peccatum, quatenus per eam fit, ut non ſubſiſtat amplius peccatum, modo iam explicato.

V. 9. Hospitales. Sine murmuratione. Eſt hoc vitium avarorum, qui queruntur de hoſpitum multitudine. Eſt hoſpitalitas ſocia caritatis. Pergit verſu decimo in ſimilibus. Deus dat hominibus bona, dona peculiaria & gratias etiam gratis datas. Suadet Petrus in his omnibus uſum bonum, conformem Dei voluntati, & in illius honorem.

V. 12. Nolite peregrinari. Hactenus de caritate, eiuſque fructibus quibuſdam. Nunc de tolerantia, & quidem tunc neceſſaria, ingruente perſecutione. Ex voce Græca eſt, nolite putare eſſe rem novam & peregrinam, & proinde nolite mirari in perſecutionum fervore, qui vobis obiicitur ad exercitium virtutis: non eſt hoc novum, ſed tritum apud ſervos Dei. Alii, nolite peregrinari tunc a fide & Deo. Prior ſenſus commodior. Inepti & ridiculi ſunt Novatores dicentes hic prohiberi peregrinationes ad limina Apoſtolorum, τὸ ξενίζεσθαι ſatis convellit hoc ridiculum figmentum. Sed gaudete potius, quod in his perſecutionibus ſitis participes paſſionum Chriſti: eritis & gloriæ in illo die, &c.

V. 15. Nemo. Magni momenti eſt, quo titulo patiatur aliquis, ut hic ſe explicat Petrus. Quam ſit glorioſum pro Chriſto pati: lege Cyprianum Lib. V. Epiſt. 12.

V. 17. Quoniam tempus est. Nec eſt quod aliquis miretur creſcere nunc perſecutiones: tempus ad hoc idoneum eſt, in hoc novo religionis exordio, in hoc violento Iudæorum odio & gentium infidelitate. Hoc vero iudicium, ſeu examinatio & virtutis probatio per tribulationes incipit a domo Dei & Eccleſia, utpote quæ ſic perfici, & creſcere debet per crucem. Si autem iuſtus vix, & non niſi per magnos labores hos ſalvatur; cogitate ſerio quid ſit de impiis. Concludit verſu 18. & 19. epilogiſmo.

CA-

C A P U T V.

Seniores ôrat ut verbo & exemplo paſcant gregem Dei, iuniores autem illis ſubditi ſint: hortatur omnes ut ſeſe demittant, divinæ curæ totos ſe tradentes, & in ſobrietate ac fide diabolo reſiſtentes.

1. SEniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior &
teſtis Chriſti paſſionum: qui & eius, quæ in futuro re-
velanda eſt, gloriæ communicator: 2. paſcite qui in vo-
bis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpon-
tanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed
voluntarie: 3. neque ut dominantes in cleris, * ſed for-
ma facti gregis ex animo: 4. & cum apparuerit prin-
ceps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. 5. Similiter
adoleſcentes ſubditi eſtote ſenioribus. (*a*) Omnes autem invicem humilita-
tem inſinuate, (*b*) quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gra-
tiam. *6.* Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tem-
pore viſitationis: 7. omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quo-
niam ipſi cura eſt de vobis. 8. Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius
veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: *9.* cui
reſiſtite fortes in fide: ſcientes eamdem paſſionem ei, quæ in mundo eſt,
veſtræ fraternitati fieri. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in
æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet, con-
firmabit, ſolidabitque. 11. Ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum.
Amen. 12. Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter
ſcripſi: obſecrans, & conteſtans, hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſta-
tis. 13. Salutat vos Eccleſia, * quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus
filius meus. 14. Salutate invicem in oſculo ſancto. Gratia vobis omnibus,
qui eſtis in Chriſto Ieſu. Amen.

(a) Rom. xii. 10. (b) Iac. iv. 10. Pſalm. liv. 23. Matth. vi. 25. Luc. xii. 22.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. Sed forma facti gregis ex animo. Correctores prætulerunt ſingularem numerum *forma*, plurali *formæ*; & genitivum *gregis* dativo.

Verſ. 13. Quæ eſt in Babylone coelecta. Pro quadriſyllaba voce *coelecta*, cave legas triſyllabam *collecta*, mutata vocali *e* in conſonantem *l*.

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. I. 2. & 3. SENIORES. Non ætate ſenes, ſed presbyteros, quos ſacerdotes vocamus, intelligi docet id quod ſequitur: PASCITE QUI IN VOBIS EST, GREGEM DEI: ſic conſeniorem ſe dicit, & ut ita dicam, compresbyterum: presbyteros ergo vult gregi ſuo providere & attendere, Græce *ἐπισκοπεῖν*, idque non vi ſed voluntarie ac libere, neque quæſtuoſos eſſe, non dominari in cleros, id eſt hæreditatem domini, non vexare imperioſa auctoritate & potentia, ſed formam eſſe gregis, id eſt ſic ſe gerere ut forma ſint & exemplar recte vivendi ſubditis.

V. 6. IN TEMPORE VISITATIONIS. Græci non habent viſitationis, ſed *ἐν καιρῷ*, id eſt *in tempore opportuno*: id enim ſignificat *καίρος*; nos tempus viſitationis dicere poſſumus tempus iudicii, in quo viſurus eſt Deus qui recte egerint & crediderint, ac præmiaturus.

V. 9. & 12. SCIENTES EANDEM PASSIONEM EI QUAE IN MUNDO EST VESTRAE FRATERNITATI FIERI; id eſt, ſcientes ſimiles afflictiones & moleſtias veſtris fratribus per mundum univerſum diſperſis, apparari & exhiberi; id enim ſignificat *ἐπιτελεῖσθαι*. Conſolatur ergo eos, tum quia non ſoli patiuntur, tum quia ſic tolerantibus aderit Deus, qui virtutem & patientiam veſtram, inquit, perficiet, confirmabit & ſolidabit. Nam quod Eraſmus ait Græce legi *καταρτίσει ὑμᾶς, στηρίξει, σθενώσει*, id eſt perficiet vos fultura, confirmatione; certe codex Veronenſis habet *στηρίξαι σθενῶσαι θεμελιῶσαι*, id eſt confirmet, ſtabiliat, &c. puto noſtrum Interpretem legiſſe *καταρτίσει, στηρίξει*, ut omnia ſint futura indicativi, non verbalia nomina.

V. 12. & 13. BREVITER SCRIPSI VOBIS OBSECRANS ET CONTESTANS HANC ESSE VERAM, &c. obſecrans refertur ad ſcripſi, ſcripſi ſcilicet tanquam obſecrans, non tanquam impetrans. *Babylonem* autem *coelectam*, id eſt quæ cum aliis eccleſiis electa eſt ad fidem & vocata, Græca ſcholia & & omnes, Romam interpretantur, Babylonem appellat propter idolorum confuſionem.

SA.

Verſ. I. SENIORES. Græc. *presbyteros*. CONSENIOR. Græc. *compresbyter*. COMMUNICATOR, id eſt particeps, ſcilicet in monte Thabor.

V. 2. IN VOBIS, id eſt vobis commiſſus. SECUNDUM DEUM, id eſt propter Deum. Syr. *ſpiritualiter*. VOLUNTARIE. Syr. *ex toto corde veſtro*.

V. 3. DOMINANTES, ſcilicet cum vi, ſeu duriter. IN CLERIS, id eſt contra gregem in ſortem Domini adſcitam, vel Eccleſiaſticos intelligit, qui præcipue de ſorte Domini, & quibus ſors, id eſt hereditas, Dominus eſt. FORMA, id eſt exemplum. EX ANIMO, id eſt voluntate illi conſulendi.

V. 5. INSINUATE, id eſt exhibete. Syr. *induimini*.

V. 6 VISITATIONIS, id eſt iudicii, ſeu retributionis. Græc. *opportuno*.

V. 9. EAMDEM, &c. id eſt eadem pati fratres veſtros qui in mundo *vivunt*.

V. 10. GRATIAE, ſcilicet dator. IN CHRISTO, id eſt per Chriſtum. PERFICIET; &c. Græc, *perficiat*, &c.

V. 12. ARBITROR, id eſt video. SCRIPSI. Hanc Epiſtolam intelligit, quam per Silvanum miſit. OBSECRANS; quaſi dicat, Ideo ſcripſi, ut obſecrarem, &c. verti poterat, *hortans*.

V. 13. BABYLONE, id eſt Romæ, ſecundum Hieronymum & Euſebium, ſcilicet erat tunc plena idololatria, & peccatis. COELECTA, ſcilicet vobiſcum ad eamdem gratiam.

V. 14. GRATIA. Græc. & Syr. *pax*.

MARIANAE.

Verſ. I. SENIORES. Græc. *presbyteros*: eos alloquitur, eis gregem commendat. Obſecro ego TESTIS CHRISTI PASSIONUM, id eſt ſimilia ob eum paſſus. Paſcite gregem, non coacte.

V. 2. NEQUE TURPIS LUCRI GRATIA, SED VOLUNTARIE. Syr. *ſed toto corde*, id eſt ſincero paſcite.

V. 3. NEQUE DOMINANTES. Principem

te

te conſtituerunt', eſto in illis, ſicut unus ex illis. SED FORMA. Græc. *formæ*, *τύποι*. Gregorius Nazianzenus in Apol. *exemplo facti gregis*, quo ſcilicet faciliime iubetur, diſplicet imperata correctio. Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei.

V. 6. UT VOS EXALTET IN TEMPORE VISITATIONIS. Græc. non eſt *viſitationis*. Syr. *in tempore congruo*, id *καιρὸς* ſignificat. Sed & quidam Græci codices habent *ἐπισκοπῆς*, id eſt *viſitationis*, teſtes Robertus & Veleſius. Porro tempus illud dies iudicii eſt.

V. 9. SCIENTES EAMDEM PASSIONEM ET. Similia ſcilicet pati omnes fratres veſtros, qui toto orbe ſunt diſperſi. Solatium miſeris eſt habere ſocios pœnarum.

V. 10. MODICUM PASSOS IPSE PERFICIET. Græc. *ipſe perficere*, *confirmare ſolidareque*, ſupple, faciet. Verum alii Græci codices in futuro indicativi habent *καταρτίσει ὑμᾶς, στηρίξει, σθενώσει*, ut noſter legit.

V. 13. SALUTAT VOS ECCLESIA, QUAE EST IN BABYLONE. Sic Romam vocabant, ob multiplicem idolorum cultum. Colligitur etiam ex hoc, Romæ hanc Epiſtolam eſſe ſcriptam.

M E N O C H I I.

Verſ. 1. SENIORES ERGO, tum ætate, tum dignitate, & ſacerdotio, ſive id minus ſit, & vulgare; ſive maius, ſcilicet Epiſcopatus. OBSECRO: *παρακαλῶ*, quod etiam *hortor* verti poteſt. CONSENIOR: compresbyter, nam in Græc. eſt *συμπρεσβύτερος*. Syrus, *Ego presbyter ſocius veſter*. TESTIS CHRISTI PASSIONUM: interfuerat enim Chriſti paſſioni. Fuit etiam teſtis non verbo tantum, ſed rerum adverſarum tolerantia pro Chriſto. ET EIUS QUAE IN FUTURO, &c. idemque ſempiternæ gloriæ conſors, & particeps, quæ aliquando patefiet. Vel, ſignificat ſe divinæ gloriæ participem fuiſſe cum in monte Tabor Chriſtum in gloria transfiguratum aſpexit.

V. 2. PASCITE, REGITE, ut legit S. Hieron. epiſtol. LXXXV. GREGEM DEI: fideles veſtræ curæ commiſſos. PROVIDENTES: *ἐπισκοποῦντες*, id eſt *ſuperſpeculantes*, ſuperintendentes, ſupervigilantes, & curam illius agentes. NON COACTE, SED SPONTANEE; quaſi dicat: Non invite, & ægre, ſed ſpontanee, liberaliter, alacriter, & ſtrenue paſcite. SECUNDUM DEUM, ſcilicet paſcendo ſpirituali cibo, & iuxta Dei voluntatem, nihil aliud ſpectando quam divinam gloriam. VOLUNTARIE, *προθύμως*: prompte, propenſo animo, ex corde.

V. 3. NEQUE UT DOMINANTES IN CLERIS: non imperioſe regendo Eccleſiam, quæ eſt clerus, id eſt ſors, & hereditas Domini. Poteſt etiam peculiariter per clerum intelligi ordo clericorum, quibus Epiſcopi præſunt. FORMA FACTI GREGIS: ita ut ſint toti populo exemplar vitæ, & ſanctitatis. EX ANIMO; quaſi dicat, Non ex compoſito, aut ad externam ſpeciem, ficte, & affectate, ſed vere, & ſincere.

V. 4. ET CUM APPARUERIT, in die iudicii. PRINCEPS PASTORUM: Chriſtus Dominus, qui ſe paſtorem bonum vocavit Ioan. X. 11.

V. 5. ADOLESCENTES: *νεώτεροι*, id eſt *iuniores*, qui ſcilicet vel ætate, vel muneris gradu ſenioribus ſubeſtis. INVICEM UMILITATEM INSINUATE: *τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε*, id eſt *umilitatem vobis infixam habete*. Vel, *arcte, ceu nodis illigatam tenete*. Latinus interpres videtur legiſſe *ἐγκολπώσασθε*, *inſinuate*, vel, ut vertit Arias, *Intra ſinum veſtrum fovete*. HUMILIBUS AUTEM DAT GRATIAM: humiles caros habet, & illis ſuæ donum largitur.

V. 6. IN TEMPORE VISITATIONIS, id eſt iudicii, ſeu retributionis, in Græco tantum habemus *ἐν καιρῷ*, id eſt *in tempore opportuno*.

V. 7. OMNEM SOLICITUDINEM VESTRAM, id eſt de rebus veſtris. Alludit ad illud Pſal. LIV. 23. *Iacta cogitatum tuum in Domino*, &c.

V. 8 SOBRII ESTOTE ET VIGILATE. Iungit hæc duo, quia ſobrietas mater eſt vigiliæ, & vigilantiæ, ſicut ex adverſo crapula ſomni. Græcum *νήψατε* ſignificat etiam *provide, & caute vos gerite*. ADVERSARIUS: *ἀντίδικος*, ille dicitur, qui in cauſa, & lite nobis adverſatur. Talis ſatan, qui de ſalute animæ noſtræ nobiſcum litigat. CIRCUIT: *περιπατεῖ*, obambulat, circumambulat, ſcilicet aſſidue, & continuo.

V. 9. CUI RESISTITE FORTES IN FIDE: *στερεοὶ*, *obfirmati*, *ſolidi*. Hanc enim fidei firmitatem nobis eripere conatur diabolus,

ut fide deſtituti in eius laqueos incidamus. EAMDEM PASSIONEM; eaſdem paſſiones, ut eſt in Græco, id eſt ſimiles tentationes, & perſecutiones. Et QUAE IN MUNDO EST VESTRAE FRATERNITATI FIERI: veſtros fratres ſuſtinete, qui in variis mundi plagis vivunt.

V. 10. OMNIS GRATIAE: auctor, & largitor. IN AETERNAM SUAM GLORIAM: ut eſſemus participes glotiæ illius cæleſtis. IN CHRISTO IESU, per merita, & prædicationem Chriſti. MODICUM PASSOS: paucis, & minime diuturnis afflictionibus exercitos. IPSE PERFICIET. Græce eſt *καταρτίσαι*, id eſt *inſtaurabit*, *integrabit*, ut omnibus patientiæ, & virtutum partibus, quaſi artubus compacti, integri, & perfecti ſitis.

V. 11. IPSI GLORIA, ET IMPERIUM, ſcilicet debetur. Vide dicta cap. ſuperiori verſ. 11.

V. 12. PER SILVANUM BREVITER SCRIPSI: vel ſignificat ſe epiſtolam Silvano dictaſſe, vel perferendam tradidiſſe. Hic Silvanus eſt Silas, cuius mentio frequens in Actis Apoſtolorum. UT ARBITROR: refert *ad fidelem vobis*; quaſi dicat, Scripſi per Silvanum, quia eſt, ut arbitror, vobis fidelis. Alii referunt ad *breviter ſcripſi*; quaſi dicat, Arbitror me fuiſſe brevem in ſcribendo. OBSECRANS, ET CONTESTANS, &c. Senſus eſt: Obſecrans ut fidem Chriſti, & præcepta virtutum, quæ hac epiſtola præſcripſi, conſtanter retineatis, & opere compleatis; conteſtor enim hanc fidem, & religionem, quam complexi eſtis, & in qua ſtatis, veram eſſe legem, quæ gloriam cæleſtem afferat, & ad vitam aditum referet. IN QUA STATIS, id eſt conſtanter perſeveratis.

V. 13. ECCLESIA QUAE EST IN BABYLONE COELECTA: Eccleſia Romana. Romam Babylonem vocat propter ſimilitudinem magnificentiæ, frequentiæ, & amplitudinis imperii, peccatorum etiam, quæ illo tempore infidelitatis vigebant. COELECTA, id eſt ſimul vobiſcum electa, conſors veſtræ electionis ad fidem, gratiam, & ſalutem. MARCUS: Evangeliſta. FILIUS MEUS: ita appellat, quia eum ſua fide, doctrina, & ſpiritu imbuerat.

V. 14. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO: mutuo vos ſalutate, pro recepta fidelium conſuetudine oſculo ſancto, pudico, Chriſtiano, & charitatis indice. GRATIA VOBIS OMNIBUS. Pro *Gratia* in Græco eſt *εἰρήνη*, id eſt pax. Pax vero Hebræis ſignificat gratiam, & omne bonum.

T I R I N I.

Verſ. 1. SENIORES non tam ætate, quam dignitate vocat Epiſcopos & presbyteros, quibus commiſſum erat regimen Eccleſiarum iſtarum. (Unde ſolet apud Syros hæc epiſtolæ pars legi in electione & ordinatione Epiſcoporum, ut notat hic Syrus.) Et colligitur ex verſu ſequenti, ubi pro *providentes*; græce eſt, *ἐπισκοποῦντες*. Et ex hoc etiam primo verſu, ubi pro CONSENIOR, eſt *συμπρεσβύτερος*, id eſt compresbyter, conſacerdos. TESTIS occulatus tum PASSIONUM & mortis CHRISTI, tum GLORIAE: quin ET COMMUNICATOR; græce, *κοινωνὸς*, id eſt, ut S. Hieron. exponit, *particeps*; ſeu, ut Syrus, *conſors & participator* eius gloriæ, non vulgaris aut terrenæ, ſed cæleſtis, qualis *in futura* vita nobis REVELANDA EST. Viderat eam Petrus, & præguſtum eius aliquem hauſerat partim in transfiguratione, partim in reſurrectione, partim in aſcenſione Chriſti in cælum. Et huius gloriæ intuitu ac ſpe vult paſtores Eccleſiæ excitari ad ſtrenue laborandum in ovili Chriſti.

V. 2. PASCITE omni cura, ſtudio, ſolicitudine, GREGEM DEI, non dico tuum, (ut mihi dixit Chriſtus *a*,) ſed QUI IN VOBIS EST; id eſt, qui vobis ſubditus & *commiſſus eſt*, ut Syrus vertit, nempe ſinguli particularem Eccleſiam ſibi concreditam. Unde patet, quam inepte hinc colligat Calvinus, Petrum non fuiſſe univerſalem totius gregis Chriſti paſtorem, immo ad Petrum non ſpectaſſe regimen gregis, eo quod ipſe alios hic hortetur ad eum regendum, Perinde ac ſi eo quod Rex Hiſpaniæ moneat ſuos vicereges, ut commiſſos ſibi populos fideliter regant, concludere vellem, Regem Hiſpaniæ non eſſe illorum populorum regem. Mox explicat Petrus quomodo velit eos paſcere ſeu regere. Primo, ut *gregem* non ſuum, ſed *Dei*. Secundo, PROVIDENTES; Gr. *ἐπισκοποῦντες*, id eſt ſuperſpeculantes, ſupervigilantes, per ſe (ſi poſſint) crebro gregem ſuum obeuntes, apud eum reſidentes, accurate inſpicientes, ac de neceſſariis providentes, ut gra-

graviter monet etiam Tridentinum Concilium *b*. Tertio, NON COACTE ſolo maiorum imperio (ut primis Eccleſiæ initiis ſæpe cogi ſolebant,) quaſi dicat: Non invite, non ægre, SED SPONTANEE, propenſe, liberaliter, alacriter. Quarto, SECUNDUM DEUM, id eſt amore Dei & zelo animarum Deo conquirendarum, non captandæ glorioſæ vel laudis humanæ cauſa. Quinto, NEQUE LUCRI GRATIA, cui inhiare profecto *turpe*, vile & ſordidum eſt perſonis Deo dicatis: SED VOLUNTARIE; Græce, προθύμως, id eſt, prompto propenſoque animo in oves & incommoda non ſua, ſed ovium. Quod etiam ex Platone Cicero *c* rectoribus valde commendat. Sexto,

V. 3. NEQUE UT DOMINANTES, ut faciunt arrogantes & tyranni, & imperioſius agentes IN CLERIS, id eſt inter fideles, qui diviſi in varios *cleros*, id eſt ſortes, & particulares congregationes ſeu parœcias, vere ſunt *clerus*, & ſors hereditaria Chriſti: ita Syrus, Oecumen. & alii. Licet S. Hieron. Ephrem, Bernardus, & Septima Synodus *d* generalis id accipiant de Clero Eccleſiaſtico in varios ordines & gradus diſtributo, cui ſoli nomen *cleri* ex uſu loquendi iam ut proprium adhæſit idque merito: nam ut in veteri teſtamento. Levitæ ideo vocabantur *clerus*, id eſt ſors & hereditas Dei, eo quod primitias, decimas & oblationes Deo dicatas ipſi quaſi domeſtici & miniſtri Dei reciperent *e*: ita & in novo teſtamento eos qui in Levitarum locum ſucceſſerunt, eamdem ob cauſam eodem nomine compellari decebat. Septimo, FORMA, id eſt exemplar, vitæ ſint *gregi* ſuo, vita ſancta ſubditis prælucendo *g*, & ſic non minus *exemplo*, quam *verbo* & *prece* gregem paſcendo. Idque Octavo, non ex compoſito, vel ad ſolam ſpeciem externam (ut Scribæ & Phariſæi *h*,) ſed EX ANIMO, id eſt ſincere, realiter & vere.

V. 6. HUMILIAMINI SUB POTENTI MANU & imperio DEI, iubentis ut non ſibi tantum, ſed & vicariis ſuis ſubdamur & obediamus, atque adeo *humilitatem* omnibus proximis noſtris *inſinuemus*; id eſt in ſinum animi illorum ingeramus, ita ut animum illorum penitus ſubeat, penetrat, & viciſſim ad nos pari affectu trahat. Primario tamen volo vos reſpectu ipſiuſmet Dei plene humiliari, non tam verbo, quam facto, & hoc per totam vitam continuate.

V. 7. OMNEM SOLICITUDINEM VESTRAM, omnes curas, angores, moleſtias, IN IPSUM, eiuſque divinam providentiam PROIICIENTES ac reſignantes. Sic enim oſtendetis vos humiliter de vobis, & ſublimiter De Deo ſentire, ſi vobis diffiſi, uni ipſi infinite potenti, ſapienti ac benigno fidatis, & in ipſo conquieſcatis. Sic S. Clemens initio *Recognitionum* ſcribit, S. Petrum paſſi inculcare ſolitum: *Chriſtiani de nulla re vel eventu ſoliciti ſumus, ſed in Dei providentia plane conquieſcimus, ſcientes nos illi curæ eſſe, ac ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum*.

V. 8. ADVERSARIUS & antagoniſta VESTER DIABOLUS, id eſt calumniator (qualem unicuique hominum deputavit unum Lucifer, ut docet Origenes, Nyſſenus & Magiſter Senten. k) extremo veſtri odio & invidia flagrans, & TAMQUAM LEO RUGIENS ira & rabie, continuo CIRCUIT, gyrat & regyrat, mille fraudibus, ſcrupulis & laqueis vos intricans, irretiens, involvens, ut captos excruciet, diſcerpat, dilaniet, & inſtar eſcæ optatiſſimæ devoret ac deglutiat.

V. 9. CUI tamquam fraudulento calumniatori RESISTITE, contra leonem FORTES, contra rugientem opponite *fidem*, & quæ ex fide naſcuntur, fiduciam in Deum, orationem & charitatem ferventem: porro circuitionem eludite *vigilantia & ſobrietate*. Neque vos turbet quod Satan tanto impetu per ſe, perque emiſſarios ſuos exſurgat in vos: nam *eadem paſſio fit*; Græce, *eadem paſſiones obveniunt*, etiam reliquæ VESTRAE FRATERNITATI QUAE IN MUNDO EST, id eſt reliquis fratribus veſtris Chriſtianis toto orbe diſperſis. Communis eſt cauſa omnium, communis lucta: ſed aderit & commune auxilium, ſolatium, robur cæleſte: nam communis agonotheta

V. 10. DEUS, fons & auctor OMNIS GRATIAE ad fortiter decertandum, generoſe perſeverandum, & glorioſe vincendum neceſſariæ, QUI VOCAVIT NOS *ad* AETERNAM SUAM GLORIAM in cælis hereditandam IN CHRISTO, id eſt merita unigeniti Filii ſui Chriſti IESU; idem ſubminiſtrabit vobis omnia neceſſaria & utilia ad gloriam iam dictam certo conſequendam, & MODICUM PASSOS; Tigurini, *parumper afflictos*, IPSE per donum patientiæ PERFICIET, & per cu-

donum perſeverantiæ CONFIRMABIT SOLIDABITQUE, inquit S. Proſper & Titelmannus, vel, ut Salmeron, *ſolidabit* per conſtantem fidem, *confirmabit* per vivam ſpem, *perficiet* per ardentem caritatem.

V. 11. Unde *ipſi* tamquam omnium horum auctori GLORIA detur omnis noſtræ victoriæ, ET IMPERIUM; Græcum κράτος ſignificat etiam potentiam, robur, victoriam & principatum; quæ omnia ut a Deo nobis obveniunt, ita Deo viciſſim a nobis adſcribenda ſunt & accepta ferenda *m*.

V. 12. *Silvanus* hic idem eſt cum *Sila*, qui haſce Petri litteras Roma deferens in Orientem, ibi incidit in S. Paulum, cui comes prædicationis exinceps adhæſit *n*, inquit S. Hieron. Syrus, Oecumen & alii. OBSECRANS ut quæ ſcripſi, opere expleatis; *conteſtor* enim in his ſitam ESSE VERAM GRATIAM DEI, IN QUA STATIS, id eſt veram ſubſtantiam Evangelii & legis Chriſti, quam hucuſque colitis. Nonnulli legendum putant, ςῆτε, id eſt ſtetis, perſeveretis.

V. 13. SALUTAT vos ECCLESIA COELECTA, id eſt ſimul vobiſcum electa, ſeu conſors veſtræ electionis ad fidem, gratiam & ſalutem: nempe Eccleſia fidelium partim ex Iudæis, partim ex Gentilibus converſorum, QUAE EST IN BABYLONE, id eſt, in urbe Roma, Babyloni antiquæ quoad amplitudinem, magnificentiam & ſplendorem imperii: quoad multitudinem, varietatem & confuſionem (hoc enim ſignificat *Babel*) nationum, idolorum, vitiorum, ſpoliorum & opum totius mundi ſimillima, ut pulchre demonſtrat Oroſius, & unanimiter aſſerunt Patres & Doctores orthodoxi citati apud Bellarminum *o*, Riberam, Viegam, Pererium, & Alcazar in Apocal. XVII. & XVIII. ubi etiam hæretici noſtri per *Babylonem*, ut pote ſepticollem, non aliam, quam urbem Romam intelligunt. Quod ſi S. Ioanni licuit ſic illam nominare, cur non idem licuerit & Petro ſynchrono Ioanni? Eaſdem enim ob cauſas noluit uterque nomen *Romanæ* urbis diſerte exprimere, ne ſi litteræ iſtæ in manus Gentilium incidiſſent, Eccleſia *Romæ* collecta in odium & in periculum induceretur, & auctor litterarum in notitiam & in manus tyrannorum deveniret. Ridendi vero Beza, Viretus, Sadulius, Velenus & alii Novatores, qui volunt hic *Babylonem* Chaldaici olim imperii caput, vel certe alteram illam AEgypti metropolim, quæ nunc *Cayrus* dicitur, a Petro notari. Cum conſtet, nullis Iudæis, ergo nec Petro, licuiſſe degere in Chaldæa tum temporis, iubente Caio Cæſare omnes inde expelli, teſte Ioſepho *p*. Babylon autem AEgyptia tunc non erat niſi obſcurum caſtellum, ut ait Strabo *q*, & alii Coſmographi. MARCUM non ille conſobrinus Barnabæ, ſed Evangeliſta, vocatur hic FILIUS Petri, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum, quia per illum converſus ad fidem, ut dixi in prooemio Evangelii ipſius Marci, ubi & reliqua vide ad ipſum ſpectantia. Cumque ex hoc loco Petri conſtet, Marcum Romæ adfuiſſe dum hanc ſuam priorem epiſtolam Petrus conſcriberet, optime colligit Beda & alii, ſcriptam hanc a Petro epiſtolam anno primo adventus eius Romam, tertio imperii Claudii, 13. a morte Chriſti: nam illo ipſo anno Marcus Roma abſceſſit Alexandriam in AEgyptum, ubi ad mortem uſque Epiſcopus ſedit, teſte Euſebio *r* & aliis hiſtoriographis. Fuit ergo hæc epiſtola omnium prima quæ vel a S. Paulo, vel ab alio Apoſtolo conſcriptæ ſunt.

V. 14. *De* OSCULO SANCTO vide quæ dixi ad Rom. ult. verſ. 16.

(a) Ioan. ult. 15. & 17.
(b) Trident. ſeſſ. XXIII. cap. 1. de reformat.
(c) Cicero Lib. I. Offic.
(d) Hier. epiſt. 11. Ephrem. opuſc. de Pænit. Bernard. epiſt. 237. Sept. Synod. can. IV.
(e) Num. XVIII. 20. & Deut. XVIII. 2.
(g) Tim. IV. 12. Tit. II. 7. Philip. XVII. I. Theſſal. I. 6.
(h) Matt. XXIII. 27.
(i) Matth. VI. 25. & Pſal. LIV. 23.
(k) Orig. hom. XXXIII. in Lucam. Nyſſen. de Vita Moyſis, ante medium. Magiſter in 2. diſt. XI.
(l) Proſper. Lib. I. de Vocat. Gentium. cap. XIV.
(m) I. Cor. V. 57. Rom. XI. 36. XVI. 27.
(n) II. Theſſ. I. 1.
(o) Bellar. Lib. I. de Pont.
(p) Ioſeph. XVIII. Antiquit. c. ult.
(q) Strabo Lib. XVII.
(r) Euſeb. Lib. I. hiſt. cap. XIV. & Lib. III. cap. ult.

GORDONI.

Verſ. 1. 2. & 3. SENIORES. Hieronymus Epiſt. LXXXV. vertit presbyteros ætate & officio. Compellat ſacerdotes, & Epiſcopos velut Eccleſiæ paſtores: hortatur ut ſedulo gregem Dei paſcant. Se teſtem

paſſio-

paſſionum Chriſti vocat, & hoc titulo excitat Paſtores. At quomodo communicator gloriæ κοινωνός? particeps ex citato Hieronymo, ſcilicet in monte Thabor. Adde gloriam reſurrectionis & aſcenſionis, immo & ſpem gloriæ cæleſtis. PASCITE, regite, ibidem Hieronymus. SECUNDUM DEUM, & ſpirituali modo, ſponte & zelo: non imperioſe. UT FORMA GREGIS, per bonum exemplum in ſanctitate, in virtutibus, quæ in grege requiruntur. Incitat tandem verſu 4. coronam gloriæ proponens.

V. 5. SIMILITER ADOLESCENTES. Sit ſecunda pars capitis. Adoleſcentes ſint ſenioribus ſubiecti, humiles & modeſti, & ſingulari Dei providentia nitentes, qui humiles exaltat, & curam habet ſuorum. Addit ſobrietatem & alia, ut poſſint reſiſtere. SCIENTES, verſ. 9. fratres veſtros per varias mundi plagas diſperſos pati pro Chriſto ſimiles adverſitates, quales & vos patimini. Conſolatio hæc eſt habere in cauſa optima ſocios pugnæ, qui fide & fortitudine ornati conſtanter reſiſtunt: verba ſic expende: ſimilis paſſio fit fraternitati, quæ eſt in mundo, id eſt fratribus veſtris, qui per mundum totum diſperſi ſunt. Abſtractum poſitum pro concreto. Senſus in Græco planus eſt.

V. 10. DEUS AUTEM. Eſt hæc tertia capitis pars, & continet tum precationem felicem, tum ſalutationem. A Deo omnium largitore precatur felicitatem poſt modicos huius vitæ labores. Silvanus hic eſt Silas, cuius aliquoties fit mentio in Actis Apoſtolorum. Per eum miſſa potius videtur hæc Epiſtola, Marco interprete ſcripta: obiter veritatem doctrinæ atteſtatur. At quæ eſt hæc Eccleſia in Babylone collecta? Roma eſt quæ eo tempore Babyloniam vocavit ob ſimilitudinem in amplitudine, aut etiam ob gentilium peccata multa. Scripta eſt hæc Epiſtola anno Chriſti 45. a Petro, qui ab anno ſuperiore adhuc Romæ hærebat. Marcus iſte eſt Evangeliſta. Oſculum caſtum & Chriſtianum erat in recepta conſuetudine. Hinc & ex magno Patrum & hiſtoriarum conſenſu notiſſimum eſt Petrum ſediſſe Romæ.

Digitized by Google

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI SECUNDA.

DE Auctore huius Epiſtolæ an fuerit Petrus Apoſtolus, etſi olim dubitarunt nonnulli, & etiamnum plerique e Proteſtantibus id in dubium revocant ob ſtyli, inquiunt, diverſitatem, ea tamen eſt conſtans Eccleſiæ ſententia, Conciliorum & Sanctorum Patrum firmata conſenſu, hanc Epiſtolam a Sancto Petro ultimo ſuæ vitæ anno eſſe conſcriptam: unde nihil mirum eſt, ſi ſtylus eius aliquantum diverſus eſt a priori Epiſtola ante 20. *& amplius annos exarata. Magdeburgenſes ipſi a ſtylo ſuperioris Epiſtolæ hanc non adeo diſſidere concedunt, ac potuit Petrus alio uti Interprete. Inſcriptio ipſa, quæque cap.* I. *verſ.* 16. *de transfiguratione Domini ut teſtis oculatus inſerit, quodque initio cap.* III. *præmittit ſecundam ſe ad eos ſcribere Epiſtolam, huius Epiſtolæ Auctorem eſſe Petrum omnino perſuadent. Unde in Canone Sacrorum Librorum apud Concilium Laodicenum & Concilia quarti & quinti ſæculi, & apud Patres fere omnes ut Canonica habetur. Scripta creditur anno ſalutis* 67. *ad fideles omnes, non ad Iudæos tantum, ut multis videtur; quæ enim in hac Epiſtola continentur ad Gentes in primis pertinent: cuiuſmodi ſunt exhortationes ad Chriſtianas virtutes, & pericula, quæ Eccleſiæ imminebant ab Hæreticis.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Hortatur ut memores maximorum quæ a Deo acceperunt donorum, per varias ſcandant virtutes, ut ſic introitus in regnum Domini illis miniſtretur: dicitque ſe brevi moriturum, & ſuæ doctrinæ certitudinem oſtendit ex Chriſto doctore, quem & vox Patris & Prophetæ commendarunt.

1. SIMON PETRUS, ſervus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, iis
qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia
Dei noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti. 2. Gratia vobis
& pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu
Domini noſtri: 3. quomodo omnia nobis divinæ virtu-
tis ſuæ, * quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per
cognitionem eius qui vocavit nos propria gloria & vir-
tute, 4. * per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per
hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes eius, quæ in mundo
eſt, concupiſcentiæ corruptionem. 5. Vos autem curam omnem ſubinferen-
tes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, 6. in
ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia
autem pietatem, 7. in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem
fraternitatis caritatem. 8. * Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent; non
vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti co-
gnitione. 9. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans,
oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. 10. Quapro-
pter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem
& electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. 11.
Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Do-
mini noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti. 12. Propter quod incipiam vos ſem-
per commonere de his; & quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti
veritate. 13. Iuſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſu-
ſcitare vos in commonitione: 14. certus quod velox eſt depoſitio taberna-
culi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus (*a*) ſignificavit
mihi. 15. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum,
ut horum memoriam faciatis. 16. (*b*) * Non enim doctas fabulas ſecuti,
notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem & præſentiam:
ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. 17. Accipiens enim a Deo Patre
honorem & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi a magnifica gloria:
(*c*) hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.
18. Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum eſſemus cum ipſo
in monte ſancto. 19. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem: cui
benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies
eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris: 20. (*d*) hoc primum in-

telli-

telligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.
21. Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu
ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.

(a) Ioan. xxi. 19. (b) I. Cor. v. 17. (c) Matth. xvii. 5. (d) II. Tim. iii. 16.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. *Quæ ad vitam & pietatem donata ſunt*. Correctores prætulerunt plurale *ſunt* ſingulari *eſt*.

Verſ. 4. *Per quam maxima*. Et hic prætulerunt maſculinum *quem*, feminino *quam* & neutro *quæ*.

Verſ. 8. *Hæc enim ſi vobiſcum adſint*. Alii libri legunt: *Hæc enim vobis cum adſint*.

Verſ. 16. *Non enim doctas fabulas ſecuti*. Egregie Correctores, *indoctas* quod vulgo legitur, emendarunt ſcribendo contrarium *doctas*, quod eſt eruditas ſeu artificioſe *concinnatas*.

Ibidem. *Virtutem & præſentiam*. Et hic recte emendarunt *præſentiam*, quod eſt, adventum, a præſens, pro *præſcientiam*, quod eſt providentiam, a præſcio.

Notatio.

Verſ. 1. NON *enim indoctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſcientiam* (*præſentiam* 5 MS. R. G.) Tria Latina ſcripta, id quod in Bibliis ſignatur, *doctas* legunt pro *indoctas*. Utrum Interpres verterit ex Græca voce σεσοφισμένοις conſtare non poteſt: intelligi enim ea poteſt & artificioſe aut ſapienter confictas, & fallaces, inanes, veritate & ſapientia vacuas. Relinquitur ex Latinis exemplaribus præcipue colligendum, quorum nobis iam copia deeſt.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. SIMON PETRUS, &c. Quidam codices etiam Græci habent Simeon, quidam Simon; utroque enim modo Græcis dicitur. Iis, inquit, QUI COAEQUALEM NOBISCUM SORTITI SUNT FIDEM. Græcis, ἰσότιμον, id eſt parem & æqualem, ſive eiuſdem præmii ac pretii: nam τιμὴ pretium ſignificat, quod fideles idem præmium manet ac pretium; Dei ſcilicet fruitio: iis ergo qui æqualem ſortiti ſunt fidem IN IUSTITIA DEI NOSTRI ET SALVATORIS IESU CHRISTI, id eſt per iuſtificationem: *Dei* autem *ſalvatoris*, ſi diviſim ſumatur, & *Dei* ad patrem refertur, & *ſalvatoris* ad Chriſtum; ſin coniunctim, ad Chriſtum, ut idem ſit Deus & ſalvator noſter: iis ergo ſubaudi ſalutem dicit.

V. 2. & 3. GRATIA VOBIS ET PAX ADIMPLEATUR. Interpres videtur legiſſe, πληρωθείη, id eſt impleatur, quum Græca habeant πληθυνθείη; id eſt multiplicetur & augeatur, ut ergo gratia Dei augeatur ſive impleatur, IN COGNITIONE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, id eſt per cognitionem ipſius: *Hæc eſt enim vita æterna ut cognoſcat te unum & verum Deum, & quem miſiſti Chriſtum Ieſum* Ioan. xiv. nec mentionem fecit hic Petrus agnitionis Dei patris, memor ſermonis Chriſti ad Philippum: *Philippe qui videt me, videt & patrem*. Adimpleatur ergo gratia & pax. QUOMODO OMNIA NOBIS DIVINAE VIRTUTIS SUAE, QUAE AD VITAM ET PIETATEM DONATA SUNT. Græca ſic habent ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτῦ, τὰ πρὸς ζωὴν ϗ εὐσέβειαν δεδωρημένης; id eſt, quemadmodum per omnia divina virtute ipſius quæcumque ad vitam & pietatem ſpectant donata ſunt nobis, PER COGNITIONEM EIUS QUI VOCAVIT NOS PROPRIA GLORIA ET VIRTUTE. Græci habent διὰ δόξης ϗ ἀρετῆς, id eſt per gloriam & virtutem. Interpres legit ἰδίᾳ, id eſt ſua vel propria. Senſus ergo eſt ut lectionem connectamus, Gratia & pax Dei impleatur in vobis per cognitionem Domini & ſalvatoris noſtri, quemadmodum divina

vir-

virtute ſua quæcumque ad vitam & pietatem ſpectant, nobis donata ſunt per cognitionem eius, qui nos vocavit per virtutem & gloriam: ſicut ergo per eius cognitionem omnia nobis illa donata ſunt; ſic per eius cognitionem impleatur gratia in vobis.

V. 4. Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit. Varia fuit lectio huius loci; Græci nunc *δι' ὧν*, id eſt per quæ ſcilicet virtutem & gloriam. Beda legit per quam ſcilicet cognitionem, atque ita Græce fuiſſet, *δι' ἧς*: intepres legit *δι' οὗ*, id eſt per quem ſcilicet Chriſtum, quæ verior lectio videtur, per quem, inquit, pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per *hoc* vel per hæc, prout eſt Græce *τούτου* vel *τούτων* ut per hæc, inquam, nobis & donata vobis, ſubaudi, per nos communicata, vos qui ſine ulla ſpe divinæ promiſſionis hactenus carnaliter vixiſtis, efficiamini conſortes divinæ naturæ e carnalibus ſpirituales effecti, fugientes eius quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem. Græce, *ἀποφυγόντες τῆς ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς*, id eſt ſi vitaveritis mundanam in concupiſcentia corruptionem.

V. 5. Vos autem omnem curam subinferentes. Græce paulo ſecus eſt, ſcilicet *καὶ αὐτὸ τοῦτο δὲ σπουδὴν πᾶσαν παρεισενέγκαντες*: & hoc ipſum ſubaudi facite, omni cura & diligentia adhibita. Ministrate in fide vestra virtutem: pro miniſtrate, Græce eſt *ἐπιχορηγήσατε*, id eſt *ſupeditate*: mihi apte videtur hic ſumi pro exhibete, id eſt exhibete in fide veſtra & cum fide virtutem: non *τὴν δύναμιν*, id eſt potentiam miracula edendi, ſed *τὴν ἀρετὴν* virtutem ſcilicet, hoc eſt, ſtudioſas actiones, ac bona opera, ſine quibus fides eſt mortua: ſic enim Græca ſcholia explicant. In scientia abstinentiam. Græce *ἐγκράτειαν*, quod non modo abſtinentiam & temperantiam, ſed ab omnibus illicitis continentiam ſignificat, ac moderationem etiam: quod hoc fortaſſe loco magis quadrabat: & quia ſcientia inflat, cum ea animi moderationem requirat. In patientia autem pietatem, non commiſerendi virtutem, ſed *εὐσέβειαν*, id eſt Dei cultum ac veram religionem. In amore fraternitatis caritatem, Græce *ἀγάπην*, id eſt *dilectionem*: intelligit autem hic caritatem ſive dilectionem qua in Deum ferimur, ut quod fratres diligamus, id ob Dei amorem fiat.

V. 8. Haec enim si vobiscum adsint et superent. Græce eſt *ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα*: puto interpretem vertiſſe, *hæc enim vobis cum adſint*, ſed deſcriptoris vitio non intelligentis *τὸ vobis*, & *τὸ cum* diſiuncta eſſe, additumque *τὸ ſi*; & ex duobus diſiunctis ſactum eſſe unum vocabulum *vobiſcum*. Quod autem vertit *ſuperent* neutraliter intelligendum eſt, id eſt exuberent.

V. 9. Cui enim non praesto sunt haec; id eſt, cui non adſunt huiuſmodi virtutes, cæcus eſt ac manu tentans. Græce *μυωπάζων*; eſt autem *μυωπάζειν* manu viam tentare. Græca ſcolia interpretantur pro *συφλώττειν*, id eſt excæcatum eſſe, aut certe more cæcorum manu viam prætentare. Græca ſcholia dici putant a ſubterraneis muribus quos talpas vocant, quod perpetuo cæci ſint: cui ergo huiuſmodi bona non adſunt, cæcus eſt oculo mentis, utpote oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum, id eſt oblitus ſe purgatum eſſe a veteribus delictis.

V. 10. Quapropter vos magis satagite, ut per opera bona certam faciatis electionem vestram. Græca quæ nunc extant non habent per opera bona, ſed magis ſatagite, hoc eſt, ſatagite potius, ut firmam faciatis electionem veſtram: interpres legit per bona opera, id eſt bonorum operum exhibitione, quia (ut inquit Beda) qui fidei ſacramentis, quæ perceperunt bona quoque opera perſeveranter adiungunt, iſti ſuam vocationem & electionem certam intuentibus facient; haec enim, inquit, facientes non peccabitis aliquando. Græce *οὐ μὴ πταίσητέ ποτε*, id eſt *numquam offendetis*.

V. 12. Propter quod incipiam vos semper commonere: pro eo quod vertit *incipiam*, interpres longe aliud legit græce, quam nunc habent græci codices: habent enim pro incipiam *οὐκ ἀμελήσω*, id eſt *non negligam*, ſive curabo commonere vos de his quæ ſupra ſcripſi vobis: et quidem scientes et confirmatos vos in praesenti veritate: Græce *καίπερ εἰδότας καὶ ἐστηριγμένους ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ*, ubi græci ſecundo loco non habent *vos*,

& puro vitio librarii additum: eſt, autem ſenſus, curabo vos ſemper de iis admonere, etiam ſi ea noſtis & IN PRAESENTI VERITATE, de qua nunc agitur, confirmati eſtis.

V. 13. & 14. IUSTUM AUTEM ARBITROR, &c. id eſt, æquum autem conſeo, quamdiu ſum in tabernaculo excitare vos per commonitionem (ſuſcitare autem quod interpres vertit pro excitare ſumptum eſt) certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei: tabernaculum autem vocat corpus ſuum, ſumpta metaphora a veteribus patribus qui tentoriis & tabernaculis utebantur, dum terram promiſſionis ſectabantur, incertam interim manſionem neque diuturnam habentes, ita quia incertam neque diuturnam ponunt manſionem in hoc corpore, qui peregrinantur a Domino, ſed cupiunt illi præſentes eſſe, corpus ſuum Petrus tabernaculum vocavit: & mortem ſuam depoſitionem tabernaculi: quia ſicut peregrinantes, quum in optatam patriam pervenerint: iam tentoria ponunt & tabernacula; ita Petrus qui propediem in patriam venturum ſe ſciebat cæleſtem, mortem ſuam appellat tabernaculi depoſitionem; eamque velocem, Græc. ταχινὴ, id eſt celerem, hoc eſt ſubito futuram.

V. 15. DABO AUTEM OPERAM. Difficilis eſt huius loci ordinatio, neque multo Græce clarior. Eſt autem Græce σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὸ τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. Eraſmus vertit, dabo ſemper operam ut poſt exitum meum horum memoriam facere poſſitis: dicitque ἔχειν pro poſſe ſumi, & iungi cum ποιεῖσθαι: at ego non puto umquam reperiri ἔχειν pro poſſe, alteri infinitivo iunctum: fortaſſis Petrus cum præmiſiſſet ἔχειν, ob longum hyperbatum iam non memor prædicti verbi adiecit rurſum ποιεῖσθαι: ſufficere enim poteſt alterutrum; dabo operam ut poſt exitum meum horum memoriam habeatis vel faciatis. Certe græca ſcholia in hunc locum afferunt nonnullos ex hoc loco intellexiſſe, quod ſancti poſt mortem ſuam, eorum qui hic degunt, meminerint, ac pro vivis intercedant: quod nequis comminiſci me putet, ſubdam græca: τινὲς βούλονται παριστᾶν ἀπὸ τούτου, ὅτι μετὰ θάνατον οἱ ἅγιοι μέμνηνται τῶν τῆς δὲ, καὶ πρεσβεύουσιν ὑπὲρ τῶν ζώντων, id eſt quidam ex hoc loco intelligi volunt, quod ſancti poſt mortem ſuam eorum, qui hic degunt, meminerint ac pro vivis interpellent.

V. 16. NON ENIM INDOCTAS FABULAS SECUTI. Pro indoctas fabulas græce eſt σεσοφισμένοις, id eſt doctas & rhetorico artificio compoſitas: unde puto interpretem vertiſſe doctas, prout quidam codices habent, ſed a ſciolo librario additum in; quum autem μῦθος non fabulam modo, ſed orationem etiam ſignificet, videtur mihi Petri ſenſus eſſe, quod affabre compoſita, & eleganti oratione uſus illis prædicarit: ſic enim græca ſcolia exponunt: ut ſit idem ſenſus cum Paulo, quod non indoctis humanæ ſapientiæ verbis illis prædicarit Chriſti virtutem & PRAESENTIAM, non præſentiam, ut depravati codices habent: græci autem habent παρουσίαν quod & præſentiam ſignificat & adventum: quo noviſſimo ſignificato magis hic quadrat: quem ſe dicit illis annunciaſſe, non tamquam arte compoſitas fabulas ſecutum, ſed tamquam re vera maieſtatis eius ſpectatorem.

V. 17. & 18. ACCIPIENS ENIM A DEO PATRE. Neque Latine eſt quod referatur participium accipiens, neque Gr. τὸ λαβὼν, niſi (quod aliquando fit) nominativus pro genitivo abſoluto ſumatur, & tunc ſic vertenda eſſet lectio, *Quum enim accepiſſet a Deo patre*, HONOREM ET GLORIAM, huiuſmodi voce ad eum a magnifica gloria delata, hic eſt filius meus in quo mihi complacui, ET, id eſt etiam HANC NOS VOCEM DE CAELO AUDIVIMUS, vel ex hoc loco certum eſt hanc epiſtolam eſſe Petri, qui ſpectator fuit maieſtatis Chriſti.

V. 19. & 20. HABEMUS FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM. Poſſumus hic firmiorem non comparative ſed poſitive ſumere, quomodo ſæpe & Græce & Latine ſumitur: poteſt etiam eſſe cum Beda is ſenſus, Si quis nobis non credit divinitatem eius aſſerentibus, ex eo quod maieſtatis eius ſpectatores fuimus & vocis cælo delapſæ auditores; HABEMUS PROPHETICUM SERMONEM FIRMIOREM (non quidem veriorem ſed firmiorem) quem negare non poteſtis, ſicut noſtrum teſtimonium poteſtis refellere: is autem ſermo propheticus eſt Davidis: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te:* CUI

BE-

NEFACITIS ATTENDENTES, inquit, tanquam LUCERNAE LUCENTI IN CALIGINOSO LOCO: in huius enim ſæculi nocte tenebroſa, ait Beda, ubi difficile quiſquam invenitur, qui non offendat, quid eſſemus ſi lucernam prophetici ſermonis non haberemus? Lucerna ergo quæ in caligноſo hoc ſæculo degentibus lucet, verbum Dei eſt, dicente David: *lucerna pedibus meis verbum tuum*, cui attendere oportet non ſemper, ſed DONEC DIES ILLUCESCAT, id eſt plena Dei cognitio; quando cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus: ET LUCIFER ORIATUR IN CORDIBUS NOSTRIS, id eſt clara & non ænigmatica Dei cognitio: interim vero ob caliginoſi intellectus tenebras verbo Dei tamquam lucernæ lucenti & propheticis ſcriptis intentos eſſe oportet, ſcientes non ad hominum arbitrium, ſed pro Dei inſpirantis voluntate allatas eſſe prophetias.

S A.

ET hæc hortatoria eſt, ubi multa de Chriſtianis virtutibus, & de quorumdam hæreticorum erroribus, deque Dei providentia & iudiciis. Notat Hieron. epiſt. CL. differre hanc ſtylo a priori, quod Petrus alio ſit uſus interprete, ſcilicet qui Græce ſcriberet eius ſenſa.

V. 1. COAEQUALEM, id eſt parem, ſeu ſimilem, ſcilicet de iiſdem rebus. IN IUSTITIA; pro, cum iuſtitia, ſcilicet qua nos iuſtificat Deus; vel quaſi dicat, Per Dei miſericordiam: hanc enim interdum ſignificat nomen *iuſtitiæ* in Scriptura.

V. 2. ADIMPLEATUR, id eſt perficiatur. Syr. *multiplicetur*. IN; pro, cum.

V. 3. QUOMODO, &c. ſcilicet agnoſcendum grato animo. DIVINAE, &c. pro, per divinam, &c. QUAE, ſcilicet pertinent. GLORIA, id eſt gratia, ad eius gloriam pertinente. VIRTUTE, id eſt, bonitate, ſeu miſericordia.

V. 4. PER QUEM, ſcilicet Chriſtum. Græc. *per quæ*, ſcilicet donata. PROMISSA, ſcilicet olim per Prophetas. CONSORTES, ſcilicet gratia eſt quædam Deitatis participatio, Deo ſimiles faciens.

V. 5. SUBINFERENTES, id eſt adhibentes. MINISTRATE, id eſt adiungite. IN; pro, cum. VIRTUTEM; quaſi dicat, Chriſtianas virtutes. SCIENTIAM, id eſt prudentiam.

V. 6. ABSTINENTIAM, id eſt temperantiam. PIETATEM, id eſt Dei cultum.

V. 7. CARITATEM, ſcilicet in Deum.

V. 8. SUPERENT, id eſt abundent.

V. 9. ET MANU, &c. quaſi dicat, Similis cæco manu tentanti, quia nihil videt. OBLIVIONEM, &c. quaſi dicat, Oblitus gratiæ Dei, qua ei remiſſa peccata, ut ſe operibus virtutum exerceret.

V. 10. CERTAM. Græc. *firmam*; quaſi dicat, Confirmate electionem veſtram bonis operibus. HAEC, id eſt bona opera.

V. 11. MINISTRABITUR, id eſt dabitur.

V. 12. INCIPIAM; pro, incipio, vel incepi, ſcilicet priori Epiſtola; vel quaſi dicat, De integro faciam ſemper. Græc. *non negligam*: forte pro, non neglexi. ET QUIDEM; pro, quamquam. PRAESENTI, id eſt ea de qua ago.

V. 13. SUSCITARE, &c. id eſt excitare vos monendo,

V. 14. VELOX. Apparet Romæ & hanc ſcripſiſſe. TABERNACULI, id eſt corporis. SIGNIFICAVIT, id eſt revelavit.

V. 15. HABERE, id eſt poſſe; quaſi dicat, Ut poſt obitum meum poſſitis horum frequenter meminiſſe.

V. 16. DOCTAS, id eſt arte compoſitas. PRAESENTIAM, ſcilicet in mundo per Incarnationem. ILLIUS, ſcilicet Chriſti.

V. 17. ACCIPIENS; pro, accepit.

V. 19. FIRMIOREM, ſcilicet hominum opinione, qui noſtrum teſtimonium non tanti faciunt: vel *firmiorem*, pro, firmum. SERMONEM, ſcilicet de Chriſto. DIES, ſcilicet æternitatis. LUCIFER, id eſt aurora futuræ vitæ.

V. 20. INTERPRETATIONE, id eſt excogitatione, vel explicatione, ſcilicet opus eſt ſpiritu Dei.

MARIANAE.

Verſ. 1. SIMON, aut *Simeon*, nomen a nativitate. PETRUS, ſeu *Cephas*, nomen a Chriſto impoſitum. IIS QUI COAEQUALEM: ἰσότιμον, *æqualis pretii*. SORTITI SUNT FIDEM. Pretium eſt vita æterna. Num ſolius fidei? non, ſed, IN IUSTITIA, id eſt per iuſtitiam nobis a Chi-

a Chriſto collatam, ſcilicet iuſtificationem.

V. 2. GRATIA VOBIS ET PAX ADIMPLEATUR. Græc. *multiplicetur*; debent enim in nobis augeri Dei dona. IN COGNITIONE DEI, id eſt ſimul cum cognitione Dei. Ut cognoſcamus,

V. 3 QUOMODO OMNIA NOBIS DIVINAE VIRTUTIS SUAE; pro *divina virtute ſua*. Græciſmus, genitivus pro ablativo. QUAE AD VITAM ET PIETATEM: *εὐσέβειαν*, *cultum Dei*, ſupple, *pertinent*, ut Goth. addit, donata ſunt. PER COGNITIONEM EIUS, id eſt Evangelium eius qui vocavit nos. PROPRIA GLORIA. Græc. *per gloriam & virtutem*, id eſt miracula glorioſa. Noſter pro ἰδίᾳ, ut nunc eſt, legit ἰδίᾳ.

V. 4. PER QUEM, ſcilicet Chriſtum. Græce, *per quæ*, ſcilicet gloriam, & virtutem. Beda & alii, *per quam*, ſcilicet cognitionem nobis pretioſa donavit. Noſtra lectio verior.

V. 5. VOS AUTEM. Docet quas virtutes habere debeant. MINISTRATE, ſeu *ſuppeditate & exhibete*. IN FIDE VESTRA, cum fide VIRTUTEM, *ἀρετὴν*, vitam ſtudioſam, cum virtute SCIENTIAM, id eſt prudentiam iungite.

V. 6. IN SCIENTIA AUTEM ABSTINENTIAM, ἐγκράτειαν, ab omnibus illicitis continentiam. IN PATIENTIA AUTEM PIETATEM, ſeu *cultum Dei*, ut eſt Græce.

V. 7. IN AMORE AUTEM FRATERNITATIS, id eſt fratrum. Cum amore fraternitatis CARITATEM, ſcilicet in Deum, ut propter eum amemus fratres.

V. 8. HAEC ENIM SI VOBISCUM ADSINT. *Si* redundat, & ſic lege: *Hæc enim cum vobis adſint*, ſic quinque codices legunt a Lovan. notati. Goth. *hæc enim cum vobis præſto ſint*. ET SUPERENT; pro, exuberent. Non eritis vacui. IN DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI COGNITIONE, id eſt in fide, in Evangelio.

V. 9. CUI ENIM NON PRAESTO SUNT HAEC, ſcilicet non habet virtutes quas dixi, cæcus eſt.

V. 10. SATAGITE, UT PER BONA OPERA. Græc. *ſtudete, certam veſtram vocationem & electionem fieri*: ſed ſane id, *per bona opera*, uti noſter addit, aut ſupplevit, aut invenit in aliquo codice.

V. 12. PROPTER QUOD INCIPIAM. Gr. *non negligam*. Goth. *non differam vos admonere*. ET QUIDEM SCIENTES. Etſi noveritis ea, de quibus in præſenti ago.

V. 15. DABO AUTEM OPERAM, id eſt curabo poſt mortem veſtri habere memoriam, & Deum precari, ut horum recordemini. Græc. aliter: *Curabo autem & ſemper habere vos poſt meum diſceſſum horum memoriam facere*; pro, & facere, nempe ea ſæpe inculcando. Ex lectione noſtra colligitur interceſſio Sanctorum, ex Græca non item, tametſi invenio Scholia Græca id etiam tangere, ſcilicet his verbis Sanctorum interceſſionem contineri.

V. 19. NON ENIM DOCTAS FABULAS SECUTI. Lovan & Regia, *indoctas*. Utra verior lectio, ex Græca voce *σεσοφισμένοις*, conſtare non poteſt, quia *doctas* & *ſophiſticas* poteſt ſignificare. Goth. tamen *commentitias* habet. Significat ergo, non ex fabulis docuiſſe Chriſti virtutem, ſeu maieſtatem & præſentiam, ſeu adventum, ſed quod ſuis oculis vidit in transfiguratione.

V. 17. ACCIPIENS ENIM; pro *accepit*, ut Goth. habet, alioqui participium non habet unde regatur. Ergo accepit Chriſtus gloriam & honorem voce de cælo.

V. 19. ET HABEMUS FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM. Goth. *certum*, comparativus pro poſitivo. Ergo non ſolum oculis vidimus gloriam eius, ſed quod certum eſt, aut certius, id Prophetæ ſunt teſtati. CUI (ſermoni Prophetarum,) BENEFACITIS ATTENDENTES. Goth. *intendentes*, *προσέχοντες*. DONEC DIES ELUCESCAT, in patria ſcilicet ubi LUCIFER, id eſt Chriſtus apparebit. Nunc in caligine ſumus.

MENOCHII.

Verſ. 1. IIS, QUI COAEQUALEM NOBIS SORTITI SUNT FIDEM: qui eandem fidem Chriſti profitentur, ad quam Dei beneficio vocati ſunt. COAEQUALEM: *ἰσότιμον*, *eiuſdem pretii*, *æque pretioſam*. IN IUSTITIA DEI NOSTRI: illius ſingularis iuſtitiæ merito, qua Chriſtus Deus, & Salvator noſter pro hominum genere Patri ſatisfecit, nobiſque meruit fidem, gratiam, & ſalutem.

V. 2. ADIMPLEATUR: πληθυνθείη, *multiplicetur*, ut in multitudine, & magnitudine

Digitized by Google

dine gratiæ, & pacis aſſidue creſcentes, ad utriuſque plenitudinem tandem pertingatis. In cognitionem Dei, et Christi: creſcente enim, & impleta cognitione Dei, & Chriſti, creſcit pariter, & impletur gratia, & pax; quia quo magis Chriſti, & Dei bonitas cognoſcitur, magis etiam amatur, & colitur.

V. 3. Quomodo omnia nobis, &c. id eſt, gratia, & pax vobis multiplicetur in cognitione Dei, & Chriſti, quomodo, id eſt perinde, vel ſicut per hanc Dei, & Chriſti cognitionem omnia divina dona, quæ ad vitam, & pietatem pertinent nobis donata ſunt; quaſi dicat: Ideo opto vos creſcere in cognitione Dei, & Chriſti, quia per eam creſcetis pariter in reliquis donis Dei, hæc enim omnia per eam uti primum donata ſunt, ita in dies magis donantur, & augentur a Deo. Divinae virtutis suae: divinæ ſuæ potentiæ dona. Quae ad vitam, et pietatem: quæ pertinent ad pietatem, & ad vitam ſupernaturalem, & cæleſtem, ſcilicet gratiæ, & gloriæ. Qui: Chriſtus. Propria gloria, et virtute: glorioſa ſua gratia, & miſericordia. Vox Græca *ἀρετή*, *virtus*, explicari etiam poteſt *potentia;* reſpondet enim Italicæ, *valore*.

V. 4. Per quem, ſcilicet Chriſtum. Maxima, et pretiosa nobis promissa donavit; quaſi dicat: Pretioſa illa dona, quæ Deus per Moſen, & prophetas promiſit ſe daturum per Chriſtum, iam per ipſum dedit, & exhibuit, ſcilicet remiſſionem peccatorum, gratiam, ſanctitatem, virtutes, &c. Ut per haec: dona, & gratiam. Efficiamini divinae consortes naturae: non ſolum per gratiam nobis inhærentem, quæ eſt participatio quædam divinæ naturæ, ſed etiam quia iuſtis ſubſtantialiter datur Spiritus ſanctus, iuxta illud I. ad Corinth. VI. *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis a Deo*: & ad Roman. V. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Vide Suarez de Deo trino, & uno Lib. XI. cap. V. II. & 12. Fugientes, &c. *ἀποφυγόντες*, *cum aufugeretis*, vel, *ſi refugeritis a corruptione quæ eſt in mundo per concupiſcentiam*: hæc enim corruptio, & concupiſcentia cum ſit carnalis, & ſordida, repugnat divinæ naturæ, quæ puriſſimus, & ſanctiſſimus eſt Spiritus.

V. 5. Vos autem omnem curam subinferentes: hortatur ut iam dictis Dei donis digne utantur, obſequantur, & cooperentur, nec otioſa eſſe ſinant, ſed operando ea augeant, &c. Subinferentes: conferentes. Ministrate: *ἐπιχορηγήσατε*, ſubminiſtrate, ſuppeditate, exhibete, inſuper præbete, adiungite, &c. quo verbo denotatur liberi arbitrii cooperatio. Ministrate in fide vestra virtutem; quaſi dicat: Fidei adiungite virtutem, id eſt vigorem virtutis, quod Italice dicimus *il valere*, ſcilicet fortitudinem ad omnia ardua heroice ſuperanda, hoc enim ſignificat Græcis, *ἀρετή*. In virtute autem scientiam. Per ſcientiam intellige eam quam diſcretionem appellamus, hæc enim naſcitur ex virtute, id eſt ex fortitudine; fortis enim & maſculus animus rectus eſt, & recte de agendis iudicat, mollis vero, & effeminatus, quia in ſuas cupiditates nimis propendet, male de agendis ſentit, & pronuntiat.

V. 6. In scientia autem abstinentiam, id eſt cum ſcientia, & per ſcientiam. Scientia enim ſive ethica Chriſtiana, & virtus diſcretionis, docet abſtinentiam, eius modum, temperantiam in cibo, & potu, & carnis voluptatibus. Adde ſcientiam, & abſtinentiam eſſe comites, & quaſi ſorores, ut una ſine alia vix reperiri poſſit. In abstinentia autem patientiam: moderata enim abſtinentia, & ſobrietas uti corpus, ita & animum componit, facitque moderatum, patientem, & hilarem. In patientia autem pietatem: *εὐσέβειαν*, id eſt *cultum Dei*; afflictiones enim hominem deiiciunt, faciuntque humilem, & ad Deum confugere compellunt, ut opem ferat.

V. 7. In pietate autem amorem fraternitatis: quia Deo non placet pietas, niſi amore fraterno condiatur, ſi nimirum expers ſit beneficentiæ, iuxta illud, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*, Matth. IX. 13. In amore autem fraternitatis caritatem: ut ſcilicet diligantur fratres, & proximi ex caritate, hoc eſt propter Deum, non autem propter commoda noſtra, aut humanas rationes.

V. 8. Si vobiscum adsint, et superent:

RENT: ſi vobis adſint virtutes, quas enumeravi, & eas non ſolum habeatis, ſed etiam illis abundetis, perfecte illas poſſidentes, & exercentes, hoc enim ſignificat Græcum πλεονάζοντα, quod Latinus vertit, *& ſuperent*. NON VACUOS: ἀργοὺς, *otioſos*. SINE FRUCTU: bonorum operum. IN DOMINI NOSTI IESU CHRISTI COGNITIONE; quaſi dicat, Si adſint vobis virtutes, quas iam recenſui, efficient ut veſtra fides, & cognitio Chriſti non ſit inanis, & infrugifera, otioſa, & expers meriti, ſed plena, negotioſa, frugifera, & meritorum numero abundans.

V. 9. CUI ENIM NON PRAESTO SUNT HAEC: cui deſunt virtutes recenſitæ. CAECUS EST: ſcilicet, practice, quia non habet practicos practicæ fidei, & cognitionis oculos; hi enim ſunt virtutes iam dictæ. ET MANU TENTANS: ut cæci. In Græco eſt μυωπάζων; eſt autem μυωπάζειν, ut ex Divo Dionyſio notat Budæus, cæcutire, & oculos aperire non poſſe. OBLIVIONEM ACCIPIENS PURGATIONIS VETERUM SUORUM DELICTORUM; quaſi dicat, Fidelis qui virtutes abdicat, & in vitia relabitur, obliviſcitur Baptiſmi, & Chriſtianiſmi, quo accepit remiſſionem peccatorum ante commiſſorum, & quo ſpopondit ſe Chriſtiane, & ſancte victurum.

V. 10. QUAPROPTER FRATRES MAGIS SATAGITE; quaſi dicat, Quin potius fratres date diligenter operam, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis. Poteſt etiam necti particula *magis*, cum *ſatagite*, ut ſit ſenſus, magis ac magis in dies ſatagite. SATAGITE: σπουδάσατε, date diligenter operam, omnem diligentiam, & conatum adhibete, ſummo ſtudio contendite. CERTAM VESTRAM VOCATIONEM, ET ELECTIONEM FACIATIS, τὸ *certam*, in Græco eſt, βεβαίαν, *ſtabilem*, *firmam*; quaſi dicat: Chriſtianas virtutes ſedulo colite, & date operam ut gratiam perceptam divinæ vocationis, atque electionis vi, conſtanter ad extremum uſque ſpiritum retineatis. Vel, ſenſus eſt, Ita vivite, ut ex honeſtis veſtris actionibus in quibus perſeveratis, poſſitis moralem quamdam certitudinem concipere, & fiduciam, quod ſitis prædeſtinati ad æternam ſalutem. HAEC ENIM FACIENTES; ſcilicet, bonis operibus inſiſtentes.

V. 11. SIC ENIM ABUNDANTER. Græce πλουσίως; quaſi dicat, *Diviter*, liberaliter, largiter, abundanter. MINISTRABITUR, id eſt, ſuppeditabitur, dabitur, præſtabitur, ſcilicet, per bona opera.

V. 12. PROPTER QUOD INCIPIAM, &c. Græce eſt, οὐκ ἀμελήσω, *non negligam* alii legunt οὐ μελλήσω, *non cunctabor*, quo modo legiſſe videtur noſter interpres. COMMOVERE: ὑπομιμνήσκειν, commonefacere in memoriam revocare. DE HIS: ut, ſcilicet, iam recenſitis virtutibus inſiſtatis. ET QUIDEM SCIENTES, ET CONFIRMATOS: tametſi ſciatis hanc veritatem, & in ea confirmati ſitis.

V. 13. IUSTUM AUTEM ARBITROR, id eſt iuſtum enim arbitror, immo debitum, id enim exigit munus paſcendi fideles omnes mihi a Chriſto demandatum. QUAMDIU SUM IN HOC TABERNACULO: corporis, dum vivo. SUSCITARE VOS IN COMMONITIONE: excitare vos commonendo, & adhortando, ne torpeatis.

V. 14. CERTUS: εἰδώς, *certo ſciens*, ſcilicet per Dei revelationem, ut ſequitur. QUOD VELOX EST DEPOSITIO TABERNACULI MEI: quod brevi moriar, & crucifigar.

V. 15. FREQUENTER: ἑκάστοτε, quod verti poteſt frequenter; vel ſemper, & quotidie; vel ſigillatim; quaſi dicat, Uniuſcuiuſque veſtrum. HABERE: in mente, & in memoria, ut pro vobis orem. Vel ſenſus eſt, Dabo operam ut frequenter poſſitis poſt obitum meum horum mentionem facere, ſive orando Deum pro vobis, ſive mandando hæc ipſa litteris, & ſucceſſoribus commendando, ut eorum memoriam crebro vobis refricent.

V. 16. NON ENIM DOCTAS FABULAS CONSECUTI; quaſi dicat: Si fabulas vobis tradidiſſem, operæ pretium eſſet dictorum, & ſcriptorum meorum memoriam intercidere, & aboleri. DOCTAS FABULAS: ingenioſe confictas, arte compoſitas. CHRISTI VIRTUTEM: δύναμιν, potentiam, efficaciam, expiandi peccata, mores corrigendi, miracula patrandi, &c. PRAESENTIAM: παρουσίαν, *adventum*. SPECULATORES: ἐπόπται, *oculati teſtes*. ILLIUS MAGNITUDINIS: μεγαλειότητος, maieſtatis, & gloriæ, quæ in transfiguratione.

V. 17. ACCIPIENS ENIM, id eſt accepit enim. HONOREM, ET GLORIAM: ex eo

quod

quod facies eius reſplenduit ſicut ſol, & veſtimenta facta ſunt candida, & adfuerunt illi Moſes, & Elias, ex voce Patris, &c. A MAGNIFICA GLORIA, id eſt e nube lucida, & coruſca, quæ index erat gloriæ divinæ, ſcilicet, Dei per eam loquentis. IN QUO MIHI COMPLACUI: qui mihi gratiſſimus eſt, & in quo delector. IPSUM AUDITE: ipſi, & in ipſum credite, & illi obedite.

V. 18. HANC VOCEM NOS; quaſi dicat, Ego, Iacobus & Ioannes. DE CAELO: de nube, & aere celſiore. ALLATAM: delatam, delapſam. IN MONTE SANCTO: Thabor, quem ſua præſentia, & hoc inſigni transfigurationis miraculo ſanctificavit Chriſtus.

V. 19. FIRMIOREM PROPHETICUM SERMONEM. *Firmiorem* hominum opinione, qui noſtrum teſtimonium tanti non faciunt. SERMONEM: oracula prophetarum de Chriſto. ATTENDENTES: intendentes, inſiſtentes, & vaticiniis illis, eorumque intelligentiæ ſtudentes. QUASI LUCERNAE LUCENTI IN CALIGINOSO LOCO: nam prophetia, & omnis ſcriptura ſacra, eſt quaſi lucerna lucens in tenebris huius ſæculi, & vitæ eas illuminans. DONEC DIES ELUCESCAT, ET LUCIFER ORIATUR IN CORDIBUS VESTRIS; quaſi dicat, Intendite lectioni, & ſtudio prophetarum, ut ex eis confirmemini in fide Chriſti, donec ex hoc ſtudio, & ex illuſtratione Dei, dies & lucifer, id eſt certior, & clarior, & magis explicita Evangelii fideique cognitio nocti, id eſt obſcuriori Iudæorum, & prophetarum cognitioni ſuccedens, vobis illuceſcat, ut per eam ad clarum meridiem deducamini æternitatis, & viſionis Dei.

V. 20. OMNIS PROPHETIA SCRIPTURAE: omnis prophetica ſcriptura. PROPRIA INTERPRETATIONE NON FIT, id eſt propria vaticinantium inventione.

V. 21. NON ENIM VOLUNTATE HUMANA ALLATA EST, &c. id eſt, non voluntate, & arbitrio hominum eduntur oracula prophetica, ſed ſancti prophetæ cum occulta pandunt, aut futura prædicunt, divino Spiritu aguntur, & quæ ab illo ſuggeruntur enunciant.

TIRINI.

Verſ. 1. IIS QUI COAEQUALEM; Græce, ἰσότιμον, id eſt eiuſdem pretii & præmii, NOBISCUM SORTITI SUNT FIDEM. Alloquitur eoſdem Ponticos, Galatas, Cappadoces, Bythynios, reliquoſque Aſianos, ad quos primam dederat epiſtolam: *Hanc* enim (ait infra *b*,) *vobis ſecundam ſcribo*. Honoris autem ergo vocat eos *coæquales* ſecum *fidei*; quaſi dicat: Etſi gradu, ordine & officio ſim omnibus ſuperior, utpote caput & Pontifex totius Eccleſiæ, tamen pares mihi eſtis in fide & religione, ceteriſque quæ ex fide exſurgunt. Quod intellige de eſſentia fidei ceterarumque virtutum & gratiarum: nam quoad intenſionem & extenſionem, certum eſt magnam eſſe diſſimilitudinem. Porro *fidem* & gratias omnes *ſortiti* ſumus IN IUSTITIA, id eſt per iuſtitiam, CHRISTI, ſeu per eius merita, ut S. Proſper *c*, Pagninus, Tigurini, Clarius, Gagneius, Vatablus & alii exponunt.

V. 2. GRATIA cæleſtis ET PAX, ſeu bonorum omnium affluentia, VOBIS ADIMPLEATUR; Græce, *multiplicetur*, nempe quouſque perfecte compleatur, IN, ſeu cum, COGNITIONE DEI. Græce, ἐπιγνώσει, id eſt recognitione, ſeu memoris & grati animi cognitione, ut S. Ambroſius, Auguſt. & Proſper *d* legunt. Optat enim S. Petrus fidelibus continuum augmentum illuſtrationis divinæ & ex ea pleniorem ſcientiam, æſtimationem & amorem Dei.

V. 3. QUOMODO, vel prout, OMNIA DIVINAE VIRTUTIS ſeu potentiæ effecta, nempe dona gratiarum omnium, QUAE AD VITAM ſupernaturalem animæ, id eſt, veram PIETATEM & ſanctitatem, colendam, ſtabiliendam, complendam pertinent, NOBIS DONATA SUNT, PER COGNITIONEM Dei & Chriſti, QUI NOS peccatores, viles, miſeros, indignos homunciones, ad divinam ſuam amicitiam, hereditatem, regnum & gloriam VOCAVIT, non ob noſtrum meritum vel virtutem, ſed ex PROPRIA ſua GLORIA, id eſt glorioſa gratia, ET VIRTUTE clementiæ ſuæ. Simili modo S. Paulus *gratiam* Dei, utpote magnificam & glorioſam, *e* vocat *gloriam*, vel *divitias gloriæ f* Dei vel Chriſti.

V. 4. PER QUEM Chriſtum DONAVIT NO-

NOBIS Deus MAXIMA; maximeque PRETIOSA dona olim per Moyſen & Prophetas PROMISSA, quod per Chriſtum nobis eſſent donanda, puta remiſſionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, iuſtificationem, ſanctificationem, ius & pignus æternæ gloriæ. UT PER HAEC divina dona EFFICIAMINI DIVINAE CONSORTES NATURAE,, non eſſentialiter (quod ſolis tribus perſonis SS. Trinitatis convenit,) neque hypoſtatice, ſeu perſonaliter (quod humanitati Chriſti proprium eſt,) ſed accidentaliter: nam gratia ſanctificans, accidens eſt, a Deo animæ infuſum, nempe qualitas adeo nobilis ac ſublimis, ut ordinem naturæ tum humanæ, tum angelicæ, prorſus excedat, cuius hi ſunt effectus quaſi formales, ſane nobiliſſimi. Primus, expulſo omni peccato mortali, facit hominem iuſtum, rectum, ſanctum. Secundus, facit gratum Deo, eiuſque amicum. Tertius, facit filium Dei adoptivum & heredem cæli. Quartus dat ius ad felicitatem & gloriam æternam. Quintus, per ſeptem dona Spiritus ſancti, & per virtutes partim theologicas, partim morales ſupernaturales, (quas ut comites ſecum adducit) diſponit mentem omneſque potentias animæ, ut Deo legique divinæ conformentur. Sextus, facit opera noſtra ſatisfactoria pro præteritis culpis, & meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. Septimus, elevat hominem ad ſtatum & ordinem ſupernaturalem etiam angelico celſiorem, puta ad ordinem & ſtatum divinum, adeo ut fiat ſocius, conſors & particeps divinitatis. Octavus, non ſola dona Spiritus ſancti, ſed etiam ipſiſſimam perſonam Spiritus ſancti, & conſequenter totam SS. Trinitatem, non obiective tantum, ſed & ſubſtantialiter ita adnectit & unit animæ, ut, ſi per impoſſibile non eſſet ubique, neque fuiſſet antea illi præſens, iam realiter præſens illi fieret, in eaque quaſi in templo, palatio ac thalamo ſuo ſubſtantialiter inhabitaret, ac quaſi cum ſponſa deliciaretur, longe arctiori illam vinculo ſibi annectens quam ſit vel vinculum matrimoniale coniugum, vel naturale animæ & corporis: ita ex S. Auguſtino & aliis Patribus docet Magiſter ſentent. S. Bonaventura, Scotus, Gabriel, Marſilius, S. Thomas, eiuſque diſcipuli; & ex noſtris Vaſquez, Valentia, Leſſius, maximeque Suarez *g*, qui hinc infert, quod Spiritus ſanctus novo modo ſecundum ſubſtantiam ſuam incipiat præſens eſſe in anima iuſti, quo ante ibidem non erat; citatque pro hac ſententia SS. Ambroſium, Auguſtinum, Leonem, probatque ex SS. Scripturis *h*, & multis rationibus: concludens cum S. Thoma, eam ita certam eſſe, ut contrarium ſit erroneum. Porro communicationis huius & connexionis Spiritus ſancti, ut fere etiam aliorum omnium iam dictorum effectuum, cauſa quaſi formalis eſt gratia ſanctificans, indivulſe illis connexa. Saltem illud certum eſt, totam formalem cauſam noſtræ iuſtificationis, & omnium effectuum illi annexorum, nobis intrinſecam eſſe, nobiſque inhærere, ut docet Tridentinum, *i* non vero extra non eſſe, nobiſque ſolum imputari, ut hæretici fingunt.

V. 5. Vos AUTEM ex parte veſtra ne ſinite otioſa in vobis eſſe divina hæc dona, ſed CURAM OMNEM SUBINFERENTES & ſubiungentes gratiæ divinæ, *ſubminiſtrate* IN, ſeu eum, FIDE VESTRA, (ne vacua & infructuoſa ſit,) *ἀρετὴν*, id eſt, VIRTUTEM, & virtutum opera; quaſi dicat: Cognitioni addite praxim, ut ait Oecumenius: ſed huic praxi addite SCIENTIAM, id eſt diſcretionem ac prudentiam, quam S. Antoninus vocare ſolet *principem*, S. Bernardus k *aurigam* ceterarum virtutum. Secundum *ſcientiam* autem practicate; primo, *abſtinentiam*, ſeu temperantiam; ſecundo, *patientiam*, ſeu tolerantiam iniuriarum; tertio, *pietatem*; Græce, *εὐσέβειαν*, id eſt Dei cultum, non modo internum, ſed & externum; quarto, *amorem fraternitatis*, id eſt, ſtudium commodorum & ſalutis proximi; quinto, *charitatem* Dei ſuper omnia.

V. 8. HAEC virtutum genera ſi *vobis* ADSINT, maxime ſi SUPERENT; Græce, ſi exuperent, ſeu abundent in gradu intenſo, &c. NON CONSTITUENT VOS VACUOS IN COGNITIONE; id eſt, efficient ut fides veſtra non ſit inanis, otioſa, infrugifera & expers bonorum operum ac meritorum: ita Sasboldus, Arias, Salmeron, Titelmanus, a Lapide, & alii.

V. 9. CUI vero NON PRAESTO SUNT hæ virtutes, CAECUS EST ſi non ſpeculative, certe practice, quia caret prudentia & ſcientia practica, quæ eſt lux & oculus ani-

ani-

Digitized by Google

animæ, & dux omnium virtutum: MANU quidem, id eſt conatu voluntatis, PRÆTENTANS viam virtutum, ſed luce & duce deſtitutus, ubique impingit, labitur, læditur. Græcum μυωπάζων, quod noſter vertit *manu tentans*, poteſt etiam verti, *muris habens oculos:* muris, inquam, ſubterranei, id eſt talpæ, cuius oculis pellicula obducta uſum illorum adimit: unde lucifuga talpa terræ tota inhiat, inſano labore illam ſuffodiens, & integras ſubinde domos, &, ſi Plinio *l* credimus, etiam urbes ſubvertens. Quod ſpiritualibus iſtis talpis longe verius adaptes: qui neglecto virtutum iam dictarum ſtudio, non ſolum ſe privant fructu illarum, ſed inſuper etiam OBLIVIONEM *accipiunt* PURGATIONIS VETERUM SUORUM DELICTORUM, quia paulatim in eadem relabuntur, & iiſdem rurſus conſpurcantur. Unde, ſi ſapitis,

V. 10. MAGIS magiſque indies SATAGITE, UT PER BONA OPERA, (hæc tria verba licet in plerisque Græcis exemplaribus iam deſint, ſupplenda tamen patet ex antedictis, & toto diſcurſu Apoſtoli:) VOCATIONEM ET ELECTIONEM VESTRAM ad chriſtianiſmum & ad gratiam iuſtificantem, FACIATIS CERTAM. Græce, βεβαίαν, id eſt firmam, fixam, ſtabilem, ne ab ea excidatis, & in priſtina ſcelera & ſordes relabamini.

V. 11. SIC ENIM per continuum ſtudium bonorum operum, ſtabilita veſtra vocatione & electione ad gratiam, eo ipſo ABUNDANTER, ſeu abunde *ſubminiſtrabitur* & præſtabitur vobis etiam certitudo, ſeu firmitas *electionis* veſtræ ad gloriam, ſeu INTROITUS IN AETERNUM REGNUM CHRISTI. Porro ex his verſibus, contra Lutherum, Calvinum, alioſque hæreticos colligunt Doctores: Primo, hominem eſſe liberi arbitrii etiam in operibus ſupernaturalibus. Secundo, fideles & iuſtos non eſſe certos de ſua perſeverantia & ſalute, uti definit Tridentinum *m*. Tertio, electionem abſolutam ad gloriam fieri a Deo ex præviſis cuiuſque meritis. Non enim, (inquit S. Ambroſius *n*) *ante prædeſtinavit, quam præſciret: ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.* Vide Molinam *o*, Vaſquez, a Valentia, Leſſium, a Lapide: qui hinc docent, tam prædeſtinationem, quam reprobationem non minus quam electionem, ſeu ad iuſtitiam, ſeu ad ſalutem, pendere ex præviſione cooperationis noſtræ futuræ. Cum autem cooperatio noſtra pendeat ex arbitrio & libertate noſtra, conſequenter docent, etiam in noſtra poteſtate & arbitrio, divina gratia prævento, eſſe, facere ut ſimus iuſti, electi, prædeſtinati, vel ut non ſimus. Si enim velim gratiæ mihi a Deo ſincere ad ſalutem procurandam datæ cooperari uſque ad finem vitæ, ſicut poſſum & debeo, ſum fui & ero prædeſtinatus: ſin nolim, non ſum, non fui, non ero prædeſtinatus: neque enim Deus prædeſtinavit, niſi quos prævidit ſic gratiæ cooperaturos: neque reprobavit niſi quos prævidit non cooperaturos: ita a Valentia *p* & alii iam citati.

V. 12. PROPTER QUOD INCIPIAM; Græce, *non ceſſabo*, non deſinam, vos continuo COMMONERE DE HIS virtutibus ſerio practicandis. Neque opus habetis niſi memoriæ refricatione, cum iam pridem ſufficienti *ſcientia* huius *veritatis* inſtructi ſitis, & in ea ſat confirmati ac ſtabiliti. Ut vero dormitantes ſubinde excitem, & novis litteris vel nuntiis commonefaciam.

V. 13. IUSTUM & æquum eſſe, immo me debere ARBITROR ex munere paſtorali a Chriſto mihi pridem *q* impoſito, quo quanto poſſum ſtudio, fungar QUAMDIU SUM IN HOC mortali corpore, in quo quaſi in momentaneo TABERNACULO peregrina & hoſpes degit tantiſper anima, dum ad patriam ſuam cæleſtem proficiſcitur.

V. 14. CERTUS per Chriſti revelationem, QUOD brevi, depoſito hoc tabernaculo, per mortem & crucem in cælum devolabo. Quando hæc revelatio illi obtigerit, non ſat conſtat: veriſimile eſt obtigiſſe in carcere Mamertino. Neque mirum apparuiſſe Chriſtum, & quidem ſæpius, vicario ſuo, cum toties *r* apparuerit Paulo, & aliis Epiſcopis, v. g. Polycarpo, Cypriano, Pio primo Pontifici, & aliis plurimis, quibus inſtantem mortem & martyrium revelavit ut ad ea tempori ſe compararent.

V. 15. DABO AUTEM OPERAM ETIAM POST OBITUM MEUM VOS in mente & memoria mea apud Deum HABERE, idque FREQUENTER. Græcum ἑκάστοτε Vatablus vertit, *per ſingulos dies*; Pagninus, *ſigillatim*. Nempe, crebro poſt mortem

meam, immo continuo veſtri ſingulorum memor ero apud Deum, orando pro vobis, ut horum monitorum meorum viciſſim memoriam & praxin vos habere faciat: ita S. Chryſoſtomus *f*, OEcumenius, Petrus Damiani *r*, Catharinus, Gagneus, Salmeron, Suarez, Bellarminus *u*, & alii: qui proinde hinc inferunt, cum tantam gerat S. Petrus, aliique Sancti in cælis curam Eccleſiæ in terris, merito a nobis invocari debere. Sed pergit Petrus: Tanti momenti ſunt quæ vos docui, ut operæ pretium ſit, etiam cælitus a me invigilari illis menti veſtræ perpetuo inculcandis:

V. 16. NON ENIM DOCTAS; Græce, σεσοφισμένοις, id eſt ſophiſticas, argutas, & ad fallendum confictas (ut Vatablus vertit) FABULAS Rabbinicas, poeticas, philoſophicas SECUTI, confinximus, *vobiſque* NOTAM FECIMUS, & quaſi tragicomœdiam exhibuimus, CHRISTI mirabilem VIRTUTEM, δύναμιν, id eſt vim, potentiam, efficaciam, v. g. in expiandis peccatis, in tot miraculis patrandis, animabus ſalvandis ac beandis, corporibus reſuſcitandis, &c. Nec virtutem modo, quam etiam abſens exerere potuiſſet, ſed ET PRAESENTIAM, qua *Verbum caro factum habitavit in nobis plenum gratia* & maieſtate. Non, inquam, conficta, ſed a nobiſmet viſa narravimus vobis, utpote SPECULATORES, ἐπόπται, id eſt inſpectores, oculati teſtes, fuimus MAGNITUDINIS & maieſtatis Chriſti, cum cælitus

V. 17. Acciperet A DEO PATRE condignum ſibi HONOREM ET GLORIAM ex vultus transfiguratione, ex veſtium ſplendore, ex Moyſis & Eliæ conſortio, ex honorifico Patris cæleſtis teſtimonio, VOCE DELAPSA A MAGNIFICA GLORIA; id eſt, a glorioſa Dei maieſtate iſtic in nube præſentem ſe exhibente; de qua fuſius in Evangelio *y*.

V. 18. & 19. HANC VOCEM NOS (ego Iacobus & Ioannes) AUDIVIMUS, CUM ESSEMUS CUM IPSO IN MONTE SANCTO, nempe in *Libano*, inquit Faber Stabulenſis & Franc. Lucas *z*, vel, ut communior eſt opinio, in *Thabor*, ut alibi dixi. Sed præter hanc noſtram ocularem viſionem gloriæ Chriſti, & auditionem vocis cæleſtis, quia forte poſſent vobis de illuſione vel adulatione ſuſpectæ eſſe, HABEMUS alia de Chriſto eiuſque divinitate teſtimonia, non quidem veriora, vel melioſa in ſe (ut ait S. Auguſtinus *aa*) ſed tamen reſpectu veſtri *firmiora*, nempe PROPHETICUM SERMONEM, v. g. illud Pſalmi II. *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* & ſimilia Prophetarum innumera oracula de Verbi incarnatione, paſſione, morte, mundi redemptione, &c. quæ omnia pro indubitatis & infallibilibus teſtimoniis ultro admittitis: & BENEFACITIS, ATTENDENTES Scripturæ cælitus revelatæ, QUASI LUCERNAE *bb* ſaltem modice & ſubobſcure (non vero inſtar ſolis, clare & ample) LUCENTI IN CALIGINOSO LOCO, id eſt in nocte & in tenebris huius ſæculi. Ubi bene notat S. Ambroſius *cc*, Scripturam eſſe lucernam, ſed ſupra candelabrum publicæ atque infallibilis auctoritatis Eccleſiæ, non ſub modio iudicii cuiuslibet hominis privati poſitam.

V. 20. HOC PRIMUM, ſeu ante omnia, INTELLIGENTES, certoque vobis perſuadentes, QUOD OMNIS PROPHETIA, ſeu expoſitio, SCRIPTURAE ſacræ (*prophetare* enim ſæpe pro interpretari vel *docere* uſurpatur, ut alias *dd* monui,) NON FIT, id eſt fieri non debet, nec poteſt, PROPRIA INTERPRETATIONE, id eſt proprio acumine & ingenio naturali & humano, proprio ſenſu, privata doctrina vel auctoritate. Idque quia

V. 21. PROPHETIA & S. Scriptura NON EST ALIQUANDO, id eſt numquam, ALLATA in orbem VOLUNTATE vel procuratione HUMANA; quaſi dicat: Non eſt inventum, vel partus humani ingenii, ſed mentis divinæ, utpote *inſpirata* & revelata *Sanctis hominibus*, id eſt Prophetis hagiographis, ab ipſomet SPIRITU SANCTO. Unde & explicatio atque interpretatio Scripturæ, ubicumque dubia vel obſcura eſt, non eſt petenda ab humano ingenio naturali, ſed ab ipſomet Deo, & a lumine ſupernaturali per Spiritum ſanctum (cuius eſt peculiare chariſma ſeu donum) communicato non cuivis privatæ perſonæ, etiam cerdoni, etiam ruſtico, etiam feminæ, ut volunt noſtri hæretici; ſed Eccleſiæ Chriſti, id eſt præſidibus Eccleſiæ, puta Epiſcopis, ac præ omnibus Epiſcoporum omnium Epiſcopo Summo Pontifici, cuius eſt in

Scri-

Digitized by Google

Scriptura interpretandis, & omnibus fidei dubiis elucidandis certa & infallibilis auctoritas, ut dixi Matthæi XVI. 18.

(a) Epeſ. I. 11.
(b) I. Petr. III. 1.
(c) Proſper Lib. I. de Vocatione Gentium cap. XII.
(d) Ambroſ. ep. 33. ad Demetriad. Auguſt. in ep. ad Rom. Proſp. contra Collator.
(e) Rom. III. 23. & II. Cor. III. 8. 9. 10. 11. 18.
(f) Rom. VI. 21.
(g) Suarez Lib. XII. de Deo trino & uno cap. V. num. 11. & 12. Leſſius de Attributis divin.
(h) I. Cor. VI. 19. Rom. V. 5. Ioan. XIV. 17. & 23. & I. Ioan. IV. 16. &c.
(i) Trident. ſeſſ. 6. cap. IV. & VII.
(k) Bern. Serm. XLIX. in Cant.
(l) Plin. Lib. VIII. cap. XXIX.
(m) Trid. ſeſſ 6. can. 23.
(n) Ambroſ. Lib. V. de Fide cap. V.
(o) Molina & alii in I. p. q. 23.
(p) Valentia ſup. diſp. I. puncto 4. ſub fin.
(q) Ioan. ult. 16.
(r) Actor. IX. 5. XVIII. 9. XXII. 17. XXIII. II.
(ſ) Chryſoſt. orat. in Princip. Apoſtol.
(t) Petr. Damiani Lib III. ep. 8.
(u) Suar I. 3. p. tom. 2. diſp. 23. Bellarm. Lib. I. de Sanctis cap. XVIII.
(x) Ioan. I. 14.
(y) Matth. XVII. I. &c.
(z) Faber. Stabulenſis in Marci IX. Franc. Luc. in Matth. XVII.
(aa) Auguſt. Serm. XXVII. de Verbis Apoſtoli cap. IV.
(bb) Prov. IV. 25. & Pſalm. CXVIII. CV. & CXXX.
(cc) Ambroſ. Lib. VII. in Lucam cap. XII.
(dd) I. Cor. XIV. initio, & in Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n 18.

GORDONI.

Verſ. 1. SIMON PETRUS APOSTOLUS. Notant hæ tres voces, cuius ſit Epiſtola. Precatur vero fidelibus incrementum iuſtitiæ: ſic certe progredi in virtute Chriſtianum eſt. Sortiti ſunt fideles coæqualem cum Apoſtolis fidem. In Græco æqualiter pretioſam. IN IUSTITIA, ſanctitate & merito Chriſti, qui Deus eſt & Salvator noſter. Locutio Græca recte hic explicat Chriſtum eſſe Deum.

V. 3. QUOMODO OMNIA NOBIS. Sequitur ex verſu ſecundo, ubi precatus eſt adimpleri gratiam in cognitione. *Quomodo*, (Hebræis כאשר *caaſar*) ſeu, ſicut per hanc cognitionem omnia nobis data ſunt, quæ ad pietatem ſpectant. Sic ergo lege; QUAE AD VITAM ET PIETATEM (ſupple *pertinent*, ex Tig. & Pagni.) DONATA SUNT; alioqui ſenſus eſt pendens: PER COGNITIONEM EIUS, per fidem, amorem & prævenientem gratiam vocat Deus; PROPRIA GLORIA ET VIRTUTE; non vera noſtra virtute, aut viribus naturæ, ut putant Pelagiani. Itaque *propria gloria*, Græce, ἀρετῇ, virtus, potentia. Certe etiam per glorioſam ſuam gratiam & miſericordiam. Neque eſt quicquam pro ſola fide iuſtificante Calviniana: nam illa apud pleroſque Novatores eſt fiducia voluntatis, non cognitio. Et præterea Petrus expreſſe, verſ. 2 cognitionem hanc coniungit cum gratia.

V. 4. PER QUEM, Per Chriſtum, inquit, pretioſa illa dona promiſſa per Moſen & Prophetas iam exhibentur, nempe gratia & peccatorum remiſſio, ut *efficiamur* DIVINAE CONSORTES NATURAE, quatenus non ſolum datur nobis gratia inhærens, ſed etiam ſubſtantialiter Spiritus Sanctus, ut docent Theologi in qq. de miſſione Spiritus Sancti. Vide Rom. V. 5. & Suarez de Deo Trino, Lib. XI. cap. V. 11. & 12. Et hæc omnia ut fugiamus peccata.

V. 5. VOS AUTEM. Hortatur poſt mentionem donorum, quibus iuſtificamur, ad exercitium virtutum, fidei, fortitudinis, (virtus hic fortitudinem deſignat) ſcientiæ ſeu diſcretionis, & aliarum quas recenſet uſque ad fraternam dilectionem ſolidam, quæ eſt propter Deum. Hæc ſunt quæ vere ſcientes efficient: ſi deſint, ſupereſt cæcitas.

V. 10. QUAPROPTER. Pergit in exhortatione, & colligit oportere inſiſtere in bonis operibus, & exercitio illarum virtutum, ut vocationem faciant certam; ex Græco firmam, non deficientem; ſed ſtabilem uſque ad mortem. Aliis placet hoc intelligi de certitudine operantis, nimirum ſic operando, ut ex ſancta intentione & bonis operibus homo fiduciam quandam & moralem certitudinem concipiat de ſua ſalute. Ita ſi vixeritis, ſalva res eſt: ſic ſuppeditabitur introitus in regnum cælorum. Redarguit hic Simonem Magum, qui ſolos ſalvari dicebat, qui illi credebant. Vide Act. VIII. 10. Putant aliqui hic eſſe ſermonem de vocatione & electione ad gloriam ante præviſa opera. Rectius tamen puto intelligi de vocatione ad gratiam, poſt quam ſequi debent opera meritoria; ut puto prædeſtinationem ad gloriam eſſe ex præviſis meritis. Et vero quis credet omnes, ad quas loquitur Petrus, nationes fuiſſe electas ad gloriam? Porro loquitur hic de

Digitized by Google

vocatione ad fidem & gratiam: ergo ſolum etiam de tali electione. Et certe de priore hac vocatione tantum agi docent antecedentia & inſequentia.

V. 12. PROPTER QUOD. Hæc eum ita ſe habeant, incipiam, iterumque monebo, ut incumbatis continuo his quas recenſui virtutibus, & nunc maxime quando ex revelatione ſcio inſtare obitum meum: ſcripta enim Epiſtola hæc fuit anno Chriſti 68. Paſſus vero eſt martyrium anno inſequente.

V. 15. DABO AUTEM OPERAM. Duplex hic ſenſus eſſe poteſt: prior, fore ut Petrus poſt obitum oret pro omnibus ſuis frequenter, ut harum rerum recordentur, ſerventque hæc monita. Chryſoſtomus orat. in princip. Apoſtol. citat hæc verba in hunc ſenſum. Ita etiam multi, OEcum. Catha. Pet. Damianus, Gagnæus, Suarez, Bellarminus Libro I. de Sanctis, cap. XVIII. Senſus alius eſſe poteſt, dabo operam ut frequenter poſſitis poſt obitum meum mentionem facere horum, mandando hæc litteris, & poſteris commendando, ut extent & proſint: non enim vana ſunt, ut iam dicet.

V. 16. NON ENIM DOCTAS. Merito horum retinenda memoria eſt: non enim ſunt res ad placitum & ingegnioſe confictæ, ſed divina myſteria, miracula, virtutes ſine quibus non eſt homini ſpes ſalutis. Et profert ſe harum rerum ſpeculatorem: loquitur præſertim de transfiguratione in Thabor, Matth. XVII. de qua ibidem dixi.

V. 19. & 20. ET HABEMUS. Dixit doctrinam & fidem Chriſti veram, & dignam quæ maneat apud poſteros. Hoc ipſum probavit teſtimonio a voce illa cælo delapſa. Addit nunc publicum teſtimonium ex Scripturis, & Prophetis. Et bene, inquit, facitis huic lucernæ attendentes & credentes, donec ſenſim per creſcentem in vobis lucem Evangelii, tandem oriatur vobis in cælo Lucifer, promiſſaque iuſtis gloria. Et merito in hæc ſtudia incumbere oportet, & credere Prophetico ſermoni; quia quod dicit Propheta non eſt ſermo Prophetæ, ſed Spiritus ſancti. Hic omnis Scriptura vocatur Prophetia, per ſynecdochen. Immo totum vetus teſtamentum eſt figura & quaſi prophetia novi teſtamenti. An non etiam tota ſacra Scriptura eſt revelatio rei arcanæ.

CAPUT II.

Pſeudoprophetæ multos ſeducent, verum acriter punientur, ſicut de malis actum eſt tempore diluvii, & de Sodomitis: proſequitur autem pravos mores horum, quos admodum effuſos dicit in libidinem.

1. FUerunt vero & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in
vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas
perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant,
ſuperducentes ſibi celerem perditionem. 2. Et multi ſe-
quentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſ-
phemabitur: 3. & in avaritia fictis verbis de vobis
negotiabuntur: quibus iudicium iam olim non ceſſat;
& perditio eorum non dormitat. (*a*) 4. Si enim Deus angelis peccantibus
non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit eructan-
dos, in iudicium reſervari. 5. Et originali mundo non pepercit, (*b*) ſed
octavum Noe iuſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum in-
ducens. 6. (*c*) Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem re-
digens, everſione damnavit: exemplum eorum, qui impie acturi ſunt, po-
nens:

nens: 7. * & iuſtum Lot oppreſſum a nefandorum iniuria ac luxurioſa converſatione eripuit: 8. aſpectu enim, & auditu iuſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem iudicii reſervare cruciandos: 10. magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, † ſectas non metuunt introducere blaſphemantes: 11. ubi angeli fortitudine & virtute cum ſint maiores, non portant adverſum ſe execrabile iudicium. 12. Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua peribunt, 13. percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias: * coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum, 14. oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii: 15. derelinquentes rectam viam erraverunt, (*d*) ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit: 16. correptionem vero habuit ſuæ veſaniæ: † ſubiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam. 17. Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur. 18. * Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur: 19. libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis. (*e*) a quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſervus eſt. 20. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. 21. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. 22. Contigit enim eis illud veri proverbii: (*f*) Canis reverſus ad ſuum vomitum: &, Sus lota in volutabro luti.

(a) Iob. iv. 18. Iud. vi. (b) Gen. vii. 1. (c) Gen. xix. 25. (d) Num. xxii. 23. Iud. xi. (e) Ioan. viii. 34. Rom. xvi. 20. Heb. vi 4. Matth. xii. 45. (f) Prov. xxvi. 11.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 13. Coinquinationes & maculæ. Legendum eſt *coinquinationes*, primo caſu numeri pluralis, non *coinquinationis*, ſecundo caſu numeri ſingularis.

Verſ. 18. Superba enim vanitatis loquentes. Pro *ſuperba* adiectivo non ſcribas, addita vocali tertia *i*, *ſuperbia* ſubſtantivum.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 10. S*Ectas non metuunt introducere blaſphemantes.* Quidam manuſcripti libri pro *introducere*, habent *facere*, nominatim Brugenſis, & Lobienſis, de quibus Epanorthotes. Item e *Non metuunt introducere* antiqui habent, alii antiqui *facere blaſphemantes*. In Bibliorum Lovanenſium margine annotantur ſex manuſcripta quæ omittunt τὸ *introducere*; quibus noſtræ S. Audomari Eccleſiæ Biblia ſuffragantur non habentia illud niſi poſteriori manu adſcriptum. Græce omnino non legitur. Correctores videntur arbitrati fuiſſe ab Interprete additum.

V. 16. Subiugale mutum animal. Nonnulli codices omittunt vocem *animal*, ut quæ contineatur voce *ſubiugalis* conformiter Græco:

No-

Digitized by Google

NOTATIO.

Verſ. 7. ET *iuſtum Lot, oppreſſum a nefandorum iniuria ac luxurioſa converſatione eripuit*. Duo manuſcripta pro *iniuria*, ſcribunt *iniuſta*, unum *impudica*. Aliud pro *iniuria ac luxurioſa* ſolum habet *impudica*. *A nefandorum impudica converſatione*; Regium exemplar ſolum *luxurioſa*: *A nefandorum luxurioſa converſatione*. Horum duorum alterum verum eſſe exiſtimarim, *adiectum τὸ iniuria*, ſive *iniuſta ac*, ab iis quos offenderit *τὸ luxurioſa converſatione* ad *oppreſſum* relatum. Nam & Græcum dumtaxat habet: ὑπὸ τῆς ἐν ἀσελγείᾳ ἀναςροφῆς: *A nefariorum in laſcivia converſatione*.

COMMENTARIA.

GAGNAEI.

Verſ. 1. & 2. FUERUNT VERO ET PSEUDOPROPHETAE. Prædicit fore in lege Evangelica falſos doctores ſicut in lege Moſaica pſeudoprophetæ fuerunt: quorum ad vivum depingit ingenia, QUI INTRODUCENT, ait SECTAS PERDITIONIS. Græc οἵτινες παρεισάξουσιν αἱρέσεις ἀπωλείας, id eſt ſubintroducent, clam invehent ſectas pernicioſas; eſt enim Hebraiſmus, ſectas perditionis pro perditas, quique emptorem ſui Dominum negant: qui enim vel humanitati, vel divinitati Chriſti, vel potentiæ aut ſapientiæ quicquam detrahunt, eum negant, quia non qualem veritas oſtendit, ſed qualem ipſi ſibi fingunt, prædicant. Neque vero impune id futurum eſt illis, quia celerem ſibi perditionem ſuperinducunt, id eſt ipſi ſibi ſubitum exitium adſciſcunt: at, quod deterius eſt, MULTI SEQUENTUR EORUM LUXURIAS: interpres legiſſe videtur ἀσωτίαις vel ἀσελγείαις, quod luxurias ſignificat; Græca tamen quæ nunc extant, ἀπωλείαις, & tunc ſenſus eſt, & multi ſequentur eorum perditionem; hoc eſt, ſicut ipſi ſubitum ſibi exitium pariunt, ita plerique in idem cum illis exitium currunt, eorum ſectantes ingenia & mores.

V. 3. ET IN AVARITIA FICTIS VERBIS DE VOBIS NEGOTIABUNTUR; id eſt, & ob avaritiam compoſito ſermone vos mercabuntur: metaphora ſumpta a mercatoribus, qui quo carius mercimonia ſua vendant, blandis & compoſitis ſermonibus emptores illiciunt: ita & falſi doctores atque hæretici, quæſtus & avaritiæ gratia, blandis fidei Chriſti & caritatis nominibus ad ſe ſimplices fideles alliciunt, vel per avaritiam ſuam expilatos, dæmonibus vendant: ſed hæc eorum avara fraudulentia ſupplicio non caret: unde ſubdit, QUIBUS IAM OLIM IUDICIUM NON CESSAT: pro ceſſat, Græce eſt, ἀργεῖ, id non intermittitur, neque per negligentiam ceſſat; id eſt, etſi nunc iudicio & condemnationi ſubeſſe non videantur (quia interim mali in delitiis agunt quaſi impunes futuri, & tuto laſciviunt) non eſt tamen putandum interim per negligentiam ceſſare & prætermitti eorum iudicium & condemnationem, quia qui iam olim Dei iudicio damnati ſunt, poſt hæc experientur quod tarditatem iudicii vindictam compenſet Deus: idem eſt autem ceſſare iudicium eorum, & perditionem dormitare.

V. 4. SI ENIM ANGELIS PECCANTIBUS NON PEPERCIT, &c. Ab hoc loco uſque ad locum, *Novit Dominus pios*, longum hyperbaton eſt eclipſis; ideoque ad finem hyperbati ſupplendum, neque huiuſmodi magiſtris mendacibus, eorumque ſectatoribus parcet. Poteſt etiam ſine eclipſi hyperbatice legi, Si neque angelis, neque originali mundo, neque Sodomæ & Gomorhæ pepercit, ſed Noe & Loth ſervavit, utique novit Dominus pios de tentatione eripere. Explicanda ſunt autem ſingulatim huius hyperbati loca difficilia. *Si ergo angelis peccantibus non perpercit*, SED RUDENTIBUS INFERNI DETRACTOS TRADIDIT CRUCIANDOS IN IUDICIUM RESERVARI. Græc. paulo ſecus habent ſcilicet εἰ γὰρ ὁ Θεὸς ἀγγέλων ἁμαρτησάντων οὐκ ἐφείσατο, ἀλλὰ σειραῖς ζόφου ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένους; id eſt, ſi enim Deus angelis, cum peccaſſent, non pepercit, ſed catenis caliginis in infernum detruſos tradidit in iudicium ſervatos: primum pro σειραῖς, quod catenas & quæcumque vincula ſignificat, interpres poſuit rudentibus; eſt autem

rudens

rudens funis nauticus : & pro ζόφυ, quod caliginem ſignificat, interpres vertit infernum: catenas autem ſive rudentes caliginoſas Græc. ſcolia interpretantur inevitabilem condemnationem: quod vero interpres vertit, *Tradidit cruciandos in iudicium reſervari*, obſcurum eſt, & græc. habent, *tradidit in iudicium reſervatos* τετηρημένυς : ſive ut alii græc. habent τηρυμένυς in præſenti, id eſt tradit in damnationem reſervandos; puto etiam interpretis tempore aliam fuiſſe lectionem in aliquibus codicibus, & pro τηρυμένυς, id eſt *ſervatos fuiſſe*, ſcriptum τειρυμένυς, id eſt *afflictos & vexatos*, pro quo interpres vertit *cruciandos*: ſenſus autem interpretis eſt quod angelis apoſtaticis non perpercit, ſed eos rudentibus caliginoſis in tartarum præcipitatos tradidit in iudicium affligendos & reſervandos. Auguſt. pro rudentibus inferni legit carceribus caliginis, & exponit peccaſſe ab initio quoſdam angelos, & in huius caliginoſi aeris ima detruſos, qui interim dum iudicii diem expectant, eſt illis vice carceris & inferni : & illos quidem in hoc interim aere caliginoſo detentos ad diem iudicii reſervari, amplius puniendos.

V. 5. ET ORIGINALI MUNDO NON PEPERCIT. Pro originali Gr. habent ἀρχαίυ, id eſt *antiquo*. Mundum autem originalem, tempus ante diluvium illi proximum intelligit, atque originalem vocat quod per hoc noſtro ſæculo ab ipſa primæva origine fuerit; fortaſſe interpres legit ἀρχικοῦ, id eſt primigenio & originalem vertit. Mihi autem videtur ἀρχαῖος non tam hic antiquum ſignificare, quam rudem & imperitum, & ita ſenſus eſſe, Si ſæculo illi rudi adhuc & imperito, rerumque divinarum omnium penè ignaro, quod tempore diluvii fuit, non pepercit, quid facturus eſt falſis doctoribus, qui a via veritatis deflexerunt intellecta, & ab eadem avertere ceteros moliuntur? Si ergo illi mundo rudi & imperito non pepercit, SED OCTAVUM NOE IUSTITIAE PRAECONEM CUSTODIVIT, DILUVIUM MUNDO IMPIORUM INDUCENS, mundum impiorum omnes qui tunc degebant præter Noe cum uxore & liberis, intelligit. Vocat autem Noe octavum non quod octavus ab Adam fuerit, qui decimus fuit, ſed quod octo tantum homines diluvium evaſerunt, quorum princeps fuit Noe; & quod ait, Noe octavum cuſtodivit, perinde eſt quod noſtra vernacula Galli dicimus, *ille ſauua luy huictieſme*: iuſtitiæ autem præconem vocat, ſive quod exemplo ſuo recte ac iuſte vivere alios admoneret, ſive ut verius puto, verbo (quamquam ea de re tacet Scriptura) quod iuſſus arcam fabricare ceteros hortaretur ab impietate ſua deſiſtere ut ſalvi fierent.

V. 7. & 8. ET IUSTUM LOTH OPPRESSUM, &c. Græc. habent ϰ̀ δίκαιον Λὼτ καταπονύμενον ὑπὸ τῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ ἀναςροφῆς ἐῤῥύσατο. Eraſmus vertit, & iuſtum Loth qui opprimebatur a nefariis per libidinoſam converſationem eripuit. Quum autem καταπονοῦμαι ſignificet fatiſcere, langueſcere, ac viribus defici, & ἀναςροφὴ converſationem ſive conſuetudinem qualis eſſe ſolet invicem habitantium, mihi videtur is poſſe eſſe ſenſus: & iuſtum Loth ab infandorum hominum obſcœna & flagitioſa conſuetudine oppreſſum eripuit. Ego paulo liberius ſic verterem: & iuſtum Loth nefariorum hominum obſcœnam & flagitioſam conſuetudinem ferre non valentem, eripuit, quod ſcilicet iam amplius illorum ſtupra, & importabiles laſcivias quibuſcum verſari & conſuetudinem eſſe illis oportebat, ferre non valentem, Deus ab illis eripuit. ASPECTU ENIM, ET AUDITU IUSTUS ERAT, id eſt & pudicis oculis & caſtis auribus, ut qui tanta flagitia nec ſpectare oculis, nec percipere ſuſtineret auribus, HABITANS APUD EOS QUI DE DIE IN DIEM ANIMAM IUSTAM INIQUIS OPERIBUS CRUCIABANT. Græca quæ nunc extant ſecus habent, ſcilicet, βλέμματι γὰρ ϰ̀ ἀκοῇ ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ψυχὴν δικαίαν ἀνόμοις ἔργοις ἐβασάνιζεν, id eſt, oculis enim & auribus iuſtus & caſtus, inter eos verſans, iniquis illorum actionibus ſeipſum excruciabat. Fortaſſe interpres legit ἐβασάνιζον, id eſt cruciabant iuſtam animam iniquis actionibus ſuis: ſed hoc modo δίκαιος & ἐγκατοικῶν, recti caſus pro genitivis abſolutis ſumuntur, ut ſit ſenſus, eum enim caſto auditu atque aſpectu eſſet, iniquis operibus ſuis virum iuſtum cruciabant.

V. 9. NOVIT DOMINUS PIOS: ut ante dictum eſt uſque ad hunc locum ab illo, *Si enim Deus angelis*, &c. longum eſt hyperbaton, vel eclipſis eſt, ut Græca ſcholia exponunt, addendumque ante hunc locum

cum & ſupplendum, quomodo magiſtris illis mendacibus parcet; aut abſolute nequaquam illis parcet. Beda putat nec male coniunctim legendum, ſi illis inique agentibus non pepercit, ſed Noe & Loth iuſtos a malo eripuit, argumentum eſt quod novit pios eruere, & iniquos in diem iudicii cruciandos reſervare, non quod ante iudicium pœnas luant, ſed quod tunc aſſumpto corpore graviores pendent.

V. 10. MAGIS AUTEM EOS. Græc. *μάλιστα*, id eſt præcipue ac maxime eos QUI POST CARNEM IN CONCUPISCENTIA IMMUNDITIAE, id eſt immundis concupiſcentiis AMBULANT, DOMINATIONEMQUE CONTEMNUNT. Græc. *τὴν κυριότητα*, id eſt poteſtatem ipſam. AUDACES SIBI PLACENTES. Græce cum præceſſerit accuſativus, *καταφρονοῦντας*, id eſt deſpicientes, ſequitur in recto *τολμηταὶ*, id eſt audaces: ideo Græca ſcholia dicunt ſupplendum eſſe, *οἵ εἰσι*, id eſt qui ſunt audaces, *ſibi placentes*, Græce *αὐθάδεις*, quod verbum ſignificat pertinacem & præfractum, qui non poteſt a propoſito abduci. Interpres vertit *ſibi placentes*, & fortaſſe legit *αὐθάδεις*, quamquam & *αὐθάδεις* Græca ſcholia interpretantur *τὸ ἑαυτοῖς ἀρέσκον μεταδιώκοντας*, id eſt qui quod ſibi gratum eſt ac placet, ſectantur. SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE BLASPHEMANTES. Græca quæ nunc extant, nihil habent quod reſpondeat *τῷ* introducere, & pro *ſectas* Græci habent *δόξας*, quod tametſi opiniones ſignificet, hic tamen Græca ſcholia ſumunt pro maieſtate, & hominibus in dignitate conſtitutis; ſenſus ergo eſt, maieſtatem non metuunt blaſphemantes, id eſt non verentur blaſphemare: nam Græcis familiare eſt participiis uti pro infinitivis. Græca ſcholia exponunt, Maieſtatem non metuunt *καταφρονητικῶς ἔχουσι*, id eſt contemptui habent: *δόξας* autem quod hic vertit ſectas, in epiſtola Iudæ vertit maieſtatem eadem ſententia, quando ait, dominationem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant: & hic Græca ſcholia *δόξας*, divinas virtutes & dignitates eccleſiaſticas interpretantur.

V. 11. UBI ANGELI FORTITUDINE ET VIRTUTE, QUUM SINT MAIORES, NON PORTANT ADVERSUM SE EXECRABILE IUDICIUM. Pro *non portant*, &c. Græce eſt, *οὐ φέρουσιν κατὰ αὐτῶν παρὰ κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν*; id eſt, non ferunt adverſum ſe a Domino blaſphemum & execrandum iudicium. Hic locus eſt admodum obſcurus, neque quod videam adhuc ab aliquo ſufficienter explicatus: ego quod cenſeo, & ex Græcis colligere utcumque poſſum, cum modeſtia adſeram, lubens amplexaturus meliora. Quidam interpretantur quod angeli apoſtatici nequaquam tam grave iudicium perferent a domino, quam illi ſeductores & impoſtores magiſtri. Si autem cum Græcis legamus *δόξας*, & interpretemur virtutes & potentias ſive ſupernas, id eſt angelicas, ſive infernas, id eſt dignitates eccleſiaſticas, poteſt eſſe ſenſus, quod reſervat eos iudicio puniendos Dominus, qui dominationes contemnunt, & dignitates blaſphemant, quum tamen angeli fortitudine, ac virtute, id eſt robore maiores hominibus, *οὐ φέρουσιν κατ' αὐτῶν παρὰ κυρίῳ βλάσφημον κρίσιν*, id eſt non ferunt adverſus illas ſcilicet dignitates (ſic enim Græca ſcholia explicant *τὸ κατ' αὐτῶν*) apud Dominum blaſphemum iudicium: putant enim Græci hic idem dici quod Iudas ait de Michaele, quod certans cum diabolo non eſt auſus illi iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, imperet tibi Deus. Si ergo angelum Satan (aiunt) blaſphemari dignum non eſt auſus blaſphemia Michael angelus afficere, quod ille dignitatis particeps ſit, utpote creaturarum Dei primitiæ: ut compeſcat iſtorum audaciam, qui dignitates, id eſt præcellentes auctoritate homines blaſphemare non verentur; dixit, non metuunt neque verentur dignitates blaſphemare, *ubi*, id eſt quum angeli maiores hominibus adverſus dignitates etiam perverſas, ſcilicet angelicam naturam rebellem non ferunt blaſphemum iudicium apud Deum. Poſſumus quoque hunc ſenſum conicere, quod ii falſi doctores non verentur blaſphemiam dignitatibus inferre, ubi angeli, id eſt, quum interim angeli apoſtatici non perferant adverſum ſeſe iudicium blaſphemum apud Dominum, ut de Michaele teſtatur Jacobus, non auſo blaſphemare diabolum.

V. 12. HI VERO VELUT IRRATIONABILIA PECORA. Gr. *ἄλογα ζῶα*, id eſt muta & irrationabilia animalia (ut non ſpeciem tantum intelligas) naturaliter in captionem & in perniciem, Latinis deeſt ad ſupplendam ſententiam aliquid, ſcilicet ten-

den-

dentia aut aliud ſimile: nam Græce eſt φυσικὰ γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν, καὶ φθορὰν, quod ego verterem, natura in ſervitutem & interitum genita, ad differentiam angelorum qui rationabiles natura ſunt liberi & immortales. Hi ergo tamquam irrationabilia pecora & bruta animalia, natura in ſervitutem & interitum genita, IN IIS QUAE IGNORANT BLASPHEMANTES, id eſt de iis poteſtatibus & dignitatibus quas ignorant blaſphemantes, IN CORRUPTIONE SUA, id eſt ſe digna (ut Græci explicant) PERIBUNT, iuſtitiæ ſuæ mercedem referentes.

V. 13. & 14. VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELITIAS. Græce ἡδονὴν ἡγούμενοι τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν, id eſt in diurnis delitiis voluptatem ponentes; quaſi dicas, Summam voluptatem in diurnis delitiis conſtituentes, quod deterius eſt, quam ſi noctu crapulæ vacarent & delitiarentur. COINQUINATIONES ET MACULAE. In quibuſdam codicibus legitur *coinquinationis* gignendi caſu, quum ſit Græce in recto σπίλοι, καὶ μῶμοι, id eſt inquinamenta & maculæ: ſic autem vocat pro maculatis & inquinatis, ſicut hominem inſigniter malum pro ſcelerato vocamus ſcelus: quem loquendi modum ignorans deſcriptor ſciolus ſcripſit *coinquinationis*: DELITIIS AFFLUENTES. Gr. ἐντρυφῶντες, IN CONVIVIIS SUIS LUXURIANTES VOBISCUM. Græca habent pro *conviviis*, ἐν ταῖς ἀπάταις, id eſt *in erroribus*: noſter legit ἐν ταῖς ἀγάπαις: vocant autem ἀγάπας convivia prætextu caritatis facta. Pro luxuriantes Interpres legit συνευωχούμενοι, id eſt una vobiſcum rem veneream exercentes: quidam legunt συνδοχούμενοι, quod mihi potius ſignificare videtur convivantes, & una vobiſcum ſe oblectantes; potius, quam quod Eraſmus vertit, inſultantes vobis, quod vero Interpres legit OCULOS HABENTES PLENOS ADULTERII, Græci pro adulterii habent μοιχαλίδος, id eſt *adulteræ*; quaſi dicas, In ipſis oculis adulteram geſtantes, & nihil aliud quam in adulteras explendæ libidinis gratia ſpectantes, ſic enim Græca ſcholia. Quod autem ſequitur, ET INCESSABILIS DELICTI, Interpres legit ἀκαταπαύστου ἁμαρτίας, id eſt indeſinentis delicti ac perpetui; & tunc refertur ad oculos, ſcilicet habentes oculos plenos indeſinentis & continui delicti. Græca nunc habent ἀκαταπαύστους ἁμαρτίας, id eſt numquam ceſſantes neque coerceri potentes a delicto. PELLICIENTES ANIMAS INSTABILES. Pro *pellicientes* Gr. eſt δελεάζοντες, id eſt ineſcantes & illicientes; pro *inſtabiles* autem Græc. eſt ἀστηρίκτους, id eſt nutantes ſemper & numquam confirmatas. COR EXERCITATUM AVARITIA HABENTES. Græc. καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίαις ἔχοντες, id eſt rapinis & avaritia exercitatum cor habentes: nam πλεονεξίαι, non ſimplicem avaritiam deſignant, ſed qua etiam vi & violentia aliena extorquemus. MALEDICTIONIS FILII, id eſt execrabiles & deteſtandi; eſt enim Hebraiſmus, vocare filium mortis, pro hominem reum mortis: ita execrationis filium, execrandum hominem.

V. 15. & 16. DERELINQUENTES RECTAM VIAM ERRAVERUNT. Falſos doctores aſſerit, quum quæſtus & avaritiæ gratia prædicarent adverſus veritatem relicta via recta aberraſſe, ſecutos viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit, cui, ſicut Numerorum XXII. legitur, Balac miſit oves & boves, munera, ut contra veritatem prophetaret, ac filiis Iſrael malediceret: hæc eſt enim merces iniquitatis, munera pro celanda veritate aut prædicanda falſitate capere. Quod autem Interpres habet BALAAM EX BOSOR, ut Boſor etiam Beda putet eſſe urbem Balaam, Græca habent Βαλαὰμ τοῦ Βοσόρ, id eſt, *Balaam filii Boſor*, quamquam num. 22. dicitur filius Boor non Boſor; ſed in huiuſmodi nominibus nonnihil variare ſolent Græci ab Hebræis. CORREPTIONEM VERO HABUIT SUAE VESANIAE, ſive iniquitatis; nam Græce eſt παρανομίας correptionem ſcilicet ab angelo ſibi obviam facto, quando SUBIUGALE ANIMAL, Græc. ὑποζύγιον, quia iugo ſubeſt aſinus: quum ſcil. aſinus mutus, voce hominis loquens, cohibuit prophetæ inſipientiam.

V. 17. HI SUNT FONTES SINE AQUA, &c. Egregiis metaphoris hæreticorum naturam depingit, vocans fontes ſine aqua, quippe qui aquam vitæ perdiderunt, & ideo quam promittunt ſcaturire non poſſunt aquam. NEBULAE TURBINIBUS AGITATAE; quippe qui variis & peregrinis doctrinis ad omnem ventum agitentur: QUIBUS CALIGO TENEBRARUM RESERVATUR. Græci addunt εἰς αἰῶνα, id eſt in æternum:

caligo autem tenebrarum inferni ſupplicium intelligitur.

V. 18. & 19. SUPERBA ENIM VANITATIS LOQUENTES. Pro ſuperba quidam codices depravati habebant ſuperbia, ſed legendum eſt ſuperba, quum Græce ſit ὑπέρογκα. Superba ergo & faſtuoſa in vanitate LOQUENTES, PELLICIUNT IN DESIDERIIS CARNIS LUXURIAE EOS QUI PAULULUM EFFUGIUNT, QUI IN ERRORE CONVERSANTUR. Locus hic obſcurus eſt paululum a Græco differens quem primum ut habet exponemus, deinde noſtram ex Græco verſionem. Ii ergo faſtuoſa loquentes pelliciunt & ineſcant deſideriis carnis luxuriæ, id eſt luxuriæ carnis eos qui paulum effugiunt illos, ſub. qui in errore converſantur; id eſt, ſi qui volunt ſe paulatim a ſeductoribus abducere, pelliciunt & ineſcant deſideriis, & per concupiſcentias luxuriæ carnis, promittentes illis libertatem, quum ipſi ſervi ſint corruptionis: mos eſt enim noſtratum etiam hæreticorum, quos ad ſua commenta attrahere non poſſunt, libertate carnali illicere & ineſcare, quo vocabulo utitur Petrus δελεάζουσιν, id eſt, *ineſcant*. Græca habent ὑπέρογκα γὰρ, ματαιότητος φθεγξάμενοι. δελεάζουσιν ἐν ἐπιθυμίαις σαρκὸς ἀσελγείαις τοὺς ὄντως ἀποφυγόντας τοὺς ἐν πλάνῃ ἀναστρεφομένους ἐλευθερίαν αὐτοῖς ἐπαγγελλόμενοι; id eſt, faſtuoſa enim & intollerabilia ſonantes per carnalia deſideria laſciviis & libidinibus eos qui hominum in errore degentium conſortia plane vitaverant, ineſcant, libertatem illis promittentes, quum interim ſervi ſint ipſi corruptionis. Pro eo autem quod Græci habent ὄντως, id eſt *revera*, Interpres legiſſe videtur ὀλίγως, id eſt *paululum*; & pro ἀσελγείαις in dativo legiſſe ἀσελγείας gignendi caſu: & hoc modo bene verterat Interpres, *pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ*, id eſt, per carnalia luxuriæ deſideria. Pro ἀποφυγόντας, id eſt *qui effugerunt*, Interpres legit ἀποφεύγοντας, in præſenti, *qui effugiunt*. Quod vero habet Interpres, *qui in errore converſantur*, τὸ *qui*, non eſt referendum ad loquentes, ſed ad id quod continuo præceſſit, *eos qui paululum effugiunt*, illos ſub. qui converſantur in errore. Senſus ergo eſt idem, quod ſi qui ab eorum conſortio qui impoſtores in errore degebant, ad meliorem frugem recipere ſe volunt, eos falſi illi doctores carnalibus concupiſcentiis & libidinibus ineſcant, promittentes illis libertatem, quum interim ſervi ſint corruptionis, id eſt immunditiæ, ut Græca ſcholia explicant. A QUO ENIM QUIS SUPERATUS EST, HUIUS ET SERVUS EST, Græca habent τούτῳ καὶ δεδούλωται, id eſt *huic ſervus addictus eſt*.

V. 20. &c. SI ENIM REFUGIENTES, Græce eſt ἀποφυγόντες, id eſt qui enim refugerunt COINQUINATIONES MUNDI huius IN COGNITIONE, id eſt per cognitionem & apprehenſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & iis rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt illis poſteriora deteriora prioribus, quia melius eſſet illis viam veritatis non noſſe, quam poſt agnitam diſcedere: ſervus enim ſciens voluntatem domini ſui & non faciens, vapulabit plagis multis. In eos, inquit, competit parœmia: CANIS REVERSUS AD VOMITUM; hæc eſt autem Salomonis parœmia Proverb. XXVI. Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam. Quod autem ait, SUS LOTA IN VOLUTABRO LUTI, Gr. habent, εἰς κύλισμα βορβόρου, id eſt *ad voluptabrum cœni & luti*: & ſupplendum, reverſa: ſicut enim fruſtra lota eſt ſus quæ ſe ſtatim rurſus cœno involvit, ita fruſtra Chriſti agnitionem accepit qui confeſtim ad priſtina delicta redit.

S A.

Verſ. 1. POPULO, ſcilicet Iudaico. MENDACES, id eſt falſa docentes. PERDITIONIS, id eſt pernicioſas. NEGANT: pro, negabunt. SUPERDUCENTES, id eſt accerſentes.

V. 2. BLASPHEMABITUR, id eſt maledicetur.

V. 3. IN; pro, eum; vel, per. FICTIS VERBIS, id eſt per fraudes, & mendacia. DE VOBIS NEGOTIABUNTUR, id eſt ad quæſtum abutentur vobis. IUDICIUM, id eſt damnatio. IAM OLIM NON CESSAT, id eſt iamdudum appropinquat. NON DORMITAT, id eſt parata eſt, more vigilantis.

V. 4. RUDENTIBUS INFERNI, id eſt catenis infernalibus. Græ. *catenis caliginoſis*, ſeu *caliginis*. RESERVATI; pro, reſervatos; quaſi dicat, Detractos e cælo velut catenis, reſervat in hoc mundo, in Tartaro cruciandos poſt Iudicium. Id quod intellige

tellige de iis qui hic verſantur inter homines, nam pars iam in inferno cruciatur.

V. 5. Originali, id eſt antiquo. Non pepercit, ſcilicet nec iſtis parcet. Octavum, id eſt unum ex octo ſervatis. Praeconem, id eſt prædicatorem. Mundo, id eſt univerſitati; vel quaſi dicat, Mundi impiis.

V. 6. Acturi sunt; pro, acturi erant, vel agunt.

V. 8. Aspectu, &c. id eſt præſentia, & fama; vel quaſi dicat, Qui iis quæ aſpiciebat, & audiebat, malis diſcruciabatur.

V. 10. Magis. Græc. *maxime*. Dominationemque, id eſt præpoſitos. Sectas, &c. Græc. *glorias* (id eſt dignitate præditos) *non metuunt blaſphemare*, id eſt maledicere, ſeu convitiis laceſſere. Mihi noſtra lectio placet, quam etiam Græc. indicant.

V. 11. Ubi, id eſt eum. Virtute: repetitio. Maiores, ſcilicet diabolus multo fortior eſt homine. Portant, id eſt ferre poſſunt. Execrabile, id eſt terribile. Græc. *blaſphemum*. Iudicium, id eſt ſupplicium; quaſi dicat, Et quomodo ferre poterunt iſti ſuum? vel ſenſus eſt: Nec Angeli ipſi, etſi præſtantiores multo hominibus, audent contra ſe invicem, id eſt contra dæmones, proferre maledictionem. Vide Epiſt. Iudæ.

V. 12. Naturaliter; pro, nata. Captionem, id eſt ſervitutem, vel venationem, ſcilicet ut capiantur.

V. 13. Voluptatem, ſcilicet veram, vel ſummam. Diei, id eſt diurnas, ſeu temporalem. Coinquinationes, id eſt impuri. Maculae, id eſt immundi. Vobiscum, id eſt inter vos.

V. 14. Incessabilis, id eſt perpetui. Pellicientes, ſcilicet ad peccatum.

V. 15. Ex Bosor, ſcilicet nati, id eſt filium Boſor. Num. xxii. *Beor* dicitur.

V. 16. Subiugale, id eſt aſina.

V. 17. Fontes, id eſt velut fontes.

V. 18. Luxuriae; pro, luxurioſæ. Paululum, &c. id eſt qui aliquantum conantur evadere. Qui in; pro, eos qui in.

V. 20. In; pro, per.

V. 22. In volutabro; pro, ad volutabrum, ſcilicet reverſa.

MARIANAE.

Verſ. 1. Fuerunt vero. Ut inter Iudæos fuerunt pſeudoprophetæ, ſic ait in Eccleſia fore falſos Doctores. Qui introducent. Goth. *ſubintroducent*, id eſt clam, id Græcum verbum ſignificat. Sectas perditionis. Græc. *hæreſes perditionis*, id eſt noxias.

V. 2. Et multi sequentur eorum luxurias. Græc. *perditionem*. Noſter pro ἀπωλείαις, ut nunc eſt, legit ἀσελγείαις, aut ἀσωτίαις.

V. 3. Et in avaritia fictis verbis ...... negotiabuntur, id eſt lucrum captabunt, non aliud. Quibus; pro, quorum *iam olim*, Iudicium, id eſt condemnatio *non ceſſat*, non eſt procul.

V. 4. Si enim Deus Angelis. Hyperbaton longum. Non pepercit, sed rudentibus, id eſt funibus. Græc. *catenis caliginis in infernum detruſos tradidit in iudicium ſervatos*, ſcilicet amplius puniendos in die Iudicii. Sententia non diſcrepat, noſter Interpres Græca paulo aliter legit.

V. 5. Originali mundo, ſive *antiquo*, ut eſt Græce, non pepercit. Sed octavum Noe, cuſtodivit: ſic vocat, quoniam octo tantum evaſerunt.

V. 6. Et civitates Sodomorum; quaſi dicat: Si Angelis Deus non pepercit, nec Sodomis; multo magis falſos Doctores, & eorum ſectatores puniet; hoc enim ſupplendum eſt, ut ſententia conſtet.

V. 7. Et iustum Lot ..... eripuit. Græca verbis aliquantulum, ſententia non diſcrepat.

V. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere, ut Lot. Iniquos vero in diem iudicii reservare. Nunc puniuntur, tunc magis, quia cum corpore.

V. 10. Magis autem eos, ſeu *maxime*, μάλιϛα, ſcilicet falſos Doctores: nam de iis loquitur. Qui poſt carnem erunt, Dominationemque contemnunt, id eſt Iudices. Sectas non metuunt introducere. *Introducere* Græc. non eſt, nec Goth. ſed hoc δόξας ὐ τρέμυσι, id eſt *maieſtatem* (ſic Goth.) *non metuunt*, ſcilicet regiam, ita ſunt audaces & præfracti, αὐθάδεις, pro noſter *ſibi placentes*, non abſone, nam id etiam vox illa ſignificat, certe quod ſibi placet ſectantes.

V. 11. Ubi Angeli, qui ſunt maiores. Non portant adversum se*:* κατ' αὐτῶν. Græc. additur παρὰ Κυρίῳ, *a Domino*, ſic Gotth. Execrabile iudicium, ſeu *blaſphemum*, ut eſt Græce. Alludit ad illud, quod in Epiſtola Iudæ dicitur, Michaelem non fuiſſe auſum diabolo iudicium inferre blaſphemiæ. *Michaelem Dominum* vocat. Verum quorſum de excellentia Angelorum, non videtur ad rem. Ideo ſublata voce, *a Domino*, ut in Latinis codicibus pleriſque non eſt, & pro *adverſum ſe* vertendo *eas* ſive *eos*, quod vox αὐτῶν patitur, ſenſus erit*:* Angelos cum maiores hominibus ſint, non tuliſſe dominationes & maieſtates, Iudices & Reges execrari, id eſt contemnere. Neque enim aliquando eos id feciſſe invenitur. Explicatio ſuperior loci difficilis placet: quoniam locus hic, & Iudæ Epiſtola, ſibi proculdubio reſpondent.

V. 12. Hi vero velut bruta, In captionem et in perniciem*:* ſupple, genita, ut capiantur & occidantur. Hi inquam Blasphemantes, ſcilicet Iudices, Reges, ob ea quæ ignorant. In corruptione sua, id eſt ſe digna cæde peribunt, eo tendunt.

V. 13. Voluptatem existimantes diei delicias. Gotth. *diurnas delicias*, id eſt breves, momentaneas, *voluptatem*, id eſt beatitudinem putantes. Coinquinationes et maculae; pro, *coinquinati & commaculati*, ut Gotth. habet, & ſic Græc. σπίλοι καὶ μῶμοι. In conviviis suis luxuriantes. Græc. ἐν ταῖς ἀπάταις, *in erroribus*. Noſter ἐν ταῖς ἀγάπαις legit; ſic *convivia* vocantur, quod mutuum amorem foveant. Illi iis ad turpitudinem abutebantur.

V. 15. Erraverunt, secuti viam Balaam. Falſi Doctores ſecuti ſunt Balaam, captantes lucrum, avaritia exercitati, uti ille mercede conductus venit, ut malediceret populo Dei*:* Num. xxii. 23. Ex Bosor, id eſt filius Boſor, non ex urbe Boſor, ut Beda putavit.

V. 16. Correptionem vero habuit suae vesaniae. Eſt Græce παρανομίας: noſter aliud quid legit. Subiugale mutum animal. *Animal* Græc. non eſt, nec in Gotth. ſed ſuppleri poteſt. Ergo id animal, aſinus eum corripuit.

V. 17. Quibus, ſcilicet hominibus. Caligo tenebrarum reservatur. Græc. additur *in ævum*, id eſt infernus.

V. 18. Pelliciunt ... eos qui paululum. Græc. *revera*. Effugiunt. Gotth. & Græc. *effugerunt*, ſupple, eos Qui in errore conversantur, id eſt eos, qui Doctores falſos fugerant, tantillum eos pelliciunt luxuriæ illecebris, & libertatis Evangelicæ prætextu. Sic noſtri hæretici faciunt.

V. 20. Si enim refugientes. Græc. *qui enim fugerunt ſordes*. In cognitione, id eſt per cognitionem Domini, ſi labantur, peius eſt, quam ſi viam iuſtitiæ non cognoviſſent.

V. 22. Contigit enim eis quod dicitur, Canis reversus ad suum vomitum. Hoc Proverbium ex cap. xxvi. 11. Proverb. citatur: *Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam*. Quod hoc diſticho ibidem explicavimus:

> *Ad vomitum catulus reiecta & fœda recurrit:*
> *Dimiſſa imprudens ad malefacta redit.*

Verum de hac re multa & eleganter Gregorius III. Paſtor. cap. xxxi. Hos ſimiles Balaam eſſe ait, qui cum dixiſſet, *Moriatur anima mea morte iuſtorum*, ad maledicendum eos recurrit. Servis ſimiles qui coram hero modeſti, eo abſente laſciviunt. Argumentum, converſionem non fuiſſe veram*:* nam ut boni ſine noxa tentantur; ita pravi plerumque inutiliter compunguntur. Porro ex prioribus lacrymis & novi peccati pulvere fit cœnum, quo ſus ſemel lota ſe involvit.

MENOCHII.

Verſ. 1. In populo: Iudaico, qui ad idololatriam, & falſam religionem plebem inſtituebant. Sectas perditionis: hæreſes, quæ ad perditionem, & extremum exitium ducunt. Qui emit eos: pretio ſanguinis ſui. Negant*:* ſic Ariani negabant Chriſtum eſſe Deum. Superducentes sibi celerem perditionem: ſuo enim ſcelere accerſunt ſibi ignem æternum. Plerique etiam hæreſiarchæ infelici, celeri, & infami morte ſublati ſunt.

V. 2. Eorum luxurias. Gr. ἀπωλείας, id eſt perditiones, & exitia. Noſter videtur legiſſe ἀσελγείας, petulantias, luxurias, intemperantias*:* ſic etiam legunt aliqua e-

xem.

xemplaria. Per quos: quorum vitio, & ſcelere: cauſa enim ſunt, ut multi de Chriſtianiſmo male ſentiant, & loquantur. Via Dei: Chriſtianiſmus, & vera religio. Blasphematur: in Græco eſt blaſphemabitur.

V. 3. Et in avaritia fictis verbis: alludit ad mercatores, qui verbis fictis, & arte compoſitis merces laudant ſupra veritatem, ut eas extrudant. Sic enim hæretici verbis ornant ſua falſa dogmata, ut facilius parum attentos decipiant. De vobis negotiabuntur: mercaturam faciant, vos tradentes perditioni, & pecunias veſtras, quibus inhiant, emungendo. Sic de hæreticis dicebat Divus Paulus: *Qui univerſas domos ſubvertunt, docentes, quæ non oportet turpis lucri gratia*, ad Tit. 1. 10. Iudicium: damnatio, & pœna peccati. Non cessat: non deſidet, non torpeſcit, ſed ſtrenue progreditur, & accelerat, ut illos corripiat.

V. 4. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſubaudi, multo minus hominibus vilibus, & malis cuiuſmodi ſunt hæretici. Rudentibus inferni: *σειραῖς ζόφου*, *catenis caliginis*, vel, *noctis*; ordo, & ſenſus eſt, *ſed detractos tradidit rudentibus inferni*, id eſt e cælo deturbatos inferni carceri mancipavit. Vel ut ſonant intelligenda ſunt verba, ut ſit ſenſus Angelos malos detractos eſſe inferni rudentibus, quo loquendi modo ſignificatur, & potentia eorum qui illos e cœlo deiecerunt, & illorum in reſiſtendo pertinacia. In iudicium reservari, id eſt ibique ad extremum uſque iudicium tamquam in cuſtodia incluſit.

V. 5. Et originali mundo non pepercit: *ἀρχαίου κόσμου*, *priſco mundo*, originalem ergo mundum vocat priſcum, & primævum, qui fuit ante diluvium. Sed octavum Noe. Vocat octavum, quia fuit unus ex iis octo qui ſalvi facti ſunt in arca. Alludit D. Petrus ad id quod dixit ſuperiore epiſt. cap. III. 20. *Octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*. Iustitiae praeconem: prænunciavit enim Noe iuſtam ſcelerum vindictam mundo imminentem per inſtans diluvium. Fuit etiam iuſtitiæ præco, quia cultor ſanctitatis, & iuſtitiam prædicavit verbo, & exemplo. Custodivit: tum in iuſtitia, tum in vita, ne ſcilicet periret diluvio. Mundo impiorum: mundo impiis pleno.

V. 6. Eversione damnavit: penitus evertit, & delevit. Exemplum eorum, &c. eoſque ſuæ iuſtitiæ documentum eſſe voluit, & exemplum iis, qui eorum impietatem, & nequitiam imitarentur.

V. 7. Oppressum a nefandorum iniuria, &c. Vide hiſtor. Gen. XIX.

V. 8. Aspectu enim et auditu iustus erat, &c. Ille ſiquidem cum nihil turpe auribus, aut oculis haurire ſuſtineret, quippe iuſtus, atque innocens inter ſceleſtos vivens iniquorum moribus mirum in modum animo cruciabatur. De die in diem: ſingulis diebus, perpetuo.

V. 9. Novit Dominus: ſcit, poteſt, ac vult. De tentatione: e periculis. Impios vero in diem iudicii reservare cruciandos: tunc enim non tantum in anima, ut nunc, ſed & in corpore, quo reſurgent, cruciabuntur.

V. 10. Magis autem eos: eos præcipue. Qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant: qui corporis voluptatibus dediti, impuris ac nefariis cupiditatibus obſequuntur. Dominationemque contemnunt: & Deum omnium Dominum, & ſcelerum vindicem aſpernantur. Aliqui per *dominationem* intelligunt publicam poteſtatem, & leges. Sibi placentes: *αὐθάδεις*, procaces, protervi, præfracti, ſui ſenſus, & iudicii tenaces, contumaces. Sectas non metuunt introducere: hæreſes in quas ſcinditur Eccleſiæ unitas. In Græco eſt, *δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες*, quod verti poteſt, *glorias non verentur blaſphemare, & conviciari*, ut ſit ſenſus non verentur magiſtratus, & principes, quorum eſt glorioſa poteſtas blaſphemare. Noſter ſubintellexit verbum *ἐπάγειν*, vel aliud ſimile, & *δόξας*, in alia ſignificatione accepit, prout ſignificat *opinionem*, hæreſim, ſectam, &c.

V. 11. Ubi Angeli, id eſt cum tamen Angeli ſancti. Fortitudine, et virtute: *δυνάμει*, id eſt potentia, & robore. Non portant: *οὐ φέρουσι*, non ferunt, non inferunt, non intorquent. Adversum se: *καθ᾽ αὐτῶν*, adverſus ipſos, ſcilicet dæmones, quod ſi legas *αὑτῶν* cum ſpiritu aſpero vertendum erit *adverſum ſe*, ut ſit ſenſus; quaſi dicat, Angeli cum ſint pu-

riſſi-

Digitized by Google

ſiſſimi, & ſanctiſſimi non audent vel nominare aliquid, quod aliquo modo ſonet blaſphemiam, id eſt maledicentiam; ne vel per umbram eam nominando ſe contaminent, & quia maxime execrantur blaſphemiam, & blaſphemos. EXECRABILE IUDICIUM, execrandam ſententiam, ut ſcilicet diabolo maledicant. Idem videtur hic dicere ſanctus Petrus cum eo quod ait ſanctus Iudas verſ. 9. ſcilicet Michaelem altercantem cum diabolo de Moſis corpore, non fuiſſe auſum *inferre iudicium blaſphemiæ*, id eſt blaſphemare, convitiari, maledicere diabolum, ſed dixiſſe, Imperet tibi Dominus.

V. 12. HI VERO: magiſtri mendaces, de quibus verſ. 1. NATURALITER IN CAPTIONEM, ET IN PERNICIEM, &c. pecudum more, quæ ſuapte natura prædæ, atque exitio obnoxia ſunt. IN HIS QUAE IGNORANT BLASPHEMANTES: cum iis, qui minime intelligunt maledicant, & reſpuant, & errores putent, vitio ſuo, & ſuperbia qua tument. IN CORRUPTIONE SUA PERIBUNT: male peribunt, & illo perdentur exitio, quod merentur.

V. 13. PERCIPIENTES MERCEDEM INIUSTITIAE: iuſtam iniquitatis ſuæ mercedem referentes. VOLUPTATEM EXISTIMANTES DIEI DELICIAS: qui pro ſingulari voluptate ducunt, ſi vel unius diei deliciis fruantur. COINQUINATIONES, ET MACULAE: quos homines vere labes, ac maculas populi Chriſtiani appellare licet. LUXURIANTES VOBISCUM: in veſtra convivia moderata, & caſta ſe ingerentes ad luxuriam, ut ſcilicet mulierum veſtrarum caſtitati inſidientur. Perſtringit enim S. Petrus Gnoſticos ſe in agapas, id eſt convivia fidelium poſt Euchariſtiam inſinuantes, eo fine, quem dixi.

V. 14. PLENOS ADULTERII: μοιχαλίδος, *adulteræ*, id eſt, oculos ad mulieres adiicientes, quas vitiare ſtudent, & adulteras facere. ET INCESSABILIS DELICTI, id eſt perpetui delicti; quaſi dicat: Gnoſtici perpetuo libidinoſis oculis procaciter aſpiciunt mulieres, ut eas adulteras faciant. PELLICIENTES ANIMAS INSTABILES: δελεάζοντες: *ineſcantes*, animas non bene in fide, & caſtitate firmatas, & ſolidatas. COR EXERCITATUM AVARITIA HABENTES: avaritiæ, & rapinis dediti. MALEDICTI FILII: execrabiles, & execrandi. Digni execratione, & maledictione.

V. 15. DERELINQUENTES REGIAM VIAM: veritatis, & fidei, & ſanctitatis. VIAM BALAAM: mores Balaam. EX BOSOR. Græce τῦ βοσὸρ, id eſt *filii Boſor*, ut Boſor ſit idem nomen cum Beor, cuius filius dicitur Balaam, Num. XXII. 5. QUI MERCEDEM INIQUITATIS AMAVIT: nimirum munera Balaac regis Moabitarum quæ adamans voluit maledicere populo Dei, Num. XXII. & XXIII.

V. 16. CORREPTIONEM VERO HABUIT SUAE VESANIAE. *Redargutionem habuit propriæ iniquitatis*, ſive *prævaricationis*, ut eſt in Græco. SUBIUGALE ANIMAL, id eſt, aſina iugum & ſeſſorem ferre aſſueta, bruta, & muta. HOMINIS VOCE LOQUENS: per Angelum, qui in ore aſinæ articulatas voces formabat.

V. 17. HI SUNT FONTES SINE AQUA: quia vitalis aquæ, id eſt doctrinæ ſanæ ſunt expertes. ET NEBULAE: nubes ſteriles, quæ deſideratum imbrem non emittunt, cum tamen illum polliceri videantur. TURBINIBUS EXAGITATAE: ſic enim hæretici a dæmone ſpiritu vertiginis, & quaſi turbine errorum aguntur, ut inter ſe contraria doceant, & acerrime confligant. QUIBUS CALIGO TENEBRARUM RESERVATUR: quos manent tenebræ, & caliginoſi ignes inferni.

V. 18. SUPERBA ENIM VANITATIS LOQUENTES, id eſt ſuperbam vanitatem, ſive inanem ſuperbiam, qua tument, faſtuoſa verba crepantes. PELLICIUNT IN DESIDERIIS CARNIS, &c. id eſt, Gnoſtici eos qui nuper ab eorum hæreſi converſi fuerant ad Orthodoxam fidem rurſum ad ſuam hæreſim pelliciunt, refricando, & obtrudendo illis eſcam priſcarum voluptatum, & libidinum, quibus in hæreſi indulſerant. EOS QUI PAULULUM EFFUGIUNT: ἀποφυγόντας, *qui effugerant*. QUI IN ERRORE VERSANTUR. Iudæos, Gentiles, vel potius Gnoſticos hæreticos.

V. 19. LIBERTATEM ILLIS PROMITTENTES: tum a peccato, tum a lege, tum a ſubiectione dominorum, & principum, ut libere agant quidquid lubet, luxuriam enim dicunt non eſſe peccatum, ſed opus Dei, & naturæ. CUM IPSI SERVI SINT CORRUPTIONIS, id eſt libidinis, & voluptaris, quæ

Digitized by Google

quæ animam, &, corpus corrumpunt. A QUO ENIM QUIS SUPERATUS EST: a quo vincitur; cui ſuccumbit, illi ſervus fit.

V. 20. SI ENIM REFUGIENTES COINQUINATIONES MUNDI, &c. Senſus eſt: Si qui fugientes inquinamenta mundi, voluptates nimirum, & libidines, contulerunt ſe ad cognitionem, id eſt ad fidem, & cultum Chriſti; ſi ab eo apoſtatantes ad gentiliſmum, vel ad hæreſim Gnoſticorum, rurſus inquinamentis ſuperantur, quæ prius ſuperaverant, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. FACTA SUNT EIS POSTERIORA, &c. tum quia gravius eſt malum recidivi; tum quia profundius ſe vitiis priſtinis immergunt, habitumque validiorem inducunt; tum quia ingrati, gratiæ Dei obicem ponunt. Alludit, immo citat illud Chriſti Matth. XII. 45. *Fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus*.

V. 21. MELIUS, id eſt minus malum: NON COGNOSCERE: non cognoviſſe, ut eſt in græco. VIAM IUSTITIAE, id eſt religionem Chriſtianam. RETRORSUM CONVERTI: a fide, & via iuſtitiæ deficiendo. SANCTO MANDATO: legis Evangelicæ.

V. 22. CANIS REVERSUS AD VOMITUM; ſcilicet, ad id reſorbendum quod evomuerat, quod fœdiſſimum eſt, & abominabile, nec in ſumma quidem fame a quoquam uſurpatum. ET SUS LOTA IN VOLUTABRO LUTI: rediens, & rurſum ſe volutans in volutabro luti.

TIRINI.

Verſ. 1. FUERUNT IN POPULO Hebræo complures PSEUDOPROPHETAE, id eſt falſi vates & doctores, qui populum a cultu Dei, a vera fide, a ſtudio virtutum ad vitia, ad apoſtaſiam, ad idola revocabant, iique partim antiqui, ut Prophetæ Baal *a*, Sedecias *b*, Hananias *c* & alii *d*: partim recentes, ut Iudas Galilæus *e*, Theodas *f* & alii, de quibus Ioſephus & Euſebius *g*. Simili modo etiam IN VOBIS, ſeu in Eccleſia Chriſti, paulatim exſurgent *h* MAGISTRI MENDACES, QUI INTRODUCENT: græce, παρεισάξουσι, id eſt clam, furtim & ſubdole introducent (ſimulata pietatis aut reformationis ſpecie & larva) SECTAS: græce, αἱρέσεις, PERDITIONIS, id eſt, pernicioſiſſimas, quæ homines, reſpublicas & regna integra perdant, & in exitium trahant. Tales erat tum temporis Simon Magus, eiuſque diſcipulus Menander, dein Nicolaus, Saturninus, Baſilides, Ebion, Cerinthus. Mox ſucceſſerunt Gnoſtici, Valentiniani, Montaniſtæ, Marcioniſtæ, & tot alia monſtra. Et hoc ſit Primum encomium hæreticorum. Secundum, NEGANT DOMINUM, QUI EMIT EOS, id eſt, negant Chriſtum, qui ſuo ſanguine illos redemit; quod eſt extremæ ingratitudinis, æque ac dementiæ. Et licet non ſemper verbo negent, negant tamen reipſa, blaſphemando ipſum, vel certe debito honore ſpoliando, quod in omnibus hæreticis, etiam noſtri temporis, animadvertes. Tertium encomium, luxuriæ, ſacrilegia & portentoſæ libidines. Quartum:

V. 2. LUXURIA EORUM MULTI, fraudibus illorum ſeducti, SEQUENTUR. Quintum: *via Dei*, id eſt religio Chriſtiana PER EOS BLASPHEMABITUR, non ſolum turpi vita, qua etiam Paganis cauſam dant blaſphemandi chriſtianiſmum: ſed etiam lingua & calamo, quo plurima dogmata blaſphema in Chriſtum, in Chriſti vicarium, in Chriſti familiam, etiam cæleſtem evomunt. Sextum:

V. 3. AVARITIA, qua non modo burſas veſtras expilant, ſed & *de vobiſmet* veſtriſque animabus *negotiantur*, diabolo illas divendentes, non claris aut apertis, ſed FICTIS; græce, *fictitiis*, ſeu fucatis, VERBIS vos circumvenientes. QUIBUS IUDICIUM, id eſt pœna & iuſta damnatio cælitus IAM ab OLIM decreta, *non otiatur*; id eſt, non deſidet otioſa, ſed ſtrenue accurrit, de qua Iſaias: *Præparata eſt ab heri Topheth, a rege præparata, profunda & dilatata: nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*. Horrendam multorum hæreſiarcharum mortem vide apud Thomam Boſium, & Corn. a Lapide k. Et quare parcat Deus viliſſimis homuncionibus ſibi rebellibus & in ſe blaſphemis, qui

V. 4. NON PEPERCIT ANGELIS, nobiliſſimis creaturis, in cælo PECCANTIBUS, ut alibi *l* vidimus; SED horribilem, eamque irrevocabilem, damnationis ſententiam in eos extemplo protulit, & RUDENTIBUS INFERNI, id eſt catenis infernalibus, puta igni-

ignibus gehennæ, quaſi vinculis & compedibus divinæ iuſtitiæ ſuæ, de cælo non octavo firmamenti, in quo S. Hieron. *m* & ex eo Aſcanius Martinengus *n*, Lorinus & Suarez *o* volunt, creatos fuiſſe dæmones; ſed ſupremo empyreo [ut alii omnes docent) IN TARTARUM DETRACTOS TRADIDIT iiſdem ignibus quaſi lictoribus ſuis æternum CRUCIANDOS. Hos *rudentes* graphice depictos vide apud S. Cyprianum Auguſtinum & Gregorium *p*. Porro ex eo quod hic additur, dæmones, & infra verſ. 9. homines *iniquos*, *in diem iudicii*, ſeu *in iudicium*, *reſervari cruciandos*, videtur colligere Iuſtinus, Irenæus, Lactantius, Hilarius & Euſebius *q*, necdum cruciari damnatos, ſeu homines, ſeu dæmones, ignibus gehennæ; ſed reorum inſtar, acceptà iam damnationis ſententia, adſervari in infernali carcere, ut tempore extremi iudicii educantur ad ſupplicium. S. Bonaventura *r* vult ſaltem partem aliquam, etiam eſſentialis pœnæ dæmonum in diem extremi iudicii differri. Sed hæc ab omnibus aliis Patribus & Doctoribus paſſim improbantur: & certum eſt, dæmones omnes, etiam qui in hoc orbe vagantur, igne gehennali ex nunc cruciari; qui enim potuit illos ex cælo detrahere, facile poteſt eoſdem in aere hoc degentes torquere, Deo præter naturam applicante vim illorum ſenſitivam, uſtionem ignis etſi diſtantis ſentiant, tanquam ſibi noxiam & ſe excruciantem. Et cur pœna eſſentialis differatur promeritis illam iam pridem, & extra viam in termino poſitis? Denique hic error damnatus eſt in Concilio Florentino, & alibi ſæpius. S. Petrus vero ſupradictis verbis tantum vult, illos ad ſolemnem extremi iudicii actum ideo aſſervari, quia tunc nobis & toti reliquo orbi palam innoteſcet illorum iudicium, damnatio & ſupplicium, quod nunc nos latet: ac proinde reſpectu noſtri tunc primum ſubibunt commeritum ſupplicium, licet in ſeipſis, & reſpectu Dei & aliorum qui illos vident, iam pridem illud ſubierint. Sic damnatos particulari iudicis ſententia ad perpetuas triremes, etſi ſtatim remis applicarentur, poſſemus tamen dicere, aſſervari ibidem uſque ad publicum ordinum regni conventum & iudicium, ſi moris eſſet, ut particulares iudicium ſingulorum ſententiæ in tali publico conventu, reis omnibus præſentibus, & toto populo ſpectante, prælegerentur, comprobarentur & publicarentur. Atqui ita fiet in extremo iudicio.

V. 5. ET ORIGINALI, id eſt primævo, MUNDO, qui fuit ante diluvium, NON PEPERCIT Deus; ſed toti IMPIORUM MUNDO, id eſt orbi impiis pleno, diluvium *induxit*, ſolo NOE IUSTITIAE cultore & *præcone* in vivis cuſtodito, *octavo* inter eos *ſ* qui ſoli per arcam ſervati ſunt.

V. 6. ET CIVITATES SODOMORUM igne cæleſti IN CINEREM *redegit* ob infanda illorum ſcelera, ſolo *Lot* per angelos erepto. Nam hic

V. 8. HABITANS APUD EOS, etſi DE DIE IN DIEM cogeretur obſcœnitates eorum quæ IUSTAM eius ANIMAM mire CRUCIABANT, coram intueri vel audire, tamen ASPECTU ET AUDITU IUSTUS ERAT, caſtis ſemper oculis & auribus.

V. 10. MAGIS; græce, *maxime*, reſervabit cruciandos ignibus æternis hæreticos ſupradictos, QUI POST CARNEM AMBULANT, id eſt ſequuntur carnales appetitus ſuos & immundas concupiſcentias, ut ſupra verſ. 2. Ubi ex *τῶ magis*, colligit Lyranus, peccatum *hæreſeos* ex S. Petri ſententia gravius cenſeri peccato gigantum ante diluvium, peccato Sodomitarum, & peccato ſaltem quorumdam dæmonum, ac proinde gravius puniendum in gehenna. Quod de obſtinatis hæreticis, & maxime de hæreſiarchis, non gravate conceſſerim, quia hæreſis inducit fere omnia alia peccata, & innumeris innocentibus cauſa eſt ruinæ & damnationis æternæ. Sit autem hoc ſeptimum hæreticorum encomium. Octavum: DOMINATIONEM non Dei tantum, ſed & hominum, id eſt magiſtratus tum civiles, tum Eccleſiaſticos, CONTEMNUNT, averſantur, excutiunt, *athei* ſimul & *adeſpotæ*. Nonum: AUDACES, quid enim non audeant qui nec Dei, nec hominum agnoſcunt dominium? Decimum: SIBI PLACENTES; græce, *αὐθάδεις*, id eſt, *procaces*, ut vertit S. Hieron. *t* vel *ſui ſenſus & capitis*, ut Vatablus; Pagninus, *contumaces*; alii, *inſolentes*, *intractabiles*, *arrogantes*, &c. Sic Vvitembergenſes Lutherum, licet magiſtrum ſuum, teſte Spangenbergio, *u* vocant *philauton*, *rixoſum*, *polypragmovicon*, *ingenii oſtentatorem*, *Stoicum*, *durum*, *capitoſum*, &c. Eraſmus *x* vero eumdem vocat *philautia*, *temulentum*,

odio

odio lymphatum, *Oreſte inſaniorem*. Et iiſdem titulis etiam alios omnes hæreſiarchas merito cohoneſtet. Quis enim non philautia temulentos, immo inſanos dicat, qui contra communem Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum doctrinam & conſenſum, tot ſæculis, tot Conciliis firmatum, tot Martyrum ſanguine, tot miraculis obſignatum, ut omittam clariſſima ſacrarum Scripturarum teſtimonia; audent neſcio quas e proprio cerebro confictas opiniones, novaſque hæreſes & ſchiſmata in Eccleſiam invehere? audent *blaſphemiis* certe horrendis & exerandis laceſſere non modo domeſticos Dei, cælites, eiuſque vicarios in terris, paſtores & principes, ſed & ipſum Deum opt. max. ut ſupra *y* dicebam. Et hæc audent imbelles homunciones in cauſa iniquiſſima; cum etiam in optima cauſa

V. 11. ANGELI, millecuplo potentiores, non audeant *z* blaſphemare, id eſt malum a Deo imprecari, ſeu dæmoni, ſeu aliis impiis, licet blaſphemis & execratione digniſſimis. Cum enim ſunt ipſi ſpiritus ſanctiſſimi ſimul & puriſſimi, horrent *portare* ADVERSUM SE EXECRABILE IUDICIUM, id eſt horrent vel ſola voce uſurpare verbum maledicum vel execratorium, ne videantur vel per umbram, os ſuum angelicum contaminare: ita Oecumenius, Sasboldus, Gagneius, Clarius, Salmeron, a Lapide, & alii.

V. 12. HI VERO (& hoc ſit undecimum hæreticorum encomium,) promiſcue quidvis *blaſphemant*, maledictis, probris, conviciis nuſquam parcentes etiam, IN HIS QUAE IGNORANT, aut captum illorum ſuperant: perinde ac ſi divina ſapientia ac potentia captum ingenii viliſſimorum hominum excedere non poſſet, (ut queritur S. Auguſtinus *aa* de Manichæis:) vere IRRATIONABILIA PECORA, quæ ſolo naturæ ferinæ ardore vel furore aguntur ultro IN ſuimet CAPTIONEM ET PERNICIEM, dummodo alios ſecum trahant in ruinam. S. Ignatius Martyr *bb* eos vocat non modo *vulpes*, *ſimias*, *canes rabidos*, ſed & *thoes*, (genus eſt luporum,) *ſerpentes*, *dracones*, *aſpides*, *baſiliſcos*, *ſcorpiones*. Duodecimum: *corruptione ſua* venerea *corrumpentur*, ut eſt in Græco, & *peribunt*, &, ut Salvianus *cc* ait, *in barathro libidinum commorantes*, *in ipſis ſe ſepeliunt ruinis*.

V. 13. DIES unius, id eſt breviſſimi temporis, turpes DELICIAS *exiſtimant* eſſe veram ac ſolidam hominis VOLUPTATEM: meræ COINQUINATIONES ET MACULAE, id eſt inquinatiſſimi & maculatiſſimi homines, probra & dedecora mundi, *a ſatana ſubordinati*, inquit Epiphanius *dd*, *ac producti in opprobrium & ſcandalum Eccleſiæ Dei*. Maculas has tam S. Iudas quam Petrus pro decimo-tertio encomio, notant ſpeciatim IN CONVIVIIS eorum, quia plena erant ebrietate, crapula, vomitu, laſcivia & luxuria. Decimum-quartum: LUXURIANTES non inter ſuos modo, vel ſuæ farinæ homines, ſed & VOBISCUM, veſtræ inſidiantes caſtitati, ut ſolent lenones & prædones. Quem in finem, emiſſarios ſuos impudicos

V. 14. HABENT OCULOS PLENOS ADULTERII ET INCESSABILIS DELICTI; S. Hier. *ee* legit, *inſatiabili libidine*: nunquam enim dicit libido, *Sufficit ff*. Decimum-quintum: PELLICIENTES ANIMAS INSTABILES; Græce, *ineſcantes animas imbecilles*, non ſat in fide & caſtitate ſolidatas. Decimum-ſextum: COR HABENTES EXERCITATUM AVARITIA, ſeu rapinis, ut vertit Pagninus & Tigurini. De ſola Anglia canit Poeta; *Millia dona unus templorum ſuſtulit annus*. Decimum-ſeptimum: MALEDICTIONIS, Tigurini, *execrationis* FILII, id eſt digni omni execratione & maledictione, coram Deo & hominibus. Sequitur Decimum-octavum encomium:

V. 15. SECUTI VIAM, id eſt inſtitutum & mores, BALAAM arioli EX parte BOSOR (alias *Beor gg*) orindi: ita Pagninus, Tigurini, Gagneius, Caietanus, Sasbout, Salmeron & alii. Nempe, inſtar Balaam *hh*, fingunt errores gratos plebi, & libertatem carnis, ut hac eſca pelliciant incautos in ſuam hæreſin.

V. 16. CORREPTIONEM HABUIT SUAE VESANIAE brutum & MUTUM ANIMAL SUBIUGALE, puta aſinam iugum & ſeſſorem ferre aſſuetam: & ſic hæreticos ſæpe redarguunt & confutant plebeii, idiotæ, Pagani, Turcæ, inquit Beda pro Decimo-nono encomio. Audi Vigeſimum:

V. 17. FONTES SINE AQUA *ii*, doctores doctrinæ expertes, philologi, non philoſophi; folia dantes, non fructus. Vigeſimum-primum: NEBULAE promittentes pluviam, ſed TURBINIBUS EXAGITATAE ac diſpul-

ſæ, vel nullum præſtant humorem, vel non niſi modicum & frugibus noxium kk. Vigeſimum ſecundum: QUIBUS CALIGO TENEBRARUM, id eſt denſiſſimæ tenebræ & caliginoſi ignes inferni, *reſervantur in æternum*, ut addunt Græca & S. Iudas. Vigeſimum-tertium encomium:

V. 18. SUPERBA VANITATIS; Græce, ὑπέρογκα, id eſt *prætumida*; Tigurini, *vehementer faſtuoſa*, excelſa, turgida, ſed vana, ſed inania, ſed fallacia, nec aliud LOQUENTES. Vigeſimum-quartum: PELLICIUNT; græce, *ineſcant*, *eos qui paululum*, ſed vix, EFFUGIUNT errores, ſeu illorum, ſeu aliorum; quaſi dicat: Aggrediuntur non veteranos aut ſolidos in virtute, ſed novitios, ſed debiles, ſed nutantes: hos *pelliciunt* & ad ſe retrahunt obiecta illecebra *deſideriorum* CARNIS LUXURIAE, id eſt voluptatum quibus ante aſſueverant, v. g. caſtitatem eſſe obſervatu impoſſibilem, nullum eſſe homini liberum arbitrium, Deum eſſe omnium concupiſcentiarum & libidinum auctorem, bona opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſolam fidem ſufficere, Chriſtum pro nobis plene ſatisfeciſſe, ipſius ſolius iuſtitia nos iuſtos eſſe coram Deo, &c. Unde Vigeſimum-quintum:

V. 19. PROMITTENTES ſuis LIBERTATEM tum a peccato, tum a pœna peccati, tum a lege divina, tum a ſubiectione & obedientia Superiorum, ſeu politicorum, ſeu Eccleſiaſticorum; CUM IPSI SINT maxime SERVI, & meriſſima mancipia viliſſimi & fœdiſſimi tyranni, puta CORRUPTIONIS, id eſt libidinis, luxuriæ, voluptatis, quæ animum & corpus inficit ac corrumpit. Sed abſit, tam vecordes ſint Chriſtiani, ut ſinant ſe per tales impoſtores divelli a virtute, a fide, a Deo.

V. 20. SI ENIM, poſtquam ſemel, IN adeunda COGNITIONE, ſeu fide Chriſti, & baptiſmo, *refugerunt* COINQUINATIONES MUNDI, id eſt effugerunt inquinamenta errorum, & ſordes peccatorum, quibus ſcatet mundus; RURSUS illa reſorbeant, rurſus illis implicentur, & eorum tyrannidi rurſus ſubdantur fient EIS POSTERIORA DETERIORA PRIORIBUS *ll* gravius enim eſt malum recidivæ: & ingratus gratiæ Dei ab ea deſeritur, & a dæmone arctius habetur, cuius impulſu profundius indies vitiis immergitur, & habitus validiores induit. Et hoc ſit Vigeſimum-ſextum encomium, Vigeſimum-ſeptimum:

V. CANIS REVERSUS AD VOMITUM, ET SUS LOTA IN VOLUTABRUM LUTI regreſſa, res eſt extreme fœda & abominanda. Unde Gnoſtici, id eſt *ſcientes* (hoc nomine ſe iactabant ſuperbi hæretici, duce Baſilide, ut vult S. Hieron. vel Nicolao Diacono Antiocheno, ut S August. *mm*, vel potius Carpocrate, ut tradit Irenæus *nn* ipſi coævus, ab inferis ſub hæc tempora emergentes) quos hic ad digitum oſtendere videtur S. Petrus, apud Catholicos nomen ſortiti ſunt *Borboritarum*, id eſt cœnoſorum, vel lutoſorum, a βερβόρῳ, id eſt luto. Et hæc omnia adaptat etiam S. Hieron. *oo* Chryſoſt. Nazianz. Auguſt. & Baſilius *pp* ſectæ Agapetarum paulo ante illorum tempora ſubortæ: ſed iure merito adaptes etiam noſtri temporis Hugoniſticis, apoſtatis & hereſiarchis, ut ſupra ſparſim inſinuavi.

(x) Reg. xviii. 19.
(b) Ibid. cap. xxii. 6. & 11.
(c) Ierem. xxviii. 2.
(d) Deut. xviii. 1.
(e) Act. v. 37.
(f) Ibid. verſ. 36.
(g) Ioſeph. Lib. II. Belli cap. xii. &c. Euſeb. in Chron. & Hiſtor.
(h) Act. xx. 30. & I. Ioan. cap. iv. 1.
(i) Iſaiæ xxx. 33.
(k) Tir. Boſ. de Signis Eccl. Corn. a Lap. hic verſ. 1. in fine.
(l) Gen. i. 2.
(m) Hieron. Lib. VI. in Iſaiæ xiv. 23.
(n) Alcan. in cap. 1. Geneſ.
(o) Suarez de Angel.s Lib. I. cap. iv.
(p) Cyprian. de Laudibus martyrii. Auguſt. Lib. XII. de Civit. cap. xxviii. Gregor. Lib. VIII. Moral. cap. xr.
(q) Iuſtin. contra Tryphon. Irenæus Lib. V cap. xxxiii. Lactant. Lib. III. cap. xxvi. Hilar. can. viii. in Matth. Euſeb. Lib. IV. Hiſt. cap. xvii. vel xviii.
(r) Bonavent. in iv. diſt. xlvii. num. 1 qu. iv.
(ſ) I. Pet. iii. 20.
(t) Hieron. Lib. I. cont. Iovinian.
(u) Ioan. Spangenb. in Veiace cartxt. beneficiorum per Lutherum, &c.
(x) Latim. in Apologia contra Lutherum.
(y) Hic verſ.
(z) Iudæ verſ. 9. & Dan. x. 5. &c.
(aa) Aug. XXII. cont. Fauſtum cap, xv.
(bb) S. Ign. ep. ad Antiochen.
(cc) Salvian Lib. I. ad Eccleſiam Catholicam.
(dd) Epiph. hæreſi xxvii. Iudæ verſ. 12.
(ee) Hieron. Lib. I. contra Iovinian.
(ff) Prov. xxx. 16.
(gg) Num. xii. 3.
(hh) Ibid. cap. xxv. 2.
(ii) Ierem. xv. 18. (kk) Iudæ verſ. 12.
(ll) Matt. xii. 43. & Ierem. ii. 36.
(mm) Aug. hæreſi vi. Philaſtrius & alii.
(nn) Irænens Lib. I. cap. xxiv.
(oo) Hieron. de Viris Illuſtrib. & ad Euſtochium de Cuſtodia virginit.
(pp) Baſil. Lib. de Virginit.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. UT fuerunt olim in populo Iudaico, ita & inter vos erunt Pſeudoprophetæ, & hæreſiarchæ, negantes in falſitate doctrinæ Dominum Chriſtum, qui eos redemit. Horum mores perverſos attingit, verſ. 2. & 3. Sane Simon Magus negabant Chriſtum, & ſe virtutem Dei profitebatur. Exitus horum, inquit, eſt perditio æterna. Et quid de his expectari poteſt aliud; quibus aſſuetum eſt (negantibus immortalem animam & providentiam) tandem abire in Athciſmum: ſic abyſſus abyſſum invocat.

V. 3. & 4. QUIBUS IUDICIUM. Infelix horum ſors non ceſſat adproperare: ſi enim Deus Angelis ſuis non pepercit, quanto minus hominibus nefariis. RUDENTIBUS INFERNI. Aliqui male legunt, *rugientibus*, Græce, *σειραῖς ζόφου*, *catenis caliginis*. *Inferni rudentes*, poteſtatem & ius deſignant quod exercuit infernus, quaſi Dei lictor in Angelos delinquentes tamquam rudentibus attractos. Notent Novatores permiſſionem quidem, horum ſic labentium in peccata, eſſe a Deo; tamen ut creatura eſt culpæ cauſa, ita executorem in pœna eſſe infernum. Nec in utroque capite deſunt Dæmones. Sed de Angelorum caſu, natura, & prima gratia alibi.

V. 5. ET ORIGINALI MUNDO. Addit exempla alia iuſtæ punitionis, ut intelligant hæretici & pſeudoprophetæ ſceleratorum peſſimi, quid de ipſis futurum ſit, ſi Deus nec toti priſco mundo pepercit tempore diluvii, nec Sodomitis, nec aliis. Noemum vocant præconem iuſtitiæ: prænunciavit enim diluvium, decretam vindictam peccatorum, & ſimul quia prædicavit iuſtitiam exemplo. His exemplis concludit verſ. 9. quanta ſit Dei pietas erga bonos, & ſevera iuſtitia in impios. Vocat verſ. 8. Lot iuſtum, ASPECTU ET AUDITU, quatenus nec auribus, nec aſpectu turpe aliquid geſſit: viri modeſti iudicia ſunt.

V. 10. MAGIS AUTEM EOS. Punit quidem Deus peccatores, ut dictum eſt, maxime vero hæreticos luxurioſos, qui dominatum contemnunt. Tales fuerunt illo tempore Simoniaci, Nicolaitæ & Gnoſtici. En vivam ſpeciem & imaginem Lutheranorum, Calvini & Bezæ. Conſule lector eos, qui horum vitam ſcripſerunt. Nam quod præter eorum turpitudinem contemnant dominatum, Principes, Pontifices & Epiſcopos, nimis eſt notum. SECTAS NON METUUNT INTRODUCERE. Hæreſes hi introducunt, quibus ſcinditur Eccleſia. Græc *δόξας* varie vertitur; quibuſdam eſt gloria & principatus, ſcilicet non timent. Nam in Græco non eſt, *τὸ introducere*. Noſter tamen interpres intellexit *ἐπάγειν*. Et ſtat prior ſenſus de ſciſſione Eccleſiæ per varias opiniones. De blaſphemiis variis tam veterum, quam novorum hæreticorum longum eſſet dicere.

V. 11. UBI ANGELI. Hoc plerique intelligunt de malis Angelis. Et nunc Petrus comparat hæreticos cum Dæmonibus. Non timent hæretici tales excitare blaſphemias, licet videant blaſphemantes Dæmones graviſſimo damnari ſupplicio, & tali ſupplicio quod ferre non poſſunt, licet ſint fortiores hominibus. Vel ſecundo ſi de bonis Angelis loquitur, ſenſus eſt: Angeli boni non audent ore blaſphemo Dæmoni maledicere, adeo horrent blaſphemias; tamen blaſphemant hæretici, qui Dæmonibus ſunt deteriores. *Non ferunt*, hoc eſt, non inferunt contra ſe tale pondus prolatæ blaſphemiæ. Itaque pro vario ſenſu, *τὸ αὐτῶν*, habebit ſpiritum vel aſperum, vel lenem.

V. 12. HI VERO. Tandem comparat hæreticos cum brutis animantibus quaſi non ratione, ſed naturæ ferocitate ferantur. Maledicunt & reſpuunt quæ ignorant; in ſua ſuperbia peribunt, & in ſua corruptione. Græce, in ſua corruptione corrumpentur, in quo notat etiam turpes voluptates. De obſcœnitate Gnoſticorum lege Minutium Felicem in Octavio. PERCIPIENTES, verſ. 13. En reliquos ſubinde mores hæreticorum, qui noſtri ſæculi Lutheranis & Calvinianis belle conveniunt; idque a multis notatum eſt.

V. 15. DERELINQUENTES RECTAM. Pergit impiorum hoſtium Eccleſiæ abominabilia vitia narrare; ſecuti viam ſunt & mores Balaam. Vide Num. XXII. 5. Idem eſt Boſor & Beor: hic pater erat huius Balaam. Imitantur hominem improbum adductum ad maledicendum. Ibidem verſ. 23 hortante Balac hoſte populi Dei. CORREPTIONEM (verſ. 16.) pro mercede repre-

henſus ab aſino. Subdit comparationes fontis & nebulæ, & nubis ſterilis ac fallacis.

V. 19. 20. & 22. LIBERTATEM. Hi maximi erant, qui libertatem ut multos ſeducerent, promittentes, propinabant obſcœnas libidines. Quis in his ſeductoribus non facile agnoſcet novos noſtri ſæculi Gnoſticos, qui falſa libertatis ſpecie mundum corruperunt. *Quibus*, verſ. 22. MELIUS, id eſt minus malum erat: nam non eſſe ex ſe non eſt bonum. Vide Matth. XXVI. 5. an melius fuerit Iudæ non fuiſſe.

Viam veritatis. Intelligit religionem Chriſtianam. Proverbium quod ſubdit, notat ingratitudinem & fœditatem peccati. Et quidem tales ſunt hæretici, quales toto hoc capite deſcribit Petrus, ubi illud præſertim mirum eſt noſtri ſæculi Novatores initio ſolicitaſſe animas ſpecioſo titulo libertatis ſentiendi de religione; & nunc rerum potitos in maiore Britannia tam impudenter veris Chriſtianis libertatem præripere; ut Turcis & barbaris Scythis ſint crudeliores.

C A P U T III.

Propter quoſdam illuſores ſecundum Domini adventum negantes, aſtruit futuram mundi renovationem, cum brevi & inſperato Dominus adveniet: ad cuius adventum monet ut ſe præparent, laudans Pauli ſcripta quæ indocti depravant.

1. HAnc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo epiſto-
lam, in quibus veſtram excito in commonitione ſin-
ceram mentem: 2. ut memores ſitis eorum, quæ præ-
dixi, verborum a ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum
veſtrorum, præceptorum Domini & Salvatoris: 3. (*a*)
hoc primum ſcientes, quod venient in noviſſimis die-
bus in deceptione illuſores, iuxta proprias concupi-
ſcentias ambulantes, 4. dicentes: (*b*) Ubi eſt promiſſio, aut adventus eius?
ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.
5. Latet enim eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra, de a-
qua & per aquam conſiſtens Dei verbo: 6. per quæ, ille tunc mundus a-
qua inundatus periit. 7. Cæli autem qui nunc ſunt, & terra, eodem ver-
bo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem iudicii, & perditionis impiorum
hominum. 8. Unum vero hoc non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies
apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus. 9. Non
tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter
agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam rever-
ti. 10. (*c*) Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cæli magno im-
petu tranſient, elementa vero calore ſolventur, terra autem & quæ in ipſa
ſunt opera, exurentur. 11. Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, qua-
les oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus, 12. expectan-
tes & properantes in adventum diei Domini, per quem cæli ardentes ſol-
ventur, & elementa ignis ardore tabeſcent? 13. (*d*) Novos vero cælos,
& novam terram * ſecundum promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſti-
tia habitat. 14. Propter quod chariſſimi hæc exſpectantes, ſatagite imma-

cula-

culati & inviolati ei inveniri in pace. 15. * & (e) Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, 16. ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. 17. Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite: ne inſipientium errore traducti excidatis a propria firmitate, 18. creſcite vero in gratia, & in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti. Ipſi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.

(a) I. Tim. iv. 1. II. Tim. iii. 1. Iud. 18. (b) Ezech. xii. 27. (c) I. Theſ. v. 2. Apoc. iii. 3. & xvi. 15. (d) Iſa. lxv. 17. & lxvi. 22. Apoc. xxi. 1. (e) Rom. ii. 4.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 13. Secundum promiſſa ipſius. Præpoſitionem *ſecundum* non vertas in coniunctionem &c.

Verſ. 15. Et Domini noſtri. Non addas *Ieſu Chriſti.*

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. & 2. SECUNDAM SCRIBO EPISTOLAM. Ex hoc loco & præcedente manifeſtum eſt utramque epiſtolam Petri Apoſtoli eſſe: nam ſi hæc ſecunda ipſius eſt, ut pote qui gloriam Domini in monte ſpectaverit, eſt & prior. HANC ECCE, vel iam; nam Græce eſt, ἤδη, *iam*; interpres legit ἰδού, id eſt *ecce ſecundam vobis ſcribo epiſtolam*. IN QUIBUS, Græce ἐν αἷς, non ab verba, ſed ad res refertur, quum ſit plurale relativum; quum enim dixiſſet ſecundam epiſtolam, de utraque intelligens ſubdit, *in quibus* VESTRAM EXCITO IN COMMONITIONE, id eſt per commonitionem SYNCERAM MENTEM. UT MEMORES SITIS EORUM QUAE PRAEDIXI, VERBORUM A SANCTIS PROPHETIS ET APOSTOLORUM VESTRORUM PRAECEPTORUM DOMINI ET SALVATORIS. Obſcurus eſt hic ſenſus, qui ſic eſt ordinandus. Ut memores ſitis verborum, quæ habuiſtis a ſanctis prophetis quæ ante prædixi, & memores ſitis præceptorum, id eſt mandatorum Apoſtolorum veſtrorum Domini & ſalvatoris, id eſt quæ habuiſtis ab Apoſtolis veſtris, qui etiam ſunt Domini & ſalvatoris Apoſtoli, vel quæ præcepta ſunt Domini & ſalvatoris: Græca ſic habent μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν, καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ὑμῶν ἐντολῆς τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ; id eſt, ut memores ſitis prædictorum a ſanctis prophetis verborum & mandati ab Apoſtolis veſtris & Domino, ac ſervatore Ieſu profecti: Græca enim ſcholia aiunt τὸ ὑπὸ, ſervire tribus: ſcilicet προφητῶν, ἀποστόλων κυρίου ἰησοῦ: inculcat autem quæ Apoſtoli iuſſerint, mandata eſſe Domini.

V. 5. 6. 7. 8. & 9. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES, &c. Prædixit fore olim impoſtores, qui a ſpe promiſſionis & ſecundi nos adventus arceant, hoc argumento, quod omnia perſeverant ſicut ab initio, ex quo patres dormierunt, id eſt ex eo tempore quum patres ac prophetæ qui de ſecundo adventu prædixerunt, mortui ſunt. OMNIA ergo SIC PERSEVERANT, inquit, quemadmodum AB INITIO CREATURAE, vel creationis; utrumque enim ſignificat τῆς κτίσεως; nunc ſubdit, *latet enim hoc eos volentes*; id eſt, ignorant ſed volentes QUOD CAELI ERANT PRIUS, ET TERRA, DE AQUA, ET PER AQUAM CONSISTENS DEI VERBO. Beda indicat in quibuſdam codicibus legi, cœli erant olim de aqua & per aquam conſtituti: ſed nulla exem-

xem-

xemplaria Græca ita habent ; quanquam Græca ſcholia explicant hic cælos ex aquea materia eſſe conſtitutos, quando dixit Deus, *Fiat firmamentum in medio aquarum*, hoc eſt, inquiunt, conſolidata aquarum natura & ſubſtantia. Latet ergo eos quod cæli erant prius ſive olim (nam græce eſt ἔκπαλαι) & terra de aqua, & per aquam Dei verbo conſiſtens indubie cenſeo his verbis nihil aliud voluiſſe Petrum, niſi cælum & terram aquis conſtare : quis enim neſcit cælos olim fuiſſe? Beda cenſet hic cælum intelligi non firmamentum, ſed aereum hoc cælum, unde volucres cæli nominantur. Græca ſcholia exponunt ἐξ ὕδατος, id eſt per aquam tamquam a cauſa materiali & διὰ ὕδατος, id eſt per aquam tamquam per cauſam finalem, & bene per aquam conſiſtit terra, dicente David, *Qui firmavit terram ſuper aquas*. PER QUAE, inquit, ILLE TUNC MUNDUS AQUA INUNDATUS PERIIT, per quæ cælum & terram ille tunc mundus, id eſt qui tunc erat mundus ὁ τότε κόσμος, aqua inundatus periit. Mundum autem, ut Græca ſcholia intelligunt, non materialem & inſenſibilem hanc materiam intelligere debemus, ſed quæ tunc erant viventia, præter ea quæ in arca Noe ſervata ſunt ; quum inanimata cetera, ne mundi quidem nomen habere debeant. Per cælum ergo & terram tunc periit; per cælum, inquam, quando cataractis apertis immenſam vim aquarum diſtillavit; per terram vero, quando rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ. Iam quod dixit Petrus, latet eos volentes quod cælum & terra aquis conſiſtunt, quodque mundus aqua inundatus perierit ad ulciſcenda hominum flagitia ; non eſt putandum quod dicat Petrus hæc illos tantummodo latere, quæ ex ipſa Scriptura neſcire non poterant; ſed hoc eos latet, quod ſicut tunc cælum, id eſt aer & terra inundaverunt diluvio, & mundus qui tunc erat, periit ; ita CAELI QUI NUNC SUNT ET TERRA EODEM VERBO REPOSITI SUNT, IGNI RESERVATI IN DIEM IUDICII ET PERDITIONIS IMPIORUM HOMINUM ; id eſt, quum adeo delitiis & libidinibus ſuis detineantur, latet eos volentes, id eſt ſcire nolunt, quod ſicut olim ad impios ulciſcendos mundus periit diluvio inundatus, ita & nunc cæli & terra Dei verbo repoſiti, Græce τεθησαυρισμένοι, id eſt ad verbum, theſaurizati ſunt, igni reſervati (ut ſcilicet igni conflagrent) in diem iudicii ad impiorum perditionem : & ideo quia huiuſmodi iudicium ignorare volunt, ſeducunt ceteros quaſi non ſit futurus Domini adventus in iudicium : ſed unum hoc vos non lateat, id eſt hoc ſcitote, quod etſi differre videtur nonnullis, & malorum ſupplicia & bonorum promiſſionem ac præmia Dominus ; indubie tamen præmiabitur & puniet : ſed apud Deum non eſt diſtinctio temporum cui æque præſentia ſunt omnia : & quæ longa nobis & brevia videntur, eodem ſunt apud illum ſpatio : non eſt ergo oblitus Dominus ſuæ promiſſionis, etſi non tam cito eam exhibet quam vellemus, ſed tam cito apud eum, cui æquo ſunt omnia temporа interſtitio, ideo ſubdit, NON TARDAT DOMINUS PROMISSIONEM, quam præſtituto apud ſe tempore exhibiturus eſt, SICUT QUIDAM EXISTIMANT. Græci addunt βραδύτητα, quemadmodum quidam exiſtimant eſſe tarditatem, quod non ſtatim promiſſa reddit.

V. 10. ADVENIET AUTEM DIES DOMINI SICUT FUR. Ut enim clam & imprudentibus domeſticis in domum fur irrepit, ſic ignorantibus nobis, & nec opinantibus ſuperveniet adventus Domini. Sicut fur ergo veniet : Græci addunt ἐν νυκτὶ, id eſt *in nocte*.

V. 12. & 13. PER QUEM CAELI ARDENTES SOLVENTUR. Hoc loco τὸ quem, non ad τὰ Domini refertur, ſed ad τὸ adventum vel τὸ diei, quia Græc. eſt δι' ἣν, feminino genere: ſicut ἡμέρα, id eſt *dies*, & παρουσία, id eſt *adventus* feminini generis eſt. Per quem ergo adventum, id eſt in quo cæli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent? Ne vero putares interituram eorum ſubſtantiam, ſed in melius mutandam, ſubdit, NOVOS VERO CAELOS, ET NOVAM TERRAM, ET PROMISSA IPSIUS EXPECTAMUS, IN QUIBUS IUSTITIA HABITAT : hic vero interpres pro eo quod vertit *&* *promiſſa*, legit græc. καὶ τὰ ἐπαγγέλματα, quum græci nunc habeant κατὰ ἐπάγγελμα, *iuxta promiſſum* : facilis vero eſt lapſus a καὶ τὰ, in κατὰ τὸ : *quibus* vero referre poteſt novos cælos & terram novam: futurum ſcilicet ſæculum in quo habitat iuſtitia, & unicuique reddetur pro merito vel commerito : vel in quibus nobis promiſſa expectantibus, iuſtitia

Digitized by Google

tia habitat; quaſi dicat, Sperare in promiſſis debemus, ſiquidem iuſte vivamus.

V. 14. 15. & 16. PROPTER QUOD, CHARISSIMI; id eſt, quum promiſſa certo expectent ii in quibus iuſtitia habitat, vos qui eadem promiſſa expectatis, SATAGITE vel date operam; græce σπουδάσατε, IMMACULATI ET INVIOLATI, vel inculpati aut incontaminati. Græce ἄμωμοι, INVENIRI EI, id eſt apud Dominum IN PACE, ET DOMINI NOSTRI LONGANIMITATEM, id eſt quod longanimus vos ad pœnitentiam tamdiu ſuſtinet, nolite exiſtimare eſſe promiſſionis tardationem, ſed ſalutem arbitramini, id eſt exiſtimate ob veſtram eum ſalutem id facere. SICUT CHARISSIMUS FRATER NOSTER PAULUS SCRIPSIT VOBIS ſcilicet ad Rom. II. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* SICUT ET IN OMNIBUS EPISTOLIS: τὸ *ſicut & ſimiliter* greca ὡς ϗ παρελλησιν, eſt ita ordinanda lectio, ſicut ſcripſit vobis in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, ſcilicet, de adventu Domini & longanimitate ipſius, IN QUIBUS SUNT QUAEDAM DIFFICILIA INTELLECTU: τὸ *in quibus*, refertur non ad epiſtolas, quia græce eſt ἐν οἷς, & epiſtolis eſt femininum græce; & eſt ſenſus, inter quæ verba Pauli ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles, ſcilicet hæretici, depravant vel detorquent. Græce στρεβλοῦσι, ad ſuam ipſorum perditionem: non eſt ergo novum, hæreticos verbis Pauli abuti male intellectis.

V. 17. VOS IGITUR FRATRES. Græc. additur ἀγαπητοί, id eſt dilecti, PRAESCIENTES; id eſt, quum præpoſiti ſitis, CUSTODITE, id eſt obſervate vos, NE INSIPIENTIUM, Græce ἀθέσμων, id eſt impiorum & neſandorum ERRORE TRADUCTI, id eſt abducti, græce συναπαχθέντες, id eſt cum aliis abducti, EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE.

S A.

Verſ. 1. IN QUIBUS, ſcilicet Epiſtolis. IN COMMONITIONE, id eſt monens.

V. 2. PRAEDIXI. Græc. *prædicta ſunt*. PRAECEPTORUM, id eſt mandatorum. DOMINI; pro, & Domini.

V. 4. EIUS, ſcilicet Chriſti ad iudicium. Sic, ſcilicet ut videmus; quaſi dicat, Nulla erit mundi immutatio.

V. 5. VOLENTES, id eſt ſentientes. DE AQUA, ſcilicet recedente. AQUAM, ſcilicet ſegregatam. CONSISTENS, id eſt exians, ſeu apparens.

V. 6. QUAE, ſcilicet cælum & terram, dantia aquarum copiam.

V. 7. REPOSITI, id eſt ſervati. IGNI, ſcilicet purgandi.

V. 8. UNUS DIES, &c. quaſi dicat, Apud Deum perinde eſt, breve & longum tempus.

V. 9. PROPTER VOS. Græc. *erga nos*.

V. 10. IMPETU, id eſt Dei virtute. TRANSIENT, id eſt renovabuntur. SOLVENTUR, ſcilicet purgabuntur.

V. 11. PIETATIBUS, id eſt Dei cultu.

12. QUEM, ſcilicet adventum. CAELI, ſcilicet aerei: forte vero etiam ſuperiores, quod etiam illud Chriſti indicat, *Cælum & terra tranſibunt*. Ubi parum curandum eſt quid Philoſophi dicant. TABESCENT, id eſt liqueſcent.

V. 13. SECUNDUM PROMISSA, ſcilicet in Scriptura. IUSTITIA, id eſt iuſti, vel perfecta iuſtitia.

V. 14. INVIOLATI. Græc. *irreprehenſibiles*. EI, id eſt apud eum, vel ab eo.

V. 15. VOBIS, ſcilicet Epiſtola ad Hebr.

V. 16. DEPRAVANT, id eſt detorquent.

V. 17. PRAESCIENTES, ſcilicet hæc quæ dixi. CUSTODITE, id eſt cavete. INSIPIENTIUM. Græc. *neſariorum*, ſeu *impiorum*. TRADUCTI, id eſt decepti.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. HANC ECCE, ſeu *iam ſcribo Epiſtolam ſecundam*, ut eſt Græc. IN QUIBUS Epiſtolis prima & ſecunda VESTRAM EXCITO IN COMMONITIONE, id eſt per commonefactionem excito ſinceram mentem.

V. 2. UT MEMORES SITIS ..... VERBORUM, quæ a ſanctis Prophetis, ſcilicet *prædicta ſunt*, ſic Græc. Pro *verborum a ſanctis Prophetis*, Goth. habet, *verborum ſanctorum Prophetarum*. Fortaſſis Græci ſic quædam habuerunt, & ὑπὸ præpoſitio in illis non erat. Ergo memores ſitis etiam præceptorum ab Apoſtolis veſtris, & a Domino latorum. Hæc eſt ſententia, verba ſunt intricata.

V. 3.

Digitized by Google

V. 3. Hoc PRIMUM SCIENTES; pro, ſcitote quod venient illuſores, qui negent Chriſti ſecundum adventum hoc argumento; quod omnia eodem modo ſe habent.

V. 4. AB INITIO CREATURAE, ſeu *creationis*, *κτίσεως*; id eſt, ex quo mundus eſt conditus, nulla facta eſt mutatio. Nullum iudicii ſignum videmus.

V. 5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES. Affectata ignorantia. QUOD CAELI ERANT PRIUS. Græc. *olim;* id eſt initio cæli & terra facta ſunt ex aqua, id eſt ex chao. ET PER AQUAM CONSISTENS DEI VERBO, ſcilicet Dei verbo terra ex aqua & chao eſt facta. Sed idem de cælis intellige. Unde colligi videtur, eiuſdem materiæ eſſe cælum & alia.

V. 6. PER QUAE, ſcilicet per Deum & verbum diluvio periit mundus.

V. 7. CAELI AUTEM QUI NUNC SUNT, id eſt quos videmus, & terra, ſervantur igni in diem iudicii. Nempe qui ex aqua fecit, poterit ea igne comburere. Si dicas, Tardat is dies:

V. 8. UNUS DIES APUD DOMINUM SICUT MILLE ANNI, & e contrario.

V. 9. NON TARDAT DOMINUS, ſed pœnitentiam maiorum expectat. NOLENS ALIQUOS PERIRE, etiam poſt peccatum vult omnes homines ſalvos fieri.

V. 10. ADVENIET AUTEM DIES DOMINI UT FUR: nobis incogitantibus & clam. Græc. additur, *in nocte*. IN QUO (*die*) CAELI MAGNO IMPETU TRANSIENT, id eſt velociter mutabuntur: nempe quoad qualitates. Et ne putares cælos & terram quoad ſubſtantiam peritura, addit, *novos vero cælos*. Si ergo hæc ſolvenda ſunt, ſi Chriſtus venturus, quales eſſe debetis?

V. 12. EXPECTANTES ET PROPERANTES, quod dicitur *Feſtina lente*. Aut expectantes animo, feſtinantes piis operibus.

V. 13. NOVOS VERO CAELOS quoad qualitatem & novum ſæculum expectamus. IN QUIBUS IUSTITIA HABITAT, nullæ fraudes, nulla ſcelera.

V. 15. DOMINI NOSTRI LONGANIMITATEM, non promiſſi tarditatem, ſed SALUTEM ARBITREMINI: ſeu *arbitramini*, ut eſt Græce & in Gotth. & aliis codicibus Latinis. Auguſtinus epiſt. XLVI. legit: *Et Domini noſtri cum patientia ſalutem expectantes*. SICUT ET CHARISSIMUS FRATER NOSTER PAULUS .... SCRIPSIT VOBIS; ſæpe enim inquitur de adventu Domini, & de adventu Domini, & de eius longanimitate.

V. 16. SICUT ET. Hoc redundat, ac ſic ordina; *ſcripſit vobis in omnibus epiſtolis*. IN QUIBUS, ſcilicet epiſtolis, aut verbis, quoniam Græc. *quibus* eſt maſculinum, *epiſtola* femininum, eritque relativum ſine antecedenti, quod ſæpe contingit in Sacris. QUAE INDOCTI ET INSTABILES DEPRAVANT. Non eſt novum, hæreticos Scripturis abuti, eaſque depravare.

V. 17. VOS IGITUR FRATRES, ſeu *dilecti*, ut eſt Græc. PRAESCIENTES, id eſt admoniti. CUSTODITE. Gotth. *cavete*. NE INSIPIENTIUM ERRORE TRADUCTI. Gotth. *ſeducti*. Græc. *abducti*, ſimul ſcilicet cum aliis excidatis a fidei firmitate.

MENOCHII.

Verſ. 1. EXCITO; ſcilicet a ſomno torporis, teporis, & oblivionis. IN COMMONITIONE: *ἐν ὑπομνήσει*, in commonitione, in recordatione, in revocatione ad memoriam. SINCERAM MENTEM: integram, incorruptam, puram, & ſimplicem.

V. 2. A SANCTIS PROPHETIS: ex oraculis prophetarum PRAECEPTORUM DOMINI, &c. quia præcepta Apoſtolorum ſunt præcepta Salvatoris Chriſti per Apoſtolos promulgata.

V. 3. HOC PRIMUM SCIENTES; quaſi dicat: Ante omnia hoc veluti maximi momenti ſcitote, & advertite. VENIENT IN NOVISSIMIS DIEBUS: omnibus futuris temporibus, & maxime ſub finem mundi tempore Antichriſti. IN DECEPTIONE ILLUSORES: illuſores decipientes, & ſeducentes. IUXTA PROPRIAS CONCUPISCENTIAS AMBULANTES: indulgentes gulæ, libidini, ceteriſque concupiſcentiis.

V. 4 DICENTES: irriſorie. UBI EST PROMISSIO, AUT ADVENTUS EIUS? In græco eſt, *Ubi eſt promiſſio præſentiæ*, vel, *adventus eius*? ſcilicet ad extremum iudicium. EX QUO ENIM PATRES; ſcilicet primi, & priſci, a quibus genus hominum proſeminatum eſt. DORMIERUNT: mortui ſunt. OMNIA SIC PERSEVERANT AB INITIO CREATURAE: omnia ſic permanent ſicut a principio creata ſunt.

V. 5.

V. 5. LATET ENIM EOS HOC VOLENTES; quaſi dicat, Volentes, & ultro hoc neſciunt, quia ſcire nolunt. QUOD CAELI ERANT PRIUS, &c. Senſus eſt, quaſi dicat; Latet eos quod cæli, & terra conſiſtant Dei verbo, ac proinde quod eodem Dei verbo occidere, & aboleri poſſint. S. Aug. XX. de Civit. cap. XVIII. ſic legit: *Cæli erant olim, & terra de aqua, & per aquam conſtituta*. TERRA DE AQUA, ET PER AQUAM CONSISTENS: aqua enim terram quaſi gluten compingit, & conglutinat, ut una eius pars alteri adhæreat. Dicitur autem terra *de aqua*, ἐξ ὕδατος, *ex aqua*, conſidere, quia ſcilicet cum aquis omni ex parte operiretur, tertia die, iuſſu Dei, aquas ab arida ſeparantis, emerſit, & extitit.

V. 6. PER QUAE: cælos ſcilicet & terram aqua diluvii dantes. ILLE TUNC MUNDUS: quem ſuperiore cap. V. vocavit originalem, qui ſcilicet duravit ab Adam uſque ad Noe.

V. 7. CAELI AUTEM QUI NUNC SUNT, &c. nam cæli qui prius erant, diluvio perierunt, non toti, ſed quoad partem terræ viciniorem, id eſt, quoad aerem, tam infimæ, quam mediæ regionis: aqua enim diluvii exceſſit omnes montes, ac proinde & mediam aeris regionem quindecim cubitis Gen. VII. 20. EORUM VERBO: eodem Dei imperio, & iuſſu, quo olim aquis diluvii obruti ſunt. REPOSITI SUNT: τεθησαυρισμένοι εἰσί, quaſi in theſaurum divinæ providentiæ, iuſtitiæ, & vindictæ reconditi ſunt; ſcilicet igni reſervati, ut ſequitur. IGNI RESERVATI: igni conflagrationis in fine mundi, de quo D. Paulus II. Theſſ. I. 8. *In revelatione Domini Ieſu de de cælo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dans vindictam iis, qui non noverunt eum*. Ex his ergo ſic argumentatur Apoſtolus: Non eſt quod difficiles ſe reddant ad credendum mundum conflagraturum, & iudicium Dei futurum, cum ſimiles in mundo mutationes ſciamus extitiſſe, verbi gratia, cum Deus homines delevit per diluvium.

V. 8. UNUM VERO HOC NON LATEAT, &c. Occurrit obiectioni. Si Chriſtus venturus eſt ad iudicium, cur tamdiu tardat, cur tamdiu ſcelera tolerat, cur tamdiu ſuos ab impiis affligi ſinit? Reſpondet, omne hoc tempus, licet nobis longum videatur, breve eſſe, quia apud Deum mille anni ſunt dies una, & viciſſim dies una quaſi mille anni, nam apud eum qui immenſus eſt & æternus, mille anni adeo exiguum ſunt temporis ſpatium, ut videantur eſſe quaſi dies una.

V. 9. NON TARDAT DOMINUS: ille enim non dicitur tardare, qui tempore conſtituto adeſt, & ea exhibet quæ promiſit. NOLENS ALIQUOS PERIRE: ſpatium hominibus concedens, ut mores emendent, ne pereant in æternum.

V. 10. DIES DOMINI: dies iudicii. UT FUR: improviſus, & inexpectatus. IN QUO CAELI MAGNO IMPETU TRANSIENT: per cælum intelligit aerem. Recentiores tamen Mathematici, qui volunt cælum ipſum eſſe corruptibile, de eo hunc locum intelligunt. MAGNO IMPETU: ῥοιζηδὸν, cum ſibilo, & in morem procellæ. ELEMENTA VERO CALORE SOLVENTUR: præ æſtu, & ardore. SOLVENTUR: non ita ut pereant, & evaneſcant, ſed ut purgentur, & mutentur in melius. ET QUAE IN IPSA SUNT OPERA: & quæcumque in ipſa ſunt, qualia ſunt hominum opera, urbes, & magnæ ædificiorum molitiones.

V. 11. IN SANCTIS CONVERSATIONIBUS, ET PIETATIBUS. In Chriſtiana vita, pietate, ſtudio virtutum, & bonorum operum.

V. 12. EXPECTANTES, ET PROPERANTES IN ADVENTUM DIEI DOMINI: non expectantes modo, ſed etiam cupientes adeſſe extremum illum diem iudicii. PER QUEM CAELI ARDENTES SOLVENTUR: vide dicta verſ. 10. TABESCENT: liqueſcent, inſtar metalli in fornace liquati, hoc enim ſignificat Græcum τακήσεται.

V. 13. NOVOS VERO CAELOS: vel, quoad ſubſtantiam, iuxta dicta verſ. 10. Vel potius quoad qualitates, *quia lux lunæ erit ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum*, ut ait Iſaias cap. XXX. 26. SECUNDUM PROMISSA IPSIUS: Iſaiæ enim cap. LXV. 17. legimus. *Ecce enim ego creo cælos novos, & terram novam*. IN QUIBUS IUSTITIA HABITAT, id eſt iuſti, & ſancti, vel, perfecta iuſtitia.

V. 14. IMMACULATI: abſque macula peccati. INVIOLATI, ἀμώμητοι, id eſt irre-

reprehenſibiles, Eı: ab eo, cui nihil occultum. IN PACE: ut ſcil. immaculati, & irreprehenſibiles pacem habeatis cum Deo, & proximo, & pacato animo, ac tranquillo, mortem ac iudicium expectetis.

V. 15. LONGANIMITATEM: qua videl. tamdiu tolerat vitia hominum, & adventum ſuum differt. SALUTEM ARBITRAMINI: exiſtimare dirigi ad ſalutem veſtram, & malorum, ut ſcil. reſipiſcant. SCRIPSIT VOBIS: vide ad Rom. cap. II. 4. & ad Hebr. cap. x. 36. IN QUIBUS: ἐν οἷς, ſcil. dictis, & ſcriptis, cum enim, ἐν οἷς, ſit maſculinum non poteſt referre epiſtolas, utpote feminini generis.

V. 19. AD SUAM IPSORUM PERDITIONEM: quia ipſa Dei verba, & oracula violant, & corrumpunt.

V. 17. PRAESCIENTES: præmoniti a me de periculo. CUSTODITE: cavete. TRADUCTI: abducti, decepti. A PROPRIA FIRMITATE: quam habetis in fide.

V. 18. IN DIEM AETERNITATIS: in omnem æternitatem; quamdiu durat dies æternitatis.

T I R I N I.

Verſ. 1. VOBIS Ponticis, Bithyniis ceteriſque Aſianis, quibus priorem meam epiſtolam inſcripſi, SCRIBO etiam HANC SECUNDAM, QUIBUS duabus epiſtolis MENTEM SINCERAM *a* quidem, id eſt puram, ſimplicem, non fictam, non fucatam, ſed forte nonnihil tepentem aut torpentem, aut monitorum meorum oblitam, EXCITO opportuna COMMONITIONE, iterata inculcatione & memoriæ refricatione.

V. 3. Hoc PRIMUM, ſeu ante & ſuper omnia, *ſcitote* & notate, QUOD NOVISSIMIS his DIEBUS, id eſt poſterioribus temporibus, (quæ legem Moſaicam & Chriſti adventum ſubſequuntur, & in Scripturis *b* noviſſima tempora vocantur) VENIENT IN DECEPTIONE ILLUSORES. S. Auguſtinus *c* legit, *illuſione illudentes*, id eſt fœdiſſime hominibus illudentes. Notat Gnoſticos tum ſui, tum noſtri temporis, qui omnia divina & humana rident, metum numinis, iudicii & vindictæ divinæ excutiunt, ut ventri & veneri ſecure vacent.

V. 4. DICENTES irriſorie, UBI EST PROMISSIO ADVENTUS, ſeu *præſentia* Chriſti? ut habent Græca & S. Auguſtinus *d*; id eſt, ubi tardat & quando erit adventus Chriſti ad iudicium toties promiſſum & inculcatum? quaſi dicant, Numquam adveniet: meræ fabulæ ſunt reſurrectio corporum, animarum immortalitas, iudicium, gehenna, vita æterna. Sic ſentiebant tempore S. Petri non modo Sadducæi *e*, ſed & Hymenæus & Philetus, quos S. Paulus *f* ideo tradidit Satanæ: item Doſitheus teſte S. Hieron. Gnoſtici, teſte Philaſtrio *g*. Et poſt paulo Floriani, Symmachiani, Procliamitæ & Hermiotitæ, teſte eodem Philaſtrio & Euſebio *h*: anno Domini 796. Albanenſes & alii apud Baronium *i*: & noſtro ſæculo Davidgeorgiani, Libertini & plures alii, ut videre eſt apud Staniſlaum Reſcium, Fevardentium k & alios. Sed plures erunt ſub finem mundi, qui duce Antichriſto, atheiſmum & epicureiſmum publice proclamabunt, ut *l* Daniel & S. Paulus futurum prædixerunt. EX QUO ENIM primi & priſci *patres* noſtri, Adam, Noe, Abraham, &c. DORMIERUNT, id eſt mortui ſunt, OMNIA SIC PERSEVERANT ſicut AB INITIO *creationis* erant; quaſi dicant: Ex tam diuturna rerum omnium conſtantia præſumere poſſumus, mundum ſemper duraturum, ut proinde de occaſu illius & futuro iudicio non debeamus eſſe ſolliciti. Sed fatui non advertunt, quod creaturæ ſicut initium & omne eſſe ſuum acceperunt a Deo, ita ab eodem accepturæ ſint finem ſingulis præſtitutum, uti clamant omnes Scripturæ, & etiam Ethnici, v. g. Cicero, Ariſtoteles & alii. Sed hos impoſtores hæreticos

V. 5. LATET HOC VOLENTES & ſtudio diſſimulantes veritatem ſat alioqui cognitam. Quod enim non omnia eodem modo ſemper permaneant quo fuerant ab initio creata a Deo, ut fingunt iſti illuſores, vel ex eo patet, quod mundus iſte, id eſt CAELI ET TERRA ſemel perierint diluvio; & iterum perituri ſint igne conflagrationis in fine mundi: nullo alio id cauſante quam VERBO, id eſt iuſſu, ſeu nutu, DEI, quo ſicut *cæli* DE; Græce, *ex*, AQUA *n*, & TERRA PER AQUAM, ſeu inter aquam illi immixtam ab initio firmiter & ſolide *conſiſtunt*, ita per eamdem aquam, quaſi divinæ iuſtitiæ adminiſtram tempore diluvii omnia inundantem perierunt, ita S.

Au-

Auguſt. *o* OEcumen. Beda, Clarius, Catharinus, Caietan. Salmeron, Leſſius *p* & a Lapide, qui recte notant, *cælos*, cum hic dicuntur diluvio periiſſe, non ſecundum ſe totos accipi debere, ſed tantum ſecundum partem ſuam infimam & citimam terræ, puta aerem mediæ & infimæ regionis: aqua enim diluvii excellit *quindecim cubitis omnes montes q*, ac proinde etiam mediam attigit regionem aeris. Rurſus

V. 7. Caeli iidem et terra quae nunc sunt integra & intacta, eodem verbo & imperio divino peribunt iterum igne conflagrationis ſub finem mundi, cui igni iam *reſervantur* & reponuntur divinæ providentiæ decreto, ad ſcelera mortalium novo rurſus ſupplicio vindicanda. Porro ignis ille, (de quo Sibylla Erithræa, *decidet e cælis ignisque & ſulphuris amnis*;) non ſubſequeretur iudicium extremum, ut vult Suarez ex S. Auguſt. *r* Proſpero & Anſelmo; ſed præcedet, ut communiter docent SS. Patres, conformiter Pſ. xcvi. 3. *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, & omnia mixta diſſolvet in elementa ex quibus compacta fuerant, inquit Leſſius *ſ*: mundumque univerſum expiabit ab omnibus ſpurcitiis carnalibus & ſpiritualibus quibus inquinatus fuit tot ſæculis. Myſtice repræſentabit igneum, id eſt clarum, exactum, ſincerum, acre & efficax iudicium ſuperventuri mox iudicis Chriſti, iuxta illud Danielis vii. 10. *Fluvius igneus rapiduſque egrediebatur a facie eius*.

V. 8. Unus dies apud Dominum in cæleſti palatio eſt sicut *mille anni* voluptatum huius exilii: unde mille anni *t* quibus differtur iudicium, non pluris apud Sanctos æſtimantur, quam *dies unus*, inquit Aleazar *u* ex OEcumen. & aliis Patribus. Reſpondet enim Apoſtolus irriſoriæ hæreticorum interrogationi ſupra verſ. 4. *Ubi eſt adventus Chriſti?* Reſpondet inquam, tempus quo adventus eius differtur, etſi longiſſimum videatur hominibus in terra viventibus, tamen breviſſimum eſſe coram Deo, Angelis & Sanctis in cælo.

V. 9. Non ergo abſolute, aut reſpectu infallibilis iudicii, tardat Deus promissum Chriſti adventum, ſed ſolum reſpectu fallacis iudicii & opinionis humanæ. Idque non in damnum, ſed in bonum noſtrum, ut prolixius habeamus ſpatium pœnitendi & vitam in melius commutandi: *Neque* enim *vult* (voluntate antecedente, ut Calvinus delirat) aliquos perire, sed, quantum ex ſe eſt, optat omnes, etiam maxime impios, excæcatos & obſtinatos, ad poenitentiam reverti, atque ita *ſalvos fieri*, ut etiam S. Paulus *x*, adeoque & ipſe Chriſtus *y* docet. Vide Molinam, Vaſquez, Valentiam. *z*

V. 10. Dies Domini ut fur adveniet, id eſt tempus iudicii, iræ & vindictæ divinæ aderit inexſpectatum, & noxiam impiis, quaſi fur nocturnus: iuſtis vero aderit ſuaviſſimum atque optatiſſimum, inſtar adventus optimi parentis, & amantiſſimi ſponſi. In Græco additur, *in nocte:* traduntque Chryſoſt. Theophyl. Euthymius in illud Matth. xxv. 6. *Media nocte clamor factus eſt*, &c. Chriſtum noctu venturum ad iudicium, & quidem in *paſchate*, puta eadem hora qua olim percuſſit primogenita Ægyptiorum *aa:* immo S. Hieron. ait, hanc eſſe Apoſtolicam traditionem. Et quidem facile crediderim noctu inchoatum iri adventum Chriſti, nempe ignem conflagrationis ex inſolita aeris agitatione tunc excitandum. Sed ipſum Chriſti deſcenſum ad iudicium malim cum S. Thoma, Abulenſi, Suarez *bb*, & aliis, matutino crepuſculo reſervare, ut iudicium clara luce clariſſime peragatur. Caeli autem qui magno impetu transient; Græce; *impetuoſe præteribunt*; Tigurini, *in morem procellæ ſtridebunt*; S. Auguſtinus *cc*, *tranſcurrent*, accipi poſſunt tam ſiderei, quam aerei, ut accipiunt Caietanus, Viegas, Suarez *dd* & a Lapide. Probabile enim eſt, etiam cælos ſidereos velocius tunc agitandos, ut ſecum rapiant cælos aereos pingui vapore & halitu plenos, ad celeriorem accenſionem ignis quo mundus conflagrabit, excitandam. Atque ita apte intelligi poteſt quomodo *cæli tranſituri* & *commovendi* ſint. Qua vero ratione etiam *immutandi*, *diſſolvendi*, *arſuri* & *perituri* dicantur, alibi *ee* expoſui. Nempe ſecundum partem ſui ſuperiorem, ſeu quoad cælos ſidereos, in maiorem lucem & gloriam transferentur: quoad inferiorem vero ſui partem, nempe quoad cælos aereos, tam ſpiſſis nubibus, tam horrendis tonitruis, fulgetris, cometis, ſtellis cadentibus, aliiſque meteoris, procellis, tempeſtatibus perturbabuntur, ut ipſi etiam ſupremi cæli arPpp 2 dere,

dere, & e ſuis cardinibus convelli, ſubrui & evaneſcere videantur. ELEMENTA VERO, puta aeris inferior regio terræ vicina, & aqua, ſeu maria, CALORE, id eſt æſtu & *ardore* (ut ait verſ. ſequenti,) SOLVENTUR; id eſt, vi ignis extenuabuntur, & quaſi aurum in conflatorio liquabuntur, ut ab iis ſeparentur vapores, exhalationes, & faces omnes eis iam permiſtæ: ita S. Thomas & alii Doctores *ff*. Abſumetur ergo quidquid in aere eſt materiæ inflammabilis: in mari quidquid terrenum eſt, concretum, vel mixtum: TERRA AUTEM, ET *quæcumque* IN IPSA SUNT OPERA mixta, ſeu a natura, ſeu ab arte, ſtirpitus EXURENTUR: omnes montes & montium fundamenta, omnes rupes, omnia ſaxa, omnia metalla inſtar ceræ liqueſcent, & in primigenia ſua elementa reſolventur. Cum enim omnia mixta ad uſum temporalis vitæ hominum condita ſint, vita illa ceſſante, nulli amplius erunt uſui, ac proinde ſuis ſingula principiis & elementis reſtituentur, inquit Leſſius *gg*; additque: fient hæc omnia incredibili fragore & ſtrepitu, ſaxis ignitis & cineribus in aerem altiſſime eiectis, flamma fumo permixta in cælum exeunte, torrentibus ſulphuris, & liquatorum vi ardoris metallorum paſſim decurrentibus. Si enim hæc non raro, unico monte ardente fiunt, tanta elementorum conturbatione, ut mundus periturus videatur; quid fiet cum tot ſimul montes, adeoque & tota terra ab immo ardebit? Ex quibus patet non admodum probabile eſſe quod ait Moyſes Barcepha, & quidam alii, paradiſum terreſtrem poſt diem iudicii ſuperfuturum: nam ut ait S. Petrus, *terra*, utique tota, *&* omnia *quæ in ea ſunt opera exurentur*.

V. 13. NOVOS VERO CAELOS etiam ſidereos, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum qualitatem novos, nempe magis lucidos *hh*, ſimili modo ET NOVAM TERRAM, id eſt novo decore, puritate, fulgore & ornatu ſplendentem, SECUNDUM PROMISSA Dei per Iſaiam *ii* & alios Prophetas ſæpius iterata, EXSPECTAMUS poſt iudicium extremum, IN QUIBUS nulla amplius iniquitas, ſed ſola IUSTITIA *habitabit*. B. Anſel. Gulielm. Pariſienſ. Picus Mirandul. Abulenſis, *kk* Caietanus, Salmeron, a Lap. & Serarius cenſent parvulos ſine baptiſmo defunctos habitationem ſuam habituros in terra, quam dicunt, novis rurſum & qui numquam marceſcent floribus odoriferis, gemmis, arboribus, fontibus, aliiſque ornamentis perpetuo decorandam. Ex quo enim loco poterunt parvuli illi melius commodiuſque contemplari ſolem, cælos, aſtra, mare, ceteraque creata, ut ex iis ad Deum amandum laudandumque aſſurgant & vitam ſine mœrore, tædio vel otio æternum tranſigant? vide etiam Vaſquez & Leſſium *mm*.

V. 14. SATAGITE, omni ſtudio, omnibus viribus contendite, INVENIRI EI quem nihil latet, IMMACULATI, id eſt ſine gravioris macula peccati, ET INVIOLATI; Græce, *irreprehenſibiles*, IN PACE cum Deo, cum proximo, cum propria conſcientia, qua libera a peccatis, adventum iudicis expectetis animo ſereno; hilari & forti *nn*.

V. 15 DOMINI NOSTRI LONGANIMITATEM, qua tardat venire ad iudicium, *arbitramini* ceſſuram ad SALUTEM tum veſtram, tum aliorum: SICUT ET PAULUS SCRIPSIT VOBIS, tum in aliis epiſtolis *oo*, tum maxime in ea quam ad Hebræos *pp*, & veſtros contribules dedit, ubi Dei longanimitatem paſſim inculcat, & omnibus Chriſtianis puritatem vitæ, conſtantiam in fide, ſpem & alia quæ hac epiſtola vobis commendavi, etiam ipſe commendat: ita Catharinus, Baronius *qq*, Salmeron, Bellarm. *rr* & a Lapide.

V. 16. IN QUIBUS a Paulo ſcriptis QUAEDAM SUNT DIFFICILIA INTELLECTU (notent hoc hæretici qui Scripturas omnes cuivis, etiam idiotæ, faciles eſſe iactant:) QUAE Pauli ſcripta INDOCTI homines ET INSTABILES, atque a fide apoſtatæ DEPRAVANT; Græce, στρεβλοῦσιν, id eſt, *detorquent* ex vero & genuino in adulterinum & falſum ſenſum, ut ſolent detorquere ET iam CETERAS SCRIPTURAS ſacras: idque non ad utilitatem SUAM, ut putant, ſed AD PERDITIONEM & ruinam æternam, utpote rei violati diplomatis, & maieſtatis divinæ.

V. 17. PRAESCIENTES IGITUR & præmoniti per me de periculo, CUSTODITE vos; Tigurini, Pagninus, immo S. Auguſtinus, *cavete vobis*, NE INSIPIENTIUM; Græce, *impiorum*, hæreticorum & falſariorum, ERRORE & fallaciis TRADUCTI; Græce, *ſimus cum aliis abducti* & ſeducti,

EX-

Digitized by Google

EXCIDATIS A PROPRIA FIRMITATE Chriſtianæ fidei, gratiæ & pietatis.

(a) I. Cor. 3. 12.
(b) Iſaiæ II. 2. Micheæ IV. I. Ioel. II. 28. & I. Ioan. II. 18.
(c) Auguſt. XX. de Civit. cap. XVIII.
(d) Auguſt. ibid.
(e) Actor. XXIII. 8.
(f) II. Tim. II. 17.
(g) Philaſt. de hæreſib.
(h) Euſeb. Lib. XV. hiſt. cap. XV.
(i) Baron. anno Chriſti 1001.
(k) Staniſl. Reſcius de Atheiſmis hæreticorum. Fevardent. in Theomachia Calviniſtarum.
(l) Dan. XI. 37. II. Theſſ. II. 4.
(m) Ariſt. apud Ciceronem Lib. II. de Natura Deorum.
(n) Gen. I. 2. & 7.
(o) Auguſt. ſup.
(p) Leſſius de Attrib. divinis Lib. XIII. cap. XX.
(q) Gen. VII. 20.
(r) Auguſt. Lib. XX. de Civit. cap. XIX & XXX. Suarez tom. 2. partis 3. diſp. 57. ſect. I.
(ſ) Leſſius ſup.
(t) Pſalm. LXXIX. 4.
(u) Alcazar. in Apoc. I. 3.
(x) I. Tim. II 4.
(y) Matth. XVIII. 14.
(z) Molina, Vaſq. Valent. in I. p. q. 19.
(aa) Exodi XII. 29.
(bb) S. Thom. 3. p. in Supplemento q. 77. a. 3. Abulenſ. in Matth. XXV. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 57.
(cc) Auguſt. cap. XXIV.
(dd) Viegas in Apoc. XXI. Suarez ſup. diſp. 58. ſect. 3.
(ee) Pſ. CI. 27. & Iſaiæ XXXIV. 4. & Iob IX. 6.
(ff) In 4. diſt. 48.
(gg) Leſſius ſup.
(hh) Iſaiæ XXX. 26.
(ii) Iſaiæ LXIII. 17. & LXVI. 22. & LXIV. 4. Apoc. XXI. I. &c.
(kk) Anſelm. in Elucidario. Guil. Pariſ. apud Dionyſ. Carthuſ. in 4. diſt. 40. Picus Mirand. in Heptaplo. Abulenſ. in Matth. XXV. q. 542. & 548.
(ll) Serar. in Iudith q. 2.
(mm) Vaſquez 2. diſp. 234. cap. III. &c. Leſſius ſup. cap. XXIII.
(nn) Ad Titum II. 12.
(oo) Rom. II. 4. & I. Cor. III. & XII.
(pp) Hebr. III. 6. X. 36.
(qq) Baron. anno Chriſti 60.
(rr) Bellarm. Lib. I. de verbo Dei. cap. XVII.

GORDONI.

Verſ. I. HANC ECCE. Eoſdem fideles ad quos ſcripta eſt prior Epiſtola excitat ad recordationem traditæ hactenus doctrinæ, & ut eam retineant mente ſyncera, ſeu ſine ullo fuco & fictione, ſine vitio latente in animo.

V. 3. HOC PRIMUM SCITOTE. Hoc iacit fundamentum, fore ſeductores & hæreticos maxime extremis temporibus, & ſub Antichriſti ſæculo, & hos magnopere eſſe cavendos. DICENTES (verſ. 4.) velut per irriſionem; ubi eſt illa promiſſio facta Chriſtianis? Hi ſeductores concupiſcentiis dediti futura & promiſſa bona negabunt: hi ex conſtanti duratione cæli & terræ videntur ſibi colligere res has carere principio & fine, nec mundum aliquando periturum. Somniant qui tales ſunt, ſi non vident perpetuas in mundi partibus mutationes; initium etiam & interitum creaturarum: & hæc naturalia ſunt, ut de ſupernalis fidei motivis nihil dicam.

V. 5. 6. & 7. LATET ENIM EOS. Sane, inquit, hoc latet eos volentes; hoc eſt, neſciunt, quia ſcire nolunt. Probat ergo non omnia idem perſeverare: periit enim initio mundus aquis diluvii, & iterum peribit incendio, & quod ſemel periit, iterum peribit. An non etiam (ſi latet eos mundum eſſe creatum) quod accepit a Deo initium, poteſt etiam per eandem potentiam mutari & perire? At quid eſt hic periiſſe mundum, ſi adhuc extant ſaltem cæli? Reſpondeo, omnes fere per cælos hic aerem intelligere: ſolus Catharinus diſſentire voluit, quem ſequutus eſt Salmeron. Dico ergo periiſſe ſtatum mundi in diluvio, nec integrum manſiſſe poſt illas aquas ut prius erat, & ſaltem per ſynecdochen: nam præter homines & alia hic viventia quæ perierunt, magnam acceperunt mutationem elementa; & aer, quem cælum vocamus. Putatur enim diluvium perveniſſe uſque ad mediam regionem aeris. Terra PER AQUAM CONSISTENS (ver. 5.) quia ſimul velut conglutinata terra facit ut terra habeat ex Dei verbo talem conſiſtentiam.

V. 8. UNUM VERO HOC. Hic occurrit quæſtioni; ſi ſtant promiſſa, ſaltem cur tamdiu dilata? occurrit, inquam, Apoſtolus; nihil eſſe longum apud Deum; item cito venire, quod venit tempore conſtituto, & hanc moram adventus utilem eſſe peccatoribus, ut, interim agant pœnitentiam. Eſt ſane æternitas velut unum indiviſibile, & coexiſtens omni alteri durationi. Demum obiective tam ſunt Deo præſentes mille anni, ac dies unus.

V. 10. ADVENIET. Adveniet dies iudicii inexpectatus. Per cælum, ut dixi, intellige aerem. MAGNO IMPETU, impetuoſe inſtar procellæ. SOLVENTUR, mutabuntur nempe. Non vult tamen perire. QUAE IN IPSA, per opera terræ intellige molitiones, urbes, &c. Prætereo hic noſtri ſæculi ne-

vos

vos Mathematicos, qui volunt Petrum loqui de vero cælo, utpote quod ipſi putant eſſe corruptibile, & non ſolidum, ſed fluidum, nempe ſaſtum ex aquis, & admittere mutationem ac corruptionem: verum hæc opinio nondum eſt ſatis demonſtrata. Et quod hic verſ. 10. dicitur, cælos diſtingui ab elementis, recte hoc explicatur per elementa inferiora terram & aquam, quæ diſtinguuntur ab aere, & igne, quibus interdum Scriptura tribuit nomen cæli. Valde etiam obſtat novæ huic opinioni locus Iob XXXVII. 18. ubi clare exprimitur cælos illos ſuperiores eſſe ſolidos. Quod ſi aſſeratur ex Matth. XXIV. 29. *Cælorum virtutes commovebuntur;* non eſt hoc perire, vel corrumpi: & poteſt optime intelligi de velociore motu poſt diem iudicii, ut etiam ſcribit Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 58. ſect. 3.

V. 11. & 12. CUM IGITUR. Colligit appoſite in tanta rerum mutatione, quales eſſe opportet eos, qui die illo expectant, prout geſſerint, mercedem æternam. Iam illud de *ſolvendis* cælis, explicatum eſt de aeriis. *Novi cæli* ſunt quoad motum & qualitatem, ut dixit Iſaias cap. XXX. 26. novi etiam cæli iuxta promiſſionem: Iſaias LXV. 17. ubi verba hæc Iſaiæ dixi etiam referri ad beatitudinem; ad quam hic quoque tranſire videtur Petrus. IN QUIBUS, inquit, IUSTITIA HABITAT, verſ. 13. perfecta ſcilicet.

V. 14. PROPTER QUOD. Concludit: eſtote ſine macula peccati, & reprehenſione. Putate vero, ſi differt Dominus venire, hanc longanimitatem, in qua expectat, pertinere ad ſalutem veſtram, ut multi reſipiſcant, ſicut etiam ſcribit Paulus Rom. II. 4. & Hebr. X. 36. IN QUIBUS, verſ. 16. ſcilicet dictis. Nam in Græco eſt maſculinum ἐν οἷς, cum prius dixiſſet epiſtolas.

EPI-

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

EX tribus Epiſtolis Ioannis Apoſtoli primam eſſe genuinam, & a Ioanne Evangeliſta ſcriptam veterum omnium eſt una conſenſio: idem omnino ſtyli character, qui in Evangelio, eadem utrobique caritas, eadem unctio in verbis prope ſingulis ſe prodit. Auguſtinus & alii nonnulli eam citant ut ad Parthos ſcriptam: ſed cum nulli nationi præ ceteris ſit inſcripta, cumque doctrinam contineat, quæ ad omnes omnino Chriſtianos ſpectat, alii pertendunt eam neque ad Parthos, neque ad fideles ex Iudæis in Perſide diſperſos, ſed ad fideles omnes ſcriptam fuiſſe, eamque ut titulo, ſic reipſa eſſe Catholicam.

Circa ſecundam & tertiam Epiſtolam primis Eccleſiæ temporibus dubitatum fuit a nonnullis de utriuſque auctore. Quidam enim Ioanni Presbytero, ſeu ſeniori, cuius Papias meminit, ut Apoſtolorum diſcipuli, utramque tribuerunt, Irenæus Lib. I. ſecundam laudat, ut Ioannis Chriſti diſcipuli. Clemens Alex. Lib. II. Stromatum locum citat ex prima Epiſtola, quam maiorem appellat, adeo ut duas alias eidem Auctori omnino tribuere videatur, nempe Ioanni Apoſtolo. Idem eſt ubique ſtylus, eædem ſententiæ, omnes eamdem caritatem & proximi dilectionem ſpirant. Unde Patres quarti & quinti ſæculi utramque in Canone novi Teſtamenti reponunt.

Argumentum primæ Epiſtolæ eſt divinitatis Chriſti contra Ebionis & Cerinthi hæreſes, quæ nuper emerſerant: tum humanitatis contra Baſilidem aſſertio; ſimul mandatorum Dei obſervationem: & bonorum operum, caritatis imprimis erga proximum neceſſitatem contra Simonem Magum, & alios, qui poſtea extiterunt Hæreticos, qui ſolam fidem ad ſalutem eſſe neceſſariam pertendebant, omnino adſtruit, & ſæpius inculcat.

CAPUT PRIMUM.

Ioannes quod de Chriſto vidit & audivit aliis annuntiat, ut una cum ipſo ſocientur Deo & Chriſto eius filio, cuius ſanguine hominum peccata mundantur: porro qui ſe peccaſſe negat, Deum mendacem facit.

1. QUod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus o-
culis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ con-
trectaverunt de verbo vitæ: 2. & vita manifeſtata eſt,
& vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æ-
ternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: 3.
quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut &
vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit
cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. 4. Et hæc ſcribimus vobis †
ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum. 5. Et hæc eſt annuntiatio,
quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: (*a*) Quoniam Deus lux eſt,
& tenebræ in eo non ſunt ullæ. 6. Si dixerimus quoniam ſocietatem habe-
mus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non fa-
cimus. 7. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocieta-
tem habemus ad invicem, (*b*) & ſanguis Ieſu Chriſti, Filii eius, emundat
nos ab omni peccato. 8. (*c*) Si dixerimus quoniam peccatum non habe-
mus; ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. 9. Si confiteamur
peccata noſtra; fidelis eſt, & iuſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, &
emundet nos * ab omni iniquitate. 10. Si dixerimus quoniam non pecca-
vimus; mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis.

(*a*) Ioan. VIII. 12. (*b*) Heb. IX. 14. I. Petr. I. 19. Apoc. I. 5. (*c*) III. Reg. VIII. 45. II. Par. VI. 36. Prov. X. 9. Eccli. VII. 21.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. 9. Ab omni iniquitate. Non omittas præpoſitionem *ab*.

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 4. UT *gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.* Nonnulla manuſcripta nominatim unum Eccleſiæ huius B. Audomari, omittunt τὸ *gaudeatis &*, ſimiliter Græcis & Syricis libris.

COM-

COMMENTARIA.

GAGNAEI.

Verſ. 1. QUOD FUIT AB INITIO, QUOD AUDIVIMUS, Loci huius contextus ſub obſcurus eſt; mihi ita videtur ordinandus: Quod ab initio fuit de verbo vitæ, quod de eodem audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & id eſt, etiam manus noſtræ contrectaverunt: quibus verbis multas hæreſes ſimul evertit Ioannes. Dicens enim, quod fuit, aut potius quod erat ab initio (ἦν namque per erat malunt explicare Græca ſcholia, ut æternitatem temporis ſignificet) Marcionem & Cherintum enecat, aſſerentes Chriſtum non fuiſſe ante Mariam quod ſe contrectaſſe & palpaſſe ait. Manichæos revincit, qui non verum, ſed fantaſticum corpus habuiſſe Chriſtum mentiebantur: contrectaverunt autem, quando poſt reſurrectionem dixit illis, palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. Quod interpres vertit *perſpeximus*, græci habent ἐθεασάμεθα, id eſt *contemplati ſumus*, idque Græca ſcholia interpretantur cum admiratione & ſtupore cernere. Mihi hæc verba QUOD FUIT DE VERBO VITAE, nihil aliud ſignificare videntur, quam verbum ipſum vitæ, atque ita dilucide verti poſſet is locus: Verbum illud vitæ quod erat ab initio, quod audivimus, quod oculis noſtris inſpeximus, cuius ſpectatores fuimus, etiam manus noſtræ palpaverunt.

V. 2. ET VITA MANIFESTATA EST. Prædixit ſe vidiſſe & palpaſſe verbum: & quia abſurdum videri poteſt, ut Deum, quem nemo vidit umquam, vidiſſe & palpaſſe ſe aſſerat, ſubdit, *& vita manifeſtata eſt;* ubi τὸ *&* pro quia vel etenim mihi ſumi videtur, quod aliquoties uſuvenit in Scripturis ſanctis, id eſt quia manifeſtata eſt vita, hoc eſt ipſum Dei verbum vita omnium per carnis aſſumptionem orbi ſe manifeſtum præbuit, & eam, inquit, vidimus & teſtamur, id eſt de ea teſtimonium ferimus: ET ANNUNCIAMUS VOBIS VITAM AETERNAM. Græce τὴν ζωὴν αἰώνιον, id eſt vitam illam æternam quæ erat apud patrem, quæ natura ſua omnem oculorum fugiet obtutum, ſed apparuit tandem nobis: itaque quod vidimus & audivimus & annunciamus vobis, UT SOCIETATEM HABEATIS NOBISCUM. Græce κοινωνίαν, id eſt participes illius ſitis ſicut & nos, & huiuſmodi ſocietas & communio ſit nobis cum patre & filio.

V. 5. ET HAEC EST ANNUNTIATIO QUAM ANNUNCIAMUS VOBIS. Quamquam Eraſmus pro annunciatione promiſſionem verterit, quum tamen *ἐπαγγέλλω nunciare* ſignificet: licet ἐπαγγελία promiſſionem ſignificat, fortaſſe interpres legit ἀγγελία. Certe græca ſcholia ἐπαγγελίαν, ἀγγελίαν interpretantur, id eſt annunciationem, aiunt enim, σαφηνίζων τίς ἡ ἀγγελία; καὶ φησὶν ὅτι αὐτή ἐστιν ὁ θεὸς φῶς ἐστιν, id eſt declarans quæ ſit iſta annunciatio quam audivit (inquit) hanc eſſe nimirum quod Deus lux eſt: neque enim hic de promiſſione verbum ullum factum eſt: ubi autem audivit hunc nuncium? certe in Evangelio, dicente Chriſto: *Ego ſum lux mundi*. In Deo autem tenebræ non ſunt, neque ignorantiæ, neque peccati: quod ſi dixerimus (inquit) nobis eſſe ſocietatem cum eo, & in tenebris ambulamus, mentiemur. *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras*. II. Corinth. VI.

V. 6. SI DIXERIMUS QUIA PECCATUM NON HABEMUS, &c. Quum ſepties in die iuſtus cadat, & non ſit homo mundus ſuper terram, neque infans unius diei: ſi dixerimus in nobis peccatum non eſſe, nos ipſos ſeducimus. Quum enim dicat David, *Delicta quis intelligit?* Et Paulus, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum:* quicumque ſe aſſerit peccati expertem eſſe, indubie præſumptionis vitio laborat; atque ita ſeipſum ſeducit, nec veritas in eo eſt: qui etſi peccatum non haberet, quum tamen id ſibi tuto promittit, peccat.

V. SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA, FIDELIS EST UT REMITTAT. Fidelis, id eſt verax, utrumque enim ſignificat Græcum πιστός: iuſtus namque in principio eſt accuſator ſui: & quoties peccata noſtra confitebimur, toties remittet, dicente David, *Dixi, confitebor adverſum me iniuſtitiam*

ſtam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

S A.

SCriptam ad Parthos ait Auguſtinus & alii graves Auctores. Agit de Chriſto, eiuſque imitatione, praecipue per caritatem, ubi multa de vera Chriſti fide & in Deum fiducia.

V. 1. FUIT. Græc. erat, ſcilicet Verbum, de quo, *In principio erat Verbum*. VIDIMUS, ſcilicet carnem factum. PERSPEXIMUS, ſcilicet diligenter contemplantes. CONTRECTAVERUNT, ſcilicet eum dixit, *Palpate, & videte*, &c. DE VERBO VITAE: coniunge cum *annuntiamus vobis*.

V. 2. ET VITA; pro, *nam vita*, Hebr.

V. 3. SOCIETATEM. Græc. *communionem*, ſic & inf. ſed Interpres ſenſum reddidit.

V. 4. PLENUM, id eſt perfectum.

V. 5. ULLAE, ſcilicet in omnibus aliis eſt aliquis luminis defectus.

V. 6. TENEBRIS, ſcilicet peccati. FACIMUS; pro, dicimus. Repetitio per negationem Ioanni familiaris.

V. 7. IN LUCE, id eſt ſecundum quod fides docet. ET SANGUIS, &c. pro, & per ſanguinem Chriſti mundi ſumus, &c. dicit vero, EMUNDAT, quia ſemper indigemus mundari, qui quotidie peccemus, ut ſtatim dicitur.

V. 9. FIDELIS, id eſt verax in promiſſis; promiſit autem eum dixit, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. ubi de confeſſione Chriſtus loquebatur. IUSTUS, id eſt potens iuſtificare: vel *iuſtus*, pro, miſeriens.

V. 10. PECCAVIMUS; pro, peccamus. MENDACEM, ſcilicet quia per Scripturam dicit neminem eſſe ſine peccato: & quidem docuit omnes ſic orare, *Dimitte nobis debita noſtra*. VERBUM EIUS, id eſt Chriſtus.

MARIANAE.

TAntum cæli & terrarum emenſum vaſtum pelagus fragili cymba, in extrema navigationis parte, etſi fatigari & deficere non decet, profeſſum præſertim omnes divinos Libros ſtylo utcumque percurrere: cum tamen ſpatii longitudinem conſidero, graves difficultates & multas, ætatis imbecillitatem ſupra octogenariam tot papyri plagulas infectas, tædet laboris incœpti, inchoaſſe piget, & manum de tabula tollere ſæpe cogito, laboris partem relinquere felicioribus ingeniis, viribus integris. Verum ſtadii meta propinqua, portus non procul viſus, & optatæ de cetero quietis ſpes faciunt, ut novos ſpiritus ſumam, abſolvam quæ inchoata tantum, inutilia certe deformia manerent. Hæc præfari viſum eſt, prius quam *Ioannis* Apoſtoli *Epiſtolas* & *Apocalypſim* aggredior, ut qui in noſtræ inciderit, ſi quid negligenter poſitum invenerit, ut ſunt multa, in extremo præſertim Opere, noſtro tædio, defatigationi, & ætati det veniam benignus & facilis.

Verſ. 1. QUOD FUIT AB INITIO. Goth. *quod erat*, ſic Græc. ut æternitas ſignificetur, ut in Evangelio, *In principio erat Verbum*. QUOD VIDIMUS. Id dicit, ut maiorem auctoritatem conciliet iis quæ dicentur. DE VERBO VITAE. pro, verbum vitæ, ſcilicet vidimus.

V. 2. ET VITA MANIFESTATA EST. *Et*, pro, quia. Verbum alioqui inviſibile vidimus, quia *vita*, id eſt Verbum manifeſtatum in carne eſt. Goth additur *nobis*. ET TESTAMUR; pro, id teſtamur, & annuntiamus vobis. VITAM AETERNAM, id eſt Verbum, quod erat apud Patrem.

V. 3. QUOD VIDIMUS; pro, *quod ergo vidimus*, ut eſt Goth. UT ET VOS SOCIETATEM, ſeu *communionem*, id eſt vitæ participes ſitis, ſicut & nos. ET SOCIETAS NOSTRA SIT; pro, *eſt*, ſic Syr. & Græc. eſt *cum patre*.

V. 4. HAEC SCRIBIMUS, UT GAUDEATIS. Goth. *Hæc ſcribimus, ut gaudium veſtrum*: ſic Græc. Illud. *gaudeatis* & non habent: & ſine illo ſententia conſtat. Syr. id etiam non eſt.

V. 5 ET HAEC EST ANNUNTIATIO. Ἐπαγγελία aliis locis *promiſſionem*, hoc *annuntiationem* ſignificat, quia ſequitur: QUONIAM DEUS LUX EST. Quod enim luci commercium cum promiſſione? Ita ἐπαγγελία, pro ἀγγελία ſumi debet, id eſt *annuntiatione*. Si dicimus: Societatem cum Deo habemus,

V. 6. ET IN TENEBRIS AMBULAMUS, MENTIMUR. Cum Deo, qui eſt lux, tenebræ peccatorum ſocietatem habere non poſ-

Digitized by Google

poſſunt, neque qui in eis ambulant. Porro cum peccatores ſimus: nam ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Quid ergo?

V. 7. ET SANGUIS IESU CHRISTI FILII EIUS EMUNDAT NOS. Deinde confeſſio, per quam Chriſti ſanguis communicatur.

V. 9. SI CONFITEAMUR: primum Deo, deinde ſacerdoti. FIDELIS EST. Promiſit ergo remiſſionem per confeſſionem. Ubi? Ioan. XX. 23. *Quorum remiſeritis peccata.* Quod ſi dicatis, Non egeo confeſſione; peccatum non habeo.

V. SI DIXERIMUS. Gotth. *quod ſi dixerimus.* Syr. *etſi*, pro, *Quod ſi dixerimus.* QUONIAM NON PECCAVIMUS. Sic, Græc. & melius quam quod Gotth. habet, *non peccamus*: loquitur enim de peccatis iam factis, quæ remittuntur per confeſſionem. MENDACEM FACIMUS EUM, nam dixit: *Septies enim cadit iuſtus:* Prov. XXIV. 16.

MENOCHII.

Verſ. 1. QUOD FUIT AB INITIO: iunge cum eo quod ſequitur *de verbo vitæ*, & ſenſus eſt: Ipſum verbum vitæ, quod fuit ab initio annunciamus vobis. In Græco pro *fuit* eſt ἦν, *erat*. CONTRECTAVERUNT: cum dixit, *Palpate, & videte*, &c. DE VERBO VITAE. Syrus, *Verbum vitæ*. Sic Ioel ait, *Effundam de ſpiritu meo*, id eſt ſpiritum meum. Act. II. 17. *Dabitur ei de auro Arabiæ*, id eſt aurum Arabiæ. Vocat *verbum vitæ*, id eſt verbum vivum, *ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio vitam habere in ſemetipſo*. Vel verbum vivificum, nam ut ipſemet Chriſtus ait Ioan. decimo, numero decimo. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

V. 2. ET VITA MANIFESTATA EST; pro, nam vita manifeſtata eſt, ſcilicet Verbum, quod eſt vita. ET VIDIMUS, ET TESTAMUR; quaſi dicat: Itaque nos, qui Chriſtum vidimus, idonei teſtes ſumus, vobiſque ſempiternam vitam promulgamus. VITAM AETERNAM: Chriſtum, qui eſt vita æterna. QUAE ERAT APUD PATREM: ſic Evangelii cap. 1. v. dixit: *Et verbum erat apud Deum.* ET APPARUIT NOBIS: per incarnationem.

V. 3. UT ET VOS SOCIETATEM HABEATIS NOBISCUM: κοινωνίαν, *communionem*, communicationem in eadem fidei religione; & Eccleſia Chriſti. ET SOCIETAS NOSTRA SIT CUM PATRE, &c. nos vero una vobiſcum cum Patre, & Filio eius Ieſu Chriſto arctiſſime coniungamur.

V. 4. UT GAUDEATIS: in ſocietate Eccleſiæ, Chriſti, & Dei, eiuſque bonis gratiæ, quæ percipitis, & gloriæ quæ percipietis in cælo. ET GAUDEATIS: in ſocietate Eccleſiæ, Chriſti, & Dei, eiuſque bonis gratiæ, quæ percipitis, & gloriæ quæ percipietis in cælo. ET GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM, id eſt in dies magis augeatur, & ſit ſolidum, & perfectum.

V. 5. ET HAEC EST ANNUNCIATIO, id eſt id quod annunciamus. ET TENEBRAE IN EO NON SUNT ULLAE: ſcilicet tenebræ ignorantiæ, erroris, aut peccati.

V. 6. IN TENEBRIS AMBULAMUS: errorum, & vitiorum. MENTIMUR, ET VERITATEM NON FACIMUS: mentimur verbo, & veritatem, quam profitemur *non facimus* ipſo facto.

V. 7. SI AUTEM IN LUCE: rationis, fidei, Evangelii, virtutis, & gratiæ. AMBULAMUS: proficiendo, & de virtute in virtutem progrediendo. SICUT ET IPSE EST IN LUCE: ſicut & ipſe Deus eſt lucidus, immo lux ſubſtantialis, & divina, ideoque omnia ſua facit in luce ſapientiæ, & ſanctitatis. SOCIETATEM HABEMUS AD INVICEM: & inter nos, & cum Deo. ET SANGUIS IESU CHRISTI EMUNDAT NOS AB OMNI PECCATO. Coniunctio, *&*, eſt cauſalis, ſignificatque idcirco nos ſocietatem habere cum Deo, quia ſanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.

V. 8. PECCATUM NON HABEMUS: habuimus enim peccatum originale, & habemus, vel habebimus peccatum aliquod actuale, ſi diu vixerimus. VERITAS IN NOBIS NON EST: mentimur.

V. 9. FIDELIS EST, id eſt verax in promiſſis; promiſit autem cum dixit, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. IUSTUS, id eſt, æquus. AEquum enim eſt & congruum, Deoque dignum, ut pœnitenti peccatum remittat. Vel, *Iuſtus*, quia Chriſtus ſuo ſanguine, & morte promeruit nobis hanc veniam, eique Deus illam promiſit. Iuſta ergo eſt, & ex iuſtitia debita hæc peccatorum remiſſio, ſed Chriſto, non nobis.

V. 10. MENDACEM FACIMUS EUM: quia

Deus in Scriptura aſſerit omnes homines eſſe peccatores, ut Eccleſ. VII. 21. Prov. XXIV. 16. Pſal. CXLI. 2. Iacob. III. 1. & alibi. ET VERBUM EIUS NON EST IN NOBIS; quaſi dicat, Non intelligimus, non ampleɛtimur, non retinemus veram eius doctrinam.

T I R I N I.

Verſ. 1. & 2. ANNUNTIAMUS VOBIS, o Parthi, o Chriſtiani, DE VERBO VITAE. Hebraiſmo, pro *verbum vitæ*, ut vertit Syrus. Sic Ioel. II. 28. *Effundam de ſpiritu meo*, id eſt ſpiritum meum. Pſ. LXXI. 15. *Dabitur ei de auro Arabiæ*, id eſt aurum: *& adorabunt de ipſo*, id eſt ipſum. Quod & quale ſit hoc *Verbum*, & omnia eo ſpectantia dixi initio Evangelii I. Ioannis. Hic vocatur *verbum vitæ*, tum quia eſſentialiter in ſeipſo eſt vita, continens formaliter in ſe vitam infinite perfectam, & eminenter omnem creatam vitam: tum quia fons eſt & cauſa omnis noſtræ vitæ, ſeu naturæ, ſeu gratiæ, ſeu gloriæ. Primis igitur hiſce epiſtolæ & Evangelii ſui verbis adſtruit Apoſtolus Chriſti divinitatem contra Cerinthum & Ebionem: aliis mox ſequentibus, contra Baſilidem probat Chriſti humanitatem, non phantaſticam, ſed realem. *Vita æterna* & increata QUAE ERAT APUD PATREM; id eſt, Verbum, ſeu Filius, qui ab æterno abſconditus latuit in ſinu Dei Patris, tandem in fine ſæculorum per incarnationem ſe mundo *manifeſtavit*, & hominibus aſpectabilem in carne & tractabilem præbuit: & nominatim nos eius diſcipuli toto triennio quo ipſi conviximus, oculati teſtes ſumus. Primo, veræ ac realis naturæ eius humanæ, carnem eius contrectantes manibus noſtris, prædicationem eius & oracula audientes, ambulantem, comedentem, omniaque humana exercentem videntes. Secundo, divinæ eius naturæ nobis per certa & evidentia ſigna manifeſtatæ, per vocem cæle. ſtem in baptiſmo eius & transfiguratione, per glorioſam a morte reſurrectionem, in cælos aſcenſionem, & per innumera miracula quæ ad divinitatem eius comprobandam, ipſum tum per ſe, tum per nos patrantem vidimus. Huius tam certæ, tam teſtatæ veritatis nos participes reddidimus, lætum incarnati, paſſi, redivivi Verbi nuntium vobis prædicando afferentes,

V. 3. UT ET iam VOS SOCIETATEM; Græce, κοινωνίαν, id eſt communionem bonorum omnium quæ ab ipſo proveniunt, HABEATIS NOBISCUM, eadem fide & religione nobis coniuncti in una Eccleſia. Quid dico *ſocietatem nobiſcum*? ET iam CUM PATRE cæleſti, ET CUM FILIO EIUS IESU CHRISTO. Explicat quam nobilis ſit ſocietas Eccleſiæ, nempe quod ſit aſſociatio & perfecta amicitia cum Deo & cum Chriſto, per fidem, per fiduciam, per reciprocum amorem, per mutua colloquia, obſequia, gaudia, communicationem bonorum, &c. ut eſt inter patrem & filium adoptivum, inter ſponſum & ſponſam, &c. ita Heſſelius, Lorinus & a Lapide.

V. 4. HAEC autem de ſocietate Eccleſiæ, Chriſti & Dei, & bonis inde reſultantibus, ideo SCRIBIMUS VOBIS, & in memoriam revocamus, UT proficientes in ea quotidie, GAUDEATIS magis magiſque in dies, ET tandem GAUDIUM VESTRUM in cælo fiat omni ex parte PLENUM *a*, quando plene & perfecte & inſeparabiliter uniti eritis Chriſto & Deo per lumen gloriæ. Sed in quo conſiſtit

V. 5 HAEC ANNUNTIATIO, id eſt ſocietas cum Deo nobis per Scripturas & per Evangeliſtas annuntiata? Reſpondet: In eo, ut cum Deo ambulemus, ſeu converſemur, non *in tenebris* infidelitatis vel peccatis, ſed in luce fidei, gratiæ & virtutis. Cum enim DEUS natura ſua lux ſit, expers prorſus tenebrarum; ſi velimus illi aſſociari, debemus neceſſario tenebris valedicere: alioqui

V. 6. MENTIMUR non tantum verbo, ſed, & facto, quia VERITATEM, ſeu iuſtitiam, id eſt quod iuſtum & æquum eſt, NON FACIMUS; etſi verbo fingamus nos facere.

V. 7. SI AUTEM IN LUCE fidei, gratiæ, virtutis AMBULAMUS, in ea perſeverantes & quotidie proficientes, SICUT ET IPSE Deus EST IN pleniſſima, perfectiſſima, invariabili LUCE; eo ipſo SOCIETATEM HABEMUS ADINVICEM, id eſt aſſociamur Deo, ſimiles ſimili: & ſic participes reddimur bonorum illi aſſociationi connexorum, nempe plenæ remiſſionis peccatorum noſtrorum quoad culpam & pœnam, *ſanguine*, id eſt profuſione ſanguinis, ſeu mor-

te

te CHRISTI, *emundante* NOS AB OMNI PECCATO, idque vel per baptiſmum, vel per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem, vel per amorem Dei, &c. Non raduntur ergo vel teguntur ſolum peccata noſtra, ut ſomniant hæretici; ſed plane *emundantur*, id eſt expurgantur, exterguntur, & abolentur, ſicut macula aboletur e facie, lutum extergitur e veſte, ſordes everruntur e domo: ita Tridentinum *b* & Doctores. Porro hac gratia Chriſti omnes egemus: nam

V. 8. SI DIXERIMUS QUONIAM PECCATUM NON HABEMUS; id eſt, quod nullum peccatum actuale aliquando facimus, ne veniale quidem, ſed ſine omni peccato vitam tranſigimus eo ipſo quo in Chriſtum credimus (ut dicunt Simoniani & Gnoſtici, & dicent Lutherani ac Libertini) IPSI NOS fallimus & SEDUCIMUS, falſum nobis perſuadentes in perniciem animæ noſtræ, loquit Oecumenius. Unde merito Tridentinum *c*: *Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit, poſſe tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia*, d *anathema ſit*. *In multis enim offendimus omnes e*, etiam Apoſtoli: &, *ſepties in die cadit iuſtus f*, & *non eſt iuſtus in terra qui non peccet*.

V. 9. SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA, (ea confeſſione quam Deus exigit & Chriſtus inſtituit *h*, nempe ut mortifera peccata confiteamur ſacerdoti, venialia ſaltem ipſi Deo;) FIDELIS EST ET IUSTUS Deus, UT ſic confitentibus ac pœnitentibus NOBIS PECCATA NOSTRA REMITTAT. Ita enim ipſe promiſit *i*, & ita meretur ſanguis Chriſti pro nobis in eum finem profuſus k: ita Thomas Anglicus, Dionyſius, Serarius, a Lapide & Bellarminus *l*.

V. 10. SI DIXERIMUS QUONIAM NON PECCAVIMUS, ſed ſine peccato, tam veniali, quam mortali, vitam continuo egimus; MENDACEM FACIMUS DEUM, contrarium, ut iam vidimus *m*, aſſerentem in Scripturis *n*. ET VERBUM, ſeu doctrina, EIUS NON *manet* IN NOBIS: nempe illa qua docet, immo iubet *o*, nos quotidie orare, *Dimitte nobis debita noſtra*: ita Didymus, Caietanus, Dionyſius, & Catharinus.

(a) Ioan. XVII. 13. & Philipp. I. 2.
(b) Trid. ſeſſ. VI. cap. VII.
(c) Trid. ſup. can. XXIII.
(d) Auguſt. de Natura & gratia cap. XXXVI.
(e) Iacobi III. 2.
(f) Prov. XXIV. 16.
(g) Eccleſ. VII. 21.
(h) Ioan. XXI. 23.
(i) Ibid. & Ezech. XVIII. 32.
(k) Matt. XXVI. 26.
(l) Bellar. Lib. I. de pœnit. cap. XIII. & Lib. IV. cap. IV.
(m) Hic verſ. 8.
(n) Ibid. citatis.
(o) Matth. VI. 12.

GORDONI.

Verſ. I. QUOD FUIT AB INITIO. Verborum ordo ſimul & ſenſus eſt. Verbum ipſum vitæ, quod fuit ab initio, annunciamus vobis. Certe quovis tempore, & ipſo etiam mundi initio verum eſt dicere, fuiſſe Verbum, quippe quod æternum eſt, ſuperans omnem creatam durationem. Græce ἦν, *erat*; nempe ante omne initium rei creatæ. Sic a Concilio Niceno damnata eſt vox illa Arrianorum, *Erat, quando non erat*. Vide quæ dicta ſunt Ioan. I. AUDIVIMUS: nos Apoſtoli Verbum incarnatum vidimus, & audivimus Chriſtum loquentem. Addit porro contactum ad rei certitudinem. Per *Verbum* non intelligit id quod eſſentiale eſt & intellectionem, ſed Verbum notionale. *Verbum vitæ*. Verbum quod eſt vita: nam vita eſt formaliter divina & æterna. Vita etiam in ratione cauſæ: nam dat omnibus vitam, & ſpeciatim hominibus vitam gratiæ & gloriæ. Et hoc eſt quod maxime hic Ioannes intelligit. Sunt quidem aliqua licet communia, quæ ſpeciatim perſonis attribuuntur, ut Patri, eſſe: Filio, vivere: Spiritui Sancto, diligere.

V. 2. VITA MANIFESTATA EST. Hoc eſt, Verbum quod eſt vita manifeſtatum eſt: & hoc vobis manifeſtamus, teſtamur, evangelizamus. Quomodo vero ſit apud Patrem dixi ad Evang. Ioan. cap. I. verſ. I. APPARUIT vere per incarnationem.

V. 3. & 4. UT SOCIETATEM. Hoc vobis evangelizamus, ut communionem omnes habeamus in fide, ſpe, & caritate, & tandem accedat ſocietas in cælo cum Chriſto in gloria. ET HOC SCRIBIMUS, UT GAUDEATIS in his gratiæ & Eccleſiæ bonis, & ſolide in gloria & felicitate ſperata.

V. 5. ET HAEC EST. Annunciatio qua vobis proponitur, malum non habet, non errorem, non ignorantiam, non peccatum.

De

Digitized by Google

De Luce hac dixi ad Evang. Ioan. cap. 1.

V. 6. SI DIXERIMUS: *τὸ* QUONIAM, quod. Senſus ergo eſt, qui dicit ſe ſocietatem cum Deo habere, & ambulat in tenebris, peccat, mendax eſt; nec dicit, nec facit quod verum eſt. Contra vero eſt in eo qui lucem & Deum ſequitur, ſeu qui eſt in luce fidei, Evangelii & Chriſtianæ virtutis. SANGUIS CHRISTI EMUNDAT, verſ. 7. emundandi vim habet, immo & emundare ſolet. Et quidem emundavit per baptiſmum: emundat deinceps venialia, & ſi contingant mortalia, emundabit: hic notant aliqui non male, *τὸ emundat*, poſſe ad tria tempora referri: de modo quo ſanguis mundet per Euchariſtiam, agunt Theologi. Sanguis vero & pretium iſtud ſalutis noſtræ emundavit meritorie. Quid ſit de phyſica vi ſacramentorum, eſt diverſa quæſtio. Notent hic Novatores peccata in iuſtificato non manere, ſed ita tolli ut ſordes a mundata veſte. Vide Tridcnt. Seſſ. VI. cap. VII.

V. 8. SI DIXERIMUS. Non ſunt homines ex lege ordinaria ſine peccato originali ſ ante baptiſmum: nec ſine aliquo peccato ſaltem veniali longo tempore. De Beata Virgine lege Auguſt. Lib. V. contra Iulianum cap. XV. Non hæreo in eo quod aliqui dicunt veram eſſe univerſe propoſitionem hanc Ioannis, ſi peccatum late accipias, ut involvit etiam reatum & materialem concupiſcentiam. Senſus commodior eſt, non eſſe hominem ex conſueta ratione vivendi, qui non habeat fere ſemper aliquod peccatum, ut dicebam; ſeu vix eſſe breve momentum, quo caret aliquo, ſaltem veniali peccato: tam eſt hic ſtatus peccati homini aſſuetus, ut vix modico tempore ſit ſine peccato. Hinc iam verum eſt quod docet Ioannes non vere dicere illum, qui abſolute diceret ſe non habere peccatum. Modus enim hic loquendi excluderet abſolute peccata. Hoc ipſum explicatur optime ex verſ. 10. ſi dixerimus, quia non peccavimus, ubi conſtituit mendacium ſi quis neget ſe habuiſſe actum peccati: nihil hic. Ioannes de eo quod fieri poteſt per ſpecialem gratiæ favorem.

V. 9. SI CONFITEAMUR. Non conveniunt Scriptores, de qua confeſſione hic loquatur Ioannes, an de confeſſione facta Deo cum contritione, quæ ſufficiebat in lege naturæ & ſcripta; an vero de confeſſione ſacramentali. Hanc ſecundam interpretationem approbant Carthuſianus, Bellarm. Lib. I. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, cap. VIII. & Cornelius in hunc locum, & Serrarius ibidem. Nec alienum eſt a verbis & mente Ioannis, qui probe ſciebat eſſe ſacerdotibus plenam ligandi & abſolvendi poteſtatem; ex qua recte colligit Eccleſia confeſſionis ſacramentalis obligationem. At quomodo denunciatur in his iuſtus Deus? non enim tenetur ex iuſtitia iuſtificare impium, cum gratis ſemper iuſtificetur. Reſp. Æquum & congruum eſt, ut Deus pœnitenti remittat delictum. Sed quid de iuſtitia & mortali peccato? Recte Suarez III. p. tom. III. diſp. XI. ſect. I. concl. III. Eſt in his Deus fidelis & iuſtus. Et quidem cum condonat pœnitentibus mortalia, eſt fidelis: cum autem iuſto condonat venialia, eſt iuſtus: nam ex condigno meretur remiſſionem venialium. Caietanus ait utrumque fieri ex iuſtitia reſpectu Chriſti, & meritorum eius. Diſputant quidem Theologi, an actus contritionis conferat ex iuſtitia ad remiſſionem hanc & ſatisfactionem. Affirmant quidem illi qui volunt contritionem, quamvis ſit diſpoſitio ad gratiam, oriri tamen ex gratia habituali, ad quam diſponit, & ſic habere, unde ſit meritoria. Infirmum ſane eſt hoc fundamentum: & ex veriore interpretatione Concilii Tridentini contritio illa nec eſt forma iuſtificans de condigno; nec meritoria remiſſionis, nec ipſa remiſſio eſt actus iuſtitiæ, ſed fidelitatis in prima iuſtificatione.

CA.

CAPUT II.

Ieſus Chriſtus advocatus noſter eſt apud Patrem, & propitiatio pro peccatis totius mundi: obſervatione autem mandatorum Dei comprobatur vera Dei notitia ac dilectio: quod ſit vetus ac novum mandatum: quis ſit in luce & in tenebris: variis ſcribit ætatibus, revocans a mundi dilectione & ab hæreticis, ac monens ut ſemel acceptæ fidei adhæreant, ſequentes ductum Spiritus ſancti.

1. Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: 2. & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. 3. Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata eius obſervemus. 4. * Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. 5. Qui autem ſervat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus. 6. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare. 7. Chariſſimi, non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio: mandatum vetus, eſt verbum quod audiſtis. 8. (*a*) Iterum mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen iam lucet. 9. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc. 10. (*b*) Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt. 11. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos eius. 12. Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. 13. Scribo vobis patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum. 14. * Scribo vobis infantes, quoniam cognoviſtis patrem. Scribo vobis iuvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. 15. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo: 16. quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. 17. * Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. 18. Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, * & nunc Antichriſti multi facti ſunt: unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt. 19. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam, ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis. 20. Sed vos unctionem habetis a Sancto, & noſtis omnia.

Digitized by Google

omnia. 21. Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcien-
tibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non eſt. 22. * Quis
eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus,
qui negat Patrem, & Filium. 23. Omnis qui negat Filium, nec Patrem
habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet. 24. Vos quod audiſtis ab
initio in vobis permaneat: ſi in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio,
& vos in Filio & Patre manebitis. 25. Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe
pollicitus eſt nobis, vitam æternam. 26. Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſe-
ducunt vos. 27. Et vos unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vo-
bis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio eius do-
cet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit
vos: manete in eo. 28. Et nunc filioli manete in eo: ut cum apparuerit,
habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu eius. 29. Si ſci-
tis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit iuſtitiam, ex
ipſo natus eſt.

(a) Ioan. xiii. 34. & xv. 12. (b) Inf. iii. 14.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 4. *Qui dicit ſe noſſe eum.* Non mutes pronomen *eum* in nomen *Deum*.

Verſ. 14. *Scribo vobis infantes, quoniam cognoviſtis patrem.* Quod ſequitur in manuſcriptis codicibus: *Scribo vobis patres, quia cognoviſtis eum, qui ab initio eſt* & totidem verbis præceſſit ſupra verſ. 13. Sixtina biblia omittunt. Lege Notationes noſtras.

Ibidem. *Scribo vobis iuvenes.* Alii libri pro *iuvenes* ſcribunt *adoleſcentes*, ut ſupra verſ. 13. Nam & Græce eadem vox repetitur *νεανίσκοι*.

Verſ. 17. *Et mundus tranſit & concupiſcentia eius.* Non eſt mutandum præſens *tranſit* in futurum *tranſibit*.

Verſ. 18. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Non eſt omittendum primum *&*.

Verſ. 22. *Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Ieſus eſt Chriſtus.* Patres omiſerunt negationem *non*, quam alii præponunt verbo *eſt* poſteriori.

Notationes.

Verſ. 14. S*Cribo vobis infantes, quoniam cognoviſtis patrem.* Subiiciunt antiqui Latini codices, nominatim is quem nunc vidimus a R. S. Andreæ Abbate commodatus: *Scribo* (*Scripſi* G. S.) *vobis patres, quia cognoviſtis eum qui ab initio eſt.* Conſonat Lugdunenſis editio anni 1514. ſuffragantur Græci, & Syrici codices; adſtipulantur Auguſtinus, Beda, & OEcumenius tractatores. Videtur hic verſiculus omiſſus fuiſſe, tum quia proxime præcedenti verbis ac re ſimillimus eſt, tum quia paulo ante idem prorſus lectus eſt. Cum enim Apoſtolus omni animum addidiſſet ætati, ut Servatoris aucta beneficiis in Domino gauderet, gloriareturque, cupiens maiori id pondere mentes penetrare, fixumque inhærere, iterum egit. Et infantes quidem, ſive pueri, atque adoleſcentes, quos plerique libri iuvenes hic vocant (Græcis eadem eſt vox quæ prius *νεανίσκοι*) ab omnibus concorditer repetuntur patres, ſive ſenes cur prætetiti ſint? An quod ſufficeret ſenes, quippe per ſe ſapientes, ſemel monuiſſe? Una eſt Complutenſis editio Græca (Regia namque eadem eſt) quæ vulgaribus Latinorum codicibus ſimiliter omittat.

V. 22. *Quis eſt mendax, niſi is quis negat, quoniam Ieſus non eſt Chriſtus?* Quidam codices auferunt *non*: ſed videtur Interpres, ita ut in Græco erat reliquiſſe: legitur enim in pleriſque ac melioribus Latinis libris, ut in Græcis unaque Syriacis. Porro ut Græce, & Syriace duæ negationes vehementius negant, ita intelligendum eſt &, quoad Græci imitationem verſum eſt, Latinum. Quare non eſt alius loci ſenſus, lecta quam omiſſa negatione; ſed hic unus: *Mendax eſt qui negat Ieſum eſſe Chriſtum*, ſeu qui negando ait quod Ieſus non ſit Chriſtus.

COM·

Digitized by Google

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. I. ADVOCATUM HABEMUS. Quidam Græci codices habent ἔχωμεν, id eſt *habeamus*; quidam ἔχομεν, id eſt *habemus*; & utroque modo ſenſus commodus. Veronenſis codex habet, ἔχομεν, id eſt *habemus*. Advocatum ergo habemus iuſtum, qui iniuſtas cauſas non defendit; ſed iuſtum eſt ſupplicanti & confitenti miſericordiam conferre: hunc ergo advocatum habemus qui eſt propitiatio non pro noſtris tantum, ſed pro peccatis etiam totius mundi: neque ex hoc loco conſequens eſt, non orare ſanctos pro nobis, ut in hunc locum ait Auguſtinus. Aliud eſt enim orare, aliud propitiationem eſſe: ſolus Chriſtus propitiator apud patrem, non ſolus interceſſor: argumentum ergo eorum, qui inde ſanctorum interceſſionem vellent tollere, reiicit in hunc locum Auguſtinus, dicens: ſed dicet aliquis: ergo ſancti non petunt pro nobis? & multa quæ in eam ſententiam affert, opinionem refellens hæreticorum: nos autem ſcholia tantum brevia adſerentes omittimus.

V. 4. QUI DICIT SE NOSSE DEUM. Græca paulo ſecus habent, *ὁ λέγων ἔγνωκα αὐτόν*, id eſt, *qui dicit novi eum:* ſed rectius vertit interpres: qui ergo iactat ſe noſſe, id eſt amare Deum, pro hoc enim hic noſſe ſumitur, & mandata eius non ſervat, ſcilicet de dilectione Dei & proximi, mendax eſt: probatio enim dilectionis exhibitio eſt operis.

V. 5. QUI AUTEM SERVAT VERBUM EIUS: τὸν λόγον, idque ἐμφατικῶς legendum; unde Auguſtinus non quodvis verbum, ſed mandatum dilectionis intelligit, de quo ait Chriſtus: *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*.

V. 7. CHARISSIMI, NON MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS. Quomodo vero non novum, quum Chriſtus dicat, *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*, & ipſe poſtmodum dicat, ITERUM MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS? Et nunc ait, *non mandatum novum ſcribo vobis*, SED MANDATUM VETUS QUOD HABUISTIS AB INITIO: caritas ergo poteſt dici mandatum vetus, quia ab initio legis Moſaicæ datum eſt præceptum de diligendo proximo: quod ipſe repetit, MANDATUM VETUS EST QUOD AUDISTIS, ubi Græci addunt, *ἀπ' ἀρχῆς*, id eſt *ab initio*, quia ab initio dictum eſt antiquis, *diliges proximum tuum*: & quia veteri illi mandato adiectum eſt, *odio autem habebis inimicum tuum*, quod addimentum per novam Evangelii legem ſublatum eſt, recte vocat præceptum caritatis novum mandatum, quia a Chriſto, dicens: *Iterum mandatum novum ſcribo vobis*.

V. 8. & 9. QUOD VERUM EST IN IPSO ET IN VOBIS; ubi unicum tantum *&* Græca habent, & *τὸ quod* non poteſt referri ad mandatum, quia Græce ὅ, id eſt *quod* eſt neutrius generis, & *ἐντολὴν*, id eſt *mandatum*, feminini: ideoque quum præcedat *mandatum novum ſcribo vobis*, faciendus eſt hic punctus: deinde nova ſententia ſequitur: *quod verum eſt in ipſo, &*, id eſt etiam in vobis: ſubaudi, verum eſt. Quid autem ſibi velit iis verbis Apoſtolus, aut quid referat *τὸ ipſo*, fateor me ignorare. Auguſtinus tacet, Beda ſilet, ſcholia Veronenſia prætermittunt; dicam tamen quod coniicio, dum intelligentiam expecto meliorem: Græce eſt *ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ, καὶ ἐν ὑμῖν ὅτι ἡ σκοτία παράγεται, καὶ τὸ φῶς ἀληθινὸν ἤδη φαίνει*, id eſt quod in ſe ac per ſe verum eſt, ſcilicet quod tenebræ prætereunt, ſive ut Interpres legit, præterierunt, & quod verum lumen iam lucet, *& in vobis*, id eſt etiam in vobis verum eſt, hoc eſt, ſicut in ſe verum eſt disiectis per Chriſti adventum tenebris verum lumen illuxiſſe, etiam verum eſt in vobis credentibus ſugatis tenebris lumen verum gratiæ lucere: & nemo mentiatur ſe in luce eſſe, quia QUI DICIT SE IN LUCE ESSE, id eſt ſecundum Chriſtum, qui vera lux eſt, ambulare, ET ODIT FRATREM SUUM, IN TENEBRIS ADHUC EST.

V. 10. ET SCANDALUM IN EO NON EST, id eſt non offendit: *σκάνδαλον* enim Græce, Latine dicitur offenſio, cum quis in lapidem, aut quid aliud, imprudens impingit, quod iis facile evenire ſolet, qui in tenebris ambulant, non item qui in lumine.

V. 13. uſque ad 16. SCRIBO VOBIS FILIOLI. Ad tres ætates hic ſcribit Ioannes, ad pueros, patres ac ſenes, & ad adoleſcentes: & ad utramque ætatem bis ſermonem dirigit. Primo loco pueris ſcribens vocat Græc. τέκνια, diminutivum ἀπὸ τῦ τέκνον, quod filium ſignificat, Interpres recte vertit filioli, & iis primo loco apoſtolus inquit: *ſcribo vobis.* QUONIAM REMITTUNTUR VOBIS PECCATA PROPTER NOMEN EIUS, ſcilicet Chriſti, in quo videlicet nomine baptizati eſtis: quia enim facile labuntur pueri, ſcribit lapſus eorum ſibi per Chriſti nomen in baptiſmo condonatos eſſe: ſecundo loco loquens ad eos appellat Græc. τὰ παιδία, id eſt *puerulos*, interpres vertit *infantes:* ſed iidem ſunt, ad quos ſcribit priore & altero loco, licet non iiſdem verbis, ſecundo enim loco ait, SCRIBO VOBIS INFANTES ſive parvuli, QUONIAM COGNOVISTIS PATREM: ſolatium eſt puerulis, ſi patrem ad quem in neceſſitate confugiunt, poſſunt cognoſcere: vos autem, inquit, cognoviſtis patrem, Græce τὸν πατέρα, id eſt *patrem illum*, ſcilicet cæleſtem, neque id parum eſt, quum eam ob rem in Evangelio patri Chriſtus agat gratias, dicens: *Confiteor tibi Domine pater cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Ad ſenes autem & patres dicit, *ſcribo vobis patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio eſt:* & eandem ſententiam iiſdem verbis ponit, ſicut tota epiſtola frequens eſt Ioannes in repetendis ſententiis, quo magis inculcet. Gloriari ſolent patres & ſenes quod longa rerum experientia ſcientes evaſerint: at vobis (inquit) ſcribo, unde magis gloriandum vobis eſt, quia cognoviſtis eum, qui ab initio eſt, Chriſtum ſcilicet antiquum illum dierum, qui erat in principio verbum apud Deum. Adoleſcentibus autem ſcribit ita primo loco: SCRIBO VOBIS ADOLESCENTES, QUIA VICISTIS MALIGNUM, Græce τὸν πονηρὸν, id eſt varium & perverſum illum veteratorem, diabolum ſcilicet. Solent exultare adoleſcentes & iuvenes, utrumque enim ſignificat Græcum νεανίσκοι, ſi robore & fortitudine valent; ideo inquit, SCRIBO VOBIS QUOD FORTES ESTIS, utpote qui diabolum viciſtis. Secundo loco idem pene ſcribit, niſi quod addit quo pacto vicerint. *Scribo vobis adoleſcentes, quia fortes eſtis*, per Chriſtum ſcilicet, qui crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute, ET VERBUM DEI MANET IN VOBIS, unde & viciſtis malignum: *hæc eſt enim victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*, quæ conſtat auditu; auditus autem per verbum: neque vero mundum tantum vincit, ſed & principem mundi huius, diabolum.

V. 16. OMNE QUOD EST IN MUNDO, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Pro concupiſcentia eſt Græce ἐπιθυμία, quod deſiderium vertit Auguſtinus, nos libidinem vertere poſſumus: pro ſuperbia eſt, ἀλαζονεία, quod magis inſolentiam ſignificat. Concupiſcentia autem carnis (ut inquit Auguſtinus) non modo libidinis & rei venereæ, ſed omnium, quæ ad carnem pertinent, immoderatus, & illicitus uſus eſt, ſive potus, ſive luſus, concupiſcentia oculorum, & avaritiam, & omnem inanem comprehendit rerum aſpectabilium curioſitatem. Superbia vitæ omne genus arrogantiæ & ambitionis, ac ſuperbiæ. Quod autem ait interpres QUAE NON EST EX PATRE, & τὸ quæ ad vitæ ſuperbiam refert, Græci ad tria referunt, & paulo ſecus habent, quam legit noſter interpres, ſcilicet, ὅτι πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, καὶ ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ ἡ ἀλαζονεία τῦ βίυ, ὐκ ἔστιν ἐκ τῦ πατρὸς, ἀλλ᾽ ἐκ τῦ κόσμυ ἐστί; id eſt, quia quicquid in mundo eſt, libido ſcilicet carnis, & libido oculorum, & ſuperbia ſive inſolentia vitæ, non a patre, ſed a mundo eſt: & ſic ſenſus Græcorum optime quadrat cum præcedentibus, *ſi quis diligit mundum, non eſt caritas patris in eo*, quia quicquid in mundo eſt, quod unum eſt e tribus illis, a patre non eſt, ſed a mundo.

V. 18. FILIOLI NOVISSIMA HORA EST. Multi varie hunc locum exponunt: mihi ſimpliciter videtur eſſe ſenſus, ad quem accedunt Græca ſcholia: noviſſima hora eſt, id eſt tempus noviſſimum inſtat; nam ὥρα, tempus ſignificat: noviſſima ergo inſtant tempora, quando venturus eſt Dominus ad iudicium: & ne dicerent nondum inſtare, quia nondum venit Antichriſtus, ſubdit, ET SICUT AUDISTIS QUIA ANTICHRISTUS VENIT, in præſenti (Græce enim eſt ἔρχεται) is quis noviſſimo ſæculo venturus

turus

Digitized by Google

turus eſt, ET NUNC, id eſt ita & nunc ANTICHRISTI SUNT MULTI, hæretici ſcilicet Antichriſti præcurſores, Chriſtique hoſtes, qui vel eum hominem, vel Deum negant, quales tempore Ioannis Hebion, Cherinthus, Nicolaus, & alii. UNDE SCIMUS QUIA NOVISSIMA HORA EST: noviſſimo enim tempore venturus eſt Antichriſtus: inſtat autem, quia iam præcurſores eius venerunt, ac per hoc noviſſimum tempus coniicimus, quo ſe præparare ad adventum Domini oportet.

V. 19. EX NOBIS PRODIERUNT, ſive exierunt, ἐξῆλθον, SED NON ERANT EX NOBIS, Græ. exponunt *τυτέςι τῆς τῶν σωζομένων μοίρας*, id eſt de parte ſalvatorum; ſi enim fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum. SED UT MANIFESTI SINT QUOD NON SINT OMNES EX NOBIS: hic eſt eclipſis ad quam implendam ſupplent Græca ſcholia: quod ſequitur, *νῦν δὲ τῦτο πεπόνθασιν*, deinde ſubdunt *ἵνα φανερωθῶσι*, id eſt ſed hoc nunc illis contigit, ut manifeſtum fiat non omnes fuiſſe ex nobis, id eſt nobiſcum ſentientes.

V. 20. SED VOS UNCTIONEM HABETIS; id eſt, ſpiritus ſancti gratiam, qua uncti & Chriſti Dei eſtis, per quem omnia noſtis, & vaſritiem antichriſtorum dignoſcere poteſtis: neque opus habetis iterum doceri, ſed tantum in percepta doctrina perſtare.

V. 22. HIC EST ANTICHRISTUS, QUI NEGAT PATREM ET FILIUM. Etſi tam factis, quam verbis negatur Deus, teſte Paulo dicente: *qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant:* Iudæos tamen hoc maxime loco perſtringit, qui negabant Ieſum Dei filium, ac ſic patrem negabant, cui unicum filium auferebant.

V. 25. ET HAEC EST REPROMISSIO, QUAM POLLICITUS EST NOBIS, VITAM AETERNAM. Manere in filio & in patre, promiſſio certe eſt, quam nobis pollicitus eſt in Evangelio orans pro nobis ad patrem Dominus, Ioan. XVII. Non pro eis autem rogo tantum, ſed pro eis qui credituri ſunt in me per verbum eorum, ut omnes unum ſint, & ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. Bene ergo ait de hoc Ioannes; *hæc eſt promiſſio, quam pollicitus eſt nobis*, quæ quidem eſt vita æterna.

V. 27. NON NECESSE HABETIS UT ALIQUIS DOCEAT VOS. Sicut Ioannes Chryſoſtomus ait, haudquaquam in primitiva eccleſia fidelibus opus erat libris, docente eos Spiritu ſancto, quæ neceſſaria erant ſaluti. Quod hic Ioannes dicit, ſcilicet quod unctio Spiritus ſancti, id eſt Spiritus ſanctus docet vos de omnibus, verum eſt: tantum ergo manete in ea unctione, & in eo quod vos docuit, & ſervabimini ab impoſtoribus.

S A.

Verſ. 1. IUSTUM: adeoque dignum qui a Patre impetret.

V. 2. PROPITIATIO; pro, propitiator. NOSTRIS, id eſt Chriſtianorum. TOTIUS MUNDI, ſcilicet quantum ex ipſo eſt.

V. 3. QUONIAM; pro, quod. COGNOVIMUS, ſcilicet ut par eſt.

V. 5. VERBUM, id eſt mandatum. PERFECTA, ſcilicet quantum ſufficit ad ſalutem. IN HOC, id eſt per hanc obſervantiam mandatorum. IN IPSO, id eſt eius amici, ſeu ipſi coniuncti.

V. 6. MANERE, ſcilicet ut membrum in corpore, aut palmitem in vite. AMBULAVIT, id eſt vixit, ſeu converſatus eſt.

V. 7. CHARISSIMI. Græc. *fratres*. NON MANDATUM, &c. quaſi dicat, Non vobis rem novam præcipio, ſed quam accepiſtis ex quo Chriſtiani eſtis. AUDISTIS, ſcilicet a me hactenus; vel a principio converſionis veſtræ de Dei dilectione.

V. 8. ITERUM, id eſt rurſum. Græc. *πάλιν*; quaſi dicat, Quamquam novum illud poſſum vere dicere. NOVUM, ſcilicet de proximi dilectione: ſic enim illud Chriſtus vocavit. Vide Ioan. XIII. VERUM, id eſt perfectum, vel veritatis plenum. IN IPSO, id eſt in ſe. IN VOBIS, ſcilicet faciens vos perfectos; vel, in luce ambulantes. QUIA; quaſi dicat, Novum eſt, per novam lucem in mundum per Chriſtum allatam. TENEBRAE, ſcilicet errorum & peccatorum.

V. 10. SCANDALUM, &c. quaſi dicat, Nulli eſt ſcandalo.

V. 12. NOMEN EIUS, id eſt ipſum, ſcilicet Chriſtum.

V. 13. AB INITIO EST, id eſt ſemper fuit. MALIGNUM ſcilicet diabolum: Græc. *τὸν πονηρόν, illum malum*

V. 14. INFANTES. Græc. *παιδία*, id eſt

puelli, ſeu *filioli*. Tres diſtinguit ætates, ſcilicet puerorum, iuvenum, & ſenum.

V. 15. PATRIS, id eſt in Patrem Deum.

V. 16. OCULORUM, ſcilicet avaritiæ cupiditas, ſeu curioſitatis. SUPERBIA VITAE. Syr. *faſtus mundi*.

V. 17. TRANSIT; quaſi dicat, Cito deſinet.

V. 18. HORA, id eſt tempus. VENIT: præſens tempus eſt pro futuro. ANTICHRISTI. De hæreticis loquitur: Aug. II. Lib. Contra adverſ. Leg. & Proph.

V. 19. NON ERANT EX NOBIS, id eſt ex numero prædeſtinatorum. Aug. II. de Prædeſt. SED UT, &c. quaſi dicat, Ideo tales evaſerunt, ut appareret, &c.

V. 20. SANCTO, ſcilicet Spiritu. NOSTIS OMNIA, ſcilicet ad ſalutem neceſſaria. Syr. *unumquemque hominem diſcernitis*.

V. 21. ET QUONIAM, &c. ſcilicet ſcientibus. NON EST, id eſt non procedit, ſed ei adverſatur.

V. 23. HABET. Syr. *credit*. HABET. Syr. *confirmetur*.

V. 25. REPROMISSIO; pro, promiſſio.

V. 26. DE HIS, id eſt propter eos.

V. 27. DOCEAT, ſcilicet quæ iam didiciſtis, vel ad ſalutem neceſſaria. UNCTIO, id eſt Chriſtianiſmus: *Chriſtianus* enim quaſi *unctus*, & quidem Gr. hic χρίσμα. ET SICUT; pro, igitur ſicut.

V. 28. CONFUNDAMUR, id eſt pudefiamus: quaſi dicat, Ne nos confundat, ſeu pudefaciat, cum ad iudicium venerit.

V. 29. IUSTUS, ſcilicet Chriſtus.

MARIANAE.

Verſ. 1. ADVOCATUM. Orat Chriſtus ut homo pro nobis in cælo, ut S. Thom. ait 3. 2. quæſt. LXXXIII. art. X. Abulenſis Matth. XIV. quæſt. CXLII. cum Origene Hom. VII. in Levit. & Cyrill. Lib. XI. in Ioan. cap. VII. Contra ſentit Rupertus Lib. de Divin. Offic. cap. 11. Chriſtum non orare, quia omnia in ſua poteſtate habet. Sed præſtat Chriſtum confiteri παράκλητον, *advocatum*. Nec ex hoc ſequitur, Sanctos non orare pro nobis, uti Auguſtinus hoc loco contra hæreticos ait. Chriſtus eſt primarius advocatus, Sancti ſecundarii.

V. 2. ET IPSE EST PROPITIATIO, ſuo ſanguine obtinuit; oratque cum ſua pro nobis Vulnera Patri oſtendit. Ut miles, qui vulnera accepta Principi repræſentat, efficacius petit quam ſi loqueretur.

V. 4. QUI DICIT SE NOSSE EUM, id eſt amare, id oſtendere debet per opera & obſervationem mandatorum.

V. 5. QUI AUTEM SERVAT VERBUM EIUS, id eſt præcepta, in hoc eſt caritas.

V. 7. NON MANDATUM NOVUM SCRIBO VOBIS, quia olim præceptum erat, *Diliges proximum tuum*, ſed a Chriſto Ioan. XIII. 34. vocatur *novum mandatum*, & hic etiam verſ. 8. quoniam denuo inculcatur quod erat antiquum, & quoniam veteris iam erant obliti.

V. 8. QUOD VERUM EST ET IN IPSO, ET IN VOBIS. Locus difficilis: ſi legeretur *in nobis*, ut Goth. habet, & duo codices Græci Roberti, facilior eſſet explicatio, ut *in ipſo* ad Chriſtum referatur, qui præceptum dilectionis *novum* vocavit loco citato, & *in nobis* ad ipſum Ioannem, qui id ipſum hic dicit. QUIA TENEBRAE TRANSIERUNT. Eius præcepti iam antiqui erant obliti, cum nova luce Evangelii rurſus innovatur. Si quis meliora attulerit, gratias habeam.

V. 10. ET SCANDALUM IN EO NON EST, ſcilicet qui fratrem amat, non offenditur eius erratis, quia ea non videt, operit amor. Ergo *ſcandalum* pro offendiculo.

V. 11. ET IN TENEBRIS AMBULAT. Quid odit, ſemper in rebus fratris impingit, ut qui noctu ambulat. Etenim inviſi ſemel etiam benefacta offendunt.

V. 12. SCRIBO VOBIS FILIOLI, ſcilicet mei. QUONIAM REMITTUNTUR VOBIS PECCATA, ſcilicet in Baptiſmo, nomine Chriſti in forma expreſſo.

V. 13. SCRIBO VOBIS PATRES, QUONIAM COGNOVISTIS, Deum ſcilicet & Verbum, quod erat in principio. SCRIBO VOBIS ADOLESCENTES. Goth. *iuvenes*. Græce, νεανίσκοι.

V. 14. INFANTES, QUONIAM COGNOVISTIS PATREM, ſcilicet veſtrum, ei obediendo. In quibuſdam codicibus additur verſ. 13. iiſdem verbis etiam Græc. Syr. ſed Lovan. & Rom. abſtulerunt. Habent hic & explicant Auguſtinus, Beda, Oecumenius. VOBIS IUVENES. Ii ſolent de fortitudine gloriari. Ergo QUONIAM FORTES ESTIS IN

fide,

Digitized by Google

fide, Et vicistis malignum, id eſt diabolum.

V. 15. Nolite diligere mundum: quoniam in eo eſt

V 16. Concupiscentia carnis: per quam libidinem, ganeam, ludos intelligit Auguſtinus: omnia quæ ad mollitiem & voluptatem corporis pertinent. Et concupiscentia oculorum. Avaritia, in ornatu & ædificiis elegantia nimia. Et superbia vitae. Omne genus arrogantiæ, faſtus, aliorum deſpectus.

V. 18. Novissima hora est, tempus inſtat, iudicii dies. Audistis quia Antichristus venit: in præſenti, pro, venturus eſt. Et nunc Antichristi multi; quaſi dicat, Verum id eſt, ſed iam id eſt impletum, non unus, ſed multi venerunt, ſcilicet hæretici. Ex eo cognoſcimus inſtare horam noviſſimam.

V. 19. Ex nobis prodierunt. Hæretici prodierunt ex Eccleſia. Sed non erant ex nobis, id eſt ex electis. Non sunt omnes ex nobis. Goth. *non erant omnes ex nobis*. Syr. *ut innoteſcat eos ex nobis non fuiſſe*.

V. 20. Sed vos unctionem habetis, ut ſcilicet eos & omnia cognoſcatis.

V. 21. Omne mendacium ex veritate non est, id eſt a Deo, ei adverſatur.

V. 22. Nisi is qui negat, quoniam Iesus est Christus? Græc. Regia, *Ieſus non eſt Chriſtus*. Verum negatio redundat in verbo *negat* incluſa, & plerique eam Expoſitores omittunt.

V. 23. Omnis qui negat Filium. Iudæos perſtringit, qui negant Chriſtum eſſe Dei Filium. Qui confitetur Filium, et Patrem habet. Hoc Græc. non eſt, ſed vitio: nam Syr. id habent, & quatuor Roberti codices Græci, tum Veleſius.

V. 24. Quod audistis ab initio, in vobis permaneat. Goth. *permanet*. Verum alii codices reclamant, nec bene ſequentia cohærent; quaſi dicat, Si in vobis permanſerit quod audiſtis, in Filio & Patre manebitis.

V. 25. Et haec est repromissio, nempe *manere in Deo*, quæ vita æterna eſt.

V. 27. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos. Hoc erat in primitiva Eccleſia, ut ait Chryſoſtomus, libris & magiſtris opus non erat ob affluentiam Spiritus ſancti. In eius unctione, ſi permanſerint, facile ſeductores vitabunt, ut mox ait.

MENOCHII.

Verſ. 1. Ut non peccetis: ut pro viribus a peccatis abſtineatis. Sed et si peccaverit, &c. non deſperet, ſed ad Chriſtum confugiat, qui advocatus eſt noſter apud Patrem: eſt autem advocatus noſter exhibendo ſe, & ſua vulnera, & conſequenter ſua merita allegando divino conſpectui. Iustum: innocentem, & ſanctum, qui ſua ſanctitate gratiſſimus Patri meretur exaudiri, quique iuſte pro peccatis noſtris ſatisfecit.

V. 2. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: ſiquidem ipſe offerens ſe in cruce victimam pro peccatis noſtris ſatisfecit.

V. 3. Et in hoc scimus: ex hoc probabiliter intelligimus. Quia cognovimus eum: quod eum cognoſcamus, & diligamus. Accipitur hic cognitio non pro ſpeculativa, & ſterili, ſed pro practica, quæ cum amore, & affectu coniuncta eſt.

V. 4. Qui dicit se nosse Deum: vera, & ſalutifera notitia, id eſt practica, quæ noſcentem perducat ad vitam æternam.

V. 5. Verbum eius: iuſſa, & mandata eius. In hoc caritas Dei perfecta est: hic perfecte diligit Deum, nam probatio amoris eſt exhibitio corporis. Quoniam in ipso sumus: quod illi adhæremus, & cum eo arcte ſumus adſtricti.

V. 6. Manere: ſcilicet membrum in corpore, aut palmitem in vite. Ambulavit: vixit, geſſit ſe, converſatus eſt.

V. 7. Non mandatum novum: loquitur de mandato dilectionis Dei, & proximi, quod eſt mandatum vetus, quippe legis naturalis, & datum etiam Iudæis in veteri lege Levit. xix. 18. Quod habuistis ab initio: in quo ab initio, cum Chriſto nomen dediſtis, inſtituti eſtis. Verbum quod audistis: de dilectione Dei, & proximi.

V. 8. Iterum mandatum novum scribo vobis; quaſi dicat, Iterum inculco vobis mandatum hoc de dilectione, quod eſt quidem vetus, ſed cum in deſuetudinem abiiſſet, a Chriſto renovatum, & auctum eſt,

eſt, ideoque merito novum appellatur. Alludit, immo citat illud Chriſti, Ioan. XIII. 33 *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*. QUOD. In græco eſt, ὃ, quod pronomen cum ſit veſtrum non poteſt referre *mandatum*, eo quod græce ſit ἐντολὴ, femininum. Sumitur ergo ſubſtantive, ac ſi dixiſſet, *quæ res*. VERUM EST IN IPSO, ET IN VOBIS. Mandatum hoc, res hæc veriſſima eſt in ſe ipſa, certiſſima, & antiquiſſima, quia eſt iuris naturalis; vera etiam eſt in vobis, quia vos illud ipſum cum nova vita in Chriſto complexi eſtis. Vel ſenſus eſt, Mandatum hoc locum habet tam in ipſo, id eſt Chriſto, quam in vobis, nam Chriſtus amorem hunc exhibuit, & vos etian illum imitati eſtis. QUIA TENEBRAE: ignorantiæ, concupiſcentiæ, & peccatorum, quibus dilectio hæc impediebatur, tranſierunt. VERUM LUMEN: Evangelii, fidei, gratiæ, & amoris.

V. 9. IN LUCE ESSE: de qua nunc diximus. IN TENEBRIS EST USQUE ADHUC, adhuc eſt in tenebris.

V. 10. IN LUMINE MANET: fidei, & amoris Chriſtiani. ET SCANDALUM IN EO NON EST: nuſquam impingit, ſed inoffenſo pede currit viam mandatorum Dei. Sic habemus Pſal. XVIII. 65. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Vel ſenſus eſt, nulli eſt ſcandalo.

V. 11. IN TENEBRIS EST: errorum, & malitiæ. ET NESCIT QUO EAT: obcæcatus ira, invidia, odio, aliiſque animi perturbationibus, quæ tenebras mentis oculis offundunt.

V. 12. SCRIBO VOBIS FILIOLI, &c. Tribus hiſce verſiculis appellat pueros, iuvenes, & ſenes. Quod ergo hic dicit *Filioli*, de pueris intelligendum eſt; quaſi dicat: Gaudete pueri, & gratulamini vobis, & Deo gratias agite, illumque diligite, & colite, &c. QUONIAM REMITTENTUR, id eſt remiſſa ſunt per baptiſmum, & ſi quæ deinceps committatis remittentur per pœnitentiam vobis peccata veſtra, in quæ puerilis ætas, imbecillis concilii, prona eſſe ſolet. PROPTER NOMEN EIUS, id eſt propter ipſum, ſcilicet Chriſtum. Vel propter invocationem, & eius auctoritatem, & poteſtatem.

V. 13. SCRIBO VOBIS PATRES: iam appellat grandævos, & ſenes. QUONIAM COGNOVISTIS EUM, QUI AB INITIO EST. Senes gloriari ſolent ſe multa vidiſſe, & expertos eſſe, iuxta illud Iob XII. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*; hiſce ergo antiquis accommodate ad ipſorum gentem, gratulatur S. Ioannes quod cognoverunt antiquum dierum, id eſt Deum, qui eſt ab initio, ſcilicet ab æterno.

V. 15. NOLITE DILIGERE MUNDUM. Mundum ſumit pro mundana vita, qualem ſectantur ii, qui cupiditatibus ſerviunt, honori, voluptati, divitiis. NEQUE EA QUAE IN MUNDO SUNT: quomodo hoc intelligendum patet ex ſequenti verſiculo. NON EST CARITAS PATRIS IN EO: nam, ut, ait S. Iacob. cap. IV. 4. *Amicitia huius mundi inimica eſt Dei; quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur*.

V. 16. OMNE QUOD EST IN MUNDO, &c. Vel ſenſus eſt totum quaſi corpus concupiſcentiæ, & peccati tribus hiſce partibus, quas enumerat, quaſi membris ſuis, aut elementis integrari. Vel, ſignificat, quidquid in hoc naturali, & viſibili mundo eſt, aut voluptatum illecebris animum emollire, aut divitiarum cupiditate inflammare, aut faſtu, & ambitu extollere. CONCUPISCENTIA CARNIS: appetitus voluptatum tactus. CONCUPISCENTIA OCULORUM: avaritia, quæ rerum pretioſarum aſpectu irritatur, & poſſeſſione delectatur. SUPERBIA VITAE: ἀλαζονεία τοῦ βίου, faſtus vitæ, arrogantia, inſolentia, & oſtentatio, quæ in vita, & moribus ſuperborum eminere ſolent. QUAE, ſcilicet triplex concupiſcentia. NON EST EX PATRE, &c. cuius corruptionis, & vitii Deus auctor non eſt, ſed natum eſt ex Adamo concupiſcente, & peccante, cuius culpam mundus, & mundani homines imitantur.

V. 17. ET MUNDUS TRANSIT: eſt ratio cur mundus diligendus non ſit, quia ſcilicet mundus tranſit, id eſt, tempus prætervolat, & homines tempori ſubiecti lapſu temporis ſeneſcunt, & ex hac vita abripiuntur. ET CONCUPISCENTIA EIUS: quia cum hominibus ipſis pereunt cupiditates bonorum horum aſpectabilium. MANET IN AETERNUM: beati, & ſempiterni ævi compos factus in cælis.

V. 18. NOVISSIMA HORA EST: ultima mundi ætas. ET SICUT AUDISTIS QUIA ANTICHRISTUS VENIT: quia extrema mun-

di ætate audiſtis non ſemel adſuturum Antichriſtum. ET NUNC ANTICHRISTI MULTI FACTI SUNT. ANTICHRISTI, id eſt contrarii Chriſto, & veri Antichriſti præcurſores, qui Chriſti fidem, immo ipſam Chriſti perſonam inpugnant. Notat hæreticos ſui temporis, quorum alii negabant Chriſtum eſſe Deum, alii eſſe verum hominem. UNDE SCIMUS QUIA NOVISSIMA HORA EST: ultima ætas, qua venturus eſt Antichriſtus, & eius præcurſores.

V. 19. EX NOBIS PRODIERUNT: e noſtro fidelium cœtu; omnes enim hæretici a Chriſti fide ſemel ſuſcepta apoſtatant, & in hæreſim abeunt. NON ERANT EX NOBIS: non erant genuini, veri, & ſolidi Chriſtiani. PERMANSISSENT NOBISCUM: conſtanter, & ſemper. SED UT MANIFESTI SINT, &c. ſenſus eſt, quem Syrus exhibuit: *ſed egreſſi ſunt e nobis, ut innoteſcat eos ex nobis non fuiſſe*. Deus permiſit eos apoſtatare, ut proderetur eorum inconſtantia, levitas, & ſuperbia, &c.

V. 20. SED VOS UNCTIONEM HABETIS A SANCTO, id eſt gratiam, & ſapientiam habetis a Chriſto, vel a Spiritu ſancto. Per unctionem aliqui intelligunt baptiſmum, in quo ungimur in vertice capitis, alii ſacramentum confirmationis, in quo ungimur in fronte; alii Chriſtianiſmum, qui dicitur a Chriſto, id eſt uncto; alii gratiam; alii donum ſapientiæ, & intellectus; alii inſpirationem Sancti ſpiritus. Hæc autem licet diverſa ſint inter ſe, eodem tamen redeunt, omnia enim hæc complectitur Chriſtianiſmus. NOSTIS OMNIA: ampliſſimam de rebus divinis, & ad Eccleſiam pertinentibus cognitionem nacti eſtis, ut pluribus vos docere non ſit neceſſe. SED QUASI SCIENTIBUS EUM, ut, ſcilicet quod iam ſcitis vobis revocem in memoriam. ET QUONIAM OMNE MENDACIUM EX VERITATE NON EST: repete *τὸ ſcientibus*; quaſi dicat, Scripſi hæc vobis ſcientibus veritatem, ideoque pariter ſcientibus quod mendacium, id eſt, errores, falſitates, & hæreſes ex veritate non ſunt, nec ex ea procedunt, ſed illi adverſantur.

V. 2. QUIS EST MENDAX? per antonomaſiam, id eſt mendaciſſimus. EST CHRISTUS? id eſt Meſſias promiſſus, & tamdiu expectatus. HIC EST ANTICHRISTUS: hic vere poteſt appellari Antichriſtus, quia Chriſto adverſatur. QUI NEGAT PATREM, ET FILIUM: quia negando Chriſtum eſſe filium Dei, negat Deum eſſe eius Patrem; Pater enim, & filius ſunt correlativa, quorum lex eſt ut mutuo ſe tollant & ponant.

V. 23. HABET: credit.

V. 24. VOS QUOAD AUDISTIS AB INITIO IN VOBIS PERMANEAT: quod vos audiſtis ab initio, illud in vobis permaneat; quaſi dicat, Conſtanter perſeverate in fide, doctrina, & vita Chriſtiana, quam primitus accepiſtis. IN FILIO, ET PATRE MANEBITIS: adhærebitis Patri, & filio per veram fidem, ſpem, & caritatem.

V. 25. HAEC EST REPROMISSIO, id eſt res promiſſa. QUAM IPSE POLLICITUS EST NOBIS: nimirum ſi in ipſo maneamus. VITAM AETERNAM: *vita æterna*, ut legit S. Auguſtinus. Eſt antiptoſis, id eſt caſus pro caſu, accuſativus pro nominativo. Sic dixit Terentius in prologo Andriæ: *Populo ut placerent quas feciſſet fabulas*: & Virgilius *urbem quam ſtatuo veſtra eſt*.

V. 27. ET VOS UNCTIONEM QUAM ACCEPISTIS AB EO MANEAT IN VOBIS. Verba ſic ordinanda ſunt: *& quas vos accepiſtis unctionem ab eo, maneat in vobis*. Eſt alia antiptoſis ſimilis præcedenti. Quid per unctionem intelligat diximus verſ. 20. SICUT UNCTIO DOCET VOS: quæ vos docet unctio, id eſt inſpiratio divina, donum ſapientiæ, & intellectus, & ſana doctrina, quam habetis in Chriſtianiſmo.

V. 28. UT CUM APPARUERIT: Chriſtus in gloria mundum iudicaturus. HABEAMUS FIDUCIAM: ſiſtendi nos illi, conſcientia nos non reprehendente. ET NON CONFUNDAMUR AB EO IN ADVENTU EIUS; quaſi dicat, Ne pudefiamus utrique, ſcilicet, tam vos ſi a doctrina Chriſti aberretis, quam nos Apoſtoli & Paſtores, quod vos in ea non continuerimus.

V. 23. SI SCITIS, id eſt quia ſcitis, vel, cum ſciatis; quandoquidem ſcitis. QUONIAM IUSTUS EST: quod Chriſtus iudex iuſtus eſt, & ipſa iuſtitia. ET OMNIS QUI FACIT IUSTITIAM: qui recte, & laudabiliter vitam traducit. EX IPSO NATUS EST: per gratiam, & cæleſtis hereditatis poſſeſſionem obtinebit.

TI.

T I R I N I.

Verſ. 1. HAEc quæ dixi in fine eſp. præced. nempe *omnes peccare*, non ideo SCRIBO, ut negligatis cavere peccata, ſed UT maiori ſtudio illa evitetis, & ſaltem gravioribus peccatis aut omnino voluntarie NON PECCETIS in poſterum. Quod ſi QUIS tamen humana fragilitate PECCAVERIT, etiam enormi & multiplici peccato; ne deſperet vel animum abiiciat: HABEMUS enim APUD PATREM, quantumvis offenſum & iratum, pro voto noſtro ADVOCATUM; Græce παράκλητον, quod etiam ſignificat *patronum*, *mediatorem* & *interceſſorem*, ut vertit Vatablus, nempe IESUM CHRISTUM. Neque enim ſolum obiective vel interpretative, ſcilicet exhibendo ſuas plagas & ſua merita conſpectui divino, ſed etiam formaliter & proprie dicta oratione orat & interpellat pro nobis, ut ipſemet ſe facturum promiſit *a*, & etiam Paulus teſtatur *b*. Oratione, inquam, non qua denuo mereatur vel de novo impetret, (quali orabat dum adhuc eſſet viator in terris,) ſed qua iam comprehenſor poſtulat ius in vita ante promeritum, ſibique promiſſum, ideoque debitum, nempe gratiam nobis & ſalutem. Unde S. Ioannes merito vocat eum *advocatum* IUSTUM, in quo nihil ſit delicti quod retardare poſſit vel enervare patrocinium, & qui ſecum afferat plenum lytrum ac pretium quod ad obtinendam cauſam exigitur, adeo ut & ipſe iuſte exigere poſſit quod poſtulat.

V. 2. ET (id eſt quia) IPSE EST PROPITIATIO, id eſt propitiator *c*, PRO PECCATIS NOSTRIS, nempe, obtulit ſe in cruce victimam pro peccatis, (& offert etiamnum quotidie in Miſſa,) Deo Patri pro nobis ſatisfaciendo, eumque nobis reconciliando. Significat S. Ioannes Chriſtum talem nobis eſſe *advocatum*, ut a iudice repelli non poſſit, & nos eo patrono cauſa cadere non poſſimus, eo quod ipſe ex officio ſit redemptor & propitiator noſter, qui ex iuſtitia pro peccatis noſtris ſatisfecit, ET NON PRO NOSTRIS TANTUM qui ſumus Chriſtiani, SED ETIAM *pro peccatis* infidelium TOTIUS MUNDI. Pro omnibus enim paſſus eſt Chriſtus, omnibus meruit gratiam & gloriam, quicumque in eum credere, eiuſque merita amplecti voluerint. Pro omnibus etiam in ſacrificio Miſſæ ut hoſtia propitiatoria quantum ex ſe eſt, quotidie offertur, ut fuſe hic docet noſter Iuſtinianus, Bellarminus *d* & alii. Tales *advocatos* non facimus Sanctos, ut calumniantur hæretici, ſed ſolum ſecundarios advocatos, deprecatores & interceſſores per merita Chriſti, & ut tales colimus, adoramus, invocamus, ut prolixe demonſtrat Bellarminus. Sed quomodo Chriſtum advocatum noſtrum nobis conciliabimus? Reſpondet:

V. 3. *Cognoſcendo*, ſeu agnoſcendo *e*, EUM per fidem pro Domino & Redemptore noſtro, & ut tali nos ſubdendo & adhærendo per fiduciam, amorem, ſervitium & cultum. IN HOC AUTEM SCIMUS, QUONIAM ſic COGNOVIMUS EUM, SI MANDATA EIUS OBSERVEMUS *f*.

Nota. Hæc cognitio non eſt plane infallibilis, neque poſſumus inde certo ſcire nos eſſe iuſtos, ut putavit Caietanus? ſed ſolum probabiliter & coniecturaliter, utpote ex ſignis & effectis probabilibus. Eſto enim mandata Dei exterius obſervemus, neſcimus tamen an ea obſervemus ex amore Dei ſupernaturali & ſuper omnia: ita definit Tridentinum *g*, & fuſe explicat Bellarminus *h*.

V. 5. IN IPSO SUMUS, id eſt aſſociamur, copulamur, adhæremus Deo, ſicut membra capiti, filii parenti, ſponſa ſponſo.

V. 7. MANDATUM VETUS eſt mandatum de diligendo Deo & proximo, quia datum fuit non modo Iudæis ab initio legis Moſaicæ, ſed & Adæ & omnibus hominibus, quin & omnibus angelis ab initio creationis eorum. Eſt enim mandatum legis naturæ, dictatum a ratione & a lege æterna, quæ fuit in mente Dei ab æterno. Idem tamen *mandatum*

V. 8. NOVUM vocatur etiam ab ipſomet Chriſto, Ioann. XIII. 34. ratione novi modi, quo illud Chriſtus, ut obſervavit & explicuit, ita & obſervari præcepit: MANDATUM, inquiens, *novum*, ſeu novo modo obſervandum, *do* VOBIS. *Ut diligatis invicem*, non quo modo Scribæ & Phariſæi diligendos docent, ſolos amicos, ſolos Iſraelitas, ſolo interno affectu, &c. ſed *ſicut* ego *dilexi vos*, nempe dilectione ferventiſſima & officioſiſſima erga omnes, etiam extra-

extraneos, etiam inimicos, prompta etiam ad exponendum ſanguinem & vitam pro illorum ſalute. Qui ſane modus diligendi proximum novus erat tum temporis in orbe, & fere inauditus: ita S. Chryſoſtomus, Theophylact. Euthymius, Rupertus, Ioannes Maior, Gagneius, Arias, Caietanus & alii. QUOD; id eſt, quæ res, quæ ratio, qui modus diligendi proximum, etſi alibi inter mortales non reperiatur, tamen VERUM EST; id eſt, revera reperitur IN IPSO Chriſto (qui animam ſuam etiam pro inimicis ſuis poſuit,) ET IN VOBIS, qui Chriſti exemplum idem practicatis, depulſis iam *tenebris* ignorantiæ, iudaiſmi, gentiliſmi, peccatorum, &c. *&* *vero*, id eſt perfecto *i*, *lumine* Evangelii, fidei, gratiæ, caritatis & iuſtitiæ, in cordibus veſtris IAM *k* *lucente*.

V. 10. QUI DILIGIT FRATREM, id eſt proximum, SUUM modo iam dicto, IN LUMINE gratiæ, caritatis, iuſtitiæ MANET, ET SCANDALUM, ſeu offendiculum, IN EO NON EST; *l* ſive activum, ut S. Auguſtinus exponit; ſive paſſivum, ut Gloſſa. Perfecte enim diligens proximum, nulla re, nulla iniuria, nullis moribus offenditur *m*: *caritas* enim *patiens eſt*, *benigna eſt*, &c.

V. 11. QUI ODIT FRATREM, IN TENEBRIS EST odii, iræ, invidiæ, quæ rectam rationem plane excæcant, teſte etiam Cicerone, Seneca *n* & aliis Ethnicis. ET NESCIT QUO EAT: cæcus enim præcipitatur in pœnam, & neſciens ite in gehennam, inquit S. Cyprianus *o*.

V. 12. SCRIBO VOBIS FILIOLI, *iuvenes*, *patres*. Tribus ætatum ſtatibus, pueris, adoleſcentibus, ſenibus, (Tropologice, incipientibus, proficientibus, perfectis,) ſigillatim adgratulatur donum chriſtianiſmi & bona quæ per ipſum adepti ſunt. Pueris, (quos hic *filiolos*, verſ. 4. *infantes* vocat tum ætate, tum inſtitutione,) gratulatur, quod *remiſſa* ſint eis PECCATA per baptiſmum & pœnitentiam, PROPTER NOMEN Chriſti, id eſt auctoritate & poteſtate Chriſti. Item quod iam *cognoverint Patrem*, cæleſtem, cumque ſibi pro patre colendum, amandum, ſequendum deſumpſerint.

V. 13. *Patribus*, utpote grandævis, & de multa ſcientia atque experientia gloriari ſolitis, accommode ad genium eorum gratulatur, quod perfecte norint, & longo uſu probarint EUM QUI AB INITIO EST, ſeu antiquum dierum, nempe Deum trinum unum. *Adoleſcentibus*, luctari, pugnare, vires oſtentare gaudentibus, accommode votis eorumdem adgratulatur, quod FORTES ſint fortitudine Chriſtiana, *vicerintque* MALIGNUM illum & iuratum hoſtem diabolum, eiuſque miniſtros mundum & carnem: nec paſſi ſint eripi ſibi ab his VERBUM DEI, ſeu Evangelium, quod fide complexi ſunt: ita fere Oecumenius.

V. 15. SI QUIS DILIGIT MUNDUM, hoſtem & rebellem Deo, NON EST CARITAS PATRIS IN EO, ut alibi *p* vidimus. NOLITE igitur DILIGERE MUNDUM hunc, aut bona mundo hoc contenta. Primo, quia ſeparant cor a Deo. Secundo, quia nimis vilia ſunt, nec digna animo generoſo: neque enim mentem hominis oblectant, paſcunt, ſatiant, ſed ſolam carnem & oculos, neque ſerviunt niſi vitæ præſenti, ſæpiſſime præripientes vitam & gloriam æternam.

V. 16. QUONIAM OMNE QUOD EST IN MUNDO, CONCUPISCENTIA EST, metonymice, id eſt obiectum concupiſcibile, vel *carnis*, vel OCULORUM, ſpurcis cupidinibus & noxiis illecebris animum illaqueans, inficiens, ſubvertens. Pro SUPERBIA VITAE; Græce eſt, *ἀλαζονία τοῦ βίου*, quod Tigurini vertunt, *faſtum*; Vatablus, *arrogantiam* & oſtentationem facultatum ad vitæ ſuſtentationem pertinentium. De triplici hac concupiſcentia, triplici fonte omnium tentationum & peccatorum, vide fuſe S. Auguſtinum, Baſilium, Gregorium & S. Thomam *q*. Tertio, non eſt diligendus mundus, nec quidquid concupiſcibile eſt in mundo, quia *hæc non* ſunt EX PATRE (ita vertit Syrus in plurali,) ſeu ex Deo, SED EX MUNDO, id eſt ex mundi, ſeu mundanorum hominum corruptione & vitio. Neque enim ex ſe, ſuave natura ſunt concupiſcibilia, (v. g. reſpectu angelorum, vel Beatorum, vel Adami & Evæ ante peccatum:) ſed ex corruptione naturæ humanæ per peccatum originale. Unde natum;, quod deliciæ, opes, honores, & alia quæ Deus in bonum hominis crearat, verſa ſint nobis in illecebras & irritamenta concupiſcentiæ, *in faſcinum*, *r* *in laqueum*, *in muſcipulum pedibus inſipientium* *ſ*. Quarto, quia

V. 17. MUNDUS cito & brevi TRANSIT

t, ET CONCUPISCENTIA EIUS, id eſt quidquid in eo delectabile & concupiſcibile eſt. QUI AUTEM FACIT VOLUNTATEM DEI, illum amando, colendo, ſerviendo, MANET IN AETERNUM *u*; non anima tantum, ſed & corpore: nam in morte non ob alium finem illud deponit, quam ut pro mortali & corruptibili induat immortale & glorioſum. Porro *mundum tranſire*, iure meritoque dixerim, quia

V. 18. NOVISSIMA iam mundi HORA EST, id eſt noviſſimum tempus: quo tempore *Antichriſtum* venturum ſapius AUDISTIS. Atqui plures iam *Antichriſti*, id eſt ſeductores & impoſtores antidici, & hoſtes Chriſti, prodromi magni Antichriſti, Ebion, Cerinthus, Baſilides, Menander, & alii Simonis Magi aſſeclæ, in lucem prodierunt: quod ſignum eſt, mundum iam ſenuiſſe & ad finem vergere. AEtas enim mundi poſtrema ſcatebit ſeductoribus & impoſtoribus, donec tandem cum capite & principe omnium ſeductorum, Antichriſto proprie dicto, finem accipiat. Hæc itaque mundi hora, ſeu ætas, etſi noviſſima ſit, quam nulla alia ætas ſubſequetur, tamen inſtar præcedentium ætatum *x*, magnam admittit latitudinem, de qua alibi *y* plura. Quod cum primævi fideles, ut & S. Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Gregorius *z*, & plures alii Patres, non ſat adverterent, putabant ſuo ævo inſtare finem mundi. Sed inter prodromos, ſeu prænuntios, & adventum regis quem prænuntiant, ſæpe magnum eſt intervallum, ut patuit in penultima & antepenultima mundi ætate inter Prophetas & Chriſtum.

V. 19. EX NOBIS PRODIERUNT, id eſt ex Eccleſia Chriſti emerſerunt hæretici, ſicut vomitus e ſtomacho: SED NON ERANT EX NOBIS ſolidis & conſtantibus Chriſtianis: *nam ſi* de hoc numero FUISSENT, PERMANSISSENT UTIQUE NOBISCUM. SED ideo *egreſſi ſunt* (ita ſupplet Syrus,) Deo ſic permittente, UT MANIFESTI SINT, totique orbi innoteſcat, quod NON OMNES qui in Eccleſia ſunt, SUNT EX VOBIS, id eſt ex numero ſolidorum & perfectorum Chriſtianorum, quos ſolos debetis audire, ſequi & imitari; quaſi dicat: Permiſit Deus illos a Chriſti grege per apoſtaſiam ſeiungi, ut per hanc ſeiunctionem vobis innoteſceret, non fuiſſe illos de numero magiſtrorum & ducum quos ſequi, & quibus obedire debetis. Unde Beza aliique Sectarii male ex hoc loco inferunt, hæreticos numquam fuiſſe de Eccleſia. Tantum enim colligi poteſt, non fuiſſe ſolidos, perfectos, conſtantes: ita S. Cyprianus *aa*, Cyrillus, Hieronymus, Auguſtinus.

V. 20. UNCTIONEM, id eſt gratiam & ſapientiam, HABETIS A Spiritu SANCTO, per quam NOSTIS OMNIA ad fidem & pietatem Chriſtianam ſpectantia. Sicut enim unctio, id eſt gratia & ſapientia, quam olim in unctione recipiebant reges; docebat eos rempublicam regere, Prophetas prophetare, ſacerdotes ſacra tractare & docere: ita *unctio*, id eſt gratia & ſapientia Spiritus ſancti, quam vos etiam in unctione baptiſmi & Confirmationis accepiſtis, docet vos, o Chriſtiani, *omnia* quæ ad fidem & mores Chriſtianos pertinent: ita S. Cyrillus, Irenæus, Gregorius, Turrianus *bb*, Sa, Bellarmin. *cc Omnia*, ergo, non deſignant hic quæcumque ſciri poſſunt: (nam ne quidem Apoſtolos docebat unctio ſic omnia: ſed quæcumque circa fidem & mores ſcire Chriſtianos oportebat.

V. 22 HIC EST ANTICHRISTUS, id eſt adverſarius & hoſtis Chriſti, *negans Ieſum eſſe Chriſtum*, eſſe Filium naturalem Dei, eſſe promiſſum mundo Meſſiam: & conſequeurer negans in deitate *Patrem* eſſe, aut Filium, ut negant Iudæi.

V. 23. OMNIS QUI NEGAT FILIUM in divinis, NEC PATREM HABET in mente & fide, id eſt ut vertit Syrus, non credit eſſe etiam Patrem. Hæc enim ſunt correlativa. Porro qui negat Trinitatem divinarum perſonarum, negat etiam deitatis naturam, nempe tam fœcundam eam eſſe, ut neceſſario exigat communicari tribus perſonis, ut docent Scholaſtici.

V. 25. HAEC EST REPROMISSIO, id eſt res promiſſa, QUAM Deus POLLICITUS EST NOBIS (ſi in ipſo per fidem, ſpem, caritatem conſtanter maneamus) *vita æterna*. Sic legit S. Auguſtinus. Hoc ſtimulo mercedis *vitæ æternæ* ſolis in fide & pietate conſtantibus promiſſæ, deterret Apoſtolus fideles a conſortio Baſilidis, Valentini, ceterorumque hæreticorum, ut ne patiantur ſe ab illis decipi vel ſeduci, atque ita fruſtrentur optato ſperatoque præmio vitæ æternæ.

V. 27. MANEAT ſolum IN VOBIS *unctio*; id eſt, gratia Spiritus ſancti & ſapien-

pientia, QUAM in unctione baptiſmi & Sacramenti Confirmationis AB EO ACCEPISTIS per noſtrum & aliorum Apoſtolicorum virorum miniſterium: ET NON NECESSE HABETIS UT ALIQUIS horum pſeudoapoſtolorum vel apoſtatarum DOCEAT VOS, quaſi necdum plene inſtructos. MANETE tantum & perſeverate cum EO quod & SICUT *unctio* vos *docet*, &c, id eſt, quia, VERUM EST quidquid docet, ET NON EST MENDACIUM *dd*, id eſt alieniſſimum eſt ab omni errore & falſitate. Nota vero contra Libertinos & alios qui privatum cuiuſque ſpiritum faciunt interpretem S. Scripturæ, & iudicem controverſiarum fidei; non agi hic de difficilibus nodis aut dubiis quæſtionibus, ſed de ſolis certis articulis & myſteriis fidei, quæ quemlibet fidelem noſſe oportet: loquitur enim *ſcientibus* Ioannes, ut ipſemet ait verſ. 21. neque excludit inſtructionem doctorum & paſtorum Eccleſiæ, ut fatetur hic etiam Beza, ſed ſolorum pſeudodoctorum. Quorſum enim poſuiſſet alioqui Deus doctores & paſtores in Eccleſia ſua? quorſum etiam Ioannes hac prolixa epiſtola inſtrueret fideles?

V. 29. SI, ſeu (ut legit Dionyſius) quandoquidem, SCITIS, QUONIAM Chriſtus EST IUSTUS iudex, ne coram illo in die iudicii confundamini, ſed FIDUCIAM, libertatem & ſecuritatem *habeatis*, ne ſitis (ex doctrina Simonis Magi eiuſque aſſeclarum) contenti ſola fide, ſed cum fide, & ex fide *facite* IUSTITIAM, id eſt iuſta & ſancta opera. OMNIS enim QUI FACIT IUSTITIAM, EX IPSO NATUS EST *ee*, id eſt filius eius & heres eſt: Filius autem non confunditur coram patre, ſed cum omni fiducia & ſecuritate comparet etiam in eius tribunali: ita Didymus, Oecumenius & alii.

(a) Ioan. xiv. 16.
(b) Rom. viii. 34. & Hebr. vii. 25.
(c) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. n. 7.
(d) Bellarm. de Invocat. Sanctorum.
(e) I. Par. xxviii. 9. & Oſee vi. 6.
(f) Ioan. xiv. 23.
(g) Trid. Seſſ. vi. 9.
(h) Bellarm. Lib. III. de Iuſtific. cap. 1. & ſeqq.
(i) Ioan. iv. 9. vi. 36. & xv. 1.
(k) Epheſ. v. 8. & Rom. xiii. 12.
(l) Prov. xv. 19. & Pſal. cxviii. 165.
(m) I. Cor. xiii. 4.
(n) Cicero IV. Tuſculan. Seneca Lib. I. de Ira cap. 1.
(o) Cypr. de zelo & livore.
(p) Iacob. xiv. 4. & Matt. vi. 24.
(q) Auguſt. Lib. X. Confeſſ. cap. xxx. Baſil. Serm. Ne affixi ſimus temporalibus. Gregor. Lib. XXXIV. Moral. cap. xiv. & Lib. XXXI. cap. xvii. S. Tho. 1. 2. quæſt. lxxv. art. v.
(r) Sap. iv. 12.
(ſ) Sap. xiv. 11.
(t) I. Cor. vii. 31. & II. Petr. iii. 11. Sap. v. 9. & ſeqq.
(u) Ioan. vi. 52.
(x) II. Theſſ. ii. 7.
(y) Chronici cap. vi. Apoc. xx. 5. 7. &c.
(z) Cyprian. Lib. IV. epiſt. vi. Lactant. Lib. VII. cap. xxv. Hieron. de Monogam. Gregor. Lib. IV. epiſt. xxxviii.
(aa) Cypr. Lib. I. epiſt. viii. & de Unitate Eccleſiæ.
(bb) Cyrillus catech. myſtag. iii. Iren. Lib. IV. cap. xliii. Greg. Lib. V. Moral. cap. xix. Turr. Lib. II. pro epiſt. Pontif. cap. xviii.
(cc) Bellar. Lib. II. de Sacram. Confirm. cap. v. & viii.
(dd) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 49.
(ee) Ioan. 1. 12.

GORDONI.

Verſ. 1. FILIOLI MEI. Duo hic & verſ. 2. complectitur. Unum, ut non peccent; alterum eſt, ſi contingat eos peccare, ne deſperent de venia, cum habeant Chriſtum advocatum. Ex priore parte, quamvis ex cap. 1. 8. non ſit qui aliquando non peccet; tamen certum eſt hominem non peccare neceſſario: alioqui Ioannes hic hortaretur ad vitandum id, ad quod ex neceſſitate impellimur. Alterum eſt de remedio peccati, ut iam dicam.

V. 2. ET IPSE EST PROPITIATIO. Hic eſt ille advocatus noſter, potens ad impetrandam veniam: nam & ſanctus eſt; & ex iuſtitia ſatisfecit pro noſtris peccatis: παρακλητος, advocatum & mediatorem deſignat. Talis nobis & Chriſtus, dum orat pro nobis (de quo vide Rom. VIII. 25.) non iam ut viator & per novum meritum, ſed ut comprehenſor, & exigens promeritum ius, ſanguinis effuſione quæſitum: quo modo eſt mediator, Rom. ix. 15. Mediator, inquam, iure redemptionis, & ut conditor novi teſtamenti. Mentitur iam Beza. Nullus Sanctorum dum orat pro nobis, detrahit hunc honorem Chriſto, aut his ſpoliis Chriſti ſe ornat: ſolus Chriſtus his titulis eſt advocatus: ſed nec poteſt purus homo eſſe talis propitiator pro peccatis mundi, & victima abunde ſufficiens pro omnibus.

V. 3. ET IN HOC SCIMUS. Optimus modus conciliandi nobis hunc divinum advocatum eſt eum practice cognoſcere per fidem,

dem, ſpem & caritatem: tunc vero eum ſic cognoſcimus, ſic mandata eius ſervamus. Et qui mandata Dei non cuſtodit, certe non novit illum practice, quia non æſtimat practice, & ut oportet eius attributa & perfectiones. Male tamen ex his colligit Catharinus, hominem certo ſcire ſe eſſe in gratia. Demus enim eſſe in anima gratiam; unde hoc certo ſcimus? Aut unde certo ſcimus hunc noſtrum amorem eſſe ſupernaturalem, & ſyncere propter Deum, ac demum ut oportet.

V. 4. Qui dicit. Explicat quod iam dixit, ſententiis variis, & per negantem antitheſin. Simul ſe habent caritas & obſervatio mandatorum; & probatio dilectionis & exhibitio operis, & perfectam habet caritatem, qui perfecte diligit Deum.

V. 7. Charissimi. Adhuc ſiſtit in generali commendatione dilectionis uſque ad verſum 12. ubi eam commendare incipit ſingulis. Loquitur de dilectione Dei & proximi (in qua includitur obſervatio mandatorum) vocat mandatum vetus & novum. Vetus quidem, utpote datum ſub Moſe, Levit. xix. 18. Immo erat in lege naturæ, atque etiam inter Angelos, & ab æterno in mente divina prævíſum. Rurſus novum eſt hoc mandatum (Ioan. xiii. 33.) nempe inculcatum a Chriſto, & explicatum Matth. v. 38. prædicatum in novo teſtamento, novis ſpiritu hominibus datum, nempe Chriſtiani.

V. 8. Quod verum est, et in ipso, et in vobis, τὸ, *quod*, in Græco ὁ pronomen. Ac poteſt in vera ſyntaxi referre ἐντολὴ: accipitur ergo technice, hoc eſt, *quæ res*. Senſus iam eſt; hæc res vera eſt in ſe, & rata, cum ſit iuris naturalis, & ſic vetus mandatum iure antiquitatis. Vera etiam in vobis: quibus, ut dixi, eſt novum mandatum, titulis iam datis; & quoad praxin. Vel ſenſus eſt, eſſe novum mandatum in ſe & in Chriſtianis, quia trahit ſecum ſub Evangelio novam lucem Chriſtianis nova luce illuminatis. Et hoc ipſum explicat clarius, verſ. 10. & 11.

V. 12. Scribo vobis. Hinc uſque ad verſum 15. revocat theſin ad hypotheſin, ubi certis hominum ordinibus commendat dilectionem, & mandatum hoc maximum; nempe pueris & ſenibus. Cognovistis (13.) gratulatur ſic ſenibus, quod antiquum dierum Deum, qui eſt ab æterno, cognoverint: adoleſcentibus, quod malignum Dæmonem vicerint cum concupiſcentiis, quibus maxime indulget hæc ætas. Infantes, verſ. 14. ſunt pueri, quos filios vocavit: his gratulatur ut inſtructis fide; qua nimirum cognoſcunt Deum ut patrem, more puerorum, qui ſolent ad patrem accurrere.

V. 15. Nolite diligere mundum. Docet verſus decimus ſextus, quid ſit diligere mundum. Omnia revocat ad illecebras voluptatum, aut divitiarum cupiditatem, aut ad faſtum & ambitum. Denique belle concludens, mundus, inquit, rapitur ex hac luce, & cum ſuo cultore perit concupiſcentia.

V. 18. Filioli, novissima hora est. Iam dixit tranſire mundum: hic apertius hoc explicat ex ultima hora, & ſeneſcentis mundi ætate, in cuius exitu apparebit Antichriſtus: quare qui ſapit, animum abducat a periculo mundi, ne ſimul cum illo pereat. Ex tribus mundi ætatibus in ultima ſumus conſtituti. Vocat quoque Ioannes Antichriſtos hæreticos ſui temporis, quos multos eſſe affirmat: idipſum teſtantur hiſtoriæ.

V. 19. Ex nobis prodierunt. Hæretici & apoſtatæ ſunt qui deficiunt ab Eccleſia, & fide ſemel ſuſcepta. Recte ergo dicuntur a nobis exire. Lege Cyprianum Lib. I. Epiſt. viii. At quomodo non erant ex nobis? Certe primo hoc apparuit, dum non conati perſeverare defecerunt: prævidens vero Deus eorum negligentiam & mala finalia, excluſit a numero ſuorum, ſeu a prædeſtinatis. Alii, *non ex nobis*, hoc eſt, non ſolidi Chriſtiani, & cooperatores gratiæ. At quid ergo illud eſt, *ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent*? An non qui eſt in fide & gratia, poteſt ab ea excidere? Sane poteſt, permanet tamen in fide & gratia, tum ille qui ita ex nobis eſt, ut electus ad gratiam efficacem ſolide agat Chriſtianum: tum qui ex prævíſis meritis electus eſt ad gloriam; iuxta Auguſtinum de bono perſever. cap. v. Nam iſte ſaltem finaliter permanet. Qui ergo altero horum modorum ex nobis eſt, (ut loquitur Ioannes) permanet. Inepte ergo ex hoc loco colligit Beza, eum qui ſemel eſt iuſtus, non poſſe deficere.

V. 20.

Google

V. 20. Sed vos unctionem. Multa hic unctionem intelligi recte poſſunt: & quorum nihil eſt, quod non conferatur Eccleſiæ a Deo: habent enim fideles unctionem ſacram per baptiſmum, & confirmationem; per gratiam, per inſpirationes, & donum ſapientiæ vel intellectus. Talis eſt unctio quæ docet omnia, quæ ad Chriſtianam fidem & vitam pertinent. Ambitioſe, & magna præſumptione Novatores pollicentur ſibi ex Calviniana unctione ſe illuminari ad omnem Scripturæ ſenſum, quem illi fingunt, ita ut nec Eccleſiæ egeant auctoritate, nec antiquitatis teſtimonio, aut ſacra traditione. Certe ſi quiſque privatus volt ita ſapere, aut potius deſipere, cur poſiti ſunt Eccleſia doctores, quos iubemur audire? Epheſ. iv. 11. Non eſt cuiuſque Scripturam interpretari, aut ſe prædeſtinatum profiteri. Diſcant unctionem, de qua hic Ioannes, eſſe, ut poſt acceptam doctrinam veram fidei, ſciant illa bene uti, & utiliter ad ſalutem, illi credendo, non dubitando, non oppugnando.

V. 21. & 22. Noſtis omnia. Iam aſſecuti eſtis ſatis doctrinam Eccleſiæ, & ubi veritas ſit, ubi (verſ. 21.) mendacium, ubi pſeudoprophetæ, & hæretici, in quibus & negantibus Chriſtum non eſt veritas, ſed mendacium. Nam (verſ. 22. 23.) negantes Chriſtum eſſe Filium Dei negant Deum Patrem, ut ſunt hæc correlata, ſic deſtruunt Trinitatem. Sic Cerinthus iudaizans docebat Ieſum non eſſe Chriſtum & Meſſiam; nec proinde filium Dei eſſe.

V. 24. Vos quod audiſtis. Concludit datam doctrinam per exhortationem. Manete in doctrina, quam accepiſtis, ut in Patre & filio manentes per fidem, ſpem, & caritatem. Et hac eſt vobis facta promiſſio. Promiſſio, 25. eſt res promiſſa, & vita æterna. In textu, vitam aeternam antiptoſis, ut etiam verſu 27. in voce unctionem. Sic poeta, *urbem quam ſtatuo*.

V. 27. Ut quis doceat vos; quaſi diceret: Edocti eſtis doctrinam fidei in baptiſmo per Apoſtolos, & omnia iam ſcitis quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria. Ex hac doctrina & unctione illa, de qua dixi, verſ. 20. ita ut non ſit neceſſe vos aliter doceri, præſertim ab hæreticis, & iis qui vos conturbant per novam doctrinam. Manete ergo firmiter in inchoato ſtudio fidei, & fixa vobis manebit promiſſio; hoc eſt res promiſſa & gloria.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Dei erga nos caritate, & quomodo diſtinguantur qui ex Deo ſunt & qui ex diabolo: de dilectione & odio fratrum: qui mentis puritate & fide in Chriſtum quippiam a Deo petit, impetrat.

1. VIdete qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei
nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non novit
nos: quia non novit eum. 2. Chariſſimi, nunc filii
Dei ſumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus
quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam
videbimus eum ſicuti eſt. 3. Et omnis qui habet hanc
ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. 4.
Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.
5. (*a*) Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret: & peccatum
in eo non eſt. 6. Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat,
non vidit eum, nec cognovit eum. 7. Filioli, nemo vos ſeducat.
Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: ſicut & ille iuſtus eſt. 8. (*b*) Qui facit
peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit
Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. 9. Omnis qui natus eſt ex
Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt
peccare, quoniam ex Deo natus eſt. 10. In hoc manifeſti ſunt filii
Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui
non diligit fratrem ſuum: 11. quoniam hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis
ab initio, (*c*) ut diligatis alterutrum. 12. Non ſicut (*d*) Cain, qui ex
maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum?
Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius, iuſta. 13. Nolite
mirari fratres, ſi odit vos mundus. 14. Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus
de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. (*e*) Qui non diligit,
manet in morte: 15. omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis
quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.
16. (*f*) In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam
ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. 17.
(*g*) Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, * & viderit fratrem ſuum neceſſitatem
habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo caritas Dei manet
in eo? 18. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere
& veritate, 19. in hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in
conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. 20. Quoniam ſi reprehenderit nos
cor noſtrum: maior eſt Deus corde noſtro, & novit omnia. 21. Chariſſimi,
ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum:
22. (*h*) & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius
cuſtodimus, & ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus. 23. (*i*) Et hoc

eſt

eſt mandatum eius: Ut credamus in nomine Filii eius Ieſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis. 24. (k) Et qui ſervat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu, quem dedit nobis.

(a) Iſa. liii. 9. I. Pet. ii. 22. (b) Ioan. viii. 44. (c) Ioan. xiii. 34. & xv. 12. (d) Gen. iv. 8. (e) Lev. xix. 17. (f) Ioan. xv. 13. (g) Iac. ii. 17. (h) Mat. xxi. 22. (i) Ioan. vi. 29. & xvii. 3. (k) Ioan. xiii. 34. & xv. 12.

B R U G E N S I S

ROMANA CORRECTIO.

Verſ. Et viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere. Rectius legitur *neceſſitatem* quam *neceſſe*.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. VIDETE QUALEM CARITATEM DEDIT NOBIS PATER. Novus loquendi modus pro eo quod dicerent, Videte quam charos nos pater habuerit. Gr. habent pro *videte*, *εἴδετε*, quod pro videte vel videtis ſumi poteſt; pro *qualem*, habent *πόσαπον*, quum autem etiam *πόσαπος*: ſignificet quotus, a, um, poſſet hoc modo verti, Videte quotam dilectionis ſuæ portionem pater in nos impenderit ſeu impartierit: excellentiam autem caritatis oſtendit ſubdens, UT FILII DEI NOMINEMUR, ſive dicamur, ET SIMUS. Græci autem non habent *& ſimus*, & PROPTER HOC (inquit) MUNDUS NON NOVIT NOS. Quidam Græci codices habent *ὑμᾶς*, id eſt, *vos*: quidam *ἡμᾶς*, id eſt *nos*: non novit autem, id eſt gratos & acceptos non habet, quia neque Deum, neque vos, neque Chriſtum novit: ſimilem habet in evangelio ſententiam Chriſtus Ioan. xv. *Quia vos de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*. Mundum autem appellat hoc loco mundi mundanarumque rerum ſectatores cupidos.

V. 2. NUNC FILII DEI SUMUS: adoptione ſcilicet, per baptiſmum, & fide, quia poteſtatem dedit eis, qui credunt in nomine unigeniti, filios Dei fieri. NONDUM *autem* APPARUIT QUID ERIMUS, id eſt quales olim in patria futuri ſumus. *Mortui enim eſtis*, inquit Paulus Coloſſ. II. *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo:* & ideo quia abſcondita eſt cum Chriſto qui nos etiam latet, latebitque in humana forma, donec in iudicium veniat, ſubdit: SCIMUS AUTEM QUONIAM QUUM APPARUERIT SIMILES EI ERIMUS. Quia ſicut inquit Paulus eodem loco; *Quum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. Similes autem ei erimus, non natura & ſubſtantia, inquiunt Græca ſcholia, ſed qualitate, ſcilicet beati, ſancti, iuſti, puri: *erimus*, inquit *ſimiles illi*, beati: QUIA VIDEBIMUS EUM SICUTI EST; hoc eſt enim beatum eſſe Deum & Chriſtum ſicut eſt, videre & agnoſcere, ſicut Ioan. XVII. Chriſtus ait: *Hæc eſt enim vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Chriſtum Ieſum*, tunc ergo videbimus ſicuti eſt, in deitatis ſcilicet ſubſtantia, in qua nulli hominum prorſus eſt aſpectabilis. Beda explicat de Chriſto, quem quum apparuerit videbimus & erimus ſimiles illi reſurgentes in corpore glorificato.

V. 4. OMNIS QUI FACIT PECCATUM, ET INIQUITATEM FACIT. Græc. ſcholia diſtinguunt *τὴν ἁμαρτίαν ἀπὸ τῆς ἀνομίας*, id eſt peccatum ab iniquitate, ut ſcilicet *ἁμαρτία*, & peccatum ſit lapſus & diſceſſio a bono; *ἀνομία* autem ſive iniquitas, commiſſio adverſus legem: nos prævaricationem dicere poſſumus: omne autem peccatum eſt iniquitas, quia quiſquis peccat, contra legem vel naturalem, vel ſcriptam agit.

V. 6.

Digitized by Google

V. 6. OMNIS QUI MANET IN EO NON PECCAT, quamdiu ſcilicet manet, quia ſicut poſtea ait, *qui facit peccatum, ex diabolo eſt*: quæ autem ſocietas Chriſti cum Belial? Ideo qui in Deo manet, quatenus in ipſo manet, & manentem in ſe Deum habet, non peccat: quod vero ſubdit, OMNIS QUI PECCAT NON VIDET EUM, NEC COGNOVIT EUM, intelligendum utique eſt ea cognitione & ſcientia qua ſe dicit in Evangelio Chriſtus peccatores non noſſe: *Amen dico vobis non novi vos*, id eſt vos gratos & acceptos non habeo: ita qui peccat, Deum in quem peccat, teſtatur ſe non noſſe, id eſt gratum non habere cui ſe diſplicere peccando intelligit: qui autem fide per caritatem operante Deum novit, eum metuit offendere.

V. 9. OMNIS QUI NATUS EST EX DEO, PECCATUM NON FACIT. Quomodo qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quum dixerit paulo ante, *Si dicerimus quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt?* ſic ergo omnes peccatum habemus, & qui natus ex Deo peccatum non facit, nullus ex Deo videtur natus eſſe. Multum laborat ut hunc ſcrupulum tollat Auguſtinus, aſſerens hoc loco peccatum non quodvis peccatum intelligi, ſed violationem caritatis: at quomodo ſolvet locum ſequentem, ET NON POTEST PECCARE, QUONIAM EX DEO NATUS EST? at, non aliquando contigit baptizatos, & æterna etiam generatione ac prædeſtinatione Deo genitos, aliquando caritatem fratris violaſſe, poſtea tamen per pœnitentiam ablutos? ideo (ut pace tanti viri dixerim) non videtur mihi Auguſt. nodum ſolvere: niſi intelligat quod quatenus ex Deo natus eſt, peccatum illud non admittit: ſed neque etiam quodvis aliud peccatum admittit homo quatenus ex Deo natus eſt. Ego quid de hoc loco conijciam cum modeſtia dicam: Peccatum in Scripturis varie ſumitur; tamen per antonomaſiam pro inſigni peccato affectatæ infidelitatis & idololatriæ capitur: ſic Deut. XXI. *Ne forte doceant vos cunctas abominationes quas ipſi operati ſunt diis ſuis; & peccetis in Dominum Deum veſtrum*, de Chananæis, Phariſæis, aliiſque idololatris Scriptura intelligit, quos exterminari vult Deus, ne idololatria populum ſuum inficiant. Unde hoc loco peccatum idololatriæ & infidelitatis peccatum dicit. Similiter & IV. Reg. X. de Iehu infideli regge dicitur; *Verumtamen a peccatis Ieroboam filii Nabat qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erant in Bethel*: & hic quoque locus oſtendit peccatum pro idololatria ſumi. Ioannis autem XV. perſpicuum eſt peccatum ſumi pro infidelitate affectata, id eſt nolle in Chriſtum agnitum credere, quum dicat Chriſtus de Iudæis: *Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*: indubie ergo de affectata infidelitate quæ eſt agnitam veritatem nolle credere, Chriſtus intelligit: nam etiam non veniente ad eos Chriſto, peccatis aliis involuti erant. Porro, paulo poſt XVI. cap. manifeſtius aperit quodnam peccatum intelligat, dicens de Spiritu ſancto: *Et quum venerit ille arguet mundum de peccato & de iuſtitia: de peccato quidem quia non crediderunt in me*. Hac ergo peccati acceptione intellecta, mihi videtur hoc loco gignì & naſci ex Deo, non tantum eſſe baptizari, quod multi ex Deo per baptiſmum nati in infidelitatem etiam ceciderunt. Gigni ergo ex Deo, mihi videtur a Ioanne hoc loco ſumi, pro eo quod eſt æterna adoptione per fidem adoptati in filios Dei: qui ſic gignuntur a Deo, quamquam aliquoties in Deum offendant, ſunt tamen benigno patri curæ; ne ab ipſo per infidelitatem deſciſcant iam agnitio: nam quum nihil tam diſpliceat patri quam recta agnitam veritatem oppugnare, quæ eſt blaſphemia in ſpiritum ſanctum remiſſione indigna, numquam hucuſque labi ſuos permittit: nam quod lapſus eſt Petrus Chriſtum negando, non tam infidelitatis quam infirmitatis fuit peccatum. De hoc ergo affectato infidelitatis peccato mihi videtur intelligere Ioannes, ſimiliter & Paulus ad Hebræos VI *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati* &c. *& prolapſi ſunt, rurſum renovari ad pœnitentiam*; & Heb. X. *voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur pro peccatis hoſtia*: iis enim locis verbum illuminationis & notitiæ veritatis faciunt ut vocabulum lapſus & peccandi intelligant de peccato infidelitatis, quo quis ſemel agnitam fidem de induſtria reiicit: a quo Paulus aſſerit impoſſibile eſſe ad pœnitentiam

tiam

tiam renovari: non quod vinctus ſit Deus ut huiuſmodi etiam peccatum donare non poſſit: ſed quia ſic in Spiritum ſanctum peccantes ſuo arbitrio derelinquit, præcipiteſque in profundum malorum ferri ſinit. Itaque qui ex Deo natus eſt, id eſt illa æterna prædeſtinatione per fidem in filium Dei adoptatus, peccatum non facit, peccatum ſcilicet infidelitatis affectatæ, quia ſemen Dei, ſcilicet verbum Dei, aut fides, aut filius Dei, in eo eſt. ET NON POTEST PECCARE: non per naturam, ſed per Dei gratiam, quæ illum retinet, ne in huiuſmodi deteſtandum peccatum prolabatur: quum electos etiam in gravia alio. qui flagitia labi ſinat Deus, ut ſuæ fragilitatis conſcii, uni Deo fidere, ab eoque uno pendere diſcant. Hunc locum fuſius tractavi, quod explicet & alium locum capitis v. *Eſt peccatum ad mortem*, &c. puto enim illud eſſe peccatum ad mortem, de quo Ioannes ait: *Et non pro eo dico ut roget quis, quoniam difficulter pro huiuſmodi exaudiri Deus ſolet*. Poteram minore modeſtia locum explicare de peccato finalis impœnitentiæ, quo non peccat qui natus ex Deo eſt: illa quidem nativitate, qua prædeſtinati ſumus in adoptionem filiorum Dei, de qua mihi neceſſario intelligendus videtur eſſe locus: nam & baptizati plerique in finali impœnitentia decedunt: & qui ſic natus eſt ex Deo, peccato huiuſmodi perire non poteſt: mihi autem ſimplicior ac verior eſſe videtur intelligentia de peccato affectatæ infidelitatis & impugnatione veritatis agnitæ.

V. 11. & 12. HAEC EST ANNUNCIATIO, &c. Græca perinde habent: novus loquendi modus, pro eo quod eſt, quod nunciatum vobis eſt, quodque ab initio prædicati evangelii audiſtis, ut diligatis invicem: NON SICUT CAIN QUI EX MALIGNO ERAT: pro hoc Græci habent οὐ καθὼς Κάϊν ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν id eſt *non ſicut Cain ex maligno erat*, id eſt ex diabolo, erat: πονηρός autem malitioſum, perverſum ac veteratorem ſignificat, & in Scripturis pro diabolo ponitur: ſicut in oratione dominica, *libera nos a malo*, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ: & hoc etiam loco quum prædixiſſet, *qui facit peccatum ex diabolo eſt*, de Cain homicida ſubdit: *non ſicut Cain ex maligno erat*, id eſt ex diabolo, & occidit fratrem ſuum.

V. 13. & 14. NOLITE MIRARI SI VOS ODIT MUNDUS, id eſt infideles & mundo addicti homines, ac nihil præter mundum ſapientes: quinimmo ſi vel ad mortem uſque perſequatur nos mundus, non eſt quod ob eam rem vacillemus. SCIMUS *enim* QUOD DE MORTE AD VITAM TRANSLATI SUMUS, SI DILIGIMUS FRATRES; id eſt, ſi fraterna ſecundum Deum caritas in nobis eſt, tunc ſcimus de morte peccati ad vitam gratiæ nos eſſe translatos: & hanc vitam viventes, mortem temporalem vereri non oportet.

V. 15. QUI ODIT FRATREM SUUM HOMICIDA EST: ſicut qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, etſi eam non attigerit, iam mœchatus eſt in corde ſuo: quia quod in ſe fuit, fecit, abuſurus ea ſi per eius conſenſum licuiſſet; ita qui odit fratrem ſuum & male illi vult ex animo, corde homicidium perpetravit, quod opere complere ſibi non licuit.

V. 17. QUI HABUERIT SUBSTANTIAM HUIUS MUNDI. Græci habent ὃς δ' ἂν ἔχῃ τὸ βίον τοῦ κόσμου. Subſtantiam Latine ſumi pro eo quod Græci οὐσίαν dicunt facultates, non auſim aſſerere: quamquam ſemel apud Quintilianum legitur ut plus ſubſtantiæ filio relinquerem. Certe ſubſtantiam mundi pro facultatibus vix auſim Latine dicere: βίος autem, quo verbo Ioannes Apoſtolus uſus eſt, non tam vitam hanc qua vivitur, quæ Græce ζωὴ dicitur, ſignificat, quam ea quæ Paulus ad Corinthios vocat τὰ βιωτικά. Cicero diceret, quæ ad cultum victumque pertinent: & hoc modo τὸ βίον ſumit Ariſtoteles ethicorum viii. Lib. IV. Ego hunc locum verterem, Si cui facultates ſuppeditant, aut ſi cui ea qua ad victum cultumque pertinent, ſuppetant: ET VIDERIT FRATREM SUUM NECESSITATEM HABENTEM: pro neceſſitatem habentem χρείαν ἔχοντα: χρεία autem, & neceſſitatem ſignificat & indigentiam: ideoque mallem hic vertere, rei alicuius indigentem: ne quis avaritiæ ſuæ prætextum neceſſitatis obducat, aſſerens ſubveniendum eſſe fratri tantum in neceſſitate: qui ergo viderit eum rei alicuius egentem, ET CLAUSERIT VISCERA SUA, id eſt caritatem & benignitatem animique affectum (ſic enim uſurpat ſcriptura τὰ viſcera) QUOMODO CARITAS DEI MANET IN EO?

V. 18. 19. 20. & 21. FILIOLI, NON DILIGAMUS VERBO NEQUE LINGUA, SED OPERE ET VERITATE. Propter ſimulatas & fictas amicitias dicit, quæ ne nomen quidem amicitiæ habent: vult ergo non eſſe duplices animo, ſed ore & opere ſynceros. Et in hoc, inquit, cognoſcimus quod ex veritate ſumus, ſi corde atque ore vere diligimus. ET IN CONSPECTU EIUS SUADEBIMUS CORDA NOSTRA: Gr. habent ἔμπροσθεν αὐτοῦ, πείσομεν τὰς καρδίας: novus loquendi modus tam Græce quam Latine, neque inveni qui hunc locum explicaret. Beda exponit *in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra;* hoc eſt, tales cogitationes corda noſtra habere ſuadebimus, quæ divinis ſinr dignæ conſpectibus: hæc ille, ſed quid ad rem & loci explicationem? Græci explicant τὰς καρδίας ἡμῶν, τὴν συνείδησιν ἡμῶν, id eſt conſcienriam noſtram: πείσομεν autem non explicant. Quum autem πείθω, ſignificet perſuadere & confi ere, mihi ſignificare poſſe videtur hoc loco πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν, perſuaſiſſimam reddemus & confidentem conſcientiam noſtram, coram Deo: ut ſit ſenſus, ſi non verbo tantum & lingua, ſed corde & opere fratres diligemus: confidentem & ſecuram reddemus coram Deo conſcientiam noſtram. QUONIAM SI REPREHENDERIT, vel condemnaverit NOS COR NOSTRUM, id eſt conſcientia noſtra tamquam aliud loquentes, aliud ore meditantes: MAIOR EST DEUS CORDE NOSTRO ET NOVIT OMNIA; id eſt, ſi cor noſtrum rantillum membrum, & tam anguſtam conſcientiam noſtram latere non poſſumus, quin nos ipſa arguat & damnet, aliud ore gerentes, aliud in pectore: quomodo καρδιογνώστην, & omnia ſciantem Deum latere poterimus? ore ergo & corde diligamus, ut ſic diligentes ſecuram & confidentem conſcientiam coram Deo habeamus: alioqui quomodo non titubabit illius conſcientia, qui quum mundum latuerit ſimulate diligens, Deum latere non poterit cordium ſcrutatorem? Quod ſi nos, inquit, non reprehenderit vel condemnarit (utrumque enim ſignificat καταγινώσκειν) cor noſtrum, FIDUCIAM HABEMUS AD DEUM, id eſt confidentes & ſecuri ſumus coram Deo, neque trepidantes aut vacillantes.

V. 14. ET IN HOC SCIMUS QUONIAM MANET IN NOBIS, EX SPIRITU QUEM DEDIT IN NOBIS. Si ex ſpiritu intelligimus viſibilem Spiritus ſancti gratiam; ſoli hoc dicere potuerunt qui eam aſpectabili ſigno in primitiva Eccleſia recipiebant: ſed τῷ, ex ſpiritu videntur Græca ſcholia exponere pro ſpirituali dono & gratia dilectionis; quaſi dicat Ioannes, Ex hoc cognoſcimus nos manere in Deo, nimirum ex illa ſpirituali gratia dilectionis, quam impartitus eſt nobis: quia qui vere & non ficte fratrem diligit, Deum diligit atque ita in eo manet. Videtur tamen ob ſequentem locum de miſſione Spiritus ſancti viſibili & inviſibili loqui.

S A.

Verſ. 1. DEDIT, id eſt exhibuit, quaſi dicat, Quantum nos dilexerit.

V. 2. APPARUERIT, ſcilicet quid erimus.

V. 3. SANCTIFICAT, id eſt ſanctum facit; quaſi dicat, Studet ſanctitati.

V. 4. ET PECCATUM; pro, nam peccatum.

V. 5. APPARUIT, id eſt venit: ſic infra.

V. 6. NON PECCAT, ſcilicet quamdiu in eo manet. COGNOVIT, ſcilicet quatenus peccat.

V. 7. ILLE, ſcilicet Chriſtus.

V. 8. AB INITIO, ſcilicet mundi, vel ex quo cœpit peccare. PECCAT, id eſt inducit ad peccatum, vel perſeverat in peccato. IN HOC, id eſt ad hoc.

V. 9. NON FACIT, ſcilicet quatenus ex Deo natus eſt, ſeu quamdiu Dei SEMEN, id eſt gratia, in eo manet.

V. 10. MANIFESTI SUNT. Syr. *diſtinguuntur.*

V. 11. INITIO, ſcilicet converſionis.

V. 12. MALIGNO, id eſt diabolo.

V. 13. MUNDUS, id eſt mundani, ſcilicet peccatores, ſeu impii; quaſi dicat, Faciunt id, quia opera eorum mala ſunt.

V. 14. QUONTAM; pro, nam; quaſi dicat, Id eſt argumento.

V. 15. HOMICIDA, ſcilicet ſui, vel fratris; animo, ſeu voluntate. VITAM AETERNAM, id eſt gratiam, per quam obtinetur vita æterna.

V. 16. DEI, ſcilicet Chriſti. DEBEMUS, ſcilicet cum opus fuerit ad eorum ſalutem.

V. 17.

V. 17. SUBSTANTIAM, id eſt divitias. CLAUSERIT, &c. id eſt miſertus non fuerit.

V. 18. NEQUE LINGUA. Repetitio.

V. 19. IN HOC, ſcilicet ſi diligamus opere. SUADEBIMUS, &c. id eſt ſatisfaciemus cordibus, vulgo *contentabimus*, ſeu *quietabimus*. Vide Matth. XXVIII. Gal. I.

V. 20. QUONIAM; pro, quod. MAIOR EST; quaſi dicat, Non poteſt eum id latere.

V. 23. IN NOMINE FILII, id eſt in Filium.

V. 24. SPIRITU, &c. id eſt ex hoc quod Spiritum ſuum nobis dedit, ſcilicet gratiam ſuam.

MARIANAE.

Verſ. I. VIDETE, aut *videtis*. QUALEM CARITATEM DEDIT NOBIS PATER, id eſt, quam charos nos habeat, quantopere nos diligat. UT FILII DEI NOMINEMUR ET SIMUS. Illud *&* *ſimus* in plerisque Græcis codicibus non eſt: quinque Roberti habent, *&* *ſumus;* ſic Goth. PROPTER HOC MUNDUS NON NOVIT NOS, id eſt non habet nos gratos, quia Deum, qui eſt noſter pater, ignorat.

V. 2. NONDUM APPARUIT QUID ERIMUS. Ad Coloſſ. III. 3. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto*. SCIMUS; pro, ſed ſcimus, quod ſimiles ei erimus. In quo eſt ſimilitudo? nempe, ut ipſe Deum videt, ſic nos ipſum videbimus.

V. 3. QUI HABET HANC SPEM IN EO, SANCTIFICAT SE, id eſt ſtudet vitæ probitati.

V. 4. ET PECCATUM EST INIQUITAS. Quomodo *peccatum*, *delictum*, *ſcelus*, & *iniquitas* differant, Gregorius Moral. Lib. XI. cap. XXI.

V. 6. OMNIS QUI IN EO MANET, NON PECCAT: quamdiu & quatenus manet. Et qui peccat, NON VIDIT EUM, NEC COGNOVIT EUM, notitia approbationis, ut Chriſtus de peccantibus, *Non novi vos*.

V. 7. QUI FACIT IUSTITIAM, non qui apprehendit iuſtitiam Chriſti, ut hæretici volunt, IUSTUS EST.

V. 9. OMNIS QUI NATUS EST EX DEO, id eſt electus. PECCATUM NON FACIT, ſcilicet grave. Alioqui omnes ſumus peccatores. Quod ſi aliquando facit, non perſeverat, non ſedet in cathedra peſtilentiæ, non inficit alios. ET NON POTEST PECCARE id genus peccati; aut certe, quamdiu in eo Dei ſemen manet.

V. 10. OMNIS QUI NON EST IUSTUS. Goth. Græc. & Syr. *qui non facit iuſtitiam*, *is non eſt ex Deo*, id eſt eius filius.

V. 11. QUONIAM HAEC EST ANNUNTIATIO. Præceptum, aut Evangelii ſumma in eo vertitur, ut diligatis invicem. Non ſicut Cain, qui fratrem ſuum occidit.

V. 12. QUI EX MALIGNO ERAT, id eſt ex diabolo, *ἐκ τοῦ πονηροῦ*, ut in Oratione Dominica; *libera nos a malo*, *ἀπὸ τοῦ πονηροῦ*, id eſt a diabolo.

V. 13. NOLITE MIRARI FRATRES, SI ODIT VOS MUNDUS, ſicut Cain fratrem, quia opera diſſimilia. Nos contra diligamus fratres, ut vivamus.

V. 16. OMNIS QUI ODIT FRATREM SUUM, HOMICIDA EST. Ut qui cupit mulierem, mœchatus dicitur eam in corde ſuo.

V. 17. QUI HABUERIT SUBSTANTIAM HUIUS MUNDI. Græc. & Syr. non eſt *huius*. Regia & Lovan. abſtulerunt. Tum pro ſubſtantia Græc. *βίος*, id eſt *vita*, ſed pro victu & aliis quæ ad vitam pertinent, *vita* ſumitur.

V. 18. NON DILIGAMUS VERBO, NEQUE LINGUA: ſupple, *tantum*, ut eſt in Goth. vult autem ſimulatas amicitias vitari. Aut pergit in eo, quod de paupere cœpit, non verbo illi ſubveniendum, ſed opere. In hoc novimus ex veritate vos eſſe.

V. 19. ET IN CONSPECTU EIUS, ſcilicet Dei, SUADEBIMUS CORDA NOSTRA, id eſt confidemus, reddemus conſcientiam ſecuram: *πείθω ſuadere* & *confidere* ſignificat, quod hic Græc. eſt, & pro eo noſter vertit *ſuadebimus*.

V. 20. QUONIAM SI REPREHENDERIT COR NOSTRUM. Goth. *non reprehenderit*. Verum omnes alii codices refragantur. Senſus eſt, ſi cor, id eſt conſcientia nos accuſat, non poterimus coram Deo fidere: quoniam Deus maior eſt, & novit omnia.

V. 21. SI COR NOSTRUM NON REPREHENDERIT NOS, neque ſumus nobis conſcii amoris ſimulati, poterimus fidere, quod

quod verſ. 19. dixit coram Deo, & quidquid petierimus, accipiemus.

V. 23. Et hoc est mandatum eius: ut credamus in Deum, ſed fides caritati ſit coniuncta. Et diligamus alterutrum, ſeu *invicem*, ut Goth.

V. 24. Et in hoc scimus, id eſt coniicimus; nam evidenter non cognoſcimus, quod Deus manet in nobis, ſed ex conie-ctura. De spiritu, quem dedit nodis, id eſt voluntate exequendi mandata, & fratres diligendi. Aut loquitur de miſſione viſibili Spiritus ſancti, quæ erat in primitiva Eccleſia, per quam certo ſciebant ſe in gratia eſſe.

MENOCHII.

Verſ. 1. Qualem: ποταπὴν, *quantam*. Dedit nobis: exhibuit nobis indignis, inimicis, peccatoribus. Filii Dei nominemur, et simus: per adoptionem. Propter hoc mundus non novit nos, &c. quaſi dicat: Ideo homines mundum, & Gentiles non æſtimant, immo parvipendunt, & deſpiciunt hanc Chriſtianorum filiationem, quia Deum non noverunt ſaltem practice, nec eum colunt, aut amant.

V. 2. Et nondum apparuit quid erimus: erimus autem Deo ſimiles, ut ſtatim ſubiungit hoc eodem verſiculo. Cum apparuerit: cum venerit ad iudicandum. Similes ei erimus, &c. ſcilicet, Deo, non natura, ſed qualitate, felicitate, & gloria æterna, quæ in eo conſiſtet quod videbimus eum ſicuti eſt.

V. 3. Qui habet hanc spem: viſionis Dei, & felicitatis æternæ. Sanctificat se: ἁγνίζει ἑαυτὸν, purificat ſeipſum, luſtrat, expiat, ſcilicet, emundans ſe a labe peccatorum, & vitia eradicans. Sicut et ille sanctus est: Alludit, immo citat illud Levit. II. 44. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum*. Eadem ſententia habetur Levit. XX. 26. Idem ſanxit Chriſtus dicens: *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Matth. v. 48.

V. 4. Iniquitatem facit: recedens ab æquitate, quam lex præſcribit. Peccatum est iniquitas, id eſt receſſus, & aberratio a divina lege.

V. 5. Apparuit: factus homo per incarnationem. Ut peccata nostra tolleret: nam ut ait Iſaias LIII. 4. *Vere ipſe noſtros languores tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*. Senſus Apoſtoli eſſe videtur: cum Chriſtus adeo peccato adverſetur, ut propterea in mundum venerit ut pro culpis noſtris ſatisfaceret, & peccatum aboleret, æquum non eſt, ut nos iterum ad peccata revolvamur.

V. 6. Omnis qui in eo manet non peccat: quamdiu ſcilicet in Chriſto, & eius gratia manet, illiuſque ductum ſequitur. Non vidit, nec cognovit eum; ſcilicet practice, quia practice non conſiderat immenſum Chriſti amorem, magnitudinem acceptorum beneficiorum, præſertim redemptionis, &c. hæc enim ſi homines perpenderent a peccatis avocarentur. Nemo vos seducat: non vos ſeducant Gnoſtici, qui docent ſola fide homines iuſtificari, nec requiri ad iuſtitiam bona opera. Qui facit iustitiam: opera bona, & iuſta non qui credit tantum. Sicut et ille iustus est; ſcil. Deus.

V. 8. Ex diabolo est: quia eius actiones & ſuggeſtiones ſequitur, & ex iis, quaſi ex malo ſemine concipit, & gignit peccatum. Quoniam ab initio diabolus peccat: nam peccavit paulo poſt ſuam creationem. Peccat etiam ab initio peccati, & peccatorum, quia ipſe primo peccavit, & Adæ ceteriſque peccandi dedit initium. In hoc apparuit filius Dei: ad hoc Chriſtus Dominus venit in mundum. Ut dissolvat opera diaboli; hoc eſt quod dixit verſ. 5. *Et ſcitis quia ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret*. Dissolvat: peccata enim ſunt vincula, iuxta illud Proverb. v. 12. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur*.

V. 9. Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, &c. quatenus ſcilicet ex Deo natus eſt, & quamdiu nativitatem hanc, & ſemen gratiæ Dei, qua renatus eſt, conſervat, eiuſque ductum ſequitur.

V. 10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii Diaboli; quaſi dicat, Hiſce duobus indiciis manifeſte ſecernas filios Dei a filiis Diaboli, ſcilicet iuſtos ab iniuſtis. Qui non facit iustitiam: qui iuſta, & iuſte non operatur. Et qui non diligit fratrem suum, id eſt proximum, præſertim Chriſtianum, hic pariter

non

non eſt ex Deo, id eſt non eſt filius Dei, ſed Diaboli.

V. 11. QUONIAM HAEC EST ANNUNTIATIO; hoc eſt, res annuntiata, & ſemper annunciandae, & prædicanda; quaſi dicat, Hoc eſt nuncium e cælo a Chriſto allatum, quod nos Apoſtoli nuntii Chriſti vobis iugiter annuntiamur.

V. 12. QUI EX MALIGNO ERAT, id eſt ex diabolo; quaſi dicat, Cain non erat filius Dei, ſed diaboli, quia hunc imitabatur, & eius ſuggeſtionibus parebat. MALIGNA ERANT: mala erant, quia, ſcilicet Deum parvi, immo minoris ſeipſo æſtimans, peiores victimas ipſi offerebat, meliores, & pinguiores ſibi reſervans. Quare cum Deus ad Abel reſpiceret, & ad munera eius, non autem ad Cain, in hoc orta eſt invidia, quæ in homicidium erupit. FRATRIS AUTEM EIUS IUSTA: innocentia, pia, & ſancta.

V. 13. NOLITE MIRARI SI ODIT VOS MUNDUS: id enim quod deterius eſt, odio proſequitur id quod melius eſt, illique inſidiatur, ut Cain fratri ſuo Abel. Vide Philonem libro, *quod deterius potiori inſidiatur*.

V. 14. NOS SCIMUS: certitudine morali, & coniecturali, concepta ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, innocentis vitæ, & conſolationis ſancti Spiritus. TRANSLATI SUMUS DE MORTE AD VITAM: de morte peccati ad vitam gratiæ. QUONIAM DILIGIMUS FRATRES: dilectio enim hæc ſignum eſt, & effectus gratiæ ſanctificantis, & Spiritus ſancti, a quo quaſi fonte manat omnis amor, & dilectio. QUI NON DILIGIT, ſcilicet cum debet diligere. MANET IN MORTE: peccati.

V. 15. OMNIS QUI ODIT FRATREM, HOMICIDA EST: ſaltem ex affectu; vix enim qui plene odit, inimicum ſuum ſupereſſe velit. VITAM AETERNAM IN SE MANENTEM: non habet in ſe gratiam, quæ ſemen eſt gloriæ, & adducit ad vitam æternam.

V. 16. ET NOS DEBEMUS PRO FRATRIBUS ANIMAS PONERE: cum ſcilicet lex caritatis obligat nos ut vitam temporalem, pro vita ſpirituali proximi profundamus.

V. 17. CLAUSERIT VISCERA SUA AB EO: animum obduraverit, & miſericorditer illi opem non tulerit.

V. 18 NON VERBO NEQUE LINGUA, &c. non ore, ſed re.

V. 19. IN HOC, ſcilicet ſi diligamus non verbo, & lingua, ſed opere, & veritate. QUONIAM EX VERITATE SUMUS: quod ſumus veraces, veraciter ambulamus, veram habemus dilectionem, ſumus quaſi filii veritatis, id eſt veræ, & ſinceræ caritatis. ET IN CONSPECTU EIUS SUADEBIMUS CORDA NOSTRA; quaſi dicat, Si diligamus non lingua, ſed opere, & veritate, *in conſpectu eius*, id eſt Deo, & Chriſto omnia cernenti *ſuadebimus*, id eſt probabimus, & perſuadebimus *corda noſtra*, ſcilicet eſſe ex veritate.

V. 20. QUONIAM SI REPREHENDERIT NOS COR NOSTRUM, &c. ſi conſcientia nos arguat, & condemnet, etiamſi hoc diſſimulemus, fruſtra laboramus. QUIA MAIOR EST DEUS CORDE NOSTRO: profundior & intimius illud videt, magiſque illi præſens eſt, quam tu ipſe. MAIOR EST: immo immenſus, ideoque ubique præſens etiam in corde tuo.

V. 21. FIDUCIAM HABEMUS AD DEUM: accedendi, & ab illo poſtulata impetrandi.

V. 23. ET HOC EST MANDATUM EIUS, &c. Dixerat S. Ioannes nos accepturos quidquid petierimus ab eo, *quoniam mandata eius cuſtodimus*, nunc explicat quænam ſint illa mandata. UT CREDAMUS IN NOMINE FILII EIUS; hoc eſt primum mandatum, ut ſcilicet credamus in Chriſtum, illum amemus, colamus, &c. ET DILIGAMUS ALTERURTUM; hoc eſt alterum mandatum de fraterna dilectione: *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ*, Matth. XXII. 40.

V. 24. IN ILLO MANET; tamquam palmes in vite. ET IPSE IN EO: tamquam in ſuo templo. ET IN HOC, id eſt per hoc. SCIMUS; quaſi dicat, Hoc indicio cognoſcimus. QUONIAM MANET IN NOBIS DE SPIRITU, QUEM DEDIT NOBIS, ſpiritum filiorum clamantem *Abba pater*, quem nobis largitus eſt, in nobis perſeverare, & nos tamquam filios agere, & dirigere, ut poſtulemus quæ oportet, & quæ oportet faciamus.

TI-

Digitized by Google

T I R I N I.

Verſ. 1. QUALEM; Græce, *quantam*, CARITATEM NOBIS alienigenis, immo indignis inimicis ſuis, ultro DEDIT & impertivit cæleſtis PATER, UT FILII DEI NOMINEMUR ET etiam revera SIMUS. Per ſpiritum enim nos regenerando, & per gratiam adoptando, *divinæ naturæ* ſuæ *conſortes a* & comparticipes nos facit. Alexander, Romulus, Scipio, Iulius Cæſar & alii Gentiles iactabant ſe a Iove, Marte, Venere vel aliis diis genitos, ſed falſo: Chriſtiani vere gloriantur ſe filios eſſe Dei veri & vivi. Sed quo verior, eo etiam acrior debet hic eis eſſe ſtimulus ad omnem virtutem, & ad heroica, immo divina opera patranda, inquit S. Cyprianus *b*. Verum ſi Chriſtiani ſunt *filii Dei*; cur adeo deſpecti ſunt toti mundo? Reſpondet. Ideo MUNDUS NOS NON NOVIT, non æſtimat; QUIA NON NOVIT Deum, divinamque excellentiam, dignitatem, philanthropiam. Noſcent autem ſed ſerius, in die Domini, cum ſtupentes & gementes dicent: *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, &c.* Tunc dignitas & excellentia noſtra toti orbi manifeſta fiet, cum

V. 2. SIMILES Deo ERIMUS, non natura, ſed qualitate, felicitate, ſplendore & gloria æterna. *Erimus c* enim *ſicut dii*, QUONIAM VIDEBIMUS EUM, non per ſpeculum vel ænigma, ſed SICUTI in ſe EST, & facie ad faciem. Qui vero Deum videt, ſpeciem Dei expreſſam in mente ſibi efformat, puta verbum mentis, quod Deo ſimile eſt, & ipſum repræſentat ad vivum. Sed erimus inſuper ei ſimiles in animæ & corporis puritate, in impeccabilitate, immortalitate, impaſſibilitate, poſſeſſione & fruitione eiuſdem infiniti boni, &c. Sed quis modus hæc aſſequendi? Primo

V. 3. & 4. *Spes* IN Deo, Deique miſericordia & providentia firmiter locanda. Secundo, ſtudendum *ſanctitati*. Nemo in cælo ſimilis erit Deo vel Chriſto in gloria, qui in terra moribus illi diſſimilis fuerit *d*. Porro *ſanctitati* repugnat e diametro *peccatum*, quod *eſt iniquitas*, quia contrariatur æquitati legis divinæ: Græce eſt ἀνομία, id eſt deviatio a lege, prævaricatio legis Dei: unde reddit nos plane Deo diſſimiles, difformes, contrarios, & exoſos. Neque tamen propter ſolam malitiam, fœditatem & damnum quod cauſat, evitandum nobis peccatum, ſed etiam quia exoſum eſt Deo & Chriſto, utpote infinitæ puritati & ſanctitati. Nam

V. 5. ILLE APPARUIT in carne UT PECCATA NOSTRA, tamquam extreme ſibi exoſa, TOLLERET & aboleret; maluitque in ſe luenda & ſuamet morte expianda ſuſcipere, quam pati diutius nos illis fœdari. An non igitur æquum eſt, fideles ſatagere, ut ipſi in ſe quoque peccatum omne aboleant, & ſic Chriſto etiam in hoc ſimiles reddantur, IN quo *nullum* PECCATUM EST aut fuit umquam, immo nec eſſe potuit, ob unionem hypoſtaticam naturæ humanæ cum perſona divina, in quam (quia actiones ſunt ſuppoſitorum,) recidiſſet peccatum, ſi quod admiſſum fuiſſet? Sed modum noſſe vis quo devites peccatum? Mane in Chriſto.

V. 6. OMNIS QUI & quamdiu IN EO per conſtantem amorem & debitam obſervantiam MANET, NON PECCAT. Qui vero PECCAT, NON VIDIT, non attendit, *non* COGNOVIT, nec agnovit EUM, ut debet ſervus dominum, filius patrem, ſponſa ſponſum agnoſcere, reverendum, timendo, amando, colendo, obſequendo.

V. 7. NEMO Gnoſticorum *e*, vel aliorum ſimilium hæreticorum VOS SEDUCAT, docendo ſola fide hominem iuſtificari & ſalvari. Non enim qui ſolum credit, ſed QUI FACIT IUSTITIAM plenam & integram, id eſt omnia a lege Dei præſcripta, IUSTUS EST, & filius & heres Dei. Sicut qui peccat

V. 8. EX DIABOLO EST *f*, id eſt ex diaboli grege, familia, regno, eum ſequendo & imitando, ceu filius patrem. QUONIAM DIABOLUS *a* primo fere INITIO creationis ſuæ, iugiter hucuſque PECCAT ſuperbiendo, rebellando, odiendo Deum: unde merito filii diaboli cenſentur, qui eum, ceu patrem in peccando ſequuntur. Et huc tendit omne ſtudium diaboli, ut quam plurimos ſibi ſimiles filios procreet. Sed IN ſeu ad, HOC APPARUIT ex oppoſito FILIUS DEI in carne, UT OPERA arteſque DIABOLI, quibus tot myriades hominum miſerrime captivavit, DISSOLVAT, diſſipet, confringat. Ex hoc & ſimilibus locis colligunt ple-

rique

rique Scholaſtici cum S. Ambroſio, Auguſtino, Leone *g*, Chriſtum non fuiſſe incarnandum, ſi Adam non peccaſſet. Sed eiuſmodi loca id non convincunt & non deſunt aliæ cauſæ incarnandi Verbi, ut optime demonſtrat Suarez *h*.

V. 9. QUI NATUS EST EX DEO, id eſt Dei filius & iuſtus eſt, *non poteſt peccare* graviter & mortaliter, puta in ſenſu formali, ſeu quantum eſt ex vi illius ſtatus: qui quia SEMEN *Dei*, id eſt, gratiam tum habitualem, tum actualem, ex quibus quaſi ex cæleſti ſemine pullulant omnis generis virtutes (ut Lyranus, Caietanus, Hugo & Thomas Anglicus exponunt) continet; reddit iuſtum, quamdiu in eo ſtatu permanere voluerit, & impeccabilem modo iam dicto: ſicut ſtatus innocentiæ reddebat Adamum immortalem. Sed ſicut potuit Adam libertatem arbitrii ſui peccare, & peccando deſerere ſtatum innocentiæ, & ſic mori: ita poteſt eadem libertate iuſtus deſerere ac negligere *ſemen Dei*, & ita peccare, & peccando ſtatu iuſtitiæ excidere: ita S. Auguſtinus *i*.

V. 10. IN HOC ſigno, ſeu hac teſſera, *manifeſte* dignoſcuntur FILII DIABOLI a filiis *Dei*, iniuſtus a iuſtis, natus ex diabolo a natis ex Deo, nempe quod NON *diligat* FRATREM, id eſt proximum SUUM. Dilectio enim proximi, inquit Tertullianus k, *ſummum fidei* noſtræ *ſacramentum* eſt, & *Chriſtiani nominis theſaurus, quam Apoſtolus totis viribus Spiritus ſancti commendat*.

V. 11. Hæc caritas EST ANNUNTIATIO, id eſt res AB INITIO per Apoſtolos nomine Dei vobis *l* ennuntiata, & hucuſque perpetuo prædicata.

V. 12. NON oderimus alterutrum, SICUT CAIN, QUI EX MALIGNO ERAT, id eſt ex diabolo, filius, aſſecla & imitator diaboli, ET ex mera invidia OCCIDIT Abelem FRATREM SUUM, *quod* FRATER ob IUSTA, pia & ſancta OPERA ſua pluris æſtimaretur a Deo.

V. 13. NOLITE MIRARI, Tertull. & S. Fulgentius *m* legunt, *nolite expaveſcere*, quod MUNDUS exemplo Caini vos *oderit*. Mirandum eſſet, ſi amaret, inquit Didymus. Cauſas alibi *n* vidimus.

V. 14. NOS SCIMUS ſaltem certitudine morali, (& hoc nobis in his mundi odiis & perſecutionibus ſummo ſolatio eſt,) *quod* per fidem & chriſtianiſmum TRANSLATI SIMUS DE MORTE peccati AD VITAM gratiæ & virtutum, vitam vere cæleſtem ac divinam, quæ omnibus odiis ſuperior eſt. Huius autem vitæ certum indicium eſt, (quia indubitatus effectus, ſeu fructus) *quod* FRATRES, id eſt proximos propter Deum, DILIGIMUS, ſicut Chriſtus dilexit nos; ita S. Baſil. & S. Leo *o*, qui tria hæc tamquam indubitata præſentis gratiæ & ſanctitatis indicia nobis conſignat, humilitatem, iniuriarum condonationem, & ſi proximo tribuamus quæ nobis impendi vellemus.

V. 15. OMNIS QUI ODIT FRATREM SUUM HOMICIDA EST, ſi non actu & opere, certe affectu & voto: difficillimum enim eſt ut quem oderis, ſupereſſe velis. Sic Chriſtus ait *p*, eum qui concupiſcit uxorem proximi, adulterum eſſe, quia mœchatur eam in corde ſuo: ita S. Hieron. Dionyſ. Carthuſ. & alii. Actu quoque eſt ſpiritualis homicida ſui ipſius: privat enim ſe gratia ſanctificante, in qua vita animæ conſiſtit, & per quam ſolam obtinetur vita æterna: ita NON HABET VITAM AETERNAM per ſemen gratiæ IN SEMETIPSO MANENTEM: ſed reſervat in ſe ſemen mortis æternæ ac gehennæ odium proximi: ſed hoc abſit a Chriſtianis; æmulemur potius

V. 16. CARITATEM DEI per Chriſtum nobis exhibitam, qui ANIMAM, id eſt vitam SUAM PRO NOBIS (cum adhuc hoſtes eius eſſemus) ultro POSUIT, ut per mortem ſuam nos a morte tum præſenti, tum æterna liberaret, & ad vitam gratiæ & gloriæ traduceret. Quo facto exemplum nobis perfectiſſimæ caritatis reliquit, quod ut imitemur, DEBEMUS ET NOS par, modo *animam*, id eſt vitam, PRO FRATRIBUS, id eſt, proximis noſtris, PONERE, ſaltem quando ſpiritualis neceſſitas proximi ita exigeret. Longe enim pluris debet nobis eſſe ſalus æterna proximi, quam propria vita corporalis: ita fecit S. Paul. ita Ioan. ita omnes Apoſt. ita S. Sebaſt. ut Marcum & Marcellianum; ita Vitalis ut Urſicinum in martyrio nutantes corroborarent, morti ſeipſos expoſuerunt. Quod ſi Ethnici Oreſtes pro Pylade, Niſus pro Euryalo, Damon pro Pythia, Decii pro Romana Republica, Codrus pro Athenienſi, Leonidas pro Spartana, morti ſe ultro devoverunt,

teſte

teſte Valerio Maximo, Ariſtotele *q*, Livio & Plutarcho; negligat id Chriſtianus pro ſalute proximi ſui æterna? Sed qua via inducetur ut vitam ponat, qui induci vix poteſt ut in uſus egentium pauculos nummos exponat?

V. 19. IN HOC, ſcilicet quod diligamus proximum non ſolo verbo, ſed & opere & vero effectu, tamquam certo ſigno, COGNOSCIMS *quod ſimus ex* VERITATE, id eſt, ex Deo, qui prima & ſumma veritas eſt, id eſt quod ſimus veri & genuini filii Dei: ET IN CONSPECTU EIUS (qui intima cordium penetrat) SUADEBIMUS, id eſt probabimus CORDA NOSTRA: & hoc quaſi irrefragabili argumento, illi perſuadebimus, nos eſſe ex veritate, ſeu eſſe veros eius filios. Nempe realis & ſolida caritas propria eſt filiis Dei, nec reformidat oculum vel iudicium divinum, etſi infallibile, inquit Oecumenius.

V. 20. Quod SI REPREHENDERIT NOS COR NOSTRUM, ſcilicet diligere nos proximum ſola lingua, non etiam opere & effectu, eſto idipſum exterius diſſimulemus & contrarium iactemus; fruſtra faciamus, quia Deo imponere numquam poterimus. Si enim hypocriſin tuam nonpotes celare cor tuum, quomodo celabis eam Deum, qui MAIOR, altior, profundior EST CORDE tuo, ET NOVIT OMNIA in eo abſconſa, magiſque præſens illi eſt & intimus pervidet, quam tu poſſis ipſe? Si ergo tuummet cor, ſeu conſcientia, te repræhendit & condemnat, quanto magis repræhendet & condemnabit te Deus, præſes & iudex conſcientiæ tuæ?

V. 21. & 22. SI COR NOSTRUM in ſincero caritatis exercitio NON REPREHENDERIT NOS, FIDUCIAM HABEMUS vice verſa & libertatem accedendi pro noſtra quoque indigentia AD DEUM, certo *accepturi* AB EO QUIDQUID PETIERIMUS (pertinens ad ſalutem. Congruum enim eſt, ut, ſi mandatum & placitum Dei implemus, propter ipſum benefaciendo proximis noſtris, ipſe viciſſim impleat voluntatem noſtram in iis quæ ad ipſius honorem depoſcimus: ita S. Auguſt.

V. 24. IN, ſeu ex, HOC ſigno moraliter certo SCIMUS quod DEUS ſingulari amore & patrocinio MANET IN NOBIS, nempe *ex* SPIRITU (ſic habent Græca & Syrus) QUEM DEDIT NOBIS) id eſt ex præſentia Spiritus ſancti, eiuſque infallibili effectu, ſeu fructu in nobis producto, puta ex caritate fraterna, ceteriſque virtutibus & donis, colligimus quod fons, auctor & donator eorundem, Spiritus ſanctus, & concomitanter Pater & Filius, habitent in nobis, iuxta illud Rom. v. 5. *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*.

(a) II. Petr. I. 4.
(b) Cypr. Lib. de Spectacul.
(c) Gen. III. 5.
(d) Hebr. XI. 14.
(e) II. Pet. II. 22.
(f) Ezech. XVI. 3.
(g) Ambr. Lib. de Sacram. incarnat. cap. IX. Aug. Serm. IX. de verbis Apoſtoli. S. Leo Serm. III. de Pentecoſte.
(h) Suarez in III. p.
(i) Auguſt. de Gratia Chriſti cap. XXI.
(k) Tertull. Lib. de Patientia.
(l) Ioan. XV. 12.
(m) Tertull. in Scorpiaco cap. XII. Fulgent. Lib. III. ad Traſimundum.
(n) Sap. II. 22. & ſeqq. Matth. XV. 18. & Ioan. XV. 8.
(o) Baſil. in Reg. brevior. reg. XI. & in diſput. fuſius, reg. CCXCVI. S. Leo. Serm. VIII. de Epiphania.
(p) Matth. V. 48.
(q) Valer. Max. Lib. IV. cap VII. Ariſt. Lib. VII. Mor. Eudemior. cap. VII.
(r) Pſalm. LXIII. 7.
(ſ) Pſalm. CXLIV. 19. Ioan. XV. 7.

GORDONI.

Verſ. 1. PRoponit quanta & quam præclara ſit adoptio hæc in filios Dei, quamvis eam ignoret mundus, quia Deum etiam ignorat practice. Nondum certe apparuit mundo quales & quam ſimus inde futuri, ipſi Deo ſimiles, non quidem natura, ſed qualitate excellenti, dotibus magnis, & ubi videbimus eum ſicuti eſt. Gratia & gloria referunt per ſimilitudinem perfectiones Dei. Quomodo vero beati, & quo lumine videant Deum, prolixe alibi.

V. 2. ET OMNIS QUI HABET. Qui ſpem habet gloriæ, retinet in ſe, & per eam ſe ſe ſuſtentat: is eſt qui per exercitium magnarum & Chriſtianarum virtutum purificat ſe ipſum, & ſanctificat, dum virtutibus factus dives auget in ſe cumulum ſanctitatis, & longe a ſe ablegat peccata.

V. 4. & 5. OMNIS, QUI FACIT. Dixit pertinere ad Chriſtianos, ut ſe ſanctificent, & longe ſint a peccato. Peccatum enim eſt iniquitas, & tam eſt Deo con-

tra-

trarium, ut Chriſtus ad illud tollendum voluerit mori.

V. 6. 7. 8. Omnis qui in eo manet. Qui in eo manet, non peccat, quamdiu in eo manet, & gratiam retinet: ſic qui peccat, non cognoſcit Deum cognitione propria legis Evangelicæ, Chriſtiana & practica. Qui facit iustitiam, iustus est. Non ergo qui tantum credit. Quomodo opera concurrunt ad iuſtificationem, monſtratum eſt alibi. Sicut ille. Sicut Deus iuſtus eſt. Ab initio, ex quo homo cœpit peccare. Immo & ipſe peccavit ſtatim poſt ſuam creationem. Ut autem hæc hominum vincula diſſolveret, Chriſtus venit in mundum. Sicut ergo Diabolus dedit initium peccati; ita Chriſtus ſalutis.

V. 9. Omnis qui natus est. Qui natus ſic eſt, & manet in hac nativitate, ſane non peccat. Poteſt tamen originem ſanctam amittere, prout convertit ſe ad creaturas cum averſione a Deo: quod explicant Philoſophi per vocem, *reduplicative*, & Theologi per *ſenſum compoſitum & diviſum*. Neque (ut homo eſt liber) facit gratia ut non poſſit operari ex alio principio oppoſito. Sic fit iactura gratiæ, ut in Adamo. Et idem in Angelis factum eſſe certius eſt. Error fuit Ioviniani, teſte Hieronymo, non poſſe hominem amittere ſemel habitam fidem & gratiam: hunc damnatum hæreticum ſequutus eſt Calvinus; verum poſſe hominem iuſtum peccare, ſatis docuit Ioannes hic cap. II. 1. hortans ſuos ne peccent: & Trident. Seſſ. VI. can. XXIII.

V. 10. & 11. In hoc manifesti. Duplex hoc ſignum eſt, & velut ſymbolum, unde diſtinguitur filius Dei a filio diaboli; facere iuſtitiam, & diligere proximum. Et quamvis hic iuſtitiæ nomen ſit generale ad omnem actionem iuſtitiæ, tamen ſpeciem hanc dilectionis voluit Ioannes a ſuo genere ſeparare, ut oſtenderet hanc dilectionem ſpecialem vim habere ad deſignandum Filium Dei. Hoc, inquit, eſt, quod ab initio vobis annuntiavimus, velut e cælo miſſum. Et rem illuſtrat exemplo Caini, verſ. 12. De hac in fratrem invidia lege Cyprianum tract. de zelo & livore.

V. 14. Nos scimus. Delirium eſt hæreticorum ſe certos eſſe certitudine fidei de ſua iuſtitia; & ſupra ſæpe refutatum. Habemus quidem moralem certitudinem de hac re ex innocentia vitæ, teſtimonio conſcientiæ & conſolatione interna, quam ſuggerit Spiritus Sanctus: talis, inquam, cognitio moraliter certa eſt de translatione a peccato ad gratiam. Translatio hæc plane docet deleri peccata, alioqui non eſſet translatio.

V. 15. Omnis qui odit. Qui non diligit, quando diligere debet, manet in morte & peccato: nam, ut hic dicit, homicida eſt; homicida, inquam, affectu & voluntate: ſicut qui concupiſcit uxorem proximi, mœchatur in corde, Matth. v. 28. Et certe qui ſic odit, eſt in magna diſpoſitione ad homicidium.

V. 16. In hoc cognovimus caritatem Dei. De lege & ordine caritatis prolixe agunt Theologi. Nos debemus; quaſi diceret: Lex caritatis obligat nos, ut pro vita ſpirituali proximi ponamus noſtram vitam temporalem. Et qui in neceſſitate poſito claudit viſcera, & non fert opem, abeſt a caritate, verſ. 17. lex eleemoſynæ obligat in neceſſitate extrema, etiam ad danda neceſſaria ſtatui, & non tantum ſuperflua. Multis etiam placet ſtare eandem obligationem in gravi neceſſitate.

V. 18. Filioli. Suadet deinceps dilectionem operis, & ſolidam: ſic cognoſcemus nos (verſ. 19.) veraciter ambulare, & eſſe filios veræ caritatis; ſic suadebimus (verſ. 9.) demonſtrabimus corda noſtra eſſe ex veritate & recta coram Deo, qui novit omnia.

V. 21. Charissimi. Quadam veluti anacephalæoſi inculcat in hac capitis perioda extrema, quæ toto capite attigit de pace & ſecuritate bonæ conſcientiæ, (verſ. 21.) de fiducia obtinendi quæ a Deo petimus (verſ. 22.) ac de mandatis, fide, & plena dilectione [verſ. 23.] &c. Scimus eum manere in nobis [verſ. 24.) ex ſpiritu, ut iam dixi verſu 14. ubi data ſunt ſigna præſentis gratiæ in nobis, & quo ea fuerint ampliora, eo amplior erit certitudo moralis de noſtra iuſtitia.

CAPUT IV.

Qui ſpiritus ex Deo ſint, & qui non: cum Deus ſua nos dilectione prævenerit, dato pro nobis Filio ſuo, debemus & nos Deum ac proximum diligere: perfecta autem caritas foras mittit timorem.

1. CHariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpi-
ritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ
exierunt in mundum. 2. In hoc cognoſcitur ſpiritus
Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in
carne veniſſe, ex Deo eſt: 3. * & omnis ſpiritus, qui
ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus,
de quo audiſtis quoniam venit, & nunc iam in mundo
eſt. 4. Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum, quoniam maior eſt qui
in vobis eſt, quam qui in mundo. 5. (*a*) Ipſi de mundo ſunt: ideo de
mundo loquuntur, & mundus eos audit. 6. Nos ex Deo ſumus. Qui no-
vit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cogno-
ſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris. 7. Chariſſimi, diligamus nos
invicem: quia caritas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt,
& cognoſcit Deum. 8. Qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus
caritas eſt. 9. (*b*) In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium
ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum. 10. In hoc
eſt caritas: non quaſi nos dilexerimus Deum, † ſed quoniam ipſe prior di-
lexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 11.
Chariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.
12. (*c*) Deum nemo vidit umquam. Si diligamus invicem, Deus in no-
bis manet, & caritas eius in nobis perfecta eſt. 13. In hoc cognoſcimus
quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit
nobis. 14. Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium
ſuum Salvatorem mundi. 15. Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt
Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. 16. Et nos cognovimus,
& credidimus caritati, quam habet Deus in nobis. Deus Caritas eſt: &
qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. 17. † In hoc
perfecta eſt caritas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die iudi-
cii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. 18. Timor
non eſt in caritate: ſed perfecta caritas foras mittit timorem: quo-
niam timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in ca-
ritate. 19. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit
nos. 20. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum o-
derit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt,
Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? 21. (*d*) Et hoc
mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

(a) Ioan. VIII. 47. (b) Ioan. V. 16. (c) Ioan. I. 18. I. Tim. VI. 17. (d) Ioan. XIII. 34. & 15. 12. Eph. III. 2.

BRU-

BRUGENSIS

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 10. *Sed quoniam ipſe prior dilexit nos*. Quidam Latini Libri cum Græcis & Syricis hic omittunt vocem *prior*, quæ ab omnibus legitur infra verſ. 19.

Verſ. 17. *In hoc perfecta eſt caritas Dei nobiſcum*. Vocem *Dei* plerique codices auferunt Græco conſentanee.

NOTATIO.

Verſ. 3. ET *omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus*. Ita legunt Latini Libri, *Omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum*. Græci habent, *Et omnis ſpiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe ex Deo non eſt*. Græcis Syri conſentiunt; & Cyprianus Libri II. contra Iudæos 7. capite (octavo iuxta Pamelii aditionem.) ſuffragatur. Latinis Leo epiſtolæ x. cap. v. adſtipulatur. Quin & in Græcis codicibus olim id lectum fuiſſe, quod nunc in Latinis, Græcus Socrates hiſtoriæ tripartitæ Libro XII. cap. IV. teſtatur. Auguſtinus tractatu VI. legit atque exponit utrumque.

Id quod ſequitur: *Et hic eſt Antichriſtus*, Græce eſt: *Et hic eſt Antichriſti*. καὶ τοῦτο ἐστὶ (τὸ Gq.) τοῦ ἀντιχρίστου. Syri verterunt: *Sed hic eſt ab ipſo pſeudo Chriſto*. Cyprianus rem planius explicans: „Qui autem negant „in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed eſt „de Antichriſti ſpiritu.“

COMMENTARIA.

GAGNAEI.

Verſ. 1. CARISSIMI NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE. Quia prædixerat quod nobis hinc innoteſcit Deum manere apud nos, quia ſpiritum eius in nobis haberemus & multi ea ætate venirent in Chriſti nomine, illi tamen contrarii, fingentes ſe ſpiritum Dei habere, ſubdit: *nolite paſſim cuivis ſpiritui credere*, SED PROBATE potius SI SPIRITUS EX DEO SUNT: IN HOC ergo, inquit, COGNOSCITUR SPIRITUS DEI. Interpres legit γινώσκεται. Græci habent γινώσκετε, id eſt *cognoſcite ſpiritum Dei*. OMNIS SPIRITUS QUI CONFITETUR IESUM VENISSE IN CARNE, EX DEO EST. Hoc de confeſſione veræ fidei per caritatem operantis intelligendum docent Græca ſcholia & Didymus: alioqui & dæmones confitentur: perinde ergo intelligendum.

V. 3. ET OMNIS QUI SOLVIT IESUM, EX DEO NON EST. Græca lectio habet, *& omnis qui non confitetur Ieſum veniſſe in carne ex Deo non eſt*. Solvere autem Ieſum, nihil aliud eſt, quam aliquid eorum quæ illi propria ſunt auferre, vel ſcilicet deitatem auferre, vel humanitatem detrahere: quod ab hæreticis factum eſt: certe Didymus ſumit aliquoties verbum ſolvendi Ieſum, pro negare eum in carne veniſſe: de pſeudoprophetis enim ait, per quos ſolutus Ieſus, quoniam non confitentur eum veniſſe in carne. ET HIC EST ANTICHRISTUS, hic ſcilicet qui ſolvit Ieſum: Græca paulo ſecus habent, ſcilicet, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, ὃ ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται; id eſt, *& hic eſt*, ſaubaudi, ſpiritus Antichriſti, de quo ſcilicet ſpiritu audiſtis, quia venit: quum ſcilicet paulo ante dixerit, ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti facti ſunt multi: venit ergo ſpiritus Antichriſti in præcurſoribus hæreticis & ſchiſmaticis.

V. 4. ET QUIA VICISTIS EUM. Interpres legit αὐτὸν. Græci habent αὐτοὺς, id eſt eos, vel pſeudoprophetas, ſcilicet, vel antichriſtum & mundum; quaſi diceret: Nolite metuere eos: ſuperiores enim facti eſtis illis, quia ſuperior eſt qui in vobis habitat Deus, diabolo qui illos agit. Ab hoc autem loco uſque ad eum, *Deum nemo vidit umquam*, clara & facilia ſunt omnia, ubi præceptum caritatis ſæpius inculcat & repetit Ioannes: niſi quod hoc loco *Deus caritas eſt*, intelligendum eſt duplicem eſſe caritatem: quandam crearam qua nos Deus diligit & gratos habet, quæ nobis a Deo infunditur, per quam gratioſi illi ſumus, & a qua per peccatum excidimus: huiuſmodi caritas Deus non eſt,

Digitized by Google

ſed a Deo in nobis eſt: alia eſt caritas increata, Deus ipſe ſcilicet nos diligens. Poſſemus etiam ſimpliciter intelligere dictum, *Deus caritas eſt*, id eſt ſupra omnem menſuram noſtri amans, & quaſi dicas, non modo nos impenſe amat, ſed ipſiſſima ipſe caritas eſt: quo modo etiam e contrario inſigniter ſceleſtum, ſcelus eſſe dicimus.

V. 12. DEUM NEMO VIDIT UMQUAM. Intelligendum eſt hoc de vivente homine, & de Deo in ipſa vera deitatis ſubſtantia: nam & Moyſes poſteriora Dei tantum vidit, faciem videre non potuit, & quotquot viventes Deum viderunt, in umbra tantum & ænigmate viderunt.

V. 13. IN HOC COGNOSCIMUS QUIA IN NOBIS MANET, ET NOS IN EO, QUIA DE SPIRITU SUO DEDIT NOBIS. Hic locus expoſitus eſt præcedenti capite, verſ. 10. ſimiliter & ſequens, *Quiſque confeſſus fuerit*, &c. in hoc capite, verſu primo.

V. 17. & 18. IN HOC EST PERFECTA CARITAS DEI NOBISCUM, UT FIDUCIAM HABEAMUS IN DIE IUDICII: QUIA SICUT ILLE EST, ET NOS SUMUS IN HOC MUNDO. Non caret is locus ſcrupulo. Beda explicat τὸ ἵνα, id eſt ut, pro ſi ſumatur, ac ſit ſenſus, in hoc eſt perfecta Dei caritas, ſi fiduciam habemus in die iudicii: quia ſi perfecte Deum diligimus, ſecuri & confidentes diem iudicii expectabimus. Quod autem ſequitur, *quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo*, non ſatis mihi coniungere videtur Beda: putarem ad ſenſum ipſius ſic iungendum locum: Si perfecta Dei caritas nobiſcum eſt, fiduciam habemus in die iudicii: quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo, id eſt quia ſicut ille in mundo degens perfectam caritatem habebat, ideoque nihil principem mundi huius verebatur, dicens: Venit autem princeps mundi huius, & in me non habet quicquam; ita & nos in hoc mundo ſi perfectam habemus caritatem, ſicut ille ſumus, nihil formidantes in die iudicii principem mundi huius. Ut ego cum venia quod ſentio dicam: primo Græca repetam, quæ ſic habent, ἐν τῦτω τετελείωται ἡ ἀγάπη μεθ' ἡμῶν, ἵνα παῤῥησίας ἔχωμεν ἐν ἡμέρα τῆς κρίσεως, ὅτι καθὼς ἐκεῖνος ἐςί, ϗ ἡμεῖς ἐσμὲν ἐν τῷ κόσμω τύτω; quo loco Græci habent ſimpliciter ἀγάπη, id eſt *caritas* vel *dilectio*, neque addunt, Θεῦ, id eſt *Dei*, quod habet interpres: quamquam de ea intelligi videtur: & mihi videtur hic eſſe ſenſus, in hoc, id eſt ob hoc conſummata & perfecta fuit Dei in nos caritas, ut fiduciam habeamus in die iudicii: prædixit enim in hoc ſummam Dei erga nos caritatem apparuiſſe, quod unigenitum filium ſuum miſit in mundum ut vivamus per eum: qui eſt indubie ſumma & perfecta caritas, unicum ſcilicet filium morti deſtinare, ut nos per eius mortem vivamus, & congruenter huic ſententiæ poſtmodum ſubdit, *in hoc*; id eſt, propter hoc Dei in nos caritas uſque ad unigeniti ſui mortem ſcilicet perfecta fuit & conſummata, ut nos tam inſigne caritatis argumentum habentes ob oculos, fiduciam habeamus in die iudicii, id eſt nihil vereamur, ſed cum fiducia adeamus ad thronum gratiæ ipſius. Reſtat tunc ſcrupulus quomodo connectantur ſequentia, *quia ſicut ille eſt & nos ſumus in hoc mundo*. Ex Græcis hunc ſenſum olfacere poſſum, quia ſicut ille eſt in hoc mundo manens in nobis, ita & nos ſumus manentes in illo: & ſicut ille in nobis ſanctitatis & puritatis & caritatis auctor eſt, ita nos in eo ſancte & caſte gerimus mortui mundo: & ſicut ille in nobis eſt ſumme nos diligens, ita & nos in eo ſumus ſumme eum diligentes: ſecundum eum vero, fratres & proximos: quod ſi indubie tales ſumus in eo, qualis ipſe in nobis, (non quod τὸ *ſicut* omnem ſimilitudinis rationem exprimat) fiduciam habebimus in die iudicii, & tunc perfecta erit caritas expers omnis timoris, quia PERFECTA CARITAS FORIS MITTIT TIMOREM: intellige autem de timore ſervili; nam timor filialis, qui a David dicitur timor Domini caſtus permanens in æternum, non excluditur a caritate, quippe qui a caritate procedit: quod autem de ſervili timore intelligat, ipſe Ioannes explicat, dicens: *quia timor pœnam habet*: nam qui timore ſervili metuit Deum offendere, non tam ob Deum quem amat, quam ob ſupplicium quod metuit, veretur offendere.

S A.

Verſ. 1. PROBATE, id eſt examinate. SPIRITUS, id eſt mentis propriæ vel alienæ impulſus, ſeu motiones, ſcilicet videntur interdum revelationes, & ſunt illuſiones.

V. 3.

Digitized by Google

V. 3. Solvit, ſcilicet negans, vel Deum, vel hominem. Græc. & Syr. *non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe*. Antichristus. Græc. & Syr. *Antichriſti*. Venit; pro, venturus eſt, ſeu erat: præſens pro futuro.

V. 4. Eum. Græc. *eos*, ſcilicet pſeudoprophetas, id eſt hæreticos.

V. 6. In hoc, ſcilicet ſi nos audiat, aut non audiat.

V. 10. Est, id eſt demonſtrata eſt. Quasi. Græc. *quod*. Propitiationem, id eſt propitiatorem.

V. 12. Perfecta, ſcilicet quantum ſatis eſt ad ſalutem.

V. 15. Confessus, ſcilicet fide caritate formata.

V. 16. Charitati. Græc. *caritatem*. Nobis; pro, nos. Caritas est, & caritatis auctor.

V. 17. In hoc, &c. quaſi dicat, Ad hoc nos amavit perfecte, ut, &c. vel, Ad hoc nos movet caritas in Deum, ut, &c. Est; pro, fuit, id eſt vixit. Sumus, id eſt vivimus, ſcilicet illum imitantes.

V. 18. Caritate; quaſi dicat, Caritas non timet ſerviliter. Timorem, ſcilicet ſervilem. Poenam, id eſt cruciarum. Syr. *perturbationem*. Autem; pro, ergo.

MARIANAE.

Verſ. 1. Nolite omni spiritui credere, id eſt Doctori dicenti ſe habere ſpiritum Dei. Sed probate, id eſt examinate ſpiritus, Doctorum ſcilicet.

V. 2. In hoc cognoscitur: ſic Syr. Græc. *cognoſcite*, γινώσκετε, noſter Interpres legit γινώσκεται.

V. 3. Qui solvit Iesum. Græc. & Syr. *& omnis qui confitetur Ieſum veniſſe in carne*: ſed perinde eſt. *Solvere Ieſum*, eſt illi divinam aut humanam naturam detrahere. Verum Græcam lectionem ſequitur Cyprianus Lib. II. contra Iudæos, cap. VII. Noſtram Leo epiſt. x. cap. v. Socrates in Hiſtor. Tripart. Lib. XII. cap. IV. Auguſtinus Tract. VI. legit & exponit utramque. Et hic est Antichristus. Græc. *& his* (ſcilicet ſpiritus) *eſt Antichriſti*, quam lectionem Cyprianus habet. De quo audistis, aut *quem audiſtis*, Goth. & Græc. Quoniam venit: in præſenti, ἔρχεται, id eſt *venturus eſt*. Et nunc iam in mundo est, ſcilicet hæretici ſunt Antichriſti.

V. 4. Vos ex Deo estis filioli. Sic ſæpe vocat, ut dilectionem erga eos exaggeret. Et vicistis eum, ſcilicet Antichriſtum: ſic Regia & Lovan. At Græc. Syr. Goth. *viciſtis eos*, ſcilicet pſeudodoctores aut Prophetas. Quoniam maior est Deus, qui in vobis est, quam qui in mundo, ſcilicet diabolus princeps mundi. Ideo viciſtis.

V. 6. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, cum ſcilicet quis audit nos. Et spiritum erroris, cum quis nos non audit, nec nobis obedit. Diligamus invicem.

V. 7. Et omnis qui diligit (ſcilicet *fratrem ſuum*, ut Goth. exprimit) ex Deo natus est, eius filius eſt.

V. 8. Qui non diligit, non novit Deum, non eſt ei amicus. Quoniam Deus caritas est, id eſt non modo nos amat, ſed eſt ipſa caritas. Qui ergo non diligit, ei ſimilis non eſt, neque Dei filius, neque ei amicus.

V. 10. In hoc est caritas, id eſt hoc eſt caritatis Dei erga nos argumentum. Quod cum eum non diligeremus, Ipse prior dilexit nos. Vox *prior*, Græc. & Syr. non eſt. Lovan. & Regia reiecerunt ad marginem.

V. 12. Deum nemo vidit umquam, vivens ſcilicet & in ſua ſubſtantia. An Moyſem & Paulum excipere debeamus, diſputat Schola: inde petatur. Senſus eſt, Dilectionem Dei erga nos non vidimus. Ei reſpondere non poſſumus, quem non videmus; diligamus fratres quaſi eius vicarios. Et caritas eius, ſcilicet Dei in nobis perfecta est, ſi diligamus invicem. Caritatis duæ ſunt partes; Dei dilectio, & fratrum. Qui eos diligit, caritatem ſuis componit & perficit partibus.

V. 13. In hoc cognoscimus. Repetit verſum ultimum ſuperioris capitis, nec nova expoſitione eget. Plena repetitionibus hæc Epiſtola eſt. Nos vidimus quod.

V. 14. Pater misit Filium suum Salvatorem, id eſt ut eſſet Salvator mundi.

V. 17. In hoc, id eſt ad hoc. Perfecta est caritas Dei nobiscum, ſeu *in no-*

nobis: ut Gotth. Ea eſt utilitas caritatis perfectæ & conſtantis ex amore Dei & fratrum, UT FIDUCIAM HABEAMUS, ſine timore ſimus in die iudicii. QUIA SICUT ILLE EST. Syr. *fuit*. ET NOS SUMUS IN HOC MUNDO. Ut ille iuſtus, ut Deum & fratres dilexit, ſic nos facimus. Caritas ergo perfecta dat fiduciam, excludit timorem.

V. 18. TIMOR NON EST IN CARITATE. Si perfecta eſt, timorem pellit. QUONIAM TIMOR POENAM HABET. Syr. *turbationem*. Caritas autem dulcis eſt & quieta.

V. 20. DEUM, QUEM NON VIDET. Ob id verſ. 12. dixit, *Deum nemo vidit umquam*. Ergo qui fratrem non diligit, quem videt, Deum quomodo diliget, quem non videt? Ita dilectio fratrum eſt ipſa dilectio Dei, quoniam in eo Deo obedimus, & frater ſupplet vices Dei, iuxta illud, *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Sanctis, qui in terra eius, mirificavit omnes voluntates meas in eis:* Pſalmo XV. verſ. 1.

MENOCHII.

Verſ. 1. NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE: ſpiritum autem vocat ſuggeſtionem, inſpirationem, doctrinam, ſuaſionem; quaſi dicat, Nolite credere omni ſuaſioni, aut doctrinæ, quæ vobis ſuggeritur. SED PROBATE SPIRITUS: illos examinantes ad doctrinam Apoſtolorum, & Eccleſiæ.

V. 2. IN HOC COGNOSCITUR SPIRITUS DEI, id eſt hæc eſt regula ad cognoſcendum ſpiritum, an ſit ex Deo.

V. 3. QUI SOLVIT IESUM, ſcilicet negans vel Deum, vel hominem. ET HIC EST ANTICHRISTUS, &c. quia contrarius Chriſto, & quia præcurſor eſt Antichriſti, unde Græca habent, *hic eſt Antichriſti*. QUONIAM VENIT: ἔρχεται, id eſt *venit* in præſenti, non in præterito, hoc eſt, certo venit. Syrus, *Quem audiſtis venturum*. ET NUNC IN MUNDO EST: non in perſona, ſed in ſpiritu, id eſt in ſe[illegible] præcurſoribus. Hoc eſt quod ait Paulus. *Myſterium iam operatur iniquitatis*, II. Theſſ. II. 7. VICISTIS EUM, ſcilicet ſpiritum Antichriſti, ſpiritum erroris, & hæreſis. MAIOR EST: potentior, ſcilicet Chriſtus, Spiritus eius, & doctrina Evangelica.

V. 5. IPSI DE MUNDO SUNT; quaſi dicat, Hæretici non ſunt ex Deo, ſed ex mundo, quia amant opes, honores, voluptates mundi, & de iis loquuntur, & prædicant, ſicut etiam a mundanis, qui non niſi mundana ſapiunt libenter audiuntur.

V. 6. NOS EX DEO SUMUS: ſumus enim filii Dei, & a Deo ſtamus. QUI NOVIT DEUM, AUDIT NOS, &c. iuxta illud Chriſti, *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit:* Luc. X. 16. IN HOC COGNOSCIMUS SPIRITUM VERITATIS, &c. ſcilicet ſi nos audiat, vel non audiat.

V. 8. CARITAS EX DEO EST: quia eſt nobiliſſimum Dei donum, & lege Dei ſancita, & crebro a Deo commendata. ET QUI DILIGIT, EX DEO NATUS EST: quicumque ex hac caritate ad amandum inclinatur, vere Dei filius eſt. ET COGNOSCIT DEUM: nam qui non diligit Deum, & proximum, licet ſpeculative noſcat Deum, practice tamen non novit.

V. 8. NON NOVIT DEUM, QUONIAM DEUS CARITAS EST: qui non diligit, & in ſe amoris aliquod experimentum non habet, non poteſt intelligere quid ſit Deus, & quæ eius ſit caritas.

V. 9. IN HOC APPARUIT CARITAS DEI IN NOBIS: in hoc oſtendit Deus eximiam ſuam caritatem erga genus humanum. UT VIVAMUS PER IPSUM: nunc quidem vita gratiæ, poſtmodum vero vita gloriæ.

V. 10. IN HOC EST CARITAS, id eſt divinus amor in hoc eluxit. NON QUASI NOS DILEXERIMUS EUM: priores, & ideo amorem eius provocaverimus. IPSE DILEXIT NOS: præveniens nos ſuis auxiliis, gratia, & beneficentia. PROPITIATIONEM: hoſtia pro peccatis noſtris abolendis, & pro Numine nobis propitiando.

V. 11. ET NOS DEBEMUS ALTERUTRUM DILIGERE: cum enim Deo, qui rebus noſtris non indiget, quidquam rependere non poſſumus, reliquum eſt ut Dei amore in proximos noſtram beneficentiam, & amoris ſignificationes, & effecta derivemus.

V. 12. DEUM NEMO VIDIT UMQUAM, &c. quaſi dicat: Diligite proximos, hanc enim dilectionem quaſi in ſe collatam reputat Deus, licet enim eum non videamus, tamen ſi proximum diligamus, ipſe inviſibilis erit nobis præſentiſſimus, &

ca-

caritas, cuius ille auctor eſt, in nobis perficietur.

V. 13. IN HOC COGNOSCIMUS QUONIAM IN EO MANEMUS: ei adhæremus per gratiam, & caritatem. QUONIAM DE SPIRITU SUO DEDIT NOBIS, id eſt participationem Spiritus, ſcilicet gratiam, & caritatem, quæ ſunt dona Spiritus ſancti. Vel *de Spiritu ſuo*, id eſt Spiritum ſuum, nimirum Spiritum caritatis.

V. 14. ET NOS VIDIMUS, ET TESTIFICAMUR, &c. Pertinent hæc ad verſum 9. ubi ait, Deum caritatem ſuam in nos oſtendiſſe, mittendo Filium, hoc enim confirmat teſtimonio ſuo, & Apoſtolorum, qui cum Chriſto in carne vixerunt.

V. 15. DEUS IN EO MANET: per veram fidem, & confeſſionem, quæ caritatem includit, & quæ dilectionem operatur. ET IPSE IN DEO: cui per fidem & dilectionem adhæret.

V. 16. ET NOS COGNOVIMUS, ET CREDIDIMUS CARITATI, &c. quaſi dicat, Nos re ipſa comperimus, & fide complexi ſumus ſingularem in nos Dei caritatem, qua rebus humanis per Chriſtum ſalvatorem conſulit. CARITATI. Græce, *caritatem*. DEUS CARITAS EST. Dat cauſam cur dixerit, & nos *credidimus caritati*, unde Syrus vertit, *Deus enim caritas eſt*. Porro Deus eſt caritas, & amor increatus in ſe, in nobis autem cauſalis, quia eam in nobis producit, & cauſat. ET QUI MANET IN CARITATE, &c. Particula *&* ponitur pro *igitur*, *idcirco*, infertur enim hæc quaſi concluſio ex antecedenti, quod præceſſit; quaſi dicat: Deus caritas eſt, ergo qui manet in caritate manet in Deo, cum ſint unum idemque Deus, & caritas. ET DEUS IN EO; quaſi in templo caritatis.

V. 17. IN HOC PERFECTA EST CARITAS NOBISCUM; id eſt, ex hoc ſigno, cognoſcimus perfectam nos habere caritatem ſi nimirum abiecta formidine, extremi iudicii diem magna ſpe, & confidentia præſtolemur. QUIA SICUT ILLE EST, &c. nimirum ſicut eſt Chriſtus ſanctus, & immaculatus, ita & nos conamur eſſe in hoc mundo ab omni labe peccati penitus liberi.

V. 18. TIMOR NON EST IN CARITATE; id eſt, caritas non timet ſerviliter, ſed perfecta caritas hunc timorem excludit. TIMOR POENAM HABET: qui enim ſerviliter timet, cruciatur expectatione pœnæ quam formidat. QUI AUTEM TIMET: ſerviliter, ut dictum eſt.

V. 19. QUONIAM DEUS PRIOR DILEXIT NOS: quandoquidem ille nos prævenit ſua caritate, & par eſt nos amori amorem rependere. MENDAX EST: quia caritas Dei ſe extendit ad amorem proximi, qui eſt imago Dei, eamque continet, & complectitur.

V. 20. DEUM QUEM NON VIDET, &c. quia natura comparatum eſt, ut amor, & affectus rapiatur in ſenſibilia quæ videmus, oculi enim ſunt in amore duces.

V. 21. ET HOC MANDATUM HABEMUS, &c. Divina lex, quæ Deum iubet diligere, iubet etiam diligere proximum, *& in his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ*. Matth. XXII. 40.

TIRINI.

Verſ. 1. NOLITE OMNI SPIRITUI CREDERE. *Spiritum* vocat inſpirationem, ſuggeſtionem, impulſum, ſuaſionem, doctrinam: vel, ſi mavis, ipſum magiſtrum docentem, ſuadentem, inſpirantem, &c. Alludit vero ad nautas qui non omni ſpiritui, id eſt non cuivis vento, credunt aut obſecundant, niſi velint in ſyrtes, ſcopulos, certumque exitium agi. SED PROBATE ad Lydium lapidem; Syrus, *diſcernite*, SPIRITUS an EX DEO SINT, an aliunde. Ergo & noſtrum ſpiritum, noſtramque doctrinam probate & examinate, inquiunt hæretici. Reſpondet Primaſius *a*, *Iam probati* & improbati *ſunt ſpiritus* veſtri *ab Eccleſia*, cui id ex officio incumbit. *Quid vis tu* rurſus *probare quod iam* pridem *improbatum eſt?* S. Bernardus *ſex ſpiritus* diſtinguit, divinum, angelicum, diabolicum, humanum, carnalem & mundanum. Porro Lydius lapis & teſſera veri probatique ſpiritus, ſeu doctrinæ *ex Deo* promanantis, hæc eſt, confiteri corde, lingua, opere.

V. 2. IESUM CHRISTUM IN CARNE VENISSE; id eſt, Ieſum eſſe Meſſiam, ſeu Filium Dei *b* humana natura indutum, principem, redemptorem, doctorem & legislatorem nobis a Patre miſſum, cuius proinde legibus ac doctrinæ in omnibus ob-

Digitized by Google

obſequendum: ita fere S. Cyprian. Auguſt. *e* Oecumen. Didymus & Beda.

V. 3. OMNIS SPIRITUS, QUI SOLVIT IESUM, EX DEO NON EST; quaſi dicat: Ieſus eſt quid colligatum & compoſitum ex divino ſuppoſito & humana natura per vinculum unionis hypoſtaticæ, & inſeparabiliter illi adnexum eſt imperium totius univerſi, & dignitas mediatoris, doctoris & legislatoris independens ab omni creatura. Quicumque compoſitum hoc *ſolverit*, negans vel Ieſum eſſe Deum (ut Cerinthus; Ebion, Menander, Carpocrates & alii apud Irenæum, Epiphanium, Auguſt.) vel eſſe verum hominem (ut negavit Simon Magus, Eutyches, Manichæus, Dioſcorus, &c.) vel unicam eſſe perſonam (ut Neſtorius,) vel meritum & gratiam eius eſſe neceſſariam [ut Pelagius,] vel leges ipſius, doctrinam & inſtituta contemnens (ut contemnunt omnes hæretici,) *non eſt ex Deo*, ſed ex diabolo: ET HIC EST ANTICHRISTUS; græce, *hic eſt Antichriſti*, ſupple, præcurſor: Syriace, *ab Antichriſto* famoſo illo & celebri, DE QUO ſæpius AUDISTIS QUONIAM VENIT (ἔρχεται præſentis eſt temporis,) id eſt venire debet, & certo *venit*, ut Syrus vertit. ET NUNC IAM IN MUNDO EST, non in perſona, ſed in ſpiritu, puta in ſuis præcurſoribus: ſicut Ioannes Baptiſta a Chriſto vocatur Elias.

V. 4. VOS EX DEO ESTIS prognati, & primæ atque infallibili veritati conſtanter, ut decet genuinos filios, adhæretis, ET ideo VICISTIS EUM, ſcilicet ſpiritum Antichriſti, ſpiritum erroris & hæreſeos, tentationibus illorum fortiter reſiſtendo, errores convellendo, blaſphemias refutando. S. Cyprianuus *d* in imperativo legit, vincite illos, non veſtris viribus, ſed gratia divina nixi.

V. 6. QUI NOVIT, ſeu agnoſcit, *Deum* pro Domino & magiſtro ſuo, AUDIT, obedit & ſequitur NOS Apoſtolos & legatos Dei. QUI NON EST EX DEO, ſed *de mundo*, amans & quærens quæ mundana & terrena ſunt, NON AUDIT NOS, qui ſola ſpiritualia, cæleſtia & divina inculcamus; ſed audit hæreticos ſatanæ Apoſtolos, qui mundana & terrena ſapiunt, loquuntur, prædicant. *Hæreticus* enim *eſt*, ſecundum S. Auguſtinum *e*, *qui alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ, principatuſque ſui cauſa, falſas ac novas opiniones, vel gignit vel ſequitur*. IN HOC ſigno, quod nos cæleſtia ac divina, ipſi terrena ac mundana doceant, COGNOSCIMUS, in quibus ſit *ſpiritus* VERITATIS, & in quibus *ſpiritus* ERRORIS. Hic docet diligere & ambire honores, opes, venerem & delicias: illa Deum ſuper omnia, & proximum ut nos ipſos diligere. Ut igitur oſtendamus nos agi ſpiritu veritatis.

V. 7. DILIGAMUS NOS INVICEM, ſicut Deus & Chriſtus nos dilexit. *Spiritus* enim *veritatis* etiam eſt *ſpiritus caritatis*: & ſicut veritas, ita & CARITAS EST EX DEO, qui eſt prima, ſumma & æterna veritas & caritas, (eſſentialis ipſa natura divina, notionalis ipſe Spiritus ſanctus) fons & ſcaturigo omnis caritatis, ſeu quam nobis exhibeat *f*, ſeu quam in nos diffundit *g*, ut S. Chry. & Caſſian. *h* prolixe docent.

V. 8. QUI NON DILIGIT Deum, & proximum propter DEUM, NON NOVIT, ſaltem practice non oſtendit ſe noſſe & agnoſcere, DEUM *eſſe* eſſentialiter & notionaliter & cauſaliter *caritatem* inexhauſtam, ſummo & ineo.nprehenſibli amore nos complexantem: cuius evidentiſſimum dedit indicium, cum pro nobis ſalvandis miſit Filium ſuum unigenitum, ut vel ſic nos ad ſe redamandum invitaret.

V. 10. IN HOC EST maxime elucens Dei erga nos CARITAS, quod ipſe nulla noſtra dilectione, nullo officio, nullo merito provocatus, immo multis iniuriis & ſceleribus a nobis offenſus, PRIOR DILEXIT NOS, cum nos peccatores, inimicos & hoſtes ſuos inſecutus ebritate prævertit, ut ad ſe reductos ſalvaset. *Ad hoc* enim *nos dilexit*, *ut diligamus eum*, inquit S. Auguſt. Ut merito concludat S. Ioannes non noſſe caritatem Dei, quicumque non diligit Deum ſic nos diligentem: ſi enim noſſet & agnoſceret, quomodo poſſet non redamare? Verum cum impoſſibile nobis ſit, huic amori divino par pari reddere, ſaltem præſtemus quod pro modulo noſtro poſſumus. Cumque ipſi in ſeipſo (nullius plane indigo) nullum beneficium, nullum obſequium præſtare poſſimus; præſtemus eius membris, eius filiis, proximis noſtris, quos ſibi ſubſtituit, ut in eos amorem, quem ipſi exhibitum vellemus, ipſius intuitu expromamus.

V. 12. DEUM ut in ſe eſt, NEMO mortalium VIDIT NUMQUAM. Inviſibili autem

& inac-

Digitized by Google

& inacceſſo nullum potes beneficium aut obſequium reipſa præſtare. Si tamen id quod potes, amore ipſius præſtiteris vicario eius, proximo tuo, ipſe ex ſummo (ſi opus eſſet) cælorum vertice ad te deſcendet, habitabitque & manebit in corde tuo, quaſi in optatiſſimo palatio, throno & thalamo ſuo. ET hac proximi dilectione CHARITAS Dei, ſeu quam Deo debemus PERFECTA IN NOBIS redditur, quia ſic Deum non in ſe ſolo, ſed & in imagine & vicariis eius diligimus & ſervimus.

V. 13. Hoc ſigno COGNOSCIMUS, *quod in* Deo per veram filiationem MANEMUS, ET IPSE paterno affectu IN NOBIS maneat, QUONIAM DE SPIRITU SUO, id eſt communicationem ſpiritus ſui, DEDIT NOBIS; puta fidem, gratiam & caritatem, quæ ut ſunt dona Spiritus ſancti, ita quando illa in nobis experimur, ſentimus Dei (qui auctor & donator illorum eſt) in nobis præſentiam, munificentiam & affectum, ſeu caritatem erga nos

V. 16. ET NOS ut probe COGNOVIMUS, & plene perſpectam habemus, ita etiam nos totos CREDIDIMUS CARITATI QUAM HABET DEUS IN NOBIS, id eſt in nos, ſeu erga nos, ut vertit Syrus. Et quid dubitemus nos ei credere? DEUS ipſiſſima per eſſentiam CARITAS EST. Eſt enim per eſſentiam merum, ſummum, infinitum bonum, cuius natura eſt eſſe ſui diffuſivum, & plane pleneque communicativum quod proprium eſt caritatis. Unde ſequitur, non poſſe ipſum fallere credentem, ſperantem, amantem ſe; ſed ſe totum ſuaque omnia communicaturum, & in eum diffuſurum, ut ex S. Dionyſio *i* pulchre noſter Leſſius *k* deducit. QUI ERGO IN CARITATE MANET, quia unum idemque ſunt *Deus & caritas*. Manet, inquam, modo caritati proprio, nempe, tamquam obiectum extreme charum, complacens & dilectum: & ſic viciſſim *manet* DEUS IN EO. Amor enim eſt occupatio amantis circa amatum, ipſius amati cauſa: quaſi transformans amantem in amatum, & amatum in amantem, per arctiſſimam unionem, qua unum alteri ita adſtringit, ut non tam ſimilis illi, quam unus idemque cum eo ſpiritus, una quaſi anima efficiatur. Sic Deus animam amantem non ſolum aſſimilat ſibi in moribus & virtutibus divinis, ſed etiam conſortem facit *l* naturæ divinæ, eiuſdem ſecum animi, deſiderii & affectus: tranquillam, ſerenam, imperturbabilem, lætam & exultantem tam in adverſis quam proſperis, Deoque pro omnibus gratias agentem, laudantem, benedicentem, glorificantem; avelut ipſam a terrenis cupiditatibus ad cæleſtia: omnes eius potentias, ſenſus, appetitus, amores, & operationes, cogitationes, intentiones trahit ad ſe, ut non niſi Deum & divina cogitet, intendat, ſuſpiret: nec aliud ei magis in votis ſit, quam per omnia dilecto placere, ſervire, gratificari: nihilque gratius accidat quam pro dilecto plurima maximaque & agere & pati. Atque hos affectus novis in dies flammis accendit & auget in anima, facitque ut ipſa etiam in proximis ſuis, adeoque in toto, ſi poſſet, mundo, eoſdem totis viribus accendere conetur, ut aucto amantium numero, ampliores dilecto ſuo delitias procreet. Denique

V. 17. CARITAS IN HOC PERFECTA EST; id eſt, per hoc perficitur & numeris omnibus abſolvitur, quod annexi & innexi Deo modis iam dictis, inutilem terrorem & timorem malorum, non modo in præſenti, ſed & in *futura* vita, nominatimque IN DIE mortis & IUDICII divini, impendentium excutiamus firma conſtantique, *fiducia* in eumdem Deum & in merita Chriſti. QUIA SICUT ILLE Chriſtus EST ſemperque fuit cordi & curæ Deo ut pote Filius eius dilectus, in quo ipſi complacuit: ita ET NOS filii Dei adoptivi, illi curæ & cordi SUMUS IN HOC MUNDO, erimuſque toto vitæ decurſu, atque etiam in ipſa morte & iudicio: unde nullam habemus cauſam timoris vel anxietatis: ita fere S. Augug. Oecumen. & Gagneius.

V. 18. TIMOR NON EST IN, ſeu cum, CARITATE *perfecta* & conſummata, ut legit S. Auguſt. *Timor*, inquam, ſervilis, ſcrupuloſus, anxius, non tam culpæ, quam pœnæ, qui triſtem reddit hominem & puſillanimem, oriturque ex amore proprio, quem vincere & pellere debet amor Dei, ut olim Sara uxor Abrahæ expulit ſervam Agar, inquit Origenes, Auguſt. Caſſia. & S. Thom. Etſi enim timor pœnarum & gehennæ non ſit malus, immo introducat caritatem ut docet Tridentinum *m*: imperfectus tamen eſt, & nonniſi famulus caritatis, quod facile eſt carcere domina iam introducta. *Quoniam timor pœnam*, Auguſt. *n tormentum*, Pagninus & Tigurini, *cru-*

ciatum, *habet*. Syrus, *in perturbationem eſt*; quaſi dicat: Timor parit animi perturbationem, cruciatum & tormentum, ob impendens quod metuit malum ſeu pœnam: caritas e contrario parit ſecuritatem, lætitiam, voluptatem ob præſens bonum quo gaudet, ut pulchre docet S. Auguſt. & S. Bernardus *o*.

(a) Primaſ. in Apoc. xx.
(b) Hic verſ. 13.
(c) Cypr. Lib. II. cont. Iudæos cap. vii. &c. Auguſt. Ser. I. de verbis Apoſtoli cap. iv.
(d) Cypr. de Symplic. prælat.
(e) Auguſt. Lib. de Utilitate credendi cap. ii.
(f) Hic verſ. 9. & 19. & Ioan. iii. 16.
(g) Rom. v. 5.
(h) Chryſoſt. hom. I. in ep. ad Theſſ. Caſſian. collat. xvi. cap. ii.
(i) Dionyſ. de Div. nom. cap. xiv.
(k) Leſſius Lib. IX. de Div. attribut. c. ii. & iii.
(l) II. Pet. I. 4.
(m) Trident. ſeſſ. vi. cap. vi.
(n) Auguſt. in Soliloq. cap. xix. & Lib. de Gratia Chriſti cap. xxvi.
(o) Bernard. Serm. II. in Cant.

GORDONI.

Verſ. 1. CHARISSIMI. Multi ſunt hæretici, & falſæ doctrinæ ſeminatores. Ergo nolite, inquit, credere omni ſpiritui, ſuggeſtioni, inſpirationi, ſuaſioni. Oportet certe eſſe aliquam recte ſentiendi & fidei regulam. Atque hinc ait hic Ioannes probandum eſſe ſpiritum per examinatores, Apoſtolos, Doctores & Eccleſiam. Dat etiam hic Ioannes regulam examinandi doctrinam & ſpiritum, quæ illi ſæculo valde conveniebat, quo impugnabatur Chriſti adventus & divinitas. Omnis negans Ieſum Deum vel hominem impio ſpiritu agitur, & Antichriſtus eſt, non in perſona, ſed ſpiritu & præcurſor. Et nunc in mundum venit Antichriſtus in ſuis præcurſoribus. VENIT (verſ. 3.) ἔρχεται, in præſenti. Syrus, quem audiſtis venturum.

Diſcant Novatores merito damnari a Tridentino & Eccleſia privatum eorum ſpiritum, quo nituntur: qui eſſe poteſt, & ſæpe eſt a Diabolo: fallax ſane regula ad probandam doctrinam. Recte contra tales Auguſt. Lib. II. contra Creſcentium, cap. xxxv. Eccleſiam periiſſe dicite, & vos unde nati fueritis, oſtendite.

V. 4. VOS EX DEO. Confidite, viciſtis per Dei gratiam Antichriſtum, & ſpiritum erroris, quia maior & potentior eſt Dei ſpiritus in vobis, & vis Evangelicæ doctrinæ. IPSI EX MUNDO SUNT, verſ. 5. Hæretici ſunt qui ſapiunt mundana, voluptates, opes, honores, & quos ut indignos non audit Deus; qui ſuis libenter aurem præbet: nam mundo maiores eſſe cœperunt: amare ſic mundana eſt mali ſpiritus nota.

V. 7. CHARISSIMI. Altera pars capitis de caritate eſt. Sicut, quod iam dixit, ſpiritum erroris deſignat, non pacem carnalium amor; ita nunc docet divini ſpiritus indicium eſſe amorem divinarum. Illi ſunt, quorum Deus, venus & venter eſt. Fideles vero & vere docti a Deo ſapiunt in cognitione Dei practica, & fervent caritate.

V. 8. DEUS CARITAS EST. Ut omittam, quomodo Deus ſit caritas increata, tum eſſentialis, tum notionalis; eſt etiam cauſa creatæ caritatis in nobis, ſummeque nos dilexit, quando ad nos miſit Filium unigenitum: & talem eſſe Deum noſtri amatorem nemo novit, ut oportet, niſi eum vere diligat.

V. 10. IN HOC EST CARITAS. Pleraque hic de caritate notanda proponit uſque ad verſum decimum quintum. Primo, IPSE PRIOR DILEXIT NOS. Prævenit enim nos vocatione & auxiliis; ex inimicis facit amicos, & deſtinatum ab æterno Filium, miſit propitiatorem. Secundo (verſ. 11.) ſi ita Deus erga nos, quid nos erga proximum. Tertio, (verſ. 12) DEUM NEMO VIDIT. Deus, inquit, a nobis mortalibus non videtur: ἀόρατος eſt; qui tamen vult utiliter videre, & præſentem habere diligat. Proximo dilecto Deus invenitur & diligitur. Vera enim dilectio proximi eſt propter Deum dilectum; ſic illi adhæremus (verſ. 13) per caritatem.

V. 14. ET NOS VIDIMUS. Dixit verſ. 9. veniſſe Chriſtum in mundum, ut per ipſum in caritate vivamus. Iam verſus hic decimus quartus illius adventus, & cauſæ cur venerit habet approbationem a teſtimonio Apoſtolorum petitam. Et cur non dicemus [ne hiatus appareat in contextu ſermonis] hoc teſtimonium eſſe approbationem omnium, quæ & verſu nono, & ſubinde ſunt propoſita, & inculcationem continuatam, uſque ad verſum 17. Quo ſenſu hic verſ. 16. dicat & inculcet Deum eſſe caritatem, dixi verſ. 8.

V. 17. IN HOC PERFECTA EST CARITAS.

TAS. Tertia pars capitis eſt habens varios fructus caritatis. Primus eſt habere fiduciam in die iudicii, ſane utriuſque; in morte, inquam, & extremo mundi die. *In hoc*, In hac caritate florebit hic fructus. Et ſicut ille [Deus vel Chriſtus] ſanctus eſt; ita & nos per talem caritatem eſſe convenit. Per hanc, inquam, caritatem quæ proferens fiduciam, pellit timorem. Demum præter fiduciam, & abiectionem timoris ſervilis, (qui oritur ex timore pœnæ) qui ſunt duo fructus caritatis: tertius eſt impetratio eorum, quæ petuntur a Deo, quod ſupra attigit.

CAPUT V.

De natis ex Deo, veraque erga ipſum caritate: fides mundum vincit: tres in terra teſtantur Chriſtum verum hominem, & tres in cælo verum Dei filium, in quem credens habet vitam æternam: de peccato ad mortem, & non ad mortem.

1. OMnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo
natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit
& eum qui natus eſt ex eo. 2. In hoc cognoſcimus
quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus,
& mandata eius faciamus. 3. Hæc eſt enim caritas Dei,
ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius gravia
non ſunt. 4. Quoniam omne quod natum eſt ex Deo,
vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. 5.
(*a*) Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt Filius
Dei? 6. hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Ieſus Chriſtus: non
in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt, qui teſtificatur,
quoniam Chriſtus eſt veritas. 7. * Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium
dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt.
8. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, & aqua, & ſanguis:
* & hi tres unum ſunt. 9. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium
Dei maius eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt,
quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo. 10. Qui credit in Filium Dei, habet
teſtimonium Dei in ſe. (*b*) Qui non credit Filio, mendacem facit
eum: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio
ſuo. 11. Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus.
Et hæc vita in Filio eius eſt. 12. * Qui habet Filium, habet vitam: qui
non habet Filium, vitam non habet. 13. Hæc ſcribo vobis: ut ſciatis quoniam
vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei. 14. * Et
hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus ſecundum
voluntatem eius, audit nos. 15. Et ſcimus quia audit nos quidquid
petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab
eo. 16. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat,
& dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non
pro illo dico ut roget quis. 17. Omnis iniquitas, peccatum eſt: & eſt pec-

Digitized by Google

catum ad mortem. 18. Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non pec-
cat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum. 19.
Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt.
20. Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, (c) & dedit nobis ſenſum ut
cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus
Deus, & vita æterna. 21. Filioli, cuſtodite vos a ſimulacris. Amen.

(a) I. Co. xv. 57. (b) Ioan. iii. 36. (c) Luc. xxiv. 45.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 7. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt: & tres ſunt qui teſtimonium dant in terra.* Sunt libri qui hoc ſolum legant: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra;* intermedia autem omnia omittunt ſed conqueritur, Præfatione in Catholicas Epiſtolas, D. Hieronimus, ab infidelibus translatoribus, Patris, Verbique, ac Spiritus teſtimonium omiſſum.

Verſ. 8. *Et hi tres unum ſunt.* Hæc clauſula ſecundo repetita non eſt auferenda, quamvis a multis latinis libris abſit.

Verſ. 12. *Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filium, vitam non habet.* Voci *filium* non addas *Dei*.

Verſ. 14. *Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum.* Non ſcribas nomen *Deum*, loco pronominis *eum*.

Notationes.

Verſ. 7. & 8. QUoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres unum ſunt.* Quinque ſcripta auferunt univerſa hæc, *in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant*; legunt dumtaxat: *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, &c.* Quibus Syriaci codices, & Græci non pauci conſentiunt. Epanorthotes deeſſe hæc eadem Græcis libris, & antiquis Latinis annotat. His multi veterum Patrum ſuffragantur; inter Latinos Auguſtinus Libri III. contra Maximinum cap. xxii. Leo epiſtolæ 10. cap. v. Beda hunc enarrans ſcripturam. Inter Græcos Cyrillus Liber XIV. theſauri cap. v. OEcumenius in hunc ſcribens locum. Et horum tum auctorum, tum codicum plerique etiam *τὸ in terra* auferunt. Manuſcriptum S. Andreæ poſtponit teſtimonium eorum qui in cælo teſtimonio eorum qui in terra teſtantur; id quod adiectionis indicium eſt. Porro Hieronymus prefatione in Catholicas Epiſtolas ab Infidelibus translatoribus patris, verbique, ac ſpiritus teſtimonium omiſſum queritur; id quod pro pleriſque Latinis libris, qui id ita ut initio propoſuimus legunt, facit; quibus Græca Complutenſis editio, & quæ ex ea ſunt cum aliis quas vidimus non paucis conſonant. Inter omnes Pariſienſium Græcos codices ne unus eſt qui diſſideat; niſi quod ſeptem dumtaxat *τὸ in cælo* confodiant: ſi tamen ſemicirculus lectionis deſignans terminum ſuo loco ſit collocatus. Huc Higini a B. Petro Papæ noni lectio, quæ in prima eius epiſtola extat, accedit.

Id quod poſtremum eſt octavi verſus ad eos qui in terra teſtantur ſpectant: *Et hi tres unum ſunt* multa Latina exemplaria nominatim id quod a S. Andreæ ſodalibus olim ſcriptum eſt, D. Thoma ſuffragante tollunt. Quibus Græca Complutenſis editio cum filiabus adſtipulatur. Legitur porro ut in Latinis aliis libris, ita & in reliquis quæcumque vidimus exemplaribus Græcis; adhæc in Syriacis teſtamentis; denique a Patribus, quorum iam producta ſunt loca, at differenter. Latini enim codices cum Auguſtino, Cyrillo, Leone, Beda: *Et hi tres unum ſunt* habent; Græci vero cum OEcumenio, & Syriacis: *Et hi tres ad vel in unum ſunt*: *καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι*; Higinus: *Et tres in nobis ſunt.* Porro de patre, verbo, & ſpiritu ſancto qui eorum teſtimonium hic agnoſcunt Græci codices: *καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι.* ſcribunt. Quamquam Complutenſis, qui hoc non niſi ſemel legit *εἰς τὸ ἕν* habeat. Ex Higino & hoc obſerva, quod tres in terra teſtantes, aquam numeret, ſanguinem, & carnem, ceteris univerſis contradicentibus.

COM-

COMMENTARIA

GAGNAEI.

Verſ. 1. OMNIS QUI CREDIT QUIA IESUS EST CHRISTUS, id eſt Meſſias promiſſus, credit autem fide non ficta neque ſimplici, ſed fide per dilectionem operante, NATUS EST EX DEO, id eſt a Deo prodiit; ſic enim ſumi puto hoc loco γεγέννηται: nam quiſquis credit, etiam (ut vocant) fide formata ideo æterna prædeſtinatione genitus eſt: ſecundum quam genitum ſupra diximus non peccare peccato, ſcilicet affectatæ infidelitatis: vel genitus eſt ex Deo, id eſt filius Dei eſt, quia poteſtatem dedit Deus iis qui credunt in nomine unigeniti filii eius, filios Dei fieri; ita qui peccatum facit, eſt filius diaboli.

V. 4. QUAE VINCIT MUNDUM. Mundum hoc loco & tota hac epiſt. infideles & mundo mundique cupidinibus addictos homines intelligere oportet: *quos fide vincit*, quando id quod impoſſibile iudicat mundus, fides verum eſſe manifeſte probat & convincit.

V. 6. HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGUINEM IESUS CHRISTUS. Prædixerat credentes eſſe Dei filios; nunc quomodo filii fiant ſubdit, quia Ieſus eſt qui venit ut nos Deo patri in filios adoptaret per aquam baptiſmatis qua regeneramur: qua etiam baptizati ipſe dignatus eſt, ut baptiſmum nobis initiaret: per ſanguinem quoque quo purificati in paſſione ſumus. Bene autem reſumit NON IN AQUA SOLUM, SED IN AQUA ET SANGUINE, ut meminerimus paſſum eſſe noſtri gratia Chriſtum. ET SPIRITUS EST QUI TESTIFICATUR, QUONIAM CHRISTUS EST VERITAS. Græca pro τῶ *Chriſtus*, habent τὸ πνεῦμα, id eſt *ſpiritus*: interpres legit ὁ χριστός; eſt autem ſenſus, hic eſt qui venit per aquam baptizans: & ſpiritus eſt qui teſtificatur eum venire in aqua baptizantem & baptizatum: quomodo autem teſtificatur ſpiritus, dicit Baptiſta ipſe Ioan. 1. *Qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit mihi, ſuper quem videris ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*: teſtificatur autem ſpiritus de Ieſu, & ipſe teſtificatur, inquit, & teſtimonium probe fert de Ieſu, quia ſpiritus eſt veritas: ipſe, inquit, ſpiritus teſtificatur, quia veracem oportet eſſe teſtem: & ipſe ſpiritus veritas eſt; ſi legimus *Chriſtus*; τὸ teſtificatur, refertur ad quia, ſpiritus teſtatur quia Chriſtus eſt veritas.

V. 7. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN CAELO: PATER, VERBUM, ET SPIRITUS SANCTUS. Hanc particulam quidam Græci codices non habent; Hieronymi tempore omnes habebant; unde veroſimile eſt ab Arrianis eſſe abraſam: Pater teſtimonium dedit, dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus*: ſpiritus, quando eum ſicuti promiſerat, miſit, teſtimonium dedit: ipſe de ſe teſtimonium dedit ſuorum operum exhibitione, quando ait, opera quæ ego facio, & nemo alius facere poteſt, ipſa teſtimonium perhibent de me.

V. 8. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA, SPIRITUS, AQUA, ET SANGUIS, ET HI TRES UNUM SUNT. Græca quæ nunc extant non habent *in terra*, & pro *unum ſunt*, habent εἰς τὸ ἕν, id eſt *in unum ſunt*, hoc eſt, de uno & eodem Chriſto teſtificantur; quo modo etiam oportet intelligere unum ſcilicet teſtificatione. Teſtificatus eſt autem ſpiritus, aut magis ipſi patri conteſtificatus in baptiſmo. Teſtimonium quoque perhibuerunt ſanguis & aqua, ſive quum utrumque ſudavit in horto morti proximus, ſive poſt mortem, quando de latere mortui fluxit aqua & ſanguis. Poſſumus etiam interpretari, quod tres ſunt qui deitatis teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & tres qui teſtimonium dant humanitatis in terra: ſpiritus, quem poſuit in morte, dicens: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: aqua & ſanguis in horto ſudata, quæ ſoli competunt humanæ naturæ.

V. 9. HOC EST TESTIMONIUM DEI QUOD MAIUS EST, &c. In Græcis codicibus deſunt hæc verba (maius eſt quoniam) & habent tantum, *hoc eſt teſtimonium Dei quod teſtificatus eſt de filio ſuo*: propter locum hunc, hoc eſt *teſtimonium Dei*, ſcilicet

cet patris. Græca ſcholia locum præcedentem, *ſpiritus eſt qui teſtificatur*, interpretantur de patre, qui etiam ipſe ſpiritus eſt, ut Chriſtus ſpiritus: qui quidem teſtatus ſit de filio ſuo, dicens, *hic eſt Filius meus*, &c.

V. 11. ET HOC EST TESTIMONIUM QUONIAM VITAM AETERNAM DEDIT NOBIS DEUS, ET HAEC VITA IN FILIO EIUS EST; id eſt, per filium eius donata nobis eſt: ſi ergo vita æterna in filio eſt, & nobis per filium data a patre, in hoc eſt teſtimonium quod ipſe Deus eſt, quod vita æterna in ipſo eſt: & ſolus Deus largiri vitam æternam poteſt.

V. 13. HAEC SCRIBO VOBIS, uſque ad τὸ ET HAEC EST FIDUCIA. Græca paulo ſecus habent, ſcilicet *ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ Θεοῦ ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔχετε, καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*; id eſt, hæc ſcripſi vobis in nomen filii Dei credentibus, ut ſciatis quod vitam habetis æternam, & ut credatis in nomen filii Dei: quamquam videtur noviſſima particula ſuperfluere, ut credatis, cum prædixerit vobis credentibus, quod Interpres vertit, qui creditis.

V. 16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE PECCATUM NON AD MORTEM, PETAT. Peccatum ad mortem, Græca ſcholia explicant de peccato finalis impœnitentiæ, quod utique plane irremiſſibile eſt; explicant etiam de peccato *μνησικακίας*, quo quis tenax eſt iniuriarum, neque plane illatas ſibi vult iniurias remittere, quod vere ad mortem dicitur quia huiuſmodi hominibus raro parcit Deus, ſed in reprobum ſenſum abire ſinit; unde de huiuſmodi peccato dicit Ioannes, quaſi deſperato & deplorato, NON PRO EO DICO, UT QUIS ROGET: cui loco Ioannis apte quadrat pulchra illa exaggeratio Eccleſiaſtici XXVIII. adverſus vindictæ cupidos, quam viſum eſt hic explicandi gratia, & huiuſmodi homines a vindicta deterrendi adiungere: eſt autem huiuſmodi: *Qui vindicari vult a Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & nunc deprecanti tibi peccata ſolventur*. Homo homini reſervat iram, & a Deo quærit medelam. In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe dum caro ſit reſervat iram, & propitiationem petit a Deo. Quis exorabit pro delictis illius? Tam deteſtandum ergo eſt fraternæ vindictæ ſcelus, ut pro eo orari noluerit Ioannes: id enim ſignificat quum ait, *non pro eo dico ut roget quis*. De peccato etiam infidelitatis quo quis poſt agnitum Deum ad idola revertitur; & pro eo facit id quod ſequitur in fine epiſtolæ, *filii cuſtodite vos a ſimulacris*. Sic quoque hunc locum explicat Hieronymus his verbis: qui ſcit fratrem peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur vita peccanti non ad mortem: qui vero peccaverit ad mortem, quis orabit pro eo? Cernis quod ſi pro peccatis minoribus deprecemur, impetramus veniam. Si pro maioribus, difficilis impetratio ſit: & inter peccata & peccata magnam eſſe diſtantiam. Unde & de populo Iſrael, quia peccaverat peccato ad mortem, dicitur ad Ieremiam: noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis deprecationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. Quod autem peccatum ad mortem in Iſraele, eſſet illud infidelitatis peccatum, poſt agnitum Deum ſcilicet relabi ad idola; perſpicuum eſt ex verbis Ieremiæ VII. c. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. Nonne vides quid iſti faciunt in civitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem? Filii colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis

V. 18. SCIMUS QUIA QUI NATUS EST, &c. Eadem ſententia quæ tertio cap. explicata eſt, ſimiliter & illud, *neque peccare poteſt* non per naturam, ſed per gratiam, unde ſubdit, SED GRATIA DEI CONSERVAT EUM. Græc. ſecus habent, ſcil. *ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ ἑαυτόν*, id eſt *ſed genitus ex Deo ſervat ſeipſum*; id eſt, obſervat & cavet ne peccatum illud ad mortem incurrat. Fortaſſe Græca habebant *αὐτόν*, id eſt *eum*: & tunc ſenſus eſſet, filius Dei genitus ex Deo, conſervat eum, & malignus non tanget eum ſive tangit, nam Græca nunc habent *ἅπτεται*, id eſt *tangit*.

V. 20. UT COGNOSCAMUS VERUM DEUM. Eraſmus negat apud Græcos haberi Deum: tamen Veronenſis codex habet *ἀληθινὸν Θεόν*, & ſcholia exponunt, ut cognoſcamus ipſum ve-

verum Deum ; & ſimus in vero filio eius Ieſu Chriſto : & poteſt τὸ *verum Deum*, referri ad filium, ut quod præceſſit, *& dedit nobis ſenſum*, &c. referatur ad Deum Patrem, non modo dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus ipſum Ieſum verum eſſe Deum, ſed etiam dedit, ut in ipſo vero eius filio ſimus & habitemus. Græca pro ſimus habent *ἐσμέν*, id eſt *ſumus* : mihi videtur vis adferri litteræ, ſi legamus & interpretemur, ut ſimus in vero, id eſt patre per filium eius. Simulachra autem a quibus obſervare & cavere nos admonet, idola ſunt Græce.

S A.

Verſ. 1. CREDIT, ſcilicet fide perfecta per caritatem.

V. 2. IN HOC, &c. quaſi dicat, Tum demum diligemus ex Deo natos, ſcilicet per gratiam, ſi Deum dilexerimus, & eius præcepta ſervaverimus.

V. 3. DEI, id eſt erga Deum.

V. 4 QUONIAM : non videtur cauſalis, ſed continuativa. OMNE QUOD NATUM ; pro, omnis qui natus.

V. 6. PER AQUAM, id eſt cum aqua, ſcilicet quæ de latere fluxit, vel qua baptizat. SANGUINEM, ſcilicet quo mundum redemit. SPIRITUS, ſcilicet ſanctus. CHRISTUS. Græc. & Syr. *Spiritus* ; quaſi dicat, Et ei credendum quia veritas eſt.

V. 7. DANT, ſcilicet de Chriſto. IN CAELO ; pro, de cælo.

V. 8. SPIRITUS, ſcilicet quem emiſit in cruce. AQUA ET SANGUIS, ſcilicet de latere fluentes, ex quo apparuit illum hominem eſſe, anima & carne conſtantem. ET HI TRES UNUM SUNT. Hæc non ſunt Græc. nec in Complut.

V. 9. QUONIAM TESTIFICATUS. Græc. *quo teſtificatus*.

V. 10. HABET, ſcilicet per fidem. TESTIMONIUM, id eſt veritatem a Deo teſtatam. FILIO. Græc. *Deo* : ſed noſtra lectio magis placet.

V. 11. TESTIMONIUM, ſcilicet opere datum. IN FILIO, id eſt per Filium.

V. 13. CREDITIS, ſcilicet fide cum caritate. IN NOMINE FILII, id eſt in Filium.

V. 15. HABEMUS PETITIONES, id eſt obtinemus res petitas.

V. 16. NON AD MORTEM, id eſt non animo uſque ad mortem in eo peccato manendi : vel, non merens damnationem æternam, vel non per malitiam factum, iuxta illud Sap. XVI. *Homo occidit per malitiam animam ſuam*, ſcilicet ſciens, & velut ſtudio, ſeu deſperatione. EI, ſcilicet peccatori, per huius orationem. NON PRO ILLO, &c. quaſi dicat, Non ei promitto impetrationem.

V. 17. AD MORTEM, ſcilicet omnis iniquitas ; vel quaſi dicat, Inter iniquitates eſt quædam quæ dicitur ad mortem. Græc. *non ad mortem* ; quaſi dicat, Sunt quædam peccata non ad mortem, ſcilicet per ignorantiam, vel infirmitatem committuntur, & non malitia, ſeu deſperatione.

V. 18. GENERATIO DEI, id eſt ex Deo nativitas. MALIGNUS, id eſt diabolus.

V. 19. MALIGNO, id eſt perverſitate, ſeu peccatis.

V. 20. SENSUM, id eſt mentem. HIC, ſcilicet Filius.

V. 21. CUSTODITE VOS, id eſt cavete. SIMULACRIS, id eſt idolis.

MARIANAE.

Verſ. 1. QUI CREDIT, QUONIAM IESUS EST CHRISTUS, id eſt Meſſias promiſſus, qui id credit fide formata, EX DEO NATUS EST, id eſt filius Dei eſt. QUI DILIGIT EUM QUI GENUIT, id eſt Deum. DILIGIT ET EUM QUI NATUS EST EX EO, id eſt fratres, Dei filios.

V. 2. IN HOC COGNOSCIMUS. E contrario, ſi filios Dei diligimus, Deum diligimus, & mandata eius ſervamus.

V. 3. HAEC EST ENIM CARITAS DEI. Eo pertinet, ut mandata ſerventur.

V. 4. QUONIAM ; pro, certe, profecto. OMNE QUOD NATUM EST EX DEO, id eſt filii Dei. VINCIT MUNDUM, pro, vincet mundum, id eſt infideles. De illis triumphabit. ET HAEC EST VICTORIA : in hoc victoria conſiſtit. FIDES : contra vires omnes dilatata per univerſum orbem ; quaſi dicat, Non eſt parum eſſe Dei filium. Hoc fit per Chriſtum.

V. 6. QUI VENIT PER AQUAM, ſcilicet Baptiſmi. ET SANGUINEM, ut ſcilicet Baptiſmo nos ablueret, ſanguine redimeret. Id ſignificarunt aqua & ſanguis, quæ fluxerunt e latere Chriſti. ET SPIRITUS EST, QUI TESTIFICATUR : Ioan. 1. 33. *Super*

quem

quem videris Spiritum deſcendentem, ille eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. QUONIAM CHRISTUS EST VERITAS. Græc. & Syr. *quoniam Spiritus eſt veritas.* Iuxta noſtram lectionem ſenſus, *Chriſtus eſt veritas*, id eſt verus Meſſias. Iuxta Græcam: ideo Spiritus teſtificatur, & eſt teſtis idoneus, quia veritas eſt. Nec ſolum Spiritus teſtificatur, & eſt teſtis idoneus, quia veritas eſt,

V. 7. QUONIAM TRES SUNT, QUI TESTIMONIUM DANT IN CAELO. Hic verſus Syr. non eſt, nec in quibuſdam Græcis codicibus: olim erat, teſte Hieronymo in Prologo ſeptem Canonicarum, ſublatus ſcilicet Arianorum fraude. Auguſtinus autem Lib. III. contra Maximinum, Leo epiſt x. cap. v. Cyrillus IV. Theſauri cap. v. Beda & Oecumenius hic hunc verſum non habent: ſed certe Pater de Chriſto teſtimonium dedit, cum dixit? *Hic eſt Filius meus dilectus.* Verbum ſuis operibus Spiritus ſanctus in Baptiſmo, & cum Chriſtus illum miſit. ET HI TRES UNUM SUNT. In quibuſdam Græcis codicibus legitur, *in unum ſunt.* Sed perinde eſt, Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. *Et erunt duo in carnem unam*, ut Græc. eſt, ſignificat, Et erunt duo una caro.

V. 8. TRES SUNT, QUI TESTIMONIUM DANT IN TERRA. In quibuſdam Græcis codicibus non eſt *in terra*, neque in Syr. SPIRITUS, ET AQUA, ET SANGUIS. *Spiritus*, quem poſuit in morte; *aqua* & *ſanguis*, quæ fluxerunt de latere, teſtantur verum eſſe hominem. ET HI TRES UNUM SUNT. In Regiis Græcis & in Vulgata Reg. eſt ſublatum, at Patres verſ. 7. adducti illud habens. Plerique Græci codices, *& hi tres in unum ſunt:* ſed perinde eſt. Sunt autem *unum* teſtificatione, unum & idem teſtantur. Quod ſi hominibus credimus, maius eſt teſtimonium Dei;

V. 9. QUONIAM HOC EST TESTIMONIUM DEI, QUOD MAIUS EST, QUONIAM. Græc. non eſt illud, *maius eſt*, *quoniam*, ſed ſic, *Hoc eſt teſtimonium Dei quod teſtificatus eſt:* conſentit Syr. ſententia non diſcrepat. Fuit autem teſtimonium, cum dixit: *Hic eſt Filius meus.* Hic in Gotth. adduntur multa, quæ ut notha reliquimus.

V. 11. ET HOC EST TESTIMONIUM, QUONIAM VITAM AETERNAM DEDIT NOBIS DEUS, pollicitus ſcilicet eſt. ET HAEC VITA IN FILIO EIUS EST, id eſt per Filium eius virtute eſt daturus. Quando id? Nempe cum dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*, ut ſcilicet accipiatis quod in Transfiguratione videtis, gloriam & vitam.

V. 12. QUI HABET FILIUM. Gotth. additur, *Dei*, hic & in proximis verbis, QUI NON HABET FILIUM. Verum alii codices reclamant. *Habere filium* eſt illi obedire & credere.

V. 14. QUIA QUODCUMQUE PETIERIMUS SECUNDUM VOLUNTATEM EIUS, id eſt Chriſti, modo illi placeant quia bona & ſalutaria, ea dabit. AUDIT NOS; pro, audiet nos, Deum cum petemus.

V. 15. ET SCIMUS QUIA AUDIT NOS, quoniam impetramus quod petimus. Id verba ſignificant, quamvis intricata. Mox docet quid petere debeamus.

V. 16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE. Si peccatum non eſt ad mortem, petat pro eo: ſi eſt ad mortem, NON PRO ILLO DICO UT ROGET QUIS. Nempe, ſi quis in peccato manifeſto obiit, nec ſepeliri in Eccleſia debet, aut ſi quis eſt obſtinatus, & peccat in Spiritum ſanctum, nulla ſpe pœnitentiæ. Aut agit de excommunicatis, qui privantur Eccleſiæ ſuffragiis.

V. 17. OMNIS INIQUITAS, PECCATUM EST. Repetit quod dixerat cap. III. 4.

V. 18. QUI NATUS EST EX DEO, NON PECCAT, ſcilicet ad mortem. De eo peccato agit. Et quidem raro contingit, ut electi & filii Dei graviter peccent.

V. 21. CUSTODITE VOS A SIMULACRIS. Græc. *ab idolis.* Syr. *ab idolorum cultu.* Non agit de noſtris imaginibus, neque de earum cultu.

MENOCHII.

Verſ. 1. OMNIS QUI CREDIT: fide viva, quæ ad caritatem ſe extendit, & per dilectionem operatur. EST CHRISTUS, id eſt Meſſias, redemptor, & ſalvator mundi. EX DEO NATUS EST: nativitate ſpirituali, & divina, quæ fit per fidem, caritatem, & gratiam, qua fit non tantum amicus, ſed & filius, & heres Dei, ac conſors divinæ naturæ II. Petri I. 5. ET OMNIS QUI DILIGIT EUM QUI GE-

GENUTI, &c. omnis qui Deum fidelium omnium genitorem diligit, debet etiam diligere filios ab eo genitos, id eſt fideles, qui eiuſdem Patris Filii ſunt, & fratres noſtri.

V. 2. IN HOC COGNOSCIMUS, id eſt cognitum facimus, oſtendimus, convincimus, demonſtramus. CUM DEUM DILIGAMUS: quandoquidem Deum diligimus. ET MANDATA EIUS FACIAMUS: ſi enim mandata Dei ſervamus, proculdubio etiam proximum diligimus, quia hoc eſt unum ex divinis mandatis.

V. 3. HAEC EST ENIM CARITAS DEI, id eſt caritas Dei in hoc conſiſtit. ET MANDATA EIUS GRAVIA NON SUNT: alludit ad illud Chriſti, *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, Mat. XI. 30. Mandata Dei non ſunt gravia reſpectu legis veteris, nec ſunt gravia amanti, & ſua gratia Dominus illa reddit ſuavia.

V. 4. OMNE QUOD NATUM EST EX DEO: vide dicta verſ. I. VINCIT MUNDUM, id eſt mundi cupiditates, ac terrores, quæ reſiſtunt caritati, & viam mandatorum Dei difficilem reddunt. ET HAEC EST VICTORIA, id eſt vincens, & victor: proprie enim victoria non vincit, ſed pugna vincentis quæ parit victoriam. FIDES NOSTRA: non nuda, & otioſa, ſed caritate, & bonis operibus veſtita.

V. 5. NISI QUI CREDIT, &c. credendo enim ſperat, ſperando invocat, invocando amat Chriſtum, cuius gratia roboratus vincit mundum.

V. 6. HIC EST QUI VENIT PER AQUAM, ET SANGUINEM, &c. quaſi dicat: Hic eſt Meſſias, qui venit ut ſuo ſanguine orbem redimeret, & aqua baptiſmi expiaret. NON IN AQUA SOLUM, &c. non contentus aqua nos abluere, quod illi laborioſum non fuiſſet, ſed etiam ſanguine ſuo per paſſionem, & mortem, ut ſic intelligeremus quanta nos caritate diligeret. ET SPIRITUS: ſanctus. TESTATUR: teſtatus eſt dum Chriſtus viveret per eum miracula patrans; poſt mortem vero Chriſti, & reſurrectionem ab eo miſſus in Apoſtolos, per eorum ora teſtatus eſt, & prædicavit ubique quod Chriſtus eſt veritas.

V. 7. QUONIAM TRES SUNT QUI TESTIMONIUM DANT, &c. Senſus eſt; quaſi dicat, Omnes tres perſonæ SS. Trinitatis in cælo, & de cælo, tum Angelis, tum maxime hominibus teſtimonium perhibent Chriſto, quod ſcilicet ipſe ſit verus Meſſias. Deique Filius. Pater, dum in baptiſmo & transfiguratione Chriſti Matth. III. 17. & cap. XXXVII. 5. publice proclamavit: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.* Spiritus ſanctus, dum deſcendit in Chriſtum in ſpecie columbæ, & effudit ſe in Apoſtolos, ceteroſque Chriſtianos in die Pentecoſtes, ut dixi verſ. præcedenti. Filius; qui ſæpe dixit, & miraculis probavit ſe eſſe Meſſiam. HI TRES UNUM SUNT: natura, eſſentia, & divinitate.

V. 8. ET TRES SUNT, &c. id eſt, tres teſtes, ponit aliam teſtium trinitatem, ſed creatam, quæ teſtimonium dat Chriſto, quod Deus ſit, & Dei Filius, ac conſequenter quod eius fide, & ope vincamus mundum, quodque fides Chriſti ſit victoria noſtra. IN TERRA, id eſt de terra, ſicut tres primi in cælo, id eſt de cælo teſtantur hominibus in terra agentibus. SPIRITUS: quem Chriſtus: clamans emiſit in cruce, oſtendit illum fuiſſe, & eſſe Deum, unde *videns Centurio quia ſic clamans expiraſſet, ait, Vere hic homo filius Dei erat*, Marc. XV. 39. Vox enim moribundi deficit, & clamor Chriſti miraculoſus fuit, indicans eum voluntate mori, non infirmitate. AQUA, ET SANGUIS: quæ de latere Chriſti profluxerunt, & verum hominem fuiſſe oſtenderunt. ET HI TRES UNUM SUNT: in unum, & idem teſtimonium conſpirant, probantes Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem.

V. 9. SI TESTIMONIUM HOMINUM ACCIPIMUS: admittimus, & illi fidem habemus. TESTIMONIUM DEI MAIUS EST: dignitate, & certitudine, ideoque illi multo magis fidem adhibere debemus. QUONIAM TESTIFICATUS EST DE FILIO SUO: Deus autem ſuo teſtimonio filii ſui divinitatem confirmavit.

V. 10. HABET TESTIMONIUM DEI IN SE: habet in ſe per fidem veritatem hanc teſtatam a Deo, quod Chriſtus ſit Filius Dei. MENDACEM FACIT EUM: quia illius teſtimonium non admittit, tamquam a veritate alienum.

V. 11. ET HOC EST TESTIMONIUM, &c. quaſi dicat, Hæc eſt pars divini teſtimonii iam dicti. Deus enim teſtificatur id quod ſequitur, nimirum quod Chriſtus vitam æternam dedit nobis, cum ſit redemptor,

pior, & ſalvator noſter. QUONIAM : ὅτι, quod. IN FILIO: per Filium, id eſt per fidem in Filium.

V. 12. QUI HABET FILIUM: per fidem, amorem, & obedientiam, credendo, amando, obediendo, & adhærendo illi. HABET VITAM: gratiæ in re, & gloriæ in ſpe.

V. 13. VITAM HABETIS AETERNAM: inchoatam per gratiam, quæ eſt ſemen gloriæ, & per ſpem. IN NOMINE FILII DEI: in Filium Dei.

V. 14. ET HAEC EST FIDUCIA, &c. hæc eadem ſententia habetur ſupra cap. III. 21. vide ibi dicta. HAEC EST FIDUCIA: fides enim parit fiduciam. SECUNDUM VOLUNTATEM EIUS: quod, ſcilicet eius voluntati, & legi conforme ſit. AUDIT NOS: exaudit, & poſtulata concedit.

V. 15. PETITIONES: ea quæ poſtulamus.

V. 16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE PECCATUM NON AD MORTEM, &c. ſenſus eſt; quaſi dicat: Dixi eum qui credit in Chriſtum omnia impetrare, excipio peccatum proximi ad mortem, pro quo expiando ſi quis oraverit non audeo certam impetrandi ſpem facere. Per peccatum ad mortem intelligit quodvis peccatum graviſſimum, quod ob ſui enormitatem, vel conſuetudinem, obſtinationem, & malitiam iuxta legem communem, per gratiam quam Deus ordinarie dare ſolet, eſt quaſi immedicabile, incorrigibile, & inſanabile. Peculiariter autem videtur Apoſtolus per peccatum ad mortem intelligere apoſtaſiam a Chriſti fide, & Eccleſia, in quam quis incidit, & vult in ea permanere uſque ad mortem.

V. 17. OMNIS INIQUITAS PECCATUM EST. Vida dicta cap. III. 4. ubi hæc eadem habetur ſententia. Senſus eſt; quaſi dicat, Sunt duæ peccatorum ſpecies, quarum altera eſt ad mortem, altera non item. Iniquitas, *ἀδικία iniuſtitia*, eſt quidem peccatum, & grave, ſed non eſt ad mortem. ET EST PECCATUM AD MORTEM; id eſt, & eſt alia ſpecies peccati, de quo numero ſuperiori, quæ eſt peccatum ad mortem.

V. 18. OMNIS QUI NATUS EST EX DEO NON PECCAT: vide dicta cap. III. 6. & 9. ubi eadem quæ hic habentur. SED GENERATIO DEI CONSERVAT EUM, id eſt gratia per generationem divinam accepta, qua factus eſt adoptivus Dei Filius. MALIGNUS, id eſt diabolus.

V. 19. EX DEO SUMUS: a Deo geniti per baptiſmum. MUNDUS TOTUS IN MALIGNO POSITUS EST: malitia, improbitate, peccatis omnis generis redundat.

V. 20. DEDIT NOBIS SENSUM: *διάνοιαν*, quod Syrus vertit *intelligentiam*, mentis illuſtrationem, cognitionem divinam, ſenſum, & guſtum rerum divinarum. ET SIMUS IN VERO FILIO EIUS: per fidem, gratiam, & caritatem.

V. 21. CUSTODITE VOS, id eſt cavete. SIMULACRIS, id eſt idolis.

T I R I N I.

Verſ. 1. QUI DILIGIT EUM QUI GENUIT, id eſt Patrem cæleſtem, DILIGIT etiam Chriſtum QUI naturaliter & proprie; diligit etiam quemcumque Chriſtianum, QUI analogice, per adoptionem & gratiam, NATUS EST EX EO: ita S. Hilar. *a* Aug. Beda, Gloſſa, Hugo & alii. Ex duplici igitur cap.

V. 2. COGNOSCIMUS, & cogimur *diligere* NATOS ſeu filios *Dei*, & confratres noſtros Chriſtianos, immo omnes proximos, ſaltem per naturam natos ex Deo. Primo, quia DEUM *diligimus*: atqui qui Deum diligit, diligit & filios Dei. Secundo, quia MANDATA DEI omnia *facimus*: atqui ex primis Dei mandatis eſt dilectio proximi.

V. 3. CARITAS ENIM DEI vera & ſincera HAEC EST, ſeu in hoc conſiſtit, UT CUSTODIAMUS EIUS MANDATA, quæ reſpectu mandatorum legis Moſaicæ, ut alias *b* dixi, GRAVIA NON SUNT: abſit, impoſſibilia, ut hæretici blaſphemant. Quod ſi quæ ſubinde gravia videantur, id oritur vel ex virium imbecillitate, vel ex tentationum, ſeu internarum, ſeu externarum copia, vehementia, aſſiduitate. Sed his malis abunde medetur gratia cæleſtis, qua Deus continuo filiis ſuis adeſt, eoſque roborat & invictos reddit ſi velint. Unde facili negotio

V. 4. OMNE QUOD per fidem & gratiam NATUM EST EX DEO, id eſt quivis fidelis, per eamdem fidem, ceteraſque virtutes & gratias fidei coniunctas, VINCIT, debellat, triumphat MUNDUM, mundanaſque omnes cupiditates, terrores & inſultus. Et quidni vincat mundum, cum vincat etiam Deum

Digitized by Google

Deum Dominum mundi? *Omnia* enim *poſſibilia ſunt credenti*. Porro primarium fidei myſterium, quod vobis maxime inculcatum deſidero, eſt, quod

V. 5. IESU non ſit purus homo, ut Ebion, Cerinthus & alii hæretici blaſphemant, ſed etiam FILIUS DEI. Nam

V. 6. HIC EST QUI VENIT PER AQUAM ET SANGUINEM; id eſt, hic eſt Meſſias, quem ut Prophetæ *venturum c*, noſtraque peccata expiaturum partim aqua *d*, partim ſanguine ſuo prædixerunt, ita iam *venit* & *per aquam* baptiſmi, & per *ſanguinem* in cruce profuſum expiavit, purgavit, redemit mundum. NON IN AQUA SOLUM, ut Ioannes Baptiſta *e* (cuius proinde baptiſmus inefficax fuit ad expianda peccata:) SED IN AQUA ſimul ET IN SANGUINE ſuo, *& in ſpiritu*, (ut nonnulli Græci codices addunt:) baptiſmus enim a Chriſto inſtitutus expiandi peccata vim habet a Spiritu ſancto ex merito ſanguinis, id eſt paſſionis Chriſti. Unde & SPIRITUS ſanctus quoque inter alios omni exceptione maiores teſtes, TESTIFICATUR *quod* CHRISTUS *ſit* VERITAS, id eſt verus Deus, nempe Dei Filius, qui qua Deus, eſt Verbum, ideoque veritas & ſapientia Patris: qua homo, eſt verus Meſſias, Dei legatus, & infallibilis interpres voluntatis divinæ.

V. 7. QUONIAM inter plures teſtes QUI Ieſu Chriſto TESTIMONIUM DANT quod ſit *Filius* Dei veruſque Meſſias, primarii SUNT ſex: TRES IN CAELO, ſeu de cælo, PATER æternus, VERBUM divinum, ET SPIRITUS SANCTUS: qui TRES SUNT diſtinctæ perſonæ, licet natura & eſſentia divina, & conſequenter intellectu, locutione & teſtificatione de Chriſto non ſint niſi quid UNUM. Græca Complutenſia & Regia habent, *hi tres in unum ſunt*, id eſt in unam eamdemque eſſentiam & teſtificationem coeunt & conveniunt.

Notat S. Hieron. *f* hunc ſeptimum verſum ab infidelibus, id eſt, Arrianis tranſlatoribus, quod nimis aperte comprobaret myſterium SS. Trinitatis & divinitatis Chriſti, eraſum fuiſſe e nonnullis Græcis codicibus. Unde non legit hunc Syrus, Clemens Alexandrinus, Beda, Oecumenius & quidam alii, quos citat Franc. Lucas *g*. Sed correctiora Græca, & omnia Latina, & S. Cyp. Athanaſ. Hieron. ceterique Patres, quos citat Bellarminus *h*, denique Concilium Lateranenſe, cui etiam Græci interfuerunt, conſtanter eum retinent: neque licet amplius hac de re dubitare, maxime poſt decretum Conc. Tridentini; iubentis hanc epiſtolam pro Canonica recipi cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſuevit, & in veteri Vulgata Latina editione habetur. Porro teſtimonium, quod Chriſto tamquam vero Meſſiæ & Filio Dei perhibuit *Pater*, *Verbum & Spiritus ſanctus*, primum fuit in baptiſmo Chriſti, quando inſtituente illo baptiſmum novæ legis conformiter prædictionibus Prophetarum k, Pater publica voce de cælo proclamavit, *Hic eſt filius meus dilectus*, *ipſum audite*, & Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuper ipſum deſcendit. Secundum in paſſione, morte & reſurrectione Chriſti: Patre de cælo proclamante, *Et clarificavi*, *& iterum clarificabo*: Filio coram tribunali Iudaico & Romano palam conteſtante, ſe Meſſiam & Dei-Filium eſſe, & mox conſummante omnia quæ Prophetæ *l* de Meſſiæ paſſione, morte & reſurrectione prædixerant: Spiritu ſancto tot tamque ſtupendis miraculis ac prodigiis corda etiam obſtinatiſſima percellente. Tertium in miſſione Spiritus ſancti die Pentecoſtes & deinceps in diſcipulos Chriſti & alios fideles, quando conformiter oraculis Prophetarum *m* & promiſſis Chriſti Spiritus ſanctus de cælo in forma linguarum ignearum a Patre & Filio miſſus, toti orbi notum fecit, Chriſtum, uti ipſe toties dixerit eſſe Dei Filium, Meſſia & ſalvatorem mundi. En tres teſtes cæleſtes ac divinos in unam hanc veritatem tam multiplici, tam certo, tam liquido teſtimonio conſpirantes? En pari modo

V. 8. *Etiam* TRES IN TERRA, QUI eiuſdem veritatis certiſſimum luculentiſſimumque TESTIMONIUM DANT, ut iam inſinuavi; nempe AQUA baptiſmalis emundans & extergens peccata: SANGUIS in morte profuſus, redimens mundum univerſum: ET SPIRITUS ſancti chariſmata tam profuſe fidelibus communicata in Pentecoſte & deinceps: ita fere S. Auguſt. Ambroſ. *n* Oecumenius, Lyranus & Gloſſa. Cum enim hæc omnia non humanæ, ſed divinæ ſint virtutis, & tamquam Meſſiæ propria, per Meſſiam a Prophetis *o* prædicta ſint complenda; liquido teſtantur, Ieſum, per quem completa ſunt, eſſe illum quem Prophetæ præ-

prædixerunt, Meſſiam & Filium Dei. ET HI TRES in terra teſtes, *aqua*, *ſanguis*, & *Spiritus*, UNUM quid SUNT, nempe concordia teſtandi divinitatem Chriſti. Non igitur tam arcta unitate, atque *Pater Verbum*, & *Spiritus*, qui *unitate* etiam *natura* unum ſunt, inquit S. Auguſt.

V. 9. SI TESTIMONIUM duorum vel trium HOMINUM in unam eamdemque veritatem conſpirantium admittimus, & ut legitimum ac validum ACCIPIMUS, multo magis admittere debemus TESTIMONIUM DEI per ſex ſupradictos *q* teſtes nobis exhibitum: quia divinum teſtimonium infinitis partibus MAIUS EST humano, ſive dignitatem & auctoritatem teſtantis, ſive veritatem & certitudinem rei teſtatæ conſideres. *Eſt* enim *Deus* per eſſentiam *verax*, adeoque prima & ſumma veritas: *omnis autem homo mendax*. QUONIAM HOC, id eſt hoc autem, EST TESTIMONIUM DEI, QUOD MAIUS omni humano, QUONIAM; græce, *quod*, TESTIFICATUS EST per ſex ſupradictos teſtes, DE Chriſto, quod nempe ſit *filius ſuus* & verus Meſſias.

V. 10. QUI permotus hoc divino teſtimonio, CREDIT IN FILIUM DEI, ſeu in Ieſum, HABET TESTIMONIUM illud DEI IN SE pro veraci, liquido & certo. QUI NON CREDIT FILIO tamquam Meſſiæ & Filio Dei, is MENDACEM FACIT EUM, nempe tam Filium, quam Patrem & Spiritum ſanctum. QUIA TESTIMONIUM quo *teſtificantur* Ieſum eſſe filium Dei & Meſſiam, NON CREDIT, quia *non habet* illud *in ſe* pro vero: liquido & certo, ſed pro incerto, dubio & fallaci, quod eſt extreme blaſphemum & iniurium divinæ maieſtati, & infallibili veritati. Sed credat qui volet,

V. 11. TESTIMONIUM hoc non ſolum Chriſto honorificum, ſed & nobis perutile & pernéceſſarium nos ambabus ulnis amplectimur: QUONIAM VITAM & felicitatem AETERNAM DEDIT NOBIS DEUS IN FILIO, ſeu merito Filii EIUS (cui hoc teſtimonium datum eſt) adipiſci.

V. 12. QUI vero per fidem, amorem & obedientiam HABET FILIUM redemptorem ſibi & Meſſiam, HABET VITAM *r* gratiæ in re, gloriæ in ſpe. Et hic eſt primus fructus vivæ fidei & caritatis. Secundus eſt:

V. 14. FIDUCIA impetrandi a Deo *quidquid* PETIERIMUS SECUNDUM VOLUNTATEM EIUS, & conforme nutui, ſeu legi ipſius, nempe quidquid ad Dei gloriam & ſalutem noſtram conducit. Et ſane experientia ipſa

V. 15. SCIMUS QUOD PETITIONES, ſeu poſtulata talia, certo & infallibiliter AB EO HABEMUS & obtinemus: nec pro nobiſipſis tantum, ſed & pro fratribus noſtris, Unde

V. 16. QUI SCIT FRATREM SUUM PECCARE, dummodo PECCATUM NON *ſit* AD MORTEM, id eſt dummodo non induat certo (certitudine morali) æternam mortem, eo quod ſit quaſi inſanabile, ſeu incorrigibile; PETAT pari fiducia *vitam* ſpiritualem gratiæ reddi tali fratri, ET DABITUR EI. Sed an tale eſt aliquod PECCATUM AD MORTEM? *Eſt* ſane: nempe quod ob ſui enormitatem & coniunctam obſtinationem eſt quaſi immedicabile, ſaltem iuxta præſentem rerum ſtatum, & communem Dei legem, & per ordinariam gratiam quæ cælitus dari ſolet. Sicut vulnus vel morbus ad mortem vocatur; qui ægrotanti mortem corporalem via ordinaria infert, cuius proinde deſperata eſt curatio. Tale peccatum dici poteſt omne illud in quo quis obſtinate perſeverare intendit uſque ad mortem: proprie tamen S. Ioannes notat hic apoſtaſiam a fide ad hæreſin vel ad idololatriam. Quod ut enorme peccatum eſt, ita, quia ex certa fit ſcientia & malitia, opponens ſe directe Chriſto & Deo, a quo ſolo ſperanda eſt curatio, merito peccatum *incurabile* ideoque *ad mortem* vocatur: & ſic etiam Chriſtus Phariſæorum obſtinatam infidelitatem vocat *peccatum ad mortem*: Ioan. VIII. 24. *Si non credideritis quia ego ſum* Meſſias, *moriemini in peccato veſtro*. Et S. Paulus *impoſſibile* ait apoſtatas *renovari ad pœnitentiam*. Et tam ipſe quam *Petrus*, *Iudas*, & *Ioannes* *ſ* in epiſtolis ſuis paſſim in hoc peccatum invehuntur. Et ſic fere hunc locum exponunt Origenes, Cyprianus, Hilarius, Hieron. Aug. Oecumenius, Bernardus, Bonavent. S. Thomas, Gagneius, Suarez, a Valentia *u*, a Lapide & alii. NON DICO & non impero UT QUIS Deum ROGET PRO ILLO tali: quia non audeo polliceri quod vitam tali impetrabit. Sic Ieremiæ VII. 16. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*. Sed an, o S. Apoſtole, prohibes rogare pro tali? nequaquam, reſpondet S. Bernardus:

ſtus: *Imme gemat qui illum amat:* & ſi *non præſumat orare*, ſaltem *ne deſiſtat plorare:* quia exemplo *x* Marthæ & Magdalenæ, humilitas, lacrymæ, verecundia & *fides aliquando recipit*, *quod oratio non præſumit*.

V. 18. OMNIS QUI NATUS EST EX DEO, NON PECCAT. Hoc ſupra *y* explicui. Et hic eſt tertius fructus vivæ fidei & gratiæ, ſcilicet præſervatio a peccato, ſaltem graviori & mortali, & conſequenter a vi & poteſtate maligni, id eſt diaboli: quia GENERATIO DEI, id eſt nativitas nova ex Deo, (metonymia, *generatio*, pro gratia regenerante) qua fit filius Dei, CONSERVAT & præſervat EUM. Quomodo Chriſtus diabolum exarmarit & enervarit, vide Caſſianum *z*. Sed epilogum iam audiamus epiſtolæ.

V. 19. SCIMUS, o Chriſtiani, & hoc nobis eſt ſummo ſolatio, *quod* per fidem & gratiam nati SUMUS EX DEO, filii & heredes illius: cum ex adverſo MUNDUS TOTUS IN MALIGNO POSITUS ſit, id eſt, mundani omnes ſub miſera & tyrannica diaboli (ut Hugo, Dionyſ. & Gloſſa exponunt;) & peccati (ut Ambroſ. *aa*, Oecumen. Beda & Lyranus) poteſtate ac dominatu oppreſſi iaceant. Hoc vero beneficium nacti ſumus meritis Chriſti, qui miſſu Patris

V. 20. VENIT in hunc mundum, ET DEDIT NOBIS διάνοιαν, id eſt SENSUM, ut Noſter vertit; Vatablus *mentem*, Syrus, *intelligentiam*, ſeu mentis illuſtrationem & cognitionem: Clemens Alexandr. id de *fide* exponit, ut per eam certo & firmiter COGNOSCAMUS VERUM DEUM, unum in eſſentia, trinum in perſonis: & per eamdem fidem ac gratiam SIMUS IN VERO FILIO EIUS pro nobis incarnato, ſicut *palmites in vite bb*, rami in arbore, a qua ſuccum & vitam continuo haurimus. Hic Filius æque ac Pater, EST VERUS DEUS, non participative, ſed ſubſtantialiter; non adoptione, ſed natura, inquit S. Cyrillus, Athanaſ. & Ambroſ. *cc* Idem Filius eſt etiam VITA AETERNA, tum formalis ſua, tum cauſalitas noſtra, ſi ad finem uſque vitæ noſtræ in eo permanſerimus per conſtantem fidem, ſpem, caritatem. *Hæc eſt vita æterna dd*, *ut cognoſcant*, ament, colant, *te ſolum verum Deum*, *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. Ante omnia autem, & ſit hoc ſupremum monitum meum:

V. 21. CUSTODITE VOS A SIMULACRIS idolorum, ſeu adorandis, ſeu adornandis: nullum eis officium, nullum obſequium, nullum honorem praeſtate: nolite per ea iurare: nolite eis immolata comedere, nolite ulla ratione cultui vel laudibus eorum vos immiſcere. Quod monitum Chriſtianis tum temporis inter amicos, immo parentes, Gentiles & idololatras aſſidue verſantibus erat perneceſſarium, ac proinde acrius inculcandum, inquit Didym. Oecum. Lyran. & Caietan.

(a) Hilar. Lib. VI. de Trin.
(b) Matt. xi. 30.
(c) Lucæ vii. 20. & Ioan. i. 15. Apoc. i. 4. Marc. xi. 3. Pſal. cxvii. 26. Aggæi ii. 8. Malach. iii. 1. & ii. &c.
(d) Ezech. xxxvi. 25. & Zach. xii. 13.
(e) Ioan. i. 26. & 33.
(f) Hieron. præfat. in epiſt. Catholicas.
(g) Fran. Luc. hic annot. 612.
(h) Bellar. Lib. I. de Chriſto cap. vi.
(i) Trid. ſeſſ. iv. de Canon. Scriptura.
(k) Ezech. & Zach. ſup. Matth. iii. 17.
(l) Iſaiæ liii. &c.
(m) Ioel. ii. 28. & Iſaiæ xliv. 3 & Actor. ii. 16. &c.
(n) Auguſt. Lib. III. cont. Maximin. cap. xxiii. Ambroſ. Lib. X. in cap. xxii. Lucæ.
(o) Hic ad verſ. 7. annotatis.
(p) Aug. ſup.
(q) Hic verſ. 7. & 8.
(r) Ioan. iii. 35.
(ſ) Hebr. viii. 4.
(t) Ibid. & cap. iv. &c. II. Pet. ii. toto capit. Iud. tota epiſtola. I. Ioan. ii. 19. &c.
(u) Orig. hom. xii. in Exod. Cypr. de Exhort. Mart. cap. iv. Hilar. in Pſal. cxl. Auguſt. Lib. I. Retract. cap. xvi. & de Corrept. & gratia cap. xii. Bernard. de Grad. humilit. cap. ult. Bonav. in 2. diſt. xliii. dub. 1. S. Tho. ibid. & 3. part. quæſt. lxxxvi. Suarez iii. p. tom. iv. diſp. viii. ſect. 1. Valentia in 3. p. quæſt. lxxxvi. art. 1.
(x) Ioan. xi.
(y) I. Ioan. iii. 6. & 9.
(z) Caſſian. collat. vii. cap. xxii.
(aa) Ambroſ. in Apolog. David. cap. 12.
(bb) Ioan. xv. 1. & 4.
(cc) Cyrill. XII. Theſauri cap. xiii. Athan. diſputat. cont. Arrium. Ambro. Lib. I. de Fide capit. ult.
(dd) Ioan. xvii. 3.

GORDONI.

Verſ. 1. OMNIS QUI CREDIT. Primum bonum, quod nobis oritur ex fide viva & per *dilectionem operatricem* m, eſt ſpiritualis noſtra nativitas, & per iuſtificationem adoptio ad hæreditatem. In hoc cognoſcimus, (verſ. 2.) Ita eſſe cognoſcitur, cum in obſervatione mandatorum Deum in proximo diligimus. Nec certe

(verſ.

(verſ. 3.) ſunt gravia eius mandata per caritatem hanc amanti ; & præſertim ſi ea conſeras cum onere veteris legis . Multo minus ſunt impoſſibilia ; ut hodie blaſphemant hæretici.

V. 4. QUONIAM OMNE . De victoria mundi agit. Fideles nati ex Deo per fidem & caritatem vincunt mundum , hoc eſt , mundi concupiſcentias domant, unde fit ut facile obſervant mandata. Latet hic probatio prioris partis, ſcilicet non eſſe gravia præcepta, quia victa eſt reluctans concupiſcentia, quam debellat fervida fides ſperans, invocans & amans.

V. 6. HIC EST, QUI VENIT. Hic & verſu decimo duplex videmus teſtimonium: unum de Chriſto Deo & homine; alterum de nobis, quod eſt unum ex bonis, quæ reſultant ex viva fide in Deum. Iam ergo quia dixit verſ. 5. vinci mundum per fidem vivam, digreditur inde paululum uſque ad verſum decimum, docens Chriſtum eſſe præcipuum victorem, domitoremque mundi; & eundem eſſe verum Deum & hominem, qui ad nos venit PER AQUAM ET SANGUINEM, ut ſanguine redimeret, & per aquam baptiſmi expiaret. Non ergo per aquam ſolam, quamvis id potuiſſet, ſed etiam per mortem ſuam, ut amorem oſtenderet magnum. Hunc vero eſſe verum Meſſiam & Chriſtum, Deum & hominem teſtatur Spiritus Sanctus, ut ſuidetur.

V. 7. QUONIAM TRES SUNT. Senſus eſt, omnes tres perſonas Trinitatis perhibere Angelis & hominibus teſtimonium de Chriſto; nempe quod ſit verus Meſſias, & Dei Filius. Hoc Pater teſtatus eſt in baptiſmo, Matth. III 17. & in transfiguratione, Matth. XVII. 5. his verbis; *Hic eſt Filius meus dilectus*. Porro filius hoc ſignis & Prophetarum teſtimoniis approbavit. Denique Spiritus Sanctus id teſtatus eſt in die Pentecoſtes . ET HI TRES UNUM SUNT eſſentia & natura.

V. 8. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM. Aliam profert pro veritate Chriſti Trinitatem, ſed creatam. At cur Latinus non dixit *tria* ex Græco textu? forte quia teſtes intellexit, aut per proſopopœiam, quaſi tres perſonas eſſe finxit. At quænam eſt hæc creata Trinitas? Spiritus ſane, aqua, & ſanguis. Nam ſpiritus (ex communi interpretatione) eſt, quem Chriſtus clamans emiſit in cruce, clamor moribundi (cui ſolet vox deficere) miraculoſus eſt: unde denotabat Chriſtum mori non ex infirmitate, ſed quia voluit, & habere mortem in ſuo arbitrio: quod agnovit Centurio Mar. XV. *Vere*, inquit, *filius Dei erat*. Hic ergo ſpiritus ſic emiſſus, eſt primum ex tribus in terra teſtimoniis. Duo reliqua teſtimonia ſunt aqua & ſanguis e latere Chriſti; unde apparuit eum vere eſſe hominem. Et hæc tria unum ſunt, nempe in unum & idem conſpirantia, ut oſtendant Chriſtum eſſe verum Deum & hominem: ſic teſtatus eſt Deus.

V. 9. SI TESTIMONIUM HOMINUM. Dei teſtimonio valde aſſentiri debemus, cum etiam humanis teſtimoniis aſſentiamur. Et qui credit (verſ. 10.) Filium Dei, reperiet etiam in ſcipſo hoc teſtimonium. Sicut e contra qui non credit, facit Deum mendacem, quia non admittit teſtimonium divinum.

Quæres quid ſit credentem habere in ſe teſtimonium Dei? Certe qui habet in ſe rem teſtatam: fides nititur auctoritate. CREDIT. Græce, in præterito, πεπίςευκε. Longe hoc abeſt ab inani fiducia Novatoris. Hic de aſſenſu agitur, & obiectum eſt res revelata a Deo: non vero prædeſtinatio Novatorum: vera fides eſt credere, non vero ſperare: multo minus eſt ſperare ſe prædeſtinatum.

V. 11. ET HOC EST TESTIMONIUM. Inter alia bona, quæ obveniunt illi, qui, ut par eſt, credit in Chriſtum, eſt vita æterna: nam hoc etiam teſtatur Deus, nempe Chriſtum redemptorem noſtrum attuliſſe nobis vitam æternam. Hoc ipſum explicat uſque ad verſum decimum quartum, de vera vita hic in re per gratiam, & in ſpe eſt gloria. Sic qui habet Filium (verſ. 12.) adhærendo ei per amorem & obedientiam, habet vitam illam, quæ iam explicata eſt.

V. 14. HAEC EST FIDUCIA. Iam de fiducia in Deum, quæ eſt aliud bonum naſcens ex recta in Deum fide. Eſt vero fiducia ſpes impetrandi quod petimus a Deo. Fides parit fiduciam, ſi cor noſtrum nos non reprehendat, ut dixit cap. III. verſ. 21. Addit nunc ſi petierimus ſecundum voluntatem eius, & legem.

V. 16. QUI SCIT FRATREM. Dixit de fiducia impetrandi. Excipit cum oramus pro fratris peccato, quod eſt ad mortem;

quaſi

Digitized by Google

quaſi diceret, Non audere ſe permittere certam in hoc peccato veniam: non quidem quod ſit aliquod peccatum irremiſſibile, ſed ſint aliqua peccata gravia, ut perdifficilis ſit impetratio veniæ: & tale peccatum dicitur eſſe ad mortem. Nec multum ab hoc genere peccatorum abeſt apoſtaſia & hæreſis. Hinc verſ. 17. diſtinguit duplex genus peccati. De eo qui natus ex Deo non peccat, vide cap. III. 6. & 9.

V. 19 & 20. Scimus. Ultimum quod refert bonum proveniens ex fide gratiam & caritatem habente, eſt præſervatio a gravi & mortali peccato, ſi vult homo ſequi ductum gratiæ. Addit hic mundum totum eſſe malignum, hoc eſt in mundo abundat malitia: nec propterea vult omnes eſſe peccatores.

Quales ergo ſint veræ fidei & vivæ effectus, ſatis hoc capite apparuit: ex qua tota diſputatione patuit Ioannem conſtanter loqui de fide, quæ cum caritate & dilectione coniuncta eſt, quippe quam ipſe tantopere hic requirit, & per totam Epiſtolam commendavit. Secundo hic certum eſt, Ioannem loqui de homine ſequente ductum huius fidei, dilectionis & gratiæ, quoties docet talem non deficere, non peccare, ſed manere in gratia: immo, ut ſupra dixi, in ſenſu compoſito non poſſe ſic operantem peccare. Atque hinc eſt illud tertium de conſervatione gratiæ per longum tempus, ſeu conſervatione diu ſive lapſu gravi.

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI SECUNDA.

Electam hanc eiuſque filios in caritate & fide confirmat, ne ab hæreticis ſeducantur: idque paucis; cetera ſervans donec ad eos veniat.

1. SENIOR Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo
in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui co-
gnoverunt veritatem, 2. propter veritatem quæ perma-
net in nobis, & nobiſcum erit in æternum. 3. Sit vo-
biſcum gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & a
Chriſto Ieſu Filio Patris, in veritate & caritate. 4.
Gaviſus ſum valde, quoniam inveni de filiis tuis am-
bulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus a Patre. 5. Et nunc ro-
go te domina, non tamquam mandatum novum ſcribens tibi, ſed quod
habuimus ab initio, (*a*) ut diligamus alterutrum. *6.* Et hæc eſt caritas, ut
ambulemus ſecundum mandata eius. Hoc eſt enim mandatum, ut quemad-
modum audiſtis ab initio, in eo ambuletis: 7. quoniam multi ſeductores
exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum veniſſe in car-
nem: hic eſt ſeductor, & antichriſtus. 8. Videte voſmetipſos, ne perdatis
quæ operati eſtis: ſed ut mercedem plenam accipiatis. *9.* Omnis qui re-
cedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui perma-
net in doctrina, hic & Patrem & Filium habet. 10. Si quis venit ad
vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec
AVE ei dixeritis. 11. Qui enim dicit illi AVE, * communicat operibus
eius malignis. 12. Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atra-
mentum: ſpero enim me ſuturum apud vos, & os ad os loqui: ut gaudium
veſtrum plenum ſit. 13. Salutant te filii ſororis tuæ Electæ.

(a) Iſai. vii. 12.

BRU-

Digitized by Google

B R U G E N S I S

Romana Correctio.

Verſ. 11. *Communicat operibus eius malignis.*

Quod ſubiiciunt quidam libri, *Ecce praemiſi vobis ut in die Domini non confundamini*, Patres ut ſuperfluum præterierunt.

C O M M E N T A R I A

G A G N AE I.

Verſ. 1. & 2. SENIOR ELECTAE DOMINAE, Græc. ſcholia multis confirmant hanc epiſtolam Ioannis ſequentem, eſſe Ioannis Apoſtoli dilecti a Deo, atque in contrarium allata argumenta ſolvunt. Seniorem autem ſive Græco vocabulo πρεσβύτερον aiunt vocari, ſive quod iam provecta ætate, ſive quod epiſcopus eſſet, & epiſcopi in primitiva eccleſia presbyteri vocarentur: electam vero dominam ſic dici aiunt Græca ſcholia, vel a nomine, quod fortaſſe ita vocaretur, vel quod electa a Deo eſſet: *electæ* ergo *dominæ* ET NATIS EIUS, ſive liberis, &c. Quod autem interpres vertit, QUAE PERMANET IN VOBIS ET VOBISCUM, Græca quæ nunc extant, habent ἐν ἡμῖν, ϗ μεθ' ἡμῶν, id eſt *in nobis & nobiſcum*: interpres legit, ὑμῖν, facilis eſt lapſus υ in η, & contra.

V. 7. MULTI SEDUCTORES EXIERUNT IN MUNDUM. Interpres legit ἐξῆλθον, id eſt *exierunt*: Græce habent εἰσῆλθον, id eſt *introierunt*: neque multum refert ad ſenſum, ut dicantur exiiſſe qui prius latebant. QUI CONFITENTUR, inquit, IESUM CHRISTUM VENISSE IN CARNE, quidam codices habent, *Qui non confitetur Ieſum veniſſe in carnem*, & iungunt cum ſequentibus, HIC EST SEDUCTOR, & hoc modo Græca ſecus habebant quam nunc: quæ enim nunc extant in plurali habent ὁμολογοῦντες: quamquam aptior videtur connexio legendo in ſingulari: *qui non confitetur, hic ſeductor eſt*.

V. 8. VIDETE VOSMETIPSOS NE PERDATIS. Hoc loco pro *perdatis*, *operati eſtis*, *accipiatis*, Græc. quæ nunc extant, habent in prima perſona *perdamus*, *operati ſumus*, *accipiamus*, quamquam nihil ad ſenſum refert.

V. 10. NOLITE EUM RECIPERE IN DOMUM, NEC AVE EI DIXERITIS. Vel ex hoc loco excommunicationis facultas intelligitur, quando hæretici interdici domo & ſalutatione iubentur: nam ita extra hominum commercia ſunt & communionem. Similiter dicit Paulus, *hæreticum hominem poſt unam & alteram correptionem devita*.

V. 12. ECCE PRAEDIXI VOBIS. Hæc verba ab hoc loco uſque ad τὸ PLURA HABENS, &c. Græc. quæ nunc extant, non habent; quod vero ſequitur, SPERO ME FUTURUM AD VOS, futurum dixit pro venturum; nam Gr. eſt ἐλθεῖν.

S A.

DE caritate, veraque doctrina, & hæreſi.

V. 1. SENIOR. Græc. *presbyter*: quo nomine ſignificatur etiam Epiſcopus. ELECTAE. Nomen forte proprium: vel quaſi dicat, Electæ a Deo. Hieron. putat Eccleſiæ ſcribi. NATIS, id eſt liberis. IN VERITATE, id eſt vere, vel in Chriſto, qui eſt Veritas.

V. 2. VERITATEM, ſcilicet doctrinæ.

V. 3. IN VERITATE, id eſt cum veritate, ſcilicet fidei.

V. 4. IN VERITATE, id eſt perfecte, ſeu ſancte.

V. 6. IN EO, ſcilicet mandato; vel, quod auditis, vel Chriſto.

V. 7. EXIERUNT. Græc. *introierunt*. IN CARNEM; pro, in carne; ſeu, cum carne.

V. 8. VIDETE VOSMETIPSOS; pro, cavete vobiſmetipſis. ESTIS, ſcilicet hactenus.

V. 10. QUIS, ſcilicet talium doctorum. AVE, id eſt ſalutem.

V. 12. OS AD OS; id eſt præſentem præſentibus. LOQUI; pro, locuturum. VESTRUM. Græc. *noſtrum*.

V. 13. ELECTAE, ſcilicet a Deo: vel eſt etiam id nomen proprium.

MARIANAE.

Verſ. 1. SENIOR. Græc. *presbyter*. Sic ſe vocat propter ætatem, aut quia erat Epiſcopus: ſæpe Epiſcopi ſic vocantur. ELECTAE. Aut nomen eius erat; aut quia ſatis nota, non exprimit nomen. Diligo te & filios

V. 2. PROPTER VERITATEM QUAE PERMANET IN NOBIS. Aliqui codices Græci & Latini *in vobis* & *vobiſcum*.

V. 3. SIT. Græc. *erit*. VOBISCUM GRATIA, MISERICORDIA, PAX, id eſt omnis felicitas futura & præſens. Hoc mando,

V. 6. UT QUEMADMODUM AUDISTIS AB INITIO, ſcilicet cum Evangelium accepiſtis, in eo perſtetis.

V. 7. QUONIAM MULTI SEDUCTORES EXIERUNT. Gotth. *prodierunt*. Græc. *ingreſſi ſunt:* noſter ἐξῆλθον, pro, εἰσῆλθον legit: facilis mutatio. QUI NON CONFITENTUR. Robertus affert codicem Græcum qui legit, *ſi quis non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt ſeductor*. Connexio ſententiæ ſatis apta.

V. 8. VIDETE VOSMETIPSOS, NE PERDATIS. Commodior lectio quam Græca, *ut ne perdamus quæ operati ſumus, ſed accipiamus*. Verum codices Græci variant. Robertus quatuor affert, qui hæc verba ut nos in ſecunda perſona habent. Qui ſecus docet quam accepiſtis,

V. 20. NEC AVE EI DIXERITIS: ſic anathema: ſic Paulus, *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita*, ad Tit. III. verſ. 10.

V. 12. PLURA HABENS. Ante hæc verba multi codices etiam Gotth. habent, *Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini*. Sed Correctores id reiiciunt, aut obelo notant. SPERO ENIM ME FUTURUM APUD VOS. Gotth. *venturum ad vos*: ſic Græca. UT GAUDIUM VESTRUM. Græc. *noſtrum* ſit plenum.

V. 13. SALUTANT TE FILII SORORIS TUAE ELECTAE. Gotth. *Electa*. Recte, ſi codex alius conſentiret.

MENOCHII.

Verſ. 1. SENIOR: πρεσβύτερος, id eſt *presbyter, & ſenex*: ponitur poſitivus pro comparativo, ideoque vulgatus dixit *Senior*, nam Ioannes omnibus Apoſtolis ſuperſtes, omnes Epiſcopos, ut dignitate, ſic etiam ætate ſuperabat. ELECTAE DOMINAE. *Electa* videtur eſſe nomen matronæ alicuius ſic appellatæ. Serarius tamen, & alii, probabiliter putant nomine Electæ Eccleſiam aliquam intelligi. QUOS EGO DILIGO IN VERITATE; ſcilicet religionis Chriſtianæ.

V. 2. PROPTER VERITATEM QUAE PERMANET IN NOBIS; id eſt, diligo eos in veritate, quia ipſi conſtanter adhærent veritati Chriſtianæ, & caritati, quæ permanent nobiſcum in hac vita, & porro permanebunt in cæleſti gloria.

V. 3. ET PAX: nomine pacis mos eſt Hebræis omne genus proſperitatis, & felicitatis ſignificare, ut ſæpe dictum eſt. IN VERITATE, ET CARITATE, id eſt ut permaneatis, & creſcatis in veritate, & caritate.

V. 4. INVENI DE FILIIS TUIS, id eſt inveni filios tuos. AMBULANTES IN VERITATE: vitam inſtituentes ad normam Evangelii. A PATRE: a Deo Patre, qui per Chriſtum Filium præcepta dedit vivendi, & regulam recte ſentiendi.

V. 5. NON TAMQUAM MANDATUM NOVUM: mandatum enim dilectionis, de quo hic loquitur Apoſtolus, eſt mandatum vetus, quippe legis naturalis, & datum etiam Hebræis in veteri lege, Levit. XIX. 18. SED QUOD HABUIMUS AB INITIO: quemadmodum ab initio Chriſtianiſmi inſtituti ſumus.

V. 6. ET HAEC EST CARITAS, id eſt in hoc cernitur, in hoc conſiſtit caritas. HOC EST ENIM MANDATUM; ſcilicet caritatis. UT QUEMADMODUM ab initio Chriſtianiſmi inſtituti eſtis. IN EO AMBULETIS: in veritate, & caritate Chriſtiana progredientes.

V. 7. QUONIAM MULTI SEDUCTORES, &c. quaſi dicat, Monui ut in mandato veritatis, & caritatis perſeveretis, quia multi ſeductores exierunt in mundum, qui hanc veritatem, & Chriſti caritatem conantur evertere. QUI NON CONFITENTUR, &c. qui Chriſti adventum, & incarnationem verbi negant. HIC EST SEDUCTOR, ET ANTICHRISTUS; quaſi dicat, Quiſquis ita ſentit, & docet, impoſtor eſt, & Antichriſtus, id eſt, Chriſto contrarius, & præcurſor Antichriſti venturi in fine mundi.

Digitized by Google

V. 8. VIDETE VOSMETIPSOS, id eſt cavete vobis. NE PERDATIS QUAE OPERATI ESTIS: ne bonorum operum hactenus factorum, iacturam faciatis. PLENAM: copioſam, abundantem.

V. 9. DEUM NON HABET: amicum, aut patrem. HIC ET PATREM, ET FILIUM HABET: & conſequenter Spiritum ſanctum, qui eſt amor, & nexus Patris, & Filii.

V. 10. ET HANC DOCTRINAM NON AFFERT: ſed illi contraria, & repugnantia docet. NEC AVE EI DIXERITIS: ne ſalutate quidem eum, qui eſt huiuſmodi.

V. 11. COMMUNICAT OPERIBUS EIUS MALIGNIS: quia, ſcilicet, ſalutando hæreticum falſa dogmata ſpargentem, videtur dogmati, & hæreſi eius favere, ei applaudere, & errores illius aliquo modo probare, quem amice ſalutat.

V. 12. NOLUI PER CHARTAM, ET ATRAMENTUM: nolui chartæ committere. OS AD OS, id eſt coram. UT GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM, id eſt abundans, & exuberans. Viva enim vox doctoris, præſertim talis qualis erat S. Apoſtolus, longe plus gaudii, doctrinæ, pietatis, & conſolationis erat allatura, quam vox mortua.

V. 13. SALUTANT TE FILII SORORIS TUAE ELECTAE. In Græco eſt, τῆς ἀδελφῆς σου τῆς ἐκλεκτῆς, & ſenſus eſſe poteſt, ſalutanr te filii ſororis tui, tui, inquam, quæ es Electa. Unde Biblia Gothica, teſte Mariana legunt, *Salutant te filii ſororis tuæ Electæ*, id eſt o Electa, in vocativo caſu. Qui putant nomine Electæ ſignificari Eccleſiam aliquam, ita interpretantur, quaſi dicat. Te, o Electa Eccleſia, Corinthiorum verbi gratia, ſalutant filii ſororis tuæ, ſcilicet, Fideles Electi Eccleſiæ Epheſiorum.

T I R I N I.

Verſ. 1. SENIOR omnium tum ætate, tum dignitate (agebat enim tum Ioannes annum vitæ 97. *a*, Apoſtolis omnibus ſolus ſuperſtes:) Græc. πρεσβύτερος ſeu *presbyter*: quo nomine etiam Epiſcopi tum temporis appellabantur, teſte S. Hieronymo, utpote ceteris ut dignitate, ita plerumque etiam ætate præcellentes: ſalutem dicit, & fauſta omnia adprecatur ELECTAE DOMINAE; Græce, ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. Quod *Eccleſiæ* alicuius Aſianæ, in qua degebat Gaius cui tertia epiſtola inſcribitur, cognomen faciunt Oecumen. & Serarius. Sed hoc refellit ſequens ad Gaium eodem tempore data epiſtola, ubi verſ. 9. Ioannes ſat indicat ſe non ſcripſiſſe *Eccleſiæ* illi in qua erat Gaius. Unde alii paſſim cenſent particularis matronæ nomen eſſe, vel proprium (quale eſt *Iuſta*, *Chriſtina*, *Margarita*, *&c.*) vel certe ei appropriatum, v. g. ob eximiam nobilitatem, dignitatem, virtutem vel officium: forte Diaconiſſæ, vel præfectæ Diaconiſſarum, ad quod electam arbitratur Lyranus, Gloſſa & Thomas Anglicus. Sicut enim Diaconi *b* præfecti eleemoſynis vocabantur *Electi*, (ut & nunc Epiſcopi recens creati, ſed necdum conſecrati:) ita Diaconiſſæ vocabantur *Electæ*, inquit Cornelius a Lapide. Lucius Dexter *c* *Electam* hanc proprio nomine vocat *Druſiam*, Eſpenceus *Druſianam*. Cauſam huic matronæ ſcribendi videntur Apoſtolo dediſſe Ebion, Cerinthus, vel eorum emiſſarii Gnoſtici, qui ſe in dominæ huius, utpote primariæ & potentis, familiam & animum per cuniculos ſenſim inſinuare tentabant, ut eam & per eam ceteros Chriſtianos in ſuam hæreſin pellicerent, ut familiare erat hæreticis per feminas, teſte S. Hieronymo *d*, hæreſes ſuas propagare. Unde Apoſtolus ſevere vetat *e* huic matronæ, ut ne vel *Ave* eis dicat, vel in domum recipiat. De NATIS huius dominæ ſcribit Clemens Alexandr. *virgines* fuiſſe, quas domi ſuæ ſingulari cura fovebat & inſtituebat: uti Romæ *Flavia Domitilla* ſub idem tempus, & poſtea Conſtantinopoli *Pulcheria* Auguſta, & aliæ alibi, de quibus noſter Raderus *f*. Sed non ſolas virgines filias, verum etiam filios hic compellari patet ex relativo maſculino, QUOS EGO DILIGO IN VERITATE, id eſt, vero ac ſincero amore.

V. 2. PROPTER VERITATEM, id eſt veram doctrinam, veram ſolidamque pietatem, QUAE inter tot hoſtes & hoſtiles inſultus, inconcuſſa, firma & ſtabilis PERMANET tam in ipſis, quam IN NOBIS, ET permanebit (voveo & ſpero) IN AETERNUM.

V. 3. SIT VOBISCUM PAX & proſperitas, IN, id eſt cum, VERITATE jam dicta,

ſta, ET CARITATE fraterna, vobis adeo commendata: ita fere Caietanus.

V. 6. HAEC EST, ſeu in hoc conſiſtit, CARITAS quam commendo, UT AMBULEMUS SECUNDUM MANDATA EIUS, id eſt, ut obſervemus divina mandata, quæ non ſunt alia quam mandata dilectionis, partim Dei, (ut ſunt tria priora:) partim proximi, ut ſeptem poſteriora Decalogi. Cauſa cur tam operoſe vobis hæc inculcem, eſt

V. 7. QUONIAM Ebion, Cerinthus, Gnoſtici & MULTI alii SEDUCTORES ex inferis emiſſi EXIERUNT IN MUNDUM: qui ſpreta veritate doctrinæ divinæ, diabolicas inducunt falſitates, & ſic evertunt Chriſtianam unitatem & caritatem: NON CONFITENTUR *g* IESUM eſſe CHRISTUM, ſeu Meſſiam, neque Filium Dei VENISSE IN CARNEM, ſeu eſſe incarnatum. Quiſquis autem id negat, EST ANTICHRISTUS, ut alias docui *h*.

V. 8. VIDETE; Tigurini, *cavete*; Syrus, *cuſtodite*, VOSMETIPSOS a fraudibus & inſidiis iſtorum ſeductorum, NE PERDATIS QUAE OPERATI ESTIS; Græce, *ne perdamus quæ operati ſumus*, circa veſtram inſtructionem & ſalutem. Conſtantes ergo perſeverate, UT MERCEDEM PLENAM, id eſt copioſam & abundantem, ACCIPIATIS, & nobis vobiſcum (ut eſt in Græco) *accipiamus*. Sola enim perſeverantia mercedem accipiet, &

V. 9. OMNIS QUI RECEDIT A DOCTRINA CHRISTI, id eſt qui apoſtatat a fide, vel deflectit a caritate toties per Chriſtum inculcata, DEUM NON HABET *i* ſibi patrem, amicum, tutorem.

V. 10. SI QUIS HANC incarnationis Filii Dei, & caritatis fraternæ DOCTRINAM NON AFFERT, ſed contemnit, ſed impugnat, ſed calumniatur; NOLITE EUM RECIPERE IN DOMUM, NEC AVE, id eſt ſalutem, EI DIXERITIS. Quo præcepto commercium omne cum hæreticis hæreſeos ſpargendæ cauſa adventantibus interdicit.

V. 11 QUI ENIM tali hæretico dogmatiſtæ DICIT AVE, ſeu ſalutem, vel hoſpitio illum excipit, COMMUNICAT dogmatibus & OPERIBUS EIUS MALIGNIS. Nam ſalutando, & multo magis hoſpitio excipiendo, videtur hæreſi illius favere, applaudere, cooperari, ſicut qui meretricantem, furantem vel latrocinantem ſciens volenſque exciperet, eos foveret, applauderet: ita Navarrus *k*. Alioqui ſecluſo perverſionis periculo ſeu tui, ſeu aliorum, & ſemoto ſcandalo, non vetatur iure divino vel naturæ communicatio cum hæreticis, præſertim ſi vel neceſſitas, vel pietas, vel gravis utilitas eam ſuadeat.

V. 13. SALUTANT TE, o Electa, FILII SORORIS TUAE Epheſi degentis, quæ & ipſa eſt *Electa* mater & Diaconiſſa in Eccleſia Epheſina, ſicut tu es in Eccleſia aliqua Parthica vel Aſiana. Nonnulli codices Græci & Latini hic addunt, *Gratia tecum Amen*; Syrus, *Gratia vobiſcum, Amen*.

(a) Chronici cap. ult. in fine. Hier. ep. lxxxv. ad Evagrium.
(b) Actor. VI. 5.
(c) L. Dexter in Chronico anno Chriſto 100.
(d) Hieron. ep. ad Cteſiphontem.
(e) Verſ. 10.
(f) Raderus in Aula, &c.
(g) II. Petr. III. 4.
(h) I. Ioan. IV. 3.
(i) I. Ioan. II. 24.
(k) Navar. in Manuali cap. XVII. n. 165.

GORDONI.

Verſ. 1. SENIOR. Viſum eſt quibuſdam hanc epiſtolam eſſe cuiuſdam Ioannis presbyteri, non vero Apoſtoli, quia pro titulo eſt *Senior*. Verum minus recte: nam τὸ *Senior* notat Ioannis Apoſtoli ætatem valde provectam. Ut enim in Chronologia obſervo, edito novo Nervæ edicto, rediit ab exilio Epheſum anno Chriſti 99. quando etiam has ſcripſit Epiſtolas; ac proinde plane ſenior. Per Electam plures certam Eccleſiam intelligunt. Nihil tamen vetat intelligi matronam ſic appellatam, & nomen eſſe proprium: immo & nobilem ac primariam fuiſſe, quam & Dominam vocat Ioannes. Quæ ſequuntur, nota ſunt de dilectione, quæ eſt in veritate, ſeu vera fide, & caritate.

V. 4. GAVISUS SUM. Gratulatur, quod filii & nati fideles ſint, ambulentque in lege Evangelii: vocat veritatem; quibus & Electæ ſubinde verſ. 5. & 6. inculcat dilectionem, & obſervationem mandatorum.

V. 7. QUONIAM MULTI SEDUCTORES. Altera eſt hæc pars Epiſtolæ, ubi a caritate tranſit ad aſſertionem veritatis retinendam, contra impugnantes ſeductores.

Quiſ-

Quiſquis Chriſtum impugnat, ſeductor eſt, & Antichriſti præcurſor. Itaque verſ. 8. monet ne excidendo a veritate perdant exactos ſancte labores, & præmium laborum.

V. 10. Si quis venit ad vos. Si repugnantia proferant, abſtinete ab his, & ne quidem ſalutate, quaſi favendo eorum hæreſin. Sane qui talem falſam doctrinam docent, pervertentes piorum animos, prohibendi ſunt hoſpitio & convictu: tales ſunt dogmatiſtæ. Stat prohibitio huius convictus ex iure divino; quoties excipiens iſtos aut ſe periculo exponit, aut ſcandalo eſt aliis. Immo & ſalutatio prohibita eſt, quoties inſuper iure Eccleſiaſtico ſufficienter vetita eſt communicatio.

V. 12. & 13. Plura. Cetera coram; ubi vox ipſa doctoris plus ſolatii feret, quam Epiſtola. Salutant te. Græce, ut in Latino; alii, *Electa*, in vocativo.

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI TERTIA.

Gaium collaudat quod in veritate ambulet, & peregrinos humane excipiat, ſubdens de Diotrephis calumniis & inhumanitate ac Demetrio optimum perhibens teſtimonium ſubiungens ſe illum brevi inviſurum.

1. SENIOR Gaio chariſſimo, quem ego diligo in veritate,
2. Chariſſime, de omnibus orationem facio proſpere te
ingredi, & valere, ſicut proſpere agit anima tua. 3.
Gaviſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimo-
nium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate
ambulas. 4. * Maiorem horum non habeo gratiam,
quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. 5.
Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregri-
nos, 6. * qui teſtimonium reddiderunt caritati tuæ in conſpectu Eccleſiæ:
† quos, benefaciens, deduces digne Deo: 7. pro nomine enim eius profe-
cti ſunt, nihil accipientes a Gentibus. 8. Nos ergo debemus ſuſcipere hu-
iuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis. 9. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ:
* ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos: 10.
propter hoc ſi venero, * commonebo eius opera, quæ facit verbis malignis
garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant: neque ipſe ſuſcipit fratres;
& eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eiicit. 11. Chariſſime, no-
li imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui benefacit, ex Deo eſt: * qui
malefacit, non vidit Deum. 12. Demetrio teſtimonium redditur ab omni-
bus, & ab ipſa veritate, & nos teſtimonium perhibemus: & noſti quoniam
teſtimonium noſtrum verum eſt. 13. Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui
per atramentum & calamum ſcribere tibi. 14. Spero autem protinus te vi-
dere, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos
nominatim.

BRU-

Digitized by Google

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 4. *Maiorem horum non habeo gratiam.* Non mutes *maiorem gratiam* eum *maius gaudium*, quod quidam faciunt. Lege, ſi placet, Notationes noſtras.

Verſ. 6. *Qui teſtimonium reddiderunt caritati tuæ.* Non omittas primum *qui*.

Verſ. 9. *Sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes.* Nominis huius proptir antepenultima littera eſt φ *phi* adſpirata, non π *pi* tenuis.

Verſ. 10. *Commonebo eius opera.* Non ſcribas *commoneam.*

Verſ. 11. *Qui male facit non vidit Deum.* Non mutes nomen *Deum* in pronomen *eum.*

LECTIONUM VARIETAS.

Verſ. 6. QUos, *benefaciens, deduces digne Deo.* Non pauci boni libri conformiter Græco e converſo, *benefacies* verbum, *deducens* participium legunt.

NOTATIO.

Verſ. 1. MAiorem *horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Regia editio ex Complutenſi oriunda legit ita ut Græce eſt: *Maius horum non habeo gaudium, quam &c.* Atqui Interpres pro χαρὰν *gaudium*, viciniſſimam vocem χάριν, quæ *gratiam* ſignificat legiſſe videtur: quæ & in decimo Pariſienſium Græco exemplari extat. Inſolitus loquendi modus, facile tamen obvio ſenſu: *Maiorem horum non habeo gratiam*, pro, nihil mihi perinde gratum eſt, ut quod audiam &c.

COMMENTARIA.

GAGNAEI.

Verſ. 2. CHARISSIME DE OMNIBUS ORATIONEM FACIO PROSPERE TE INGREDI. Græc. eſt, ἀγαπητὲ περὶ πάντων εὔχομαί σε εὐοδοῦσθαι καὶ ὑγιαίνειν καθὼς εὐοδοῦταί σου ἡ ψυχή: εὔχομαι autem quod optare & orare ſignificat utroque modo ſumi poteſt, *opto* ſive *oro in omnibus negotiis tuis proſpere ut agas & recte valeas, ſicut proſpere agit anima tua;* id eſt, ſicut animo vales, ita opto, & oro, ut quod ad cetera negotia tua attinet proſpere habeas, ac recte valeas.

V. 4. MAIOREM HORUM NON HABEO GRATIAM. Interpres legit χάριν, id eſt *gratiam*. Græca quæ nunc extant, habent χαρὰν id eſt *gaudium*, & hoc modo ſenſus eſt: maiorem nulla ex re lætitiam capio, quam cum audio filios meos in veritate ambulare, primo modo: maiorem mihi gratiam præſtare non poſſunt filii mei, mei, quam ſi eos audiam in veritate ambulare.

V. 5. & deinceps. FIDELITER FACIS. Græce τὸ πιστὸν, id eſt rem fideli dignam facis, QUICQUID OPERARIS IN FRATRES: QUOS BENEFACIES, DEDUCENS DIGNE DEO, Græc. προπέμψας, id eſt ſi comitatus fueris aut honoris gratia deduxeris, *digne Deo*, id eſt pro dignitate quæ Deo credentes decet. SCRIPSISSEM. Græc. ἔγραψα, id eſt *ſcripſi*: Interpres legit ἔγραψα ἄν, id eſt *ſcripſiſſem*. Reliqua ſunt facilia, niſi quod pro COMMONEBO eſt ὑπομνήσω, quod ſignificat ſuggeram, vel in memoriam reducam, pro EOS QUI SUSCIPIUNT eſt, τοὺς βουλομένους, id eſt volentes ſuſcipere.

SA.

LAudat Caii fidem & caritatem, hortaturque, ut perſeveret.

V. 1. GAIO: de quo Rom. XVI. & I. Cor. I.

V. 2. DE; pro, in. ORATIONEM FACIO, id eſt Deum oro. PROSPERE, &c. quaſi dicat, Ut ſemper proſpere agas & valeas, ut nunc proſpere agis.

V. 3.

Digitized by Google

V. 3. VERITATI, id eſt fidei, vel ſanctitati.

V. 4. GRATIAM. Græc. & Complut. *gaudium*.

V. 5. FIDELITER, id eſt ut decet fidelem, ſcilicet Chriſtianam. ET HOC; pro, præſertim.

V. 6. DEDUCES, ſcilicet cum honore & viatico. DEO: pro, Dei cultu; quaſi dicat, Ut par eſt facere Deo ſervientes.

V. 9. SCRIPSISSEM FORSITAN. Græc. *ſcripſi*. AMAT, id eſt optat, ſeu ambit. PRIMATUM, &c. id eſt perfici, ſeu primas tenere.

V. 10. COMMONEBO, id eſt reducam in mentem, ſeu arguam, & convincam. SUSPICIUNT. Græc. *volunt ſuſcipere*. ECCLESIA, id eſt fratrum congregatione.

V. 11. VIDIT, id eſt novit.

MARIANAE.

Verſ. 1. SENIOR. Græc. *Præsbyter*. De quo Epiſtola ſuperiori. GAIO CHARISSIMO. Græc. *Gaio dilecto*. Alii ſcribunt, *Caio*. An hic eſt ille *Caius*, ad quem extat Dionyſii Epiſtola? Pachymerius in eam Epiſtolam ait; nec ego reiicio. Vir magnus & ſanctus, ut ex hac Epiſtola conſtat.

V. 2. DE OMNIBUS ORATIONEM FACIO PROSPERE TE INGREDI, id eſt oro ut in omnibus proſpereris. Gotth. *per omnia opto te bene agere*; εὔχομαι *orare* ſignificat & *optare*. Græc. *oro* ſeu *opto in omnibus te proſpere agere*. SICUT PROSPERE AGIT ANIMA TUA, id eſt ut tua probitas meretur.

V. 4. MAIOREM HORUM NON HABEO GRATIAM, id eſt nihil mihi gratius eſt. Gotth. *maius horum non habeo gaudium*: ſic Græc. noſter pro χάρας, id eſt *gaudium*, legit χάριν, id eſt *gratiam*: ſed pro *maiorem horum*, legendum *huius*, ut eſt in aliquo Græco codice. Summa, ſingulare gaudium capio, cum audio filios meos recte procedere. Bene facis cum fratres recipis.

V. 6 DEDUCES DIGNE DEO, ut Deo placet, iuvans illos viatico. Id ſignificat *deducere*.

V. 9. SCRIPSISSEM FORSITAN ECCLESIAE. Græc. *ſcripſi Eccleſiæ*, pro ἔγραψα, noſter legit ἔγραψα ἄν, & eſt ea lectio multo aptior. SED IS, QUI AMAT PRIMATUM, ambitionem incuſat. DIOTREPHES. Sic lege, non *Diotrepes*, ut Lovan. & Regia. SI venero,

V. 10. COMMONEBO, ὑπομνήσω, *increpabo*, arguam eius opera.

V. 11. QUI MALEFACIT, NON VIDIT DEUM, id eſt non novit perfecte, & ut oportet.

V. 14. SALUTA AMICOS NOMINATIM, id eſt ſigillatim.

MENOCHII.

Verſ. 1. SENIOR: vide dicta epiſt. ſuperiori num. 1. GAIO. Auctores paſſim cenſent Caium hunc fuiſſe Corinthium illum, cuius mentionem facit S. Paulus ad Rom. XVI. 23. cum ait: *Salutat vos Caius hoſpes meus*, & ad Corinth. ep. 1. 14. *Neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum, & Caium*. IN VERITATE: ex animo, & ſincere.

V. 2. DE OMNIBUS, &c. Senſus eſt, *ſicut animo bene habes, ita opto te per omnia bene habere*, ut interpretatur Vatablus. Itaque *de omnibus*, idem eſt ac *in omnibus*. ORATIONEM FACIO: εὔχομαι, opto, voveo, oro. PROSPERE TE INGREDI: in omnibus tuis negotiis, & actibus proſpere agere. SICUT PROSPERE AGIT ANIMA TUA: ſicut animo vales.

V. 3. VERITATI TUAE: veritati fidei, caritatis, beneficentiæ, & morum tuorum probatorum. SICUT TU IN VERITATE AMBULAS; quaſi dicat: Cognovi ex fratribus te in veritate fidei ambulare, veram habere caritatem, &c. Vis particulæ *ſicut* bene explicatur Ital. phraſi: *Ho inteſo come caminate bene*, &c.

V. 4. MAIOREM HORUM, id eſt maiorem hac: eſt Græciſmus. NON HABEO GRATIAM. Interpres legit, χαρὰν, ſed multi codices legunt χάριν, id eſt *gaudium*. Unde Syrus: *Maior illa lætitia nulla mihi eſt, quam ut audiam filios meos ambulare in veritate*. IN VERITATE; vide dicta verſ. præcedenti.

V. 5. FIDELITER FACITIS, id eſt ut decet fidelem, ſcilicet Chriſtianum. Vatablus, *facis rem tua fide dignam*. Vel ſenſus eſt: Fidelis es Chriſto, nam fidelitatem quam Chriſto in baptiſmo ſpopondiſti, re ipſa præſtas. Spopondiſti autem te vitam iuxta Chriſti præcepta inſtituturum.

QUID-

QUIDQUID OPERARIS IN FRATRES, &c. quidquid facis in obſequium fratrum, ac præcipue peregrinorum.

V. 6. QUIS TESTIMONIUM REDDIDERUNT, &c. qui peregrini ad ſuas Eccleſias in patriam reverſi laudibus celebrarunt omnibus audientibus caritatem tuam. QUOS BENEFACIENS DEDUCES: quos ſi inſtruere perrexeris rebus neceſſariis ad iter, beneficeris, verbi gratia addendo itineris comites contra latrones, dando litteras commendatitias, viatico iuvando, &c. DIGNE DEO: liberaliter, ut decet eum facere, qui amore Dei hæc faciat, & ſciat quæcumque proximis pauperibus tribuuntur Deo tribui. *Quod uni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis:* Matth. XXV. 40.

V. 7. PRO NOMINE EIUS: ut ſcilicet Evangelium prædicent, vel quia pro nomine eius exilio mulctati ſunt, aut quavis alia pietatis cauſa hoc iter ſuſceperunt. NIHIL ACCIPIENTES A GENTIBUS: quia gratis Gentibus prædicant Evangelium, ne videantur quæſtum aucupari ex Evangelio. Vel quia cum ſint Chriſtiani, nullum cum Gentilibus commercium habere voluerunt, nec illorum opibus ſuſtentari.

V. 8. UT COOPERATORES SIMUS VERITATIS: miniſtrando neceſſaria illis qui veritatem prædicant.

V. 9. SED IS QUI AMAT PRIMATUM GERERE IN EIS, id eſt inter fideles. Videtur Diotrephes vir potens fuiſſe, inſolens, & arrogans, qui in Eccleſia dominari, fidelibus præeſſe, ſibique ius Epiſcopale arrogare ſatagebat. Aliqui cenſent fuiſſe Epiſcopum, qui ſancti Ioannis Apoſtolatum non reciperet, nec illi ſubdi vellet, aut eius monita, litteras, aut præcepta accipere, & effecta dare.

V. 10. COMMONEBO OPERA EIUS: ὑπομνήσω, quod Vatablus, & Pagninus vertunt *Indicabo*, Budæus vero in commentariis linguæ Græcæ *Iudicabo*, eſt enim verbum forenſe. Syrus, *meminero operum eius*. VERBIS MALIGNIS GARRIENS IN NOS, id eſt calumnias in me coniiciens, ſed inanes, quod indicat verbum Græcum φλυαρῶν, quod *nugari* ſignificat. FRATRES: Chriſtianos. DE ECCLESIA EIICIT: tum de loco, & cœtu Eccleſiæ, præſertim in Agape, & convivio poſt Euchariſtiam; tum de ipſa fidelium congregatione per excommunicationem.

V. 11. NOLI IMITARI MALUM: exemplum Diotrephis, aut cuiuſcumque alterius male agentis. EX DEO EST: Dei filius, & ex parte Dei. NON VIDIT DEUM, Deum practice non novit, nec quomodo gerere ſe debeat verus veri Dei cultor. Alludit ad illud primæ Epiſt. cap. III. 6. *Omnis qui peccat non vidit Deum.*

V. 12. DEMETRIO TESTIMONIUM PERHIBETUR AB OMNIBUS: de hoſpitalitate, probitate, & ceteris virtutibus Chriſtianis. ET AB IPSA VERITATE: vere enim eius facta conſentiunt famæ.

V. 13. NOLUI PER ATRAMENTUM, ET CALAMUM: nolui ea chartæ committere quia brevi coram loquemur inter nos.

V. 14. PAX TIBI: uſitata Hebræis ſalutatio, qua omne felicitatis genus precantur.

T I R I N I.

Verſ. 1. SENIOR *a* Ioannes ſalutem dicit GAIO, nempe famoſo *Corinthio*, *b* hoſpiti S. Pauli *c* & ceterorum diſcipulorum Chriſti. Ita paſſim interpres: excepto Onuphrio, qui Romanum facit; & Lucio Dextro, qui Hiſpanum: uterque tertium vult fuiſſe Mediolanenſem Epiſcopum; Dorotheus, Epheſinum; Sedulius *d*, Theſſalonicenſem: Mariana & Serarius volunt eumdem eſſe cum illo *Gaio therapeuta*, ſeu aſceta, ad quem S. Dionyſius Areopagita priores quatuor epiſtolas ſuas conſcripſit. Idem cenſet Maximus & Georgius Pachymeres S. Dionyſii paraphraſtes, & Dionyſius Carthuſianus. Quod ſi ita eſt, fuerit hic *Gaius* vir ſane ſublimis & egregie ſanctus.

V. 2. ORATIONEM FACIO; Græce, εὔχομαι, id eſt oro, voveo, PROSPERE TE INGREDI, id eſt, proſperari, fortunari, DE OMNIBUS, ſeu in omnibus & per omnia, SICUT PROSPERE AGIT ANIMA TUA, id eſt, tu ipſe ſecundum animam & corpus; quaſi dicat: Opto tibi feliciſſime cedant omnia quæ familiam tuam, negotia, proventus & opes concernunt, ſicut audio te optime habere. Qui enim benedixit Noe, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Iobo, Ruthæ, Obededom, Iudithæ *e*, aliiſque hoſpitalitati addictis, oro ut etiam benedicat *f*, *coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui repleantur ubertate.*

V. 3. & 4. Per *veritatem* intelligit ſinceritatem tum fidei, tum morum. MAIO-

REM HORUM; græciſmus eſt, pro, maiorem his, NON HABEO, accipere a vobis poſſim GRATIAM, ſeu beneficium.

V. 5. FIDELITER FACIS. Græce, πιςὸν ποιεῖς, id eſt *quod fidelem*, ſeu Chriſtianum, *decet facis:* hoſpitalitate enim commendatiſſimi erant olim Chriſtiani, teſte etiam Luciano *g* licet Gentili.

V. 6. Quos peregrinos DEDUCES tua hoſpitalitate per iter ſuum; id eſt, facies commode proſequi iter ſuum & DIGNE, Syrus, *decenter*, DEO, (cuius ipſi ſunt famuli, filii & legati,) ſi ſic perrexerit BENEFACIENS eis, inquit Lorinus.

V. 7. PRO NOMINE ENIM Dei propagando per annuntiationem Evangelii PROFECTI SUNT, inquit Beda, NIHIL ſtipendii vel ſubſidii ACCIPIENTES vel admittentes A GENTIBUS, ne videantur quæſtum aucupari ex Evangelio. Unde iure merito,

V. 8. DEBEMUS NOS SUSCIPERE, fovere, omni officio & obſequio proſequi HUIUSMODI præcones Evangelii, UT miniſtrando illis, COOPERATORES, & conſequenter comparticipes, SIMUS VERITATIS, alieno ore & opera illam promulgantes, inquit Lyranus.

V. 9. QUI AMAT, id eſt affectat & ambit, PRIMATUM GERERE, id eſt Epiſcopum agere, IN EIS, id [eſt] inter fideles Corinthios, DIOTREPHES (quod *a Iove nutritum* ſignificat: ſed erat nomen proprium ſuperbi huius thraſonis) NON RECIPIT, non agnoſcit, non admittit, NOS, noſtraſque litteras, noſtra præcepta, noſtram auctoritatem, noſtros confratres.

Nota, ſolere olim Epiſcopum, vel, Epiſcopo abſente, eius vicarium (qualis videtur fuiſſe Corinthi hic Diotrephes,) epiſtolas, ſeu Apoſtolorum, ſeu aliorum Prælatorum, quæ Eccleſiæ alicui in commune deſtinabantur, publice in Eccleſia prælegere: ut fit etiamnum in Miſſa ante Evangelium: & hæc erat quaſi teſſera amicitiæ & communionis in eadem fidei doctrina. Quod ſi Epiſcopo vel vicario litteræ miſſæ non probarentur, ſupprimebat eas: ut hic faciebat litteris amicorum S. Ioannis ambitioſus Diotrephes, hoc ipſo deſignans, nolle ſe quidquam cum illis, vel cum S. Ioanne commune habere. Sed

V. 10. COMMONEBO EIUS OPERA; Syrus, *meminero*, recordabor *eorum* QUÆ FECIT; Vatablus & Pagninus, *indicabo*, in lucem proferam, cunctis nota faciam. Lucius Dexter *h* ait, illum ab officio depoſitum fuiſſe. NEQUE IPSE SUSCIPIT vel in hoſpitium, vel ad Euchariſtiæ diſtributionem, vel ad agapen, ſeu ſacrum convivium poſt Euchariſtiam exhiberi ſolitum, admittit FRATRES in orthodoxa fide nobiſcum communicantes: ET EOS QUI SUSCIPIUNT, ſeu (ut aliqui codices Græci legunt,) *qui volunt ſuſcipere*, EIICIT DE ECCLESIA, id eſt, de cœtu, ſeu congregatione fidelium, excommunicando eos, inquit Dionyſius: cum potius ipſe excommunicandus eſſet.

V. 11. QUI BENEFACIT proximo, EX DEO EST per fidem & caritatem natus, Dei filius imitator, eiuſdem cum Deo genii & moris. Qui vero MALEFACIT proximo, tantum abeſt ex Deo ſit, ut *ne* quidem *videat*, ſeu per vivam fidem agnoſcat, DEUM, ut alias *i* dixit: & conſequenter non agnoſcetur a Deo dicturo *k* in iudicio, *Numquam novi vos: diſcedite a me*, &c.

V. 12. DEMETRIO fratri tuo (inquit Lucius Dexter *l*) TESTIMONIUM beneficentiæ & pietatis REDDITUR AB OMNIBUS Chriſtianis, teſtimonio deſumpto non ab adulatione, vel falſa opinione, ſed AB IPSA VERITATE, id eſt a re ipſa veriſſima ac teſtatiſſima, nempe ex ipſis eius factis, ac benefactis, quæ oculis omnium patent & per ſe clamant. Catharinus & Salmeron inſinuant hunc *Demetrium* fuiſſe Epiſcopum alicuius provinciæ Aſianæ Serarius ſuſpicatur fuiſſe illum ipſum qui olim præfectus artificum templi Dianæ, Epheſi (unde hanc epiſtolam ſcribit S. Ioannes) contra S. Paulum *m* ſeditionem concitavit: ſed poſtea pœnitens, perſecutionem in hoſpitalitatem, perfidiam in propagationem fidei commutarit, ſed ſuſpicionem optarim teſtimonio alicuius, ſeu Patris, ſeu noti hiſtorici comprobari.

(a) Ioan. ep. II. I.
(b) Rom. VI. 23.
(c) I. Cor. I. 14.
(d) Onuph. in Chronico. L. Dexte. in Chron. anno Chriſti 34. & 70. Doroth. in Synopſi. Sedul in Rom. x.
(e) Gen. IX. I. Gen. XXII. 17. Gen. XXV. 19. Gen. XXXII. 29. Iob I. 10. ult. verſ. 12 Ruth. III. 10. II. Reg. VI 11. Iudith. XIII. 23.
(f) Pſal. LXIV. 12.
(g) Lucian. in Peregrino.
(h) Luc Dexter. ſup.
(i) I. Ioan. III. 6.
(k) Matt. VII. 23.
(l) Luc. Dexter. ſup.
(m) Actor. XIX. 24.

GOR

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1. SENIOR: provectæ ætatis. IN
2. 3. VERITATE, ſyncere. Orat, ut valeat, & feliciter progrediatur in veritate, hoc eſt, fide & caritate. Gratulatur de filiis, verſ. 4. laudat hoſpitalitatem, verſ. 5. & 6. QUOS BENEFACIENS, hoc eſt, quibus ſi benefacere pergas, iuvando eos viatico, aliiſque modis, facies rem Deo gratam, & ut convenit eum facere, qui Deo ſervit. Hinc verſ. 7. addit, hos quos commendat, Dei cauſam ſuſtinere, & nihil petere a gentibus, ſed gratis illos prædicare Evangelium.

V. 9. SCRIPSISSEM FORSITAN. Aliqui legunt, *ſcripſi*, ἔγραψα. Recte noſter interpres, *ſcripſiſſem*, quod ex inſequenti contextu ſatis apparet. Non enim ſcripſit ad Eccleſias; nec extat talis Epiſtola. Noſter ergo legit ἔγραψα ἄν, vel certe recte intellexit; ſubaudi τὸ ἄν. Hunc Diotrephen putant aliqui fuiſſe ibi Epiſcopum; ſed arrogantem contemptorem Apoſtolatus S. Ioannis. Aliis magis placet fuiſſe virum potentem, inſolentem, & uſurpatorem iuris Epiſcopalis. COMMONEBO (verſ. 10.) ὑπομνήσω, *iudicabo*, ex Budæo: verbum eſt forenſe. *Garriens*, *non videt*, verſ. 11. practice, velut nugator ſimul & calumniator.

V. 12. DEMETRIO. Laudatur a Chriſtianis virtutibus: & vera eſt fama hæc, utpote factis conſentiens.

EPISTOLA CATHOLICA BEATI IUDAE APOSTOLI.

IUDAS *Thaddæi & Lebbæi cognomine, frater Iacobi minoris, hanc ſcripſit Epiſtolam, quæ catholica nominatur, quod illa ad fideles omnes orbis Chriſtiani ſcripta ſit. Stylus eſt figuratus, idem fere qui ſecundæ Epiſtolæ Petri Apoſtoli, cuius eſt velut epitome; iiſdem pene verbis utitur, eaſdem adhibet figuras, adverſus eoſdem hæreticos eſt perſcripta. Atque inde colligit Auctor Analyſeos Gallicæ priorem Petri Epiſtolam ad omnes ſine diſcrimine Catholicos exaratam fuiſſe: nam duæ Petri Epiſtolæ ad eoſdem diriguntur, ut concludi poteſt ex cap.* III. *ſecundæ Epiſtolæ*: Hanc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo Epiſtolam. *Ad eos ipſos Epiſtola Iudæ dirigitur, ut liquet ex verſ.* 17. *&* 18. Memores eſtote verborum quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores. *Cum itaque Epiſtola Iudæ ad fideles omnes dirigatur, hinc ſequi videtur Petri quoque Epiſtolas ad omnes Chriſtianos ſine diſcrimine ſcriptas fuiſſe. Unde Iudas fideles ad quos ſcribit, in horum memoriam redigit, quæ princeps Apoſtolorum de hæreticis, qui extremis temporibus venturi ſunt, admonuerat. Sic ambo Apoſtoli duas extremas hæreſes indicant, primam Simonianorum, & Antichriſti ultimam. Quo quidem Eccleſiæ perpetuitatem ſine interruptione continuatam demonſtrat. Omnes enim hæreſes adverſus Eccleſiam Catholicam prodierunt, atque adeo hæc ad finem uſque ſæculorum perſtabit. Hanc Epiſtolam citat Origenes Tomo* IX. *&* XVII. *in Matthæum, Clemens Alex. in L. Hypotypoſeon, & alibi. Patres pene omnes quarti ſæculi eam ut Canonicam agnoverunt: etſi nonnulli, teſte Euſebio* L. II. *cap.* XXIII. *an eſſet genuina, dubitarunt. Hinc Hieron.* L. *de viris illuſtr.* Et qui de libro Henoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a pleriſque reiicitur, & tamen auctoritas-

ritatem vetuſtate iam & uſu meruit, atque inter ſanctas ſcripturas computatur.

Quod autem librum apocryphum Henoch, & alterum itidem de aſcenſione Moſis in montem citat, nihil propterea de eius auctoritate decedit. Nam in libris apocryphis quædam vera eſſe potuerunt, quæ aſpirante Spiritu ſancto Iudas a fabulis ſeiunxit. Libri erant tum temporis celebres, quos citare potuit ut ab omnibus receptos, quo eorum animis altius imprimeret, quæ adverſus hæreticos ſcribebat: ita vir perdoctus. Adde illud quoque, hanc Prophetiam Henoch traditione maiorum ad Iudam uſque fortaſſis perveniſſe, vel tum extitiſſe librum aliquem Henoch *nomine inſcriptum, diverſum ab apocrypho, cui abſurda quædam ſunt inſerta. Iam ad textum ipſum veniamus.*

Monet ut firmi ſint in tradita ſemel fide adverſus inſurgentes impios ac laſcivos, ſubdens de horum ſupplicio in modum Iudæorum ac Sodomorum: nam & hi nullum veriti, effræne feruntur in omnem carnis concupiſcentiam, quos diverſis rebus comparat: & iſtos ad Enoch ac Apoſtolorum de illis vaticinia revocat.

1. IUDAS Ieſu Chriſti ſervus, frater autem Iacobi, his,
qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Ieſu conſer-
vatis, & vocatis. 2. Miſericordia vobis, & pax, &
caritas adimpleatur. 3. Chariſſimi, omnem ſolicitudi-
nem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute,
neceſſe habui ſcribere vobis: *deprecans ſupercertati ſe-
mel traditæ ſanctis fidei. 4. Subintroierunt enim qui-
dam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impii, Dei noſtri
gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem & Dominum no-
ſtrum Ieſum Chriſtum negantes. 5. Commonere autem vos volo, ſcientes
ſemel omnia, quoniam Ieſus populum de terra Ægypti ſalvans, (*a*) ſe-
cundo eos, qui non crediderunt, perdidit. 6. Angelos vero, qui non ſer-
vaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudi-
cium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit. 7. Sicut Sodo-
ma, & Gomorrha, & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeun-
tes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſti-
nentes. 8. Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem
ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant. 9. (*b*) Cum Michael Archange-
lus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iu-
dicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit: Imperet tibi Dominus. 10. Hi au-
tem, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem natura-
liter, tamquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. 11. * Væ il-
lis,

lis, quia in (*c*) via Cain abierunt, & (*d*) errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione (*e*) Core perierunt. 12. Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes,* nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, 13. fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. 14. * Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens: (*f*) Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis 15. facere iudicium contra omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, *quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii. 16. Hi ſunt murmuratores, querulosi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, (*g*)* & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus cauſa. 17. Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, (*h*) quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Ieſu Chriſti, 18. qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus. 19. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes. 20. Vos autem chariſſimi, *ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, 21. voſmetipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti in vitam æternam. 22. Et hos quidem arguite iudicatos: 23. illos vero ſalvate, de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam. 24. Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ *immaculatos in exultatione † in adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti, 25. ſoli Deo Salvatori noſtro, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

(a) Num. xiv. 37. (b) Zach. iii. 2. (c) Gen. iv. 8. (d) Num. xxii. 23. (e) Num. xvi. 1. II. Petr. ii. 17. (f) Apoc. i. 7. (g) Pſalm. xvi. 10. (h) I. Tim. iv. 1. II. Tim. iii. 1. II. Petr. iii. 3.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

Verſ. 3. *Deprecans ſupercertari ſemel traditæ Sanctis fidei.* Nihil opus eſt activa forma ſcribere *ſupercertare*: Interpres enim uſus eſt verbo *ſupercertari*, ut deponenti, quemadmodum alias.

Verſ. 11. *Væ illis quia in via Cain abierunt.* Non mutes coniunctionem *quia* in pronomen *qui*.

Verſ. 12. *Nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur.* Nec hic mutandum verbum *circumferuntur* in *conferuntur*.

Verſ. 14. *Prophetavit autem & de his.* Non omittas medium &.

Verſ. 15. *Quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.* Correctores maluerunt nomen *Deum* quam pronomen *eum*.

Verſ. 16. *Et os eorum loquitur ſuperba.* Servandum eſt adiectivum *ſuperba* non ſubſtituendum ſubſtantivum *ſuperbiam*.

Verſ. 20. *Superædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei.* Patres prætulerunt pronomen ſecundæ perſonæ *veſtræ* pronomini primæ perſonæ *noſtræ*.

Verſ. 24. *Immaculatos in exultatione*, Cave omittas illud *in exultatione*.

Lectionum Varietas.

Verſ. 24. I*N adventu Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Hæc verba omittuntur a non-

nonnullis manuſcriptis, & uno quidem huius Eccleſiæ, ſuffragante Græco.

Notationes.

Verſ. 3. **D**eprecans *ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.* Duo exemplaria *ſupercertare* legunt; quo modo id quod Græce eſt ἐπαγωνίζεσθαι rectius vertas. Ceterum potuerit Interpres *ſupercertari* id quod in pleriſque eſt libris, ut deponenti verbo uſus eſſe, quemadmodum in Sapientiæ xv. 9. & Eccleſiaſtici IV. 33. XI. 9. XXXVIII. 29. libris aliquoties *certari* & *concertari*, cui ſententiæ B. Thomæ commentarius ſuffragatur.

V. 12. *Nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur.* Latinus Regii operis textus *conferuntur* habet pro *circumferuntur*, quod in aliis eſt libris. Græcorum codicum quidam, Regius nominatim παραφερόμεναι, alii περιφερόμεναι legunt. Illud Latino Regis textui, utrumque ceteris Latinis libris non male convenit.

C O M M E N T A R I A.

GAGNAEI.

Verſ. 1. & 2. **I**UDAS IESU CHRISTI SERVUS, FRATER AUTEM IACOBI, &c. Iudas is eſt, quem ad differentiam Iſchariotæ Matthæus & Marcus Thaddæum appellant. Iudas ergo iis, inquit, QUI SUNT IN DEO PATRE DILECTIS, &c. ſalutem: pro *dilectis* Eraſmus vertit *ſanctificatis*, aſſerens Græc. habere ἡγιασμένοις: at textus Veronenſis habet ἠγαπημένοις, id eſt *dilectis:* & ſcolia ſimiliter exponunt. ET IESU CHRISTO CONSERVATIS, id eſt per Ieſum Chriſtum conſervatis; ut dativus Græc. iungatur cum ἐν, id eſt *in*, & pro ablativo ponatur non dativo. Non multum autem refert ad ſenſum. Pro ADIMPLEATUR, Græca quæ nunc extant legunt πληθυνθείη, id eſt *multiplicetur:* interpres legit πληρωθείη.

V. 3. OMNEM SOLLICITUDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS. Græca habent, πᾶσαν σπουδὴν ποιούμενος γράφειν ὑμῖν περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, ἀνάγκην ἔσχον γράψαι ὑμῖν, quo loco τὸ περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, &c. referri poteſt ad τὸ γράφειν, & tunc ſenſus eſt, quum vehementi deſiderio tenerer ſcribendi ad vos de communi veſtra ſalute, neceſſarium duxi vobis ſcribere. Poteſt etiam referri ad τὸ ἀνάγκην ἔσχον, & tunc ſenſus eſt: Quum vehementi deſiderio ad vos ſcribendi tenerer, neceſſarium duxi de communi veſtra ſalute ad vos ſcribere. DEPRECANS SUPERCERTARI, &c. Obſcura eſt hæc ſententia: græca habent παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει. Eraſmus in annotationibus putat & aſſerit τὸ τοῖς ἁγίοις, id eſt *ſanctis* referri ad ἐπαγωνίζεσθαι, non ad τὸ τῇ πίστει; ſed repugnat opinioni Eraſmi, quod τὸ τοῖς ἁγίοις, mediat inter τὸ τῇ παραδοθείσῃ, & τῇ πίστει, & ἐπαγωνίζεσθαι ad viciniorem dativum, ſcilicet τῇ παραδοθείσῃ πίστει referri debet. Mihi autem videtur hic ἐπαγωνίζεσθαι ſumi pro laborare ac certare, & ἐπὶ, in compoſitione cum dativo idem ſignificare quod pro, & tunc τὸ ἐπαγωνίζεσθαι referri poteſt vel ad Iudæ perſonam, vel ad perſonam eorum ad quos ſcribit: primo modo ſenſus eſt, obſecrans non modo ut ſcribam, ſed ut laborem vel decertem pro fide quæ ſanctis tradita eſt: vel obſecrans aut adhortans; utrumque enim ſignificat τὸ παρακαλῶν, ut laboretis ac decertetis pro fide, quæ ſemel tradita eſt ſanctis; nec temere poſitum eſt ſemel tradita; quaſi diceret, Ne quærite aliam poſthac fidem, quam quæ ſanctis tradita eſt.

V. 4. SUBINTROIERUNT ENIM QUIDAM HOMINES. Græc. παρεισῆλθον, quod verbum miror non ſemel ab Eraſmo verſum eſſe per obiter; quum παρά hoc loco in compoſitione ſignificet clam & latenter, quod hæreticis quadrat: qui non ſtatim ſuas hæreſes vomunt, ſed inter Chriſtianos & fideles clam ſe inſinuant: certe *ſub*, in propoſitione idem ſignificat quod παρὰ, id eſt *clam*; *ſubintroierunt* ergo *quidam* IMPII: QUI PRAESCRIPTI ERANT AD HOC IUDICIUM, id eſt de quibus olim præſcriptum & prænunciatum erat quod ita de Chriſto impie opinaturi & iudicaturi erant, vel præſcripti in hoc iudicium, id eſt in hanc damnationem prædeſtinati, quaſi dicas in hunc reprobum ſenſum, quæ illis eſt peccatorum pœna, olim prædeſtinati. DOMINI GRATIAM TRANSFERENTES IN

LU-

LUXURIAM; id eſt Domini gratia, quæ non ſtatim in peccantes animadvertit, ut quondam lex Moſaica abutentes ad ſuas luxurias impune (ut putant) perpetrandas. Didymus hic hæreticos notari aſſerit, qui prætextu divinæ gratiæ prædicatæ, & libertatis evangelicæ omnem permittebant luxuriam, illi impenſiſſime ipſi vacantes. Certe græca ſcholia Nicolaitarum, Valentinianorum, & Marcioniſtarum flagitioſam libidinem his verbis taxari aiunt, de quibus dicit Apoſtolus, SOLUM DOMINATOREM ET DOMINUM NOSTRUM IESUM CHRISTUM NEGANTES. Græca habent, *τὸν μόνον δεσπότην θεὸν ϗ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι*; hoc eſt, *ſolum Dominatorem Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes*. Eraſmus exponit, Deum qui ſolus eſt herus, ut Deus dicatur pater; ſed græci cum patrem ſignificant, articulum addere ſolent, qui hic deeſt; ideo utrumque de Chriſto intelligendum eſt, qui ſolus *δεσπότης*, id eſt Dominus, & *κύριος*, id eſt dominator & auctoritate valens dicitur: non quod ſolus excludat patrem & ſpititum ſanctum; ſicut pater ſolus bonus non excludit bonum filium, neque ſpiritum ſanctum.

V. 5. COMMONERE AUTEM VOS VOLO SCIENTES SEMEL OMNIA. Interpres pro omnia legit *πάντα*; Græca quæ nunc extant habent *τοῦτο*, id eſt *hoc*: & pro *commonere* græce eſt *ὑπομνῆσαι* quod ſignificat in memoriam reducere: dicit ergo, non volo vos docere; quaſi plane ignorantes, ſed in memoriam reducere id quod ſemel ſciviſtis, quod Ieſus ſive Dominus, ut nunc græca habent, populum de terra AEgypti ſalvans, ſecundo, eos qui non crediderunt in deſerto perdidit: hoc autem exemplum divinæ iuſtitiæ & ſequentia illis inculcat, ut a peccatis iis exemplis edocti abſtineant.

V. 6. & 7. ANGELOS AUTEM QUI NON SERVAVERUNT SUUM PRINCIPATUM. Gr. *τὴν ἀρχὴν* quod principatum & dignitatem ſignificare poteſt, & originem, hoc eſt, qui dignitatem ſuam non retinuerunt, vel qui non ſervaverunt primævam ſuam originem in qua erant conditi, ſed reliquerunt ſuum domicilium, habitationem ſcilicet cæleſtem, aut Deum, in quo habitabant, eos, inquam, IN IUDICIUM MAGNI DIEI, VINCULIS AETERNIS SUB CALIGINE SERVAVIT: idem quod Petrus II. canon. II. quod angelis peccantibus non pepercit, ſed caliginoſis vinculis in tartarum detruſos, ad diem iudicii ſervavit cruciandos. Legendum eſt autem hoc loco magni diei, non magni Dei, ut corrupti codices habent: nam græce eſt *ἡμέρας*. Simile quoque exemplum iuſtitiæ divinæ adfert quod Petrus de Sodoma & Gomorrha, quos POST CARNEM ALTERAM abiiſſe dicit, id eſt, ut græca ſcholia aiunt, *maſculam*: quæ altera eſt, quia aliena neque congrua generationi, quia caro maſcula & fœminea quod ad generationem attinet, una caro ſunt; caro autem maſcula, & alia maſcula, duæ ſemper ſunt.

V. 8. SIMILITER ET II CARNEM QUIDEM MACULANT. Græci habent ante *τὸ* *carnem maculant*, *ἐνυπνιαζόμενοι*, id eſt *dormientes*, vel *inter ſomniandum*; alludit autem ad illuſiones & pollutiones nocturnas: quod vero eſt DOMINATIONEM SPERNUNT, ſimile eſt ei quod ante Petrus II. cap. II. ait, *dominationem contemnunt*: dominationem autem ſive græce *κυριότητα*, Hieronymus vocat dominos, quibus poteſtas eſt in ſubditos: Epiphanius Cypri Epiſcopus interpretatur divinæ naturæ auctoritatem. Quod vero interpres habet MAIESTATEM BLASPHEMANT, græci habent *δόξας*, Hyreneus *κυριότητα*, quod ante præceſſit & dominationem interpretatur, ſacrificium corporis dominici, quod ipſi contemnunt, dum impudiciiiis quibus vacant, illud conſpurcant: *δόξας* autem, id eſt glorias interpretatur vetus & novum teſtamentum, quod teſte Paulo ad Corinthios neutrum ſine gloria fuerit. Græca ſcholia *δόξας*, Eccleſiaſticas dignitates interpretantur. Dominationem ergo ſive Dei & Chriſti, ſive hominum in dignitate conſtitutorum ſpernunt: & maieſtatem, id eſt homines publica dignitate & auctoritate fungentes, blaſphemant.

V. 9. QUUM MICHAEL ARCHANGELUS. Græca paulo commodius nectunt ſententias; habent enim *ὁ δὲ Μιχαὴλ*; id eſt, *Michael* autem *Archangelus cum diabolo diſputans, dum altercaretur de corpore Moyſi, non eſt auſus inferre iudicium blaſphemiæ*, id eſt illum blaſphemare, illum conviciis & maledictis inceſſere, *ſed dixit: imperet tibi Deus*. Hic autem locus refertur ad id quod præceſſit, *maieſtatem blaſphe-*

phe-

Digitized by Google

phemant, & ad id quod ſequitur: *Ii autem quæcumque ignorant, blaſphemant*, &c. quaſi diceret, Non verentur neque Deum, neque homines, auctoritate ac dignitate volentes blaſphemare, quum interim Michael archangelus diabolum blaſphemiæ conviciis dignum, ſecum de Moyſi corpore altercantem non ſit auſus blaſphemare, ſed tantum illi dixit: *Imperet tibi Deus*, ſive increpet te Deus, nam ita græci legunt ἐπιτιμήσαι σοι, & Hieronymus adverſus Rufinum legit, *increpet tibi Deus*. Quomodo vero de Moyſi corpore, & quando altercatus ſit cum diabolo Michael, in Scripturis quæ extant, non legitur: ex Scriptura apocrypha ſumpſiſſe videtur Iudas. Beda aſſerit non deſore qui Moyſi corpus plebem Iudaicam interpretentur, cuius ille dux fuerit in terris, ſicut eccleſia gentium corpus Chriſti dicitur. Si de vero Moyſi corpore altercatum fuiſſe intelligatur, puto intelligendum eſſe quod corpus Moyſi ſuſtulerit angelus, ne illud mortuum adorarent poſthæc Iſraelitæ proni ad idololatriam; diabolum autem cum eo altercatum, ut in terris maneret: certe ut putem ſublatum ab angelo, adducor ex ea Scriptura, quæ babetur Deuter. ult. *Et non cognovit homo ſepulcrum eius uſque in præſentem diem.*

V. 10. Ii autem quaecumque quidem ignorant, blasphemant. Græca ſcholia ſic interpretantur: ὁυτοιδὲ περὶ δογμάτων ἃ ὐκ οἴδασι βλασφήμους συντίθιασι λόγυς; id eſt, hi autem de dogmatibus quæ non noverunt blaſphemos ſermones contexunt. Quaecumque autem naturaliter tamquam bruta animalia norunt, in iis corrumpuntur, id eſt in iis quæ naturaliter norunt, ſive quorum naturalem tantum cognitionem habent, corrumpuntur, non deliberantes an ea liceat necne. Pro eo autem quod interpres habent *norunt*, Græca habent ἐπίςανται, quod ſignificant norunt vel ſciunt potius: quum autem brutis ſcientia minime competat, ego puto veterem lectionem græcis fuiſſe ἐφίσανται, ſed φ in π verſum: ſignificat autem ἐφίσταμαι, inter alia appeto, quod huic loco maxime quadrabat: quæcunque autem naturaliter tamquam bruta animalia appetunt, in iis corrumpuntur, id eſt iis abutuntur uſque ad corruptionem animæ, & aliquando corporis interitum: certe græca ſcholia ἐπίστανται, ſicut interpretantur ὁσαδὶ φυσικῆ ὁρμῆ ἀδιακρίτως ὡς τὰ ἐπίστανται ζῶα, ταῦτα μεταδιώκουσι, ὡς ἱπποὶ θηλυμανεῖς, ἢ χοῖροι; id eſt temere ac ſine delectu: quæcumque autem naturali appetitione tamquam bruta animantia norunt, hæc ſectantur; velut inſanientes ſeminarumque appetentes equi, aut porci.

V. 11. Vae illis qui in viam Cain abierunt. Græca paulo ſecus habent ὅτι, id eſt *quia*. Væ illis ideo, quia in viam Cain abierunt, id eſt iter Cain ſecuti ſunt, dum præ invidia fratres interimunt ſive corporaliter, ſive ut Græca ſcholia explicant, pravis doctrinis ſpiritualiter. Et errore Balaam mercede effusi sunt; ubi τὸ *Balaam* non ad mercedem referri poteſt, quaſi dicas errore, ſive per errorem, Ballam mercede effuſi ſunt ſive circumfuſi; utrumque enim ſignificat τὸ ἐγχυομαι, quia ſicut lucri gratia maledicturus Iſraelitis venerat Balaam, ita lucri & quæſtus gratia perverſa annunciant dogmata. Vel errore Balaam effuſi ſunt mercede, hoc eſt propter mercedem ſive mercedis gratia; quaſi dicas, In ſimilem cum Balaam errorem defluxerunt & lapſi ſunt propter mercedem, id eſt dum quæſtum amant: quia ſicut mercedis gratia maledicturus Iſrael veniebat, ita iſti viros excellentes & conviciis laceſſunt, & ut prædixit, maieſtatem blaſphemant. Et in contradictione Core perierunt: id eſt, ſicut Core adverſus Moyſem erigere ſe volens & illi contradicere, periit: ita illi eccleſiæ rectoribus contradicentes, peribunt. Viſum eſt, optime lector, integram & pulchram eius loci expoſitionem adiungere, quam adſert Beda huiuſmodi: Viam Cain abeunt, qui propter invidiam meliorum nomen ſibi doctorum, quo honorificentur, aſſumunt. Et errore Balaam effuſi ſunt, qui pro amore terreſtrium commodorum, veritatem, quam ipſi norunt, impugnant. Contradictione Core, qui vivus ad inferna deſcendit, intereunt: quicumque appetitu indebiti primatus ſeſe ab unitate ſanctæ eccleſiæ ſecernunt, ſcienteſque & prævidentes quantum mali gerant, ad ſcelerum tamen tartara deſcendunt.

V. 12. Hi sunt in epulis suis maculae convivantes. Interpres pro *macula*

cula legiſſe videtur σπίλοι, quum tamen conſtanter græci codices habeant σπιλάδες, de quo poſtea dicemus: pro eo autem quod eſt verſum *epulis ſuis*, græci habent ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, id eſt *in conviviis veſtris*. Interpres legit, αὐτῶν, id eſt ſuis: ἀγάπας autem antiqui Chriſtianorum cœnas & frugi convivia vocabant, ἀπὸ τῆς ἀγάπης, id eſt a dilectione: quod confirmandæ caritatis & dilectionis gratia in conviviis veſcerentur: σπιλάδας autem ſaxa ſunt concava & rupes in aquis cavernoſæ, quæ naufragium fere navigantibus adferre ſolent, non prævisæ. Græca ſic habent οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι ἀφόβως, ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. Eraſmus non intellectum hunc locum ſic vertit. Hi ſunt inter caritates veſtras maculæ inter ſe convivantes, abſque ullius timore, ſuopte ductu arbitrioque viventes: primum ταῖς ἀγάπαις, perperam hoc loco caritates vertit: numquam enim aut raro pro dilectione in plurali ſumitur, αἱ ἀγάπαι, deinde σπιλάδες male vertit maculas: porro etiam συνευωχούμενοι vertit, *inter ſe convivantes*, quod potius vertendum erat, una vobiſcum epulantes aut convivantes: demum ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες quod vertit ſuo ductu ſuoque arbitrio viventes, longe melius interpres vertit, ſeipſos paſcentes: intelligit enim de hæreticis qui inſtar Balaam quæſtus gratia veritatem oppugnarent agnitam, & neglecta ovium ſalute quæſtui tantum ſtuderent: quamquam enim ποιμαίνω ſignificare poteſt rego, non tamen ſtatim ſignificabit ſuo arbitratu vivere: neque enim beoe inſtituti reges ſuo ductu vivunt, ſed ex præſcripto legum. Quod vero Gr. eſt ἀφόβως, & Eraſmus eertit *abſque ullius timore*; uno autem verbo *intrepide* dieitur, referri poteſt ad συνευωχούμενοι, id eſt convivantes vel ad ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες, id eſt ſeipſos paſcentes, ſed præſtat refere ad συνευωχούμενοι. Totum autem locum ego ſic verterem: Hi ſunt in conviviis veſtris, tamquam confragoſa in mari ſaxa & eavernoſæ rupes ac teniæ vobiſcum intrepide conveſcentes, ſeipſos paſcentes: bene ante σπιλάδας, & cavernoſas maris rupes eos appellat, quod quemadmodum eæ non prævisæ naufragium adferunt navicantibus, ita huiuſmodi impoſtores dum ſimulata amicitia intrepide Chriſtianorum convivia adeunt, niſi prævideantur & obſerventur, periclitari & naufragari faciunt conveſcentium animas. Quod autem σπιλάδας, vocat, Plin. in præfatione Lib. III. tenias vocat, dicens: Frequentes quippe teniæ candicantis vadi nautas territant: fluctus enim ſcopulis allidentes candicant, ideoque argumento ſunt nautis ſubtus latere tenias & ſcopulos ſive σπιλάδας, quæ eos territant: quod autem ait ſeipſos paſcentes, intelligit non caritatis, ſed quæſtus gratia illos omnia factitare.

Nubes sine aqua quae a ventis circumferuntur. Græce ἄνυδροι, id eſt *inaquoſæ*; recte vero inaquoſis nubibus ſimiles facit: quemadmodum enim quanto minus de aqua nubes habent, tanto leviores facilius a ventis agitantur: quæque loca pertranſierint, ea nequaquam imbribus irrigant, ſed caligine obtenebrant: ſic hæretiei ſalutari aqua ſapientiæ, qua carent, in quas inciderint animas non irrigant, ſed inſanis & perverſis opinionibus ſuis obtenebrant, ad omnes inanium doctrinarum ventos impellente dæmone agitati. Arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae. Arbores autumnales vocat hæreticos, quod autumni tempore, præſertim in Iudæa & calidis regionibus, non modo appetente autumno, poma nulla extant, utpote iam collecta, ſed & folia decidunt: unde & pro ea tempeſtate infructuoſæ dicuntur, *& bis mortuæ*, quia fructu ſpoliatæ & foliis: quales ſunt hæretiei corpore & anima mortui, nullum bonorum operum fructum ex ſe producentes: & ideo ſunt velut arbores eradicsræ, quia omnis palmes non ferens fructum eradicabitur, & in ignem mittetur.

V. 13. Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones. *Feri* nominativi caſus pluralis eſt, & refertur ad *fluctus*: Græce κύματα ἄγρια, id eſt *feri fluctus maris*. Hunc loeum præclare ſic exponit Beda: Fluctus feri maris ſunt perverſi doctores: quia & in ſemetipſis inquieti ſemper, tumidi, tenebroſi, & amari ſunt; & pacem eccleſiæ quaſi ſtabilitatem firmitatemque ſemper impugnare non ceſſant. Sed tales recte dicuntur deſpumantes ſuas confuſiones: quia inſtar tumentium undarum quanto altius ſe ſuperbientes attollunt, tanto amplius confuſi, quaſi in ſpumas leviſſimas diſſolvuntur & pereunt. Sydera errantia, quibus procella tenebrarum in sempiternum reservata est,

Pro

Pro verbo *procella* Græc. eſt ζόφος, quod & caliginem ſignificat. Libet & expoſitionem huius loci adferre ex Beda: Sidera errantia quæ ſunt ſeptem, numquam in eodem loco ubi pridie fecerant ortum vel occaſum, faciunt: ſed modo ad infima Zonæ brumalis deſcendunt, modo ad alta Zonæ ſolſtitialis aſcendunt: modo mediam Zonæ æquinoctialis lineam repetunt. Sic nimirum, ſic ſunt hæretici, qui lucem veritatis promittentes, numquam in eodem ſtatu docendi perdurant: ſed modo ſic, modo ſic doctrinam ſuam informantes, ipſi utique quam ſit contemnenda lucis oſtentatio quam pollicentur, inſinuant.

V. 14. uſque ad 19. PROPHETAVIT AUTEM ET DE HIS SEPTIMUS AB ADAM, ENOCH. Hic locus ex apochrypha quadam prophetia ſumptus eſt, quæ Enoch tribuitur; nondum enim ea ætate definitus erat ordo librorum eccleſiaſt. Locus autem allegatus facit ad probandum non impune huiuſmodi hominibus futurum; neque indiget explicatione, niſi quod paulum variat a Græco: in quibuſdam latinis codicibus ſcribitur: ECCE VENIT DOMINUS, quum Græce ſit ἦλθε, id eſt venit in præterito; quamquam huiuſmodi præterita more Hebræorum pro futuris aliquando ponantur. Quod interpres habet, QUIBUS IMPIE EGERUNT, Græc. ἃ ἠσέβησαν poteſt ἃ, verti in per *quæ aut quibus*, quomodo vertit interpres, vel in *quæ*, quæ impie illi egerunt. Quidam latini codices habebant, LOCUTI SUNT CONTRA DEUM, pro quo Græci habent κατ' αὐτοῦ, id eſt contra eum: quanquam ſenſus idem. Quæ ſequuntur uſque ad hunc locum, *hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos*: explicatione non egent: niſi quod loquens de apoſtolis, ubi ait *qui dicebant vobis*, &c. pro qui, Græci habent ὅτι, id eſt quia, ſed nihil ad ſenſum refert.

V. 19. 20. & 21. HI SUNT QUI SEGREGANT SEMETIPSOS. Græca quæ nunc extant non habent *ſemetipſos*, quod forte noſter interpres legit, ſed tantum ἀποδιορίζοντες, id eſt *ſegregantes*: Græca ſcholia interpretantur quod a communione eccleſiæ & fidei fratres fideles ſubtrahunt, & ad ſua conciliabula adducunt. Animales autem vocantur Gr. ψυχικοί, ἀπὸ τῆς ψυχῆς ut ψυχή, carnalem vivendi rationem ſignificet, quaſi ea tantum ſpectantes quæ ad vitam pertinent animalem & præſentem. VOS AUTEM, inquit, CHARISSIMI SUPERAEDIFICANTES VOSMETIPSOS SANCTISSIMAE NOSTRAE FIDEI, ſive veſtræ, prout quidam Græc. habent ὑμῶν, id eſt *proficientes in fide*, IN SPIRITUS SANCTO ORANTES; τὸ in Spiritu ſancto poteſt referri ad ſuperædificantes vel ad orantes in Spiritu ſancto. VOSMETIPSOS IN DILECTIONE DEI SERVATE. Neſcio quorſum huc Eraſmus addidit invicem: neque enim illud ſignificat τὸ ἑαυτοὺς. EXPECTANTES MISERICORDIAM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI IN VITAM AETERNAM: τὸ in vitam æternam mihi referendum videtur ad ſervare, ut ſit ſenſus, ſervate voſmetipſos & continete in Dei dilectione in vitam æternam, id eſt ut vitam æternam habeatis: eſt enim Hebraiſmus.

V. 22. ET HOS QUIDEM ARGUITE DIIUDICATOS, Græca hoc loco variant, dum quædam legunt ἐλεεῖτε, id eſt commiſeramini: Veronenſia ſcholia legunt ἐλέγχετε, id eſt arguite & ita exponunt, φανεροῦτε τοῖς πᾶσι τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν, id eſt manifeſtate omnibus impietatem eorum: pro diiudicatos eſt Græce διακρινόμενοι, quod Eraſmus vertit, dum iudicamini: mihi autem interpres melius active ſumpſiſſe videtur, & hoc quidem arguite diiudicantes eos: pro quo elegantius dixit, & hos quidem arguite diiudicatos, id eſt poſtquam diiudicaveritis: arguite ergo vel corripite, vel iudicate illos. Veronenſia ſcholia videntur legiſſe διακρινομένους, in accuſativo, & exponunt διακρίνομαι, pro ſeparari; ſic enim aiunt κἀκείνους δὲ ἐν μὲν ἀποδιϊστάντας ὑμῶν, τοῦτο γὰρ σῆμα ἵνα τὸ διακρίνεσθε. ἐλέγχετε, τουτέστι φανεροῦτε τοῖς πᾶσι τὴν ἀσέβειαν αὐτῶν, id eſt, & illos vere, ſiquidem ſe a vobis ſegregaverunt (id enim ſignificat τὸ διακρίνεσθε) arguite, hoc eſt, omnibus eorum impietatem manifeſtate.

V. 23. ILLOS VERO SALVATE DE IGNE RAPIENTES. Græce habent οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε ἐκ πυρὸς ἁρπάζοντες; id eſt, illos vero in terrore, ac per terrorem ſupplicii & pœnarum, ſalvate & ſervate, rapientes de igne iudicii & damnationis, qui illos alioqui manet; quaſi diceret, Alios qui ſe ſubtrahunt a vobis arguite, & palam iudicate, alios vero per terrorem ſupplicii ſervate. ODIENTES EAM QUAE CARNALIS EST MACULATAM TUNICAM. Græci habent μισοῦντες καὶ τὸν ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἐσπιλωμένον χιτῶ-

τα, id eſt odio habentes carnalis noſtri corporis ſordes & maculas: noſter interpres *&* *in timore* iunxit cum hac particula quæ in græcis non habetur. ALIIS AUTEM MISEREMINI, dicens: miſeremini aliis in timore, metuentes ne in ſimilia illis peccata incidatis.

V. 24. ET AUTEM QUI POTENS EST VOS CONSERVARE. In hac coronide paucæ ſunt difficultates, niſi quod aliquot locis variatur a Græco, nam quod interpres vertit *qui potens eſt vos conſervare*, Gr. habent αὐτὰς, id eſt *illos*: quamquam αὐτὰς, ſicut noſtrum ipſe, omnium eſt perſonarum: quod habet *ſine peccato*, græce eſt ἀπταίστους, id eſt non lapſantes & immunes a peccato. *Et poteſt conſtituere*. Græce στῆσαι, id eſt repræſentare. ANTE CONSPECTUM GLORIAE SUAE IMMACULATOS IN EXULTATIONE, id eſt cum exultatione. Quod autem ſequitur IN ADVENTU DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI, in codicibus græcis qui nunc extant deeſt: Ei ergo qui vos immunes ſervare poteſt a peccato, SOLI DEO SALVATORI NOSTRO PER IESUM, &c. GLORIA ET MAGNIFICENTIA, &c. quod interpres habet ſoli Deo, græci addunt σοφῷ, id eſt ſapienti, neque habent quod interpres habet PER IESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, ſicut non habet quod in fine poſitum eſt, ante omnia ſecula.

S A.

HOrtatur Chriſtianos ad perſeverantiam in bonis operibus, monetque ut ab hæreticis caveant, quorum hic mores deſcribit.

V. 1. IUDAS, qui & *Thaddæus*. IACOBI, ſcilicet Minoris, filii Alphæi, primique Ieruſalem Epiſcopi. DILECTIS. Græc. *ſanctificatis*. CHRISTO, id eſt per Chriſtum.

V. 2. ADIMPLEATUR. I. Pet. 1. idem verbum Græcum vertit, *multiplicetur*; at II. Pet. 1. *adimpleatur*, ut hic.

V. 3. OMNEM, &c. quaſi dicat, Cum pro vobis eſſem valde ſolicitus, & vellem ſcribere, nunc videns eſſe neceſſarium, nolui omittere. DEPRECANS: verti poterat, *hortans*. SUPERCERTARI, id eſt cooperari laborando: vide idem verbum Sap. XV. & Eccl. XI.

V. 4. PRAESCRIPTI, id eſt deſtinati; vel quaſi dicat, De quibus eſt prædictum in Scripturis. IUDICIUM, id eſt condemnationem. SOLUM, &c. quaſi dicat, Qui ſolus eſt Dominator & Dominus, ſcilicet cum Patre & Spiritu ſancto.

V. 5. OMNIA. Græc. *hoc*; quaſi dicat, Quamquam id ſciatis; vel, omnia huiuſmodi, per acceptam ſemel a vobis doctrinam Chriſtianam. IESUS, id eſt Ioſue, ſecundum Hieron Ego de Chriſto intelligo, & quidem Græc. Κύριος. SECUNDUM, id eſt poſtea.

V. 6. PRINCIPATUM, id eſt dignitatem, vel ſtatum in quo a principio conditi. DOMICILIUM, ſcilicet cæleſte. DIEI, ſcilicet Iudicii. AETERNIS, ſcilicet a quibus numquam ſolventur. CALIGINE, id eſt tenebris, in quibus ſemper ſunt, vel aere caliginoſo.

V. 7. SIMILI, ſcilicet ſicut illæ. ALTERAM, ſcilicet vitio Sodomitico. EXEMPLUM, ſcilicet toti mundo.

V. 8. CARNEM, id eſt corpus ſuum. DOMINATIONEM, id eſt dominos, ſeu ſuperiores. MAIESTATEM, id eſt in dignitate conſtitutos. BLASPHEMANT, id eſt maledicunt.

V. 9. DISPUTANS, id eſt diſceptans. Id non eſt in Scriptura quæ extat; forte tunc erat in aliqua, vel traditione aut revelatione acceptum. MOYSI, &c. forte diabolus volebat oſtendere Iudæis ubi eſſet, ut tamquam Deum adorarent. IUDICIUM, &c. quaſi dicat, Convitium ei dicere noluit, ſed modeſte eiicere; quanto ergo magis hi modeſti eſſe deberent erga ſuperiores. IMPERET. Græc. *Increpet*.

V. 10. IGNORANT, ſcilicet divina myſteria. NORUNT, ſcilicet carnalia.

V. 11. VIA, id eſt vivendi ratione. EFFUSI, id eſt prolapſi, ſcilicet in omne flagitium. IN CONTRADICTIONE, id eſt imitati rebellionem. PERIERUNT; pro, pereunt, vel peribunt.

V. 12. MACULAE, id eſt maculati. PASCENTES, ſcilicet delicate; vel pro, regentes, ſcilicet qui ab aliis nolint regi. NUBES; pro, velut nubes; quaſi dicat, Leves & vacui gratia Dei. AUTUMNALES, id eſt Autumno marceſcentes. BIS, id eſt & ante & poſt Baptiſmum: vel *bis*, pro, omnino. ERADICATAE; pro, eradicandæ, vel ſine radice fidei, vel caritatis.

V. 13. FLUCTUS; pro, velut fluctus. FERI, id eſt ferocis. CONFUSIONES, id eſt dedecora. SIDERA; pro, velut ſidera. PROCEL-

Digitized by Google

cella: Græc. *caligo*. In aeternum, ſcilicet duratura.

V. 14. Venit: præteritum pro futuro. In; pro. cum. Millibus, ſcilicet Angelorum.

V. 15. Arguere, id eſt convincere. Duris, id eſt malis, ſeu rebus non ferendis.

V. 17. Apostolis. Vide II. Pet. iii.

V. 21. Aeternam, ſcilicet perducentem, vel duraturam.

V. 22. Hos, ſcilicet errantes. Argui te, id eſt convincite. Iudicatos, ſcilicet prius a vobis eſſe in errore.

V. 23. Igne, ſcilicet cupiditatis; vel quaſi dicat, Ne in ignem æternum veniant. Tunicam, ſcilicet corpus, quod velut veſtis animæ.

V. 24. In exultatione; pro, cum exultatione.

V. 25. Deo. Græc. *ſapienti Deo*. Gloria, ſcilicet ſit, ſeu agnoſcatur quam habet: atque ita in ſequentibus intellige: nec enim per Chriſtum habet illa, ſed habere agnoſcitur.

MARIANAE.

Verſ. 1. Iudas, alio nomine *Thaddeus*. Frater autem Iacobi Minoris, qui & *Iacobus Alphæi*. Dilectis. Græc. *ſanctificatis*. Noſter pro ἡγιασμένοις, legit ἠγαπημένοις, ſicque in quibuſdam codicibus Græcis legi Robertus notat. Et Christo. Gotth. *& in Chriſto*, id eſt per Chriſtum Ieſum conſervatis.

V. 2. Adimpleatur. Græc. *multiplicetur*. Noſter pro πληθυνθείη, legit πληρωθείη, *impleatur vobis miſericordia & pax*.

V. 3. Omnem solicitudinem faciens, id eſt cum ardenter cuperem ſcribere vobis, putavi neceſſarium hanc ad vos ſcribere. Deprecans, ſeu *monens*, *exhortans*, παρακαλῶν. Supercertari, ſeu ut alii, *ſupercertare*, ἐπαγωνίζεσθαι, ſcilicet ut certetis pro tradita *ſanctis*, id eſt fidelibus, fide.

V. 4. Subintroierunt: clam ſcilicet & occulte ut hæretici. Qui olim praescripti sunt in hoc iudicium: deſtinati olim in hanc damnationem, ſeu reprobum ſenſum. Dei nostri gratiam, id eſt Evangelii libertate ad libidinem abutentes. Et solum, id eſt eum qui ſolus eſt Deus & Dominus, Chriſtum negantes. Græc. poſt *Dominatorem* addunt *Deum*, ſed non refert.

V. 5. Commonere autem vos volo scientes .... omnia, quoniam *Deus ſemel*, id eſt prius populum de terra Aegypti salvans, secundo; pro, deinde eos, qui non crediderunt, perdidit: ſic noſtra littera ordinetur, ut adverbia *ſemel* & *ſecundo* inter ſe reſpondeant. Nec refert *Deus* aut *Ieſus* dicatur populum ſalvaſſe, quia iam Verbum operabatur in humana ſpecie, ut antiqui Patres tradunt. Nec Iudæos ſolum punivit.

V. 6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, id eſt dignitatem, in qua erant conditi. Sed reliquerunt suum domicilium, cælum. In iudicium magni diei: ſuprema diaboli punitio in iudicio extremo erit, cum in infernum ignemque æternum mittetur: ſic II. Petr. ii. 4. Sicut Sodoma & Gomorrha,

V. 7. Abeuntes post carnem alteram, dediti nefariæ libidini maſculorum, ſic ſeductores.

V. 8. Dominationem autem spernunt, Iudices non curant. Maiestatem, Reges blasphemant. Sic II. Pet. ii. 10. ubi pro *ſectas* diximus Gotth. habere *maieſtatem*, non male, ut ex hoc loco perſpicitur. Nec dubium has Epiſtolas inter ſe reſpondere, & alteram ex altera explicari.

V. 9. Cum Michael. In Petri Epiſtola *Dominus* vocatur, quia Dei perſonam gerebat, & eius nomine imperabat diabolo. Altercaretur de Moysi corpore. Hoc certamen in Scriptura non extat. Ex aliquo libro apocrypho id Iudas ſumpſit. Fortaſſis abſconditum Moyſi corpus ne Iudæi ut Deum colerent, diabolus in publicum proferri volebat, reſtitit Michael. De hoc fuiſſe certamen credi poteſt. Non est ausus iudicium, ſententiam, ſupplicium inferre blasphemiae. Abulenſis Gen. xxvii. quæſt. v. *maledictionis* legit, negatque diabolo recte maledici. An verum? Sed dixit: Imperet tibi Dominus, ſive *Increpet te Deus*, ut Hieronymus legit contra Ruffinum: ἐπιτιμᾷ id ſignificat.

V. 10. Hi autem, quaecumque quidem ignorant, ſcilicet dogmata, ea blaſphemant. Quaecumque autem naturaliter tamquam muta: ſic ordo: *Quæcumque norunt*, id eſt pervia ſunt ſenſui, *naturaliter tamquam muta animalia*, *in his.*

lectis ex caritate, qua in Deo, & propter Deum proximos amamus. Vel, dilectis a Deo patre. ET IN IESU CHRISTO CONSERVATIS: & qui in fide, & ſanctitate per Ieſu Chriſti gratiam conſervantur. VOCATIS: ad Chriſtianiſmum, & Eccleſiam.

V. 2. MISERICORDIA VOBIS, ET PAX ET CARITAS ADIMPLEATUR. Senſus eſt, adimpleatur in vobis, & erga vos Dei miſericordia, ut ſuam pacem & caritatem, ceteraque dona in vos effundat, donec ad plenitudinem perveniatis.

V. 3. OMNEM SOLICITUDINEM FACIENS SCRIBENDI VOBIS, &c. breviter, & clare Pagninus, & alii: *Tantum mihi ſtudium fuit ſcribendi ad vos de communi ſalute, ut non potuerim non ſcribere vobis.* DEPRECANS: *παρακαλῶν, exhortans.* SUPERCETARI: *ἐπαγωνίζεσθαι, ſupercertare*, ſed interpres dixit, *ſupercertari*, quaſi eſſet verbum deponens, ut etiam Eccleſ. cap. XI. 9. & cap. XXXVIII. 29. & Sapient. XV. 9. eodem verbo forma deponentis uſus eſt. Porro *ſupercertari fidei*, idem eſt quod fide certare.

V. 4. SUBINTROIERUNT ENIM QUIDAM, id eſt furtim ſe inſinuarunt. QUI OLIM PRAESCRIPTI SUNT IN HOC IUDICIUM; quaſi dicat, De talibus, deque eorum impietate, iudicio, id eſt condemnatione ante me ſcripſit Petrus, & Paulus, immo Chriſtus ipſe eos depinxit, præmonuitque ut eos quaſi lupos caveretis, Matt. XXIV. 24. II. Tim. III. 1. II. Petri II. IMPII, &c. Peccantes contra veram religionem, quia gratiam, id eſt legem Evangelicam transferunt in luxuriam, id eſt Chriſtiana religione abutuntur ad luxuriam, docentes legem Chriſtianam eſſe legem libertatis, ac proinde licere illam profitentibus libere indulgere concupiſcentiæ, gulæ, & veneri. Hoc eſt quod ait S. Petrus Ep. II. cap. II. 19. *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſint ſervi corruptionis.* Vide ibi dicta. ET SOLUM DOMINATOREM, &c. Senſus eſt: Negantes divinitatem Chriſti, qui verus eſt, & unicus Dominus noſter, eſt enim Chriſtus Deus; Deus autem unus eſt, quem agnoſcimus Dominum, ac Dominatorem rerum omnium. DOMINATOREM, ET DOMINUM. In græco eſt, *δεσπότην καὶ κύριον*: eſt autem *δεσπότης* proprie is qui in ſervos dominatur; *κύριος* vero is qui in rem aliquam, ſeu perſonam auctoritatem habet, etiamſi non illam poſſideat, ut ſervum, aut ancillam. Talem poteſtatem habent Principes in ſibi ſubditos.

V. 5. COMMONERE AUTEM VOS VOLO, &c. *ὑπομνῆσαι, in memoriam vobis revocare*; quaſi dicat: Non volo vos docere, quia iam illa didiciſtis, & ſcitis, ſed tantum ea ſuggerere, & in memoriam, quaſi commonitor, revocare. SCIENTES SEMEL OMNIA, id eſt omnino, & prorſus omnia ſcientes. IESUS, id eſt Ioſue, qui LXX. *Ieſus* vocatur. SALVANS, id eſt *cum ſalvaſſet*. In greco enim eſt *σώσας*, in aoriſto. SECUNDO EOS QUI NON CREDIDERUNT, &c. Senſus eſt; quaſi dicat: Deus ſemel ſalvavit populum, cum eum ſe ſequentem eduxit ex AEgypto: at *ſecundo*, id eſt alia vice eum perdidit, cum ſcilicet incredulus ab eo receſſit, & apoſtatavit, idque non ſemel, ſed ſæpius. Porro S. Iudas hoc exemplum fidelibus applicandum relinquit; quaſi dicat, Simili modo Deus fideles, quos primo ſalvavit in baptiſmo, dum Chriſtum ſecuti ſunt, ſecundo perdet, ſi a Chriſto apoſtatent, & ad hæreticos deficiant.

V. 6. QUI NON SERVAVERUNT SUUM PRINCIPATUM: *ἀρχὴν*, quod tam originem, & principium, quam poteſtatem & principatum ſignificat. Itaque vertunt aliqui *ſuam originem*, alii, *ſuam dignitatem*, vel *ſuum magiſtratum*; quaſi dicat: Angeli non ſervaverunt ſuam originem, id eſt originalem ſuam excellentiam, ſtatum, gratiam, iuſtitiam, preæminentiam, & dominium in res omnes corporeas, ut quaſi Principes dominarentur in cælo, & in terra, ad quod a Deo conditi erant. DERELIQUERUNT SUUM DOMICILIUM: cælum empyreum, e quo propter peccatum deturbati ſunt. IN IUDICIUM MAGNI DIEI: ad extremum iudicii diem, quo die etiam dæmones tamquam rei Chriſti tribunali ſiſtentur, & damnationis perpetuæ ſententia ferientur. SUB CALIGINE: in caliginoſis inferni locis. Vide II. Petri II. 4. RESERVAVIT: cruciandos, ait S. Petrus loco cit.

V. 7 EXFORNICATAE, id eſt extreme fornicatæ, extremam, & peſſimam libidinem exercentes. ABEUNTES POST CARNEM ALTERAM Caro altera, velut Pagninus vertit, *aliena*, eſt caro maſculi, nam præpoſtera cum ea libido, eſt aliena ab inſtituto, & uſu naturæ, quia incongrua, & inepta, immo adverſa generationi, & procreationi liberorum. FACTAE

SUNT

SUNT IN EXEMPLUM: divinæ ultionis, ut alii ab huiuſmodi ſcelere deterreantur. IGNIS AETERNI POENAM SUSTINENTES: nam incendii illius veſtigia hodieque ſuperſunt, mare mortuum fumans, & exhalans bitumen, & ſulphur. Vel ignis æterni in inferno, peccatores enim illi Sodomitæ a temporali incendio ad æternam tranſmiſſi ſunt.

V. 8. CARNEM MACULANT: infandis libidinibus, nam ut ait D. Paulus I. Corinth. VI. 18. *Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*. DOMINATIONEM AUTEM SPERNUNT: & Deum omnium Dominum, & ſcelerum vindicem aſpernantur. Aliqui per *Dominationem* intelligunt publicam poteſtatem, & leges. MAIESTATEM AUTEM BLASPHEMANT: non verentur Magiſtratus, & Principes, quorum eſt glorioſa, & maieſtate plena poteſtas, blaſphemare. Vel etiam non verentur blaſphemias iacere in ipſam divinam maieſtatem.

V. 9. CUM DIABOLO ALTERCARETUR DE MOYSI CORPORE. Communior huius loci expoſitio eſt voluiſſe Satanam ſepeliri Moyſen loco cognito, & celebri, ut Hebræi in idololatriam proni, eum quaſi Deum, ac numen colerent; Michaelem vero ei reſtitiſſe, & curaſſe, ut ſecreto ſepeliretur, unde Deuteron. XXXIV. 6. dicitur: *Et non cognovit homo ſepulcrum eius uſque in præſentem diem*. Novem alias expoſitiones aſfert Serarius, quas, qui volet, apud eum videre poterit, & apud Cornelium a Lapide, qui omnium probabiliorem putat explicationem Serarii, contendiſſe, ſcilicet diabolum, ut corpus Moſis inferretur in terram promiſſionis, nec extra eam in Moab, utpote regione ſibi in idolorum cultu addicta ſepelliretur, ne ab eius reliquiis aliquod damnum acciperet, uti accepiſſe ſe a S. Babylæ ſepulchro in Daphne quæſtus eſt, ſicut habet vita S. Babylæ, & ex ea Baron. tom. 4. NON EST AUSUS IUDICIUM INFERRE BLASPHEMIAE, id eſt blaſphemare, convitiari, diabolo maledicere, diris eum devovere. Argumentum ergo Apoſtoli eſt huiuſmodi: Michael Archangelus eum ſit puriſſimus, ſanctiſſimus, & modeſtiſſimus, non auſus eſt aliquid effari, quod blaſphemiam ſonaret aut maledicentiam, ne vel per umbram eam nominando ſe contaminaret, & quia maxime execratur blaſphemiam, & blaſphemos: ergo iniquiſſimum, & indigniſſimum eſt infimæ notæ homunciones, & ſcelerum maculis notariſſimos Magiſtratuum, Principum, & Dei maieſtatem blaſphemare. IMPERET TIBI DOMINUS. In Græco eſt, ἐπιτιμήσαι σοὶ κύριος, *increpet te Dominus*; quaſi dicat: Tuam inſolentiam, malignitatem, nequitiam comprimat, neque cogat, ut permittas occulte ſepeliri Moyſen, &c.

V. 10. HI AUTEM QUAECUMQUE QUIDEM IGNORANT BLASPHEMANT. Eſt apodoſis, id eſt redditio, & applicatio exempli; quaſi dicat: Michael eum pro imperio poſſet increpare Satanam, & illi maledicere, præ modeſtia tamen noluit: at Simoniani, & Gnoſtici intoleranda audacia, & impudentia, ea blaſphemant, & maledicunt quæ ignorant, & quæ ipſorum, utpote carnalium, captum ſuperant, ſcil. Deum, & eius attributa, myſteria Chriſti, res cæleſtes, ſublimes, & divinas. NATURALITER: ſola natura duce, & ſenſibus. TAMQUAM MUTA: ἄλογα, id eſt *irrationalia*, ſermone, & ratione carentia. ANIMALIA NORUNT; ſcil. ventrem, & Venerem. IN HIS CORRUMPUNTUR: vitiando, & fœdando ſua corpora & mentes turpi ingluvie, & obſcœnis libidinibus. IN VIA CAIN ABIERUNT. Via in ſacris Scripturis ſignificat vitæ inſtitutum, modum vivendi, actus, & mores, atque ac eventus & exitus. Via ergo Caini eſt Dei contemptus, invidia, homicidium, hæreſis, atheiſmus, vita vaga, deſperatio, & damnatio. ET ERRORE BALAAM MERCEDE EFFUSI SUNT; quaſi dicat: Quemadmodum Balaam ſpe lucri, & munerum regis Balac populo Dei voluit maledicere: ita hi toti effuſi in lucrum, in maledicta etiam, impia conſilia, & alia ſcelera ſeſe effundunt, ut perdant Eccleſiam. ET IN CONTRADICTIONE CORE PERIERUNT, id eſt inſtar contradictionis; quaſi dicat: Inſtar ſeditioſi Core, qui in ſua contradictione, & ſeditione periit, perierunt, & pereunt hæretici. Sicut enim Core terræ hiatu abſorptus eſt, ita & hæreticos abſorbebit infernus.

V. 12. HI SUNT IN EPULIS SUIS MACULAE: hi enim in epulis, quæ poſt Euchariſtiam more Chriſtiano celebrabantur,

& Aga-

Digitized by Google

& Agapæ dicebantur, corpus crapula, mentem libidine, convivas prava doctrina, & hæreſi maculabant, æque ac detractione, maledicentia, atque impudicis verbis, & aſpectibus, habentes *oculos plenos adulterii, & inceſſabilis delicti*, ut ait S. Petrus Ep. II. cap. II. 14. Vide ibi dicta n. 13 & 14. IN EPULIS: ἐν ἀγάπαις, *in Agapis*. CONVIVANTES SINE TIMORE: ſine Dei, hominumve reverentia. SEMETIPSOS PASCENTES: ſcil. delicate, in Græco eſt, ποιμαίνοντες, quod explicari poteſt regentes, nolentes nimirum ſubiacere. NUBES SINE AQUA: nubes ſteriles, & infœcundæ, quæ videntur aquam ad hominum refrigerium, & terræ fœcunditatem promittere, ſed eam non præſtant. Sic Gnoſtici inane ſcientiæ, & doctrinæ nomen præferebant, ſed eam non præſtabant. QUAE A VENTIS CIRCUMFERUNTUR. Notat aliam hæreticorum proprietatem, nimirum levitatem, & in ſuis dogmatibus inconſtantiam, ſemper enim fluctuant, nec umquam ſtabiles conſiſtunt, ex uno errore in alios incidentes. ARBORES AUTUMNALES: δένδρα φθινοπωρινά, id eſt arbores, quæ fructum quidem aliquem ferunt, ſed corruptum, & marcidum, qui vel ſucco nutrimentoque deficiente, vel æſtivo calore deſtitutus, quia extremo autumno nondum ad maturitatem perductus eſt, vel vermibus exedentibus decidit immaturus. Tales ſunt hæretici, quorum fructus, id eſt opera non inutilia ſolum ſunt, ſed etiam noxia. BIS MORTUAE, id eſt omnino mortuæ, ſic dicimus *bis terque beati*, id eſt omnino beati. Vel, bis mortuæ, quia primo in ſe moritur arbor cum areſcit, deinde iterum moritur cum eradicatur, aut ſucciditur: ſignificat Apoſtolus hiſce metaphoris deſperatam Gnoſticorum ſalutem.

V. 13. FLUCTUS FERI MARIS. *Feri* eſt epithetum fluctus, non autem maris; quaſi dicat; *Unde efferæ*. Syrus, *fluctus vehementes maris*. Bene conferuntur cum fluctibus hæretici, nam ſunt turbulenti, & ſeditioſi. DESPUMANTES SUAS CONFUSIONES, id eſt ſua dedecora; quaſi dicat: Omnia turbant, & miſcent, ſuperbiunt, & attolluntur inſtar fluctuum, ſed hæc ſuperbia detumeſcit, abitque in ſpumam pudendæ libidinis. SIDERA ERRANTIA. Vel intelligit exhalationes igneas, quas Ariſtot. Lib. I. Meteor. appellat ſtellas diſcurrentes in aere, tales enim ſunt hæretici, qui aliquem videntur habere ſplendorem doctrinæ, aut eloquentiæ, ſed non ſtabilem, ſed ſtatim evaneſcentem. Vel intelligit planetas, qualis eſt Mars, Venus, Luna, &c. qui in cælo curſu vario, & vago oberrant, ſic hæretici a vera fide in errores alios, & alios aberrant, & in errores etiam alios inducunt. QUIBUS PROCELLA TENEBRARUM SERVATA EST IN AETERNUM. Vox *procella*, in Græco eſt, ζόφος, quod Interpres II. Petri II. 17. vertit *caligo*. Recte caligo, & tenebræ inferni debentur, & reſervantur ſtellis iſtis errantibus. *Recte*, ait Beda, *in tenebras tormentorum mittentur æternas, qui in Eccleſia Dei ſub nomine lucis tenebras inducebant errorum*.

V. 14. PROPHETAVIT DE HIS, &c. Probat quod impiis hæreticis procella tenebrarum reſervata ſit, teſtimonio Enoch, cuius prophetiam vel traditione maiorum accepit Iudas, vel ex libro aliquo, qui tunc extaret cum hæc ſcribebat Apoſtolus. SEPTIMUS AB ADAM: Adam enim genuit Seth, hic Enos, hic Cainan, hic Malaleel, hic Zared, hic Enoch: eſt ergo ſeptimus ipſis Adam, & Enoch computatis.

V. 15. IN SANCTIS MILLIBUS, id eſt ſtipatus innumeris legionibus Angelorum, & Sanctorum. FACERE IUDICIUM CONTRA OMNES: ad iudicandum univerſum genus humanum. DURIS, id eſt malis, ſeu non ferendis.

V. 16. QUERULOSI: μεμψίμοιροι: ſic dicuntur, qui ſortem ſuam incuſant, qui ſorte ſua contenti non ſunt, ſed plura, aut meliora deſiderant. DESIDERIA: concupiſcentias. MIRANTES PERSONAS: laudantes adulatorie.

V. 17. AB APOSTOLIS: ut a S. Petr. ep. II. cap. III. 2. & a S. Paulo I. ad Timoth. IV. 1. & ep. II. cap. III. n. 2.

V. 18. ILLUSORES: qui omnia ſacra, & profana irrident, & qui fidelibus ſimplicibus illudunt eos in errorem inducentes. IN IMPIETATIBUS. Græce ἀσεβειῶν, id eſt *impietatum*; quaſi dicat, Deſideria eorum ſunt deſideria impietatum; id eſt impiiſſima.

V. 19. SEGREGANT SEMETIPSOS: ab Eccleſia, a Chriſto, & a Deo. ANIMALES: vocat animales ab anima vegetativa, & ſen-

ſenſitiva, cui ſerviunt. SPIRITUM NON HABENTES: nam, ut ait D. Paulus I. ad Cor. II. 14. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.*

V. 20. SUPERAEDIFICANTES VOSMETIPSOS, &c. quaſi dicat: Ieciſtis fundamentum fidei, nunc reliquam ſubſtructionem erigite per opera virtutum. IN SPIRITU SANCTO ORANTES, id eſt per Spiritum ſanctum, *ipſe enim ſpiritus poſtulat*, id eſt poſtulare nos facit, *gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. VIII. 27.

V. 21. IN VITAM AETERNAM, id eſt quæ vos perducat ad vitam æternam.

V. 22. HOS QUIDEM: hæreticos. IUDICATOS: per ſe damnatos, re ipſa, & facti evidentia.

*V.*23. ILLOS VERO SALVATE: qui in periculo ſunt ne decipiantur ab hæreticis, eos periculo quantum poteſtis ſubducite. DE IGNE RAPIENTES: de igne hæreſis, qua iam ſunt ambuſti, vel in periculo verſantur, ne amburantur, & de gehennæ, ad quam tendunt, incendio. Vel certe ſecundo hoc membro de iis loquitur, qui integri adhuc ſunt, & his flammis intacti, ſic enim melius partitio trimembris huius verſiculi conſtabit. ALTIS AUTEM MISEREMINI IN TIMORE: alios iam nutantes, & in interitum propenſos, non ſine caſto timore, commiſeratione complectimini. ODIENTES ET EAM: interim odientes eam. QUAE CARNALIS EST MACULATAM TUNICAM. In Græco eſt, ἀπὸ σαρκὸς ἐσπιλωμένον, id eſt, *a carne maculatam*. Porro per maculatam tunicam intellige turpes, & carnales mores, & affectus, turpem vivendi modum, ſordidatam libidinibus & vitiis converſationem. Alludit ad ritum veteris legis Levit. XV. quo veſtes lepra, ſanguine, vel ſemine pollutorum, pollutæ cenſebantur, ita ut quicumque eas tangeret legaliter pollueretur, & arceretur tam a templo, quam a convictu hominum. Alludit etiam ad veſtem candidam, qua recens baptizati induebantur; quaſi dicat: Cavete ne candidam innocentiæ veſtem, quam accepiſtis in baptiſmo impuritate, libidine, & corruptis moribus contaminetis, ſed hæc plane odite, & execramini.

V. 24. ANTE CONSPECTUM GLORIAE SUAE, id eſt in gloria ſua cæleſti, quam nullus culpa maculatus ingreditur. IN EXULTATIONE: cum exultatione. IN ADVENTU DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI: cum, ſcil. veniet ad iudicandum, tunc enim perfecte ſanctos beabit, & glorificabit etiam corpus.

V. 25. GLORIA; ſcil. ſit, ſeu agnoſcatur, quam habet, atque ita in ſequentibus intellige, nec enim per Chriſtum habet illa, ſed habere agnoſcitur. MAGNIFICENTIA. Syrus, *potentia*, Græce μεγαλωσύνη, id eſt maieſtas, magnitudo, magnificentia, decus, amplitudo, dignitas. IMPERIUM: κράτος, quod ſignificat etiam robur, & potentiam. ET POTESTAS: ἐξουσία, Syrus *dominatio*: poteſtas eſt; quaſi executio Imperii, exequitur efficaciter quidquid voluntas Dei imperat. ANTE OMNE SAECULUM; ſcil. conſtitit, & conſtat, & ſemper illi debetur, optoque ut ab omnibus agnoſcatur, & celebretur.

TIRINI.

Verſ. 1. & 3. IUDAS non Iſcariotes, ſed *Thaddæus a*, & *Lebbæus*, FRATER Apoſtoli IACOBI Minoris, primi Epiſcopi Ieroſolymitani: frater item *Simonis Chananæi*, ut alias *b* dixi. Docuit in Aſia Minore, ubi florebat ſchola Simonis Magi & aliorum hæreticorum. Abagarum Edeſſæ regem ad Chriſti fidem convertit, teſte Euſebio *c*. Etiam in Idumæa, Meſopotamia, Arabia & Perſide prædicaſſe ſcribit Nicephorus & alii *d*, qui & martyrium eius ibidem cum fratre ſuo *Simone* conſtanter obitum, & corporis utriuſque Romam tranſlationem fuſe enarrant. HIS QUI SUNT IN DEO, & in Dei fide, gratia & caritate uniti, ac proinde omnibus merito DILECTIS; multi legunt ἡγιασμένοις, id eſt *ſanctificatis*, & *in Ieſu*, id eſt per Ieſum, in Ieſu fide, gratia & caritate CONSERVATIS, ut ad eamdem ante VOCATIS: Græce, κλητοῖς, id eſt *vocatis*: quo nomine vocabantur olim Chriſtiani, quaſi qui a Deo ſingulariter eſſent evocati, ciuſque obſequio & cultui per fidem & gratiam mancipati. Hac tam blanda compellatione captat benevolentiam lectorum, ut attentionem verſu ſeq. cum ait, ſe ſcribere DE COMMUNI omnium SALUTE, utique æterna, docilitatem vero cum *deprecatur*; Græce, *exhortatur*, SUPERCERTARI SEMEL TRADITAE FIDEI, id eſt acerrime

ab

Digitized by Google

ab ipſis (pro talento & ſtatu cuiuſque) propugnari fidem exlitus ita ſemel traditam, ut poſtea numquam ſit immutanda ex parte Dei, ſed ab hæreticis ita acriter impugnatam, ut eripienda ipſis ſit ni ſtrenue caveant.

V. 4. SUBINTROIERUNT ENIM; Regia, *ſubrepſerunt*, id eſt clam, furtim, doloſe ex inſidiis ſe vobis inſinuarunt. Sed facile diſcernetis has vulpes & lupos: iam enim ab antiquo PRAESCRIPTI SUNT; Græce, *antea ſcripti*, & vivis coloribus ſuis idem a Prophetis *e* & Apoſtolis *f*, adeoque & ab ipſo Chriſto *g* deſcripti ſunt, & omnes illorum fallaciæ & artes detectæ ac prænuntiatæ, IN HOC IUDICIUM, id eſt conformiter iudicio quod nunc de ipſis feram, nempe quod ſint IMPII, *luxurioſi*, blaſphemi, &c. Notat maxime Simonianos, Nicolaitas, Gnoſticos & alios de quibus etiam S. Petrus 2. epiſtolæ ſuæ cap II. GRATIAM DEI, id eſt Evangelicam libertatem, fœda interpretatione TRANSFERENTES IN LUXURIAM *h*, & libertatem carnis, ventris & veneris: *&* *Ieſum i*, qui cum Patre & Spiritu ſancto *ſolus* eſt *dominator* totius univerſi, & nominatim *noſter* Chriſtianorum *Dominus*, perfide NEGANTES.

V. 5. VOLO AUTEM non docere vos, utpote SCIENTES ita SEMEL *k* OMNIA, ut non ſit neceſſum iterato edoceri: ſed ſolum COMMONERE; Græce, ἀπομνῆσαι, id eſt in memoriam vobis reducere. Quod, cum IESUS qua Deus *l*: (in nonnullis Græcis codicibus eſt, *Dominus Deus*, & ita vertit Syrus & Clemens Alexandr.) POPULUM ſuum Hebræum ex *AEgypto* & AEgyptiaca ſervitute primo liberaſſet, SECUNDO, id eſt altera vice eumdem PERDIDIT *m*, cum nollet credere Deo per Moyſen promittenti introductionem in terram ſanctam, ideoque in AEgyptum redire vellet. Subaudi, ſimili modo Ieſus Chriſtianos quos primo per fidem & baptiſmum ſalvavit, ſecundo perdet ſi a fide apoſtatent, & ad Simonem, Ebionem, Cerinthum vel alios hæreticos declinent.

V. 6. ANGELOS item QUI PRINCIPATUM, Græce, ἀρχὴν, id eſt originem, principium, poteſtatem, principatum, ſeu originalem præcellentiam in qua creati ſunt, puta gratiam ſanctificantem, qua conſtituebantur filii & heredes Dei, & principes regni cæleſtis, ut contra Magiſtrum Sententiarum, Bonaventuram, Scotum, Alenſem & Hugonem, negantes, dæmones creatos fuiſſe in gratia, bene probat Vaſquez *n* & alii Theologi: NON SERVAVERUNT, (nempe Deo facti rebelles, eo exciderunt & ſpoliati ſunt, unde *&* DOMICILIUM SUUM, tanto principatu dignum, puta cælum empyreum in quo creati fuerant, coacti ſunt *derelinquere*;) RESERVAVIT IN IUDICIUM *o* MAGNI illius DIEI, qui ſeiunget æternum beatos a damnatis, angelos a dæmonibus: VINCULIS AETERNIS & indiſſolubilibus divinæ potentiæ ſuæ concluſurus illos SUB CALIGINE, id eſt in caliginoſo carcere inferni. Quod ſi tam nobilibus creaturis apoſtatantibus, ſibi rebellibus, non pepercit Deus, quanto minus parcet viliſſimis homuncionibus ſi a Deo ad iuratos eius hoſtes deflexerint?

V. 7. SICUT SODOMA ET GOMORRA EXFORNICATAE, id eſt extreme fornicatæ, ſeu extremam ac peſſimam libidinem, puta præpoſteram, exercentes, ET POST CARNEM ALTERAM, ſeu alienam ab inſtituto & uſu naturæ; ABEUNTES *p*, maſculi maſculis, & feminæ feminis, beſtiis, vel dæmonibus incubis vel ſuccubis ſe commiſcentes, FACTAE SUNT EXEMPLUM, ſeu publica divinæ vindictæ oſtenſio, POENAM SUSTINENTES IGNIS AETERNI, partim qui tunc de cælo delapſus eſt, cuius etiamnum in lacu Aſphaltite durant reliquiæ, ut dixi Gen. XIX. partim qui in inferno Sodomitas excepit & torquebit æternum: ita Iſidorus Peluſiota *q*.

V. 8. SIMILITER ET HI Nicolaitæ, Gnoſtici, aliique hæretici, perinde ac *Sodomitæ*, infandis libidinibus CARNEM & naturam humanam MACULANT: Græca addunt, *ſopiti* quaſi tori obſcœnitatibus illis abſorpti. Perinde atque Hebræi refractarii ac rebelles *r*, DOMINATIONEM, id eſt magiſtratum omnem tum civilem, tum Eccleſiaſticum, SPERNUNT ac detrectant, ſomniantes ſe per Chriſtum liberos factos ab omni Superiorum obedientia: ita Thomas Anglicus, Gagneius, Catharinus, Vatablus, Salmeron & a Lapide denique inſtar Luciferi, MAIESTATEM divinam BLASPHEMANT, tam ore, quam opere, ut Epiphanius *ſ* prolixe teſtatur. Et an non

ingens blaſphemia, Chriſto adimere divinitatem? & miracula, doctrinam, præcepta illius ridere & exſibilare?

V. 9. CUM MICHAEL ARCHANGELUS; Arabica, *princeps Angelorum*, CUM DIABOLO; AEoles *Zabulo* legerent, quia δία vertunt in ζα. id eſt *criminatore* puta *Lucifero*, vel emiſſario Luciferi, DISPUTANS ALTERCARETUR, ſeu contenderet, DE MOYSI CORPORE, Michaele detrectante, Satana urgente, ut illud palam & publice in terra promiſſa ſepeliretur, atque ita Hebræis in idololatriam pronis occaſio daretur, Moyſen inſtar Dei & numinis, divinis honoribus colendi, ut Ioſephum colere ſolebant in figura virili, ſub nomine *Apis* ſeu *Serapis*, quod alibi *t* vidimus: ita Chryſoſt. *u* Ambroſ. & paſſim SS. Patres & Interpretes. In hac tam iuſta Michaelis, tam iniqua diaboli cauſa, NON EST tamen AUSUS Michael INFERRE, ſeu impingere, diabolo IUDICIUM BLASPHEMIAE, ſeu blaſphemam ſententiam, convicium, maledicte Satan, abi perfide in gehennam, &c. ſed modeſte ac graviter illum compeſcuit, dicens, IMPERET TIBI DOMINUS. Græce, *increpet x te Dominus*, id eſt tuam, o Satan, inſolentiam ac nequitiam comprimat Deus potenti ſuo imperio, ne tantum mali cauſes populo illius. Porro *blaſphemiam*, ſeu convicium, vel maledictum, *non eſt auſus* Michael proferre, non quod diabolum timeret, ſed quod maledicum verbum tamquam rem ſe dedecentem proferre timeret, ait S. Hieron. *y* Hæc Michaelis cum Satana altercatio nuſquam alibi in Scripturis reperitur, ſed S. Iudas eam vel ex apocrypho libro Henoch, (ut vult Origenes *z* & Hieron.) vel libro Aſcenſionis Moyſis, (quem etiam idem Origenes & Clemens Alexand. *aa* citant) ſicut S. Paulus citat verſus Arati *bb* Menandri, Callimachi *cc*, Gentilium Poetarum: non quod omnia ab ipſis dicta probet, ſed illa dumtaxat, quæ citat. Exemplo S. Michaelis, inquit Hugo, magiſtratui, iudici, Prælato, immo cuivis Superiori, abſtinendum a verbis iniurioſis & auſteriore imperio *dd*. Et idem cuivis Chriſtiano cum æmulis vel obtrectatoribus certanti cavendum, inquit S Hieron. *ee*

V. 10. HI AUTEM protervi & impudentes hæretici BLASPHEMANT promiſcue QUAECUMQUE obvia, etiam quæ IGNORANT, quæque captum illorum ſuperant, puta res cæleſtes ac divinas, divina attributa, myſteria fidei, &c. QUAECUMQUE AUTEM NATURALITER, ſeu naturali ſenſu & experientia, TAMQUAM bruta & MUTA; Græce, *irrationalia*, ANIMALIA NORUNT, puta ventrem & venerem, IN HIS porcorum inſtar & canum non tam deliciantur, quam CORRUMPUNTUR, fœdantur, vitiantur. Et vero Seneca *ff* voluptates inducit quaſi feras, quæ heros ſuos dilaniant: & Architas apud Ciceronem *gg*, *Nulla peſtis*, inquit, *capitalior quam corporis voluptas*.

V. 11. VAE ILLIS Gnoſticis, eorumque ſimilibus aliis hæreticis, QUI IN VIA CAIN *hh abeunt*, id eſt vitæ ipſius inſtitutum moreſque & actus ſequuntur, puta Dei contemptum, fraternam invidiam & parricidium, ET ERRORE BALAAM *ii*, nempe deceptione *mercedis*, (ſic habent Græca) oblatæ a Balac rege Moab, EFFUSI SUNT, ſicut ipſe, in maledicta, & in impia conſilia ad perdendum populum Dei. ET CONTRADICTIONE kk, ſic eſt in Græco, id eſt rebellione, factione & ſchiſmate ut imitantur impium CORE pontificatum Aaronicum ambientem, ita pari cum illo pœna, *vivi ad inferos* deſcendent. Nominat præ ceteris impiis *Cainum*, *Balaam* & *Core*, quia hi tres fuerunt præ aliis hoſtes veritatis & Eccleſiæ, quam peſſumdare & perdere voluerunt, veri prodromi & typi hæreticorum.

V. 12. HI SUNT IN EPULIS SUIS: græc., ἐν ἀγάπαις, id eſt, *in caritatibus* (ſic vocabant ſacra Chriſtianorum poſt ſumptam Euchariſtiam convivia, de quibus conſule Tertullianum *ll*) MACULAE, *commaculantes* [ut vertit Syrus] corpus crapula, mentem libidine, convivas turpibus verbis, aſpectibus, doctrinis: CONVIVANTES, & epulis ac poculis ſeſe ingurgitantes, SINE ullo TIMORE vel reverentia, ſeu hominum, ſeu Dei: oviculas ſibi creditas deglubentes, immo mactantes, & ipſarum carnibus, ſanguine, exuviis, PASCENTES non pauperes, ſed SEMETIPSOS *mm*. NUBES SINE AQUA, ſteriles, infæcundæ, copioſam pluviam promittentes, ſed nullam præſtantes *nn*. Variis VENTIS & ſuggeſtionibus dæmonum in varias doctrinas CIR-

CUM-

CUMFERUNTUR, inſtar Euripi ſemper fluctuantes, & nunc in hos, nunc in illos errores, ſola innovandi libidine proruentes, inquit Tertull. Irenæus & Vincentius *oo*. ARBORES AUTUMNALES, id eſt finiente autumno non fructus, ſed folia protrudere incipientes, quæ & ipſa mox hiemali frigore abſumuntur, ac proinde prorſus INFRUCTUOSAE, ut ſequitur: ita Gagneius & Salmeron. BIS MORTUAE, primo, dum areſcerent: ſecundo dum ERADICATAE ſunt, ut ſubditur.

V. 13. FLUCTUS FERI & latrantis MARIS, tumidi, inquieti, turbulenti, ſeditioſi, tumultuoſi: ſed tandem in pudendam libidinis & crapulæ ſpumam ac fœcem deſinentes. SIDERA ERRANTIA, & in erroribus prorſus inconſtantia. Græcum ἀστέρες πλανῆται non tantum ſignificat planetas ſeptem inferiorum cælorum, ſed etiam meteora & exhalationes igneas in aere diſcurrentes, quas Ariſtoteles *pp* *ſtellas erraticas* vocat. Et hoc ſenſu Plato *qq* mercatores *planetas urbium*; & Heraclius Imperator milites deſultorios, *planetas caſtrorum* appellabat. Longam de hæreticis vere erraticis ſtellis diſputationem vide apud Iſidorum Peluſiotam & Iodocum Coccium. *rr* Syrus vertit, *ſtellas ſeductrices*: Arabicus, *ſtellas calliginoſas*, quales ſunt exhalationes accenſæ quæ inſtar ſtellarum in aere oberrant, & ſubinde in terram cadunt: item *ignes* vulgo dicti *fatui*, qui viatores in avia vel præcipitia deducunt, & hæreticos ad vivum repræſentant: QUIBUS pro errorum *caligine* quam in Eccleſiam invehunt, & pro ſchiſmatum ac ſeditionum PROCELLA quam excitant, viciſſim SERVATA EST ac repoſita manet *procella* TENEBRARUM *ſſ* ſimul & ignium infernalium, non uno alterove ſæculo, ſed IN AETERNUM.

V. 14. DE HIS, ſupple, hæreticorum iudicio & damnatione, PROPHETAVIT HENOCH, prophetia utique vocali ac verbali, quæ poſtea veriſimiliter, ſeu ab ipſomet, ſeu ab ipſius abnepote Noe in ſcripta fuit relata, ſed poſterioribus ſæculis multæ illi fabulæ abiectæ, ut videre eſt ex iis quas citat Tertull. Irenæus, Hieron. Auguſt. *tt* & alii Et forſan ex libro ſic vitiato gemmam hanc, ut genuinam ſelegit S. Iudas, ut in ſimili fecit verſ. 9. Prophetia vero *Henochi* hæc eſt: ECCE de cælo VENIT DOMINUS Ieſus tempore a Deo præfixo, nempe in fine mundi, IN, id eſt, cum, SANCTIS MILLIBUS SUIS *uu*, ſtipatus innumeris legionibus angelorum & Sanctorum: ut

V. 15. FACIAT IUDICIUM CONTRA OMNES; Arabicus, *ut iudicetur omnis caro*; DE OMNIBUS *duris* verbis & iniuriis in proximum, & querulis, maledicis, blaſphemis in DEUM. Inculcat ex Henocho nominatim iudicium extremum S. Iudas, quia *Gnoſtici* illud negabant *xx*.

V. 16. HI *Gnoſtici*, aliique hæretici, SUNT iſti de quibus Henoch loquitur, QUERULOSI MURMURATORES (græce γογγυσταὶ, id eſt *ſuſurrones*,) de arctitudine legis Chriſtianæ, de ſeveritate divinæ iuſtitiæ, de providentiæ inæqualitate, immo iniquitate, &c. clam multa muſſitantes, palam libere detrahentes, neque ex divino nutu regi vel duci volentes; ſed SECUNDUM DESIDERIA SUA; græce, *concupiſcentias ſuas*, ut effrænes equi & muli, AMBULANTES; ſolius *quæſtus* & lucri CAUSA MIRANTES, ſuſpicientes, colentes, & ficte *laudantes*, ut Syrus vertit, PERSONAS primarias, illuſtriores, opulentiores. Vide noſtrum Auguſt. de Quiros.

V. 18. ILLUSORES, qui omnia divina & humana petulantiſſime irrident, QUI ſua hypocryſi *ſimplices decipiunt*, inquit Dionyſius.

V. 19. QUI SEMETIPSOS SEGREGANT ab Eccleſia ut militante, ita triumphante, & conſequenter a Chriſto & a Deo. Quid mirum? ANIMALES ſunt, & inſtar brutorum animalium, NON *habent* pro duce SPIRITUM, id eſt rectam rationem, ſed ſolos ſenſus & carnales appetitus gulæ, libidinis, avaritiæ, ſuperbiæ, &c.

V. 20. VOS AUTEM, o Chriſtiani, SANCTISSIMAE VESTRAE FIDEI, quam pro fundamento ſpiritalis fabricæ iam pridem in baptiſmo iecitis, *ſuperædificate* per continuum exercitium ſpei, caritatis, aliarumque virtutum, VOSMETIPSOS in auguſtum & gratum Deo palatium *yy*, non propriis niſi viribus (ut hæretici) ſed IN SPIRITU SANCTO ORANTES, & orationi iungentes

V. 21. *Dilectionem* DEI, & propter Deum etiam proximi. In his exercendis SERVATE VOSMETIPSOS & continuo perſeverate, EXSPECTANTES immenſam Dei MISERICORDIAM, & CHRISTI gratiam, quæ vos per-

ducat

ducat IN VITAM AETERNAM. Neque in ſolos fideles optem exerceri caritatem, ſed etiam, & quidem vel maxime, in ſeductos in hæreſin.

V. 22. ET HOS QUIDEM, nempe hæreſiarchas & hæreſis doctores, quia IUDICATOS ipſa facti evidentia, &, ut Paulus zz loquitur, *proprio iudicio condemnatos* ſchiſmatis & hæreſeos, ARGUITE; græce, ἐλέγχετε, id eſt redarguite, convincite, ſaltem apud populum, ut errore & nequitia eorum pateſacta, ab omnibus vitentur & explodantur.

V. 23. ILLOS VERO qui incipiunt hæreticis auſcultare, in fide nutare, vel etiam a fide decidere, SALVATE qua poteſtis arte, induſtria & celeritate, quaſi infantulos in ignem prolapſos & ambuſtos, celeri accurſu *de igne aaa*, tum præſentis Gnoſticorum libidinis, cum futuræ infernalis flammæ, etiam nolentes, etiam per vim RAPIENTES *bbb*. ALIIS AUTEM ſeductis quidem, ſed iam reſilientibus ac pœnitentibus, MISEREMINI *ccc*, & miſericorditer in gratiam & gremium Eccleſiæ recipite: TIMORE tamen aliquo ipſis incuſſo gravioris pœnæ, tum in hac, tum in altera vita ſubeundæ, ſi rurſus in errorem ſe abduci ſinant. Sic vero cum ſeductis proximis agite & converſamini, ut ſemper memineritis *odiſſe* EAM QUAE CARNALIS EST, MACULATAM TUNICAM, id eſt carnales & fœdos mores, & ſpurca ipſorum opera, quibus quaſi ſordidis indumentis anima fœdatur. Niſi enim caveatis, ipſi ſuam ſcabiem vobis affricabunt, ſuam hæreſin & ſpurcitiem vel ſolo anhelitu afflabunt. Alludit ad ritum legis *ddd* Moſaicæ, quo veſtes lepra, ſanguine vel ſemine pollutorum, etiam ipſæ cenſebantur pollutæ, & inſuper quidquid illæ contigerent.

V. 24. Porro *Deus*, cuius gratia vos totos impenditis animabus proximorum e cœno eruendis, POTENS EST, & (niſi opi ſeu gratiæ ipſius deeſſe velitis) curabit vos CONSERVARE SINE PECCATO ET SINE MACULA, ut addunt Syrus & Arabicus; quaſi dicat: Providebit Deus ne *maculata* Gnoſticorum *tunica* commaculemini, & ne, dum alios ſalvare ſatagitis, vos ipſos perdatis. Denique blaſphemiis impiorum hæreticorum opponit S. Iudas exemplo S. Petri & S. Pauli *ee*, magnificam doxologiam, qua ſuam ipſe epiſtolam, nos hanc commentarii partem obſignamus.

V. 25. SOLI trino & uni DEO SALVATORI *fff* NOSTRO, PER IESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM, GLORIA ET MAGNIFICENTIA, ſeu maximorum operum patratio, maxima perſonæ maieſtas, IMPERIUM ET POTESTAS, quæ illi affuere ANTE OMNE SAECULUM, eadem ET iam NUNC ab omni creatura in cælo & in terra ei aſcribantur, ET IN OMNIA SAECULA SAECULORUM. AMEN, fiat, fiat.

(a) Matt. x. 3.
(b) In Chronico ſup.
(c) Euſeb. Lib. I. h. ſt. cap. XIII.
(d) Niceph. Lib. II. cap. XL. &c. Martyrol. Rom. XXVIII. Octobr.
(e) Ierem. cap. XXVIII. toto. Zach. XIII. 4. & III. Reg. XXII. 24. &c.
(f) II. Tim. III. 1. & I. Pet. II. toto.
(g) Matt. XXIV. 24.
(h) II. Petr. II. 19.
(i) Ibid. verſ. 2. Iſaiæ III. 1. 10. 16. Exodi XXXIV. 6. & Amos V. 26. &c.
(k) Pſal. LXI. 12. & Pſal. LXXXVIII. 36. Hebr. IX. 12. & I. Reg. XXVI. 8. Exod. XXXIII. 5. &c.
(l) Hebr. XIII. 8.
(m) Exod. XXXII. 27. & Num. XI. 33. & XIV. 29.
(n) Vaſquez 1. diſp. XXI. 7. cap. III. & IV.
(o) II. Pet. II. 4.
(p) Sap. XIV. 16.
(q) Iſid. Peluſiota Lib. III. epiſt. 203.
(r) Hic verſ. 5.
(ſ) Epiph. hær. XXVI. &c.
(t) Gen. XLI. 43.
(u) Chryſoſt. hom. in Matt. Offic. cap. VII.
(x) Zach. III. 2.
(y) Hieron. ad Titum III.
(z) Orig. III. & IV. Periarchon. cap. II. &c.
(aa) Clem. Alex. Lib. VI. Stromat.
(bb) Actor. XVII. 28.
(cc) Ad Tit. I. 12.
(dd) Eccli. IV. 31.
(ee) Hieron. Lib. IV. cont. Ruffin.
(ff) Seneca de Vita beata cap. XIV.
(gg) Cicer. in Catone maiore.
(hh) Gen. IV. 8.
(ii) Num. XXII. 1. &c. & XXXI. 15.
(kk) Num. XVI. 1.
(ll) Tertull. in Apolog. cap. XXIX.
(mm) Ezech. XXXIV. 2.
(nn) II. Petr. II. 17.
(oo) Tertull. de Præſcript. cap. XLII. Iren. Lib. I. cap. V. Vinc. Lirin. contra profanas hæreſum novitates.
(pp) Ariſtot. I. Meteorol.
(qq) Plato Lib. II. de Republ.
(rr) Iſid. Peluſ. IV. ep. LVIII. Iod. Cocc. in Theſauro Cathol. Ambroſ. Lib. II.
(ſſ) II. Petr. II. 17.
(tt) Tertull. Lib. de Cultu feminar. cap. 2. & Lib. IX. de Idololatria. Iren. Lib. IV. cap. XXX. Hieron. de Script. Eccleſ. in Iuda. Auguſt. Lib. XV. Civ. cap. XXIII. & Lib. XVIII. cap. XXXVIII.
(uu) Deut. XXXIII. 2. & Matt. XXV. 31.
(xx) II. Petr. III.
(yy) I. Petr. II. 9.
(zz) Ad Tit. III. 11.
(aaa) Iob XXXV. 12.
(bbb) Amos IV. 11.
(ccc) Gal. VI. 1.
(ddd) Levit. XV.
(eee) I. Pet. V. 12. Rom. XVI. 25.
(fff) I. Tim. IV. 10.

GOR

Digitized by Google

GORDONI.

Verſ. 1. IUDAS, dictus Thaddæus, immo & Lebbem, *Corculum*, quæ vox deſignat a לב *leb*, *cor*: compellat vocatos ad fidem, & perſeverantes in ea, quibus bene precatur. Et verſ. 3. proponit quod dicturus eſt. SUPERCERTARI. Ita noſter Interpres, ac ſi eſſet verbum deponens: tamen in Græco eſt *ſupercertare*. Utrumque eſt idem quod certare conſtanter pro fide.

V. 4. SUBINTROIERUNT. Hi ſunt hæretici infames, quos hic acri oratione inſequitur. *De quibus præſcriptum eſt*; hoc eſt, de quorum iudicio & condemnatione iam ante me ſcriptum eſt; nempe a pluribus Apoſtolis, II. Pet. II. & Timoth. I. Impii ſunt, & legem Evangelicam transferunt in luxuriam. Certe more novorum hæreticorum ſub Luthero abutuntur lege Chriſtiana ad luxuriam, docentes eſſe legem libertatis, ac ſi ſub ea liceret, quicquid libet. ET SOLUM DOMINATOREM. Negabant Simoniani Chriſtum eſſe Deum, Græce, δεσπότην Θεὸν: nam negabant Deum eſſe natum: τὸ *ſolum*, excludit creaturas, non tamen Patrem & Spiritum ſanctum. Excludit, inquam, & eſt alterius eſſentiæ. Eſt ergo Chriſtus & Deus & dominator: quod etiam eſt Pater & Spiritus ſanctus ex Theologorum regula, qua ſimilis loquendi modus, ſi prædicatum eſt ex eſſentialibus, non excludit alias perſonas. Excludit quidem ſi prædicata ſint notionalia, ut ſolus Pater generat.

V. 5. COMMONERE AUTEM. In memoriam revocare (ὑπομνῆσαι) volo, vobis iam edoctis in lege Chriſtiana. Quod vero hic reponit illis, eſt exemplum populi Iſraelitici, quem Deus (ſub Moſe) ſemel educens ex AEgypto ſalvavit: ſed poſtea in deſerto peccantem caſtigavit. Apoſtolus hic dat hoc exemplum, redditionem tamen omiſit, ſed facilem: nempe idem eventurum eſſe hominibus, primum quidem ſalvatis per baptiſmum, ſed poſtea labentibus in peccata & apoſtaſiam. Sed quis eſt iſte Ieſus, & Salvator? An Ioſue? quod durum eſt: non enim eduxit populum, erat tamen dux belli. An vero Deus? vel Dei filius? ut poſt incarnationem futurus homo & ſalvator Meſſias? Sane pro Ieſu plerique Codices Græci habent Κύριος, & quidam addunt ὁ Θεός. Certum porro eſt Chriſtum ab æterno prædeſtinatum fuiſſe. Hinc interim habemus Chriſti divinitatem.

V. 6. ANGELOS VERO. Aliud exemplum eſt de Angelis, qui non ſervaverunt ſuam originem, dignitatem & excellentem iuſtitiam, quam acceperunt: & propterea deturbati ſunt a ſuo domicilio & cælo: quos inde eiectos Deus reſervavit in diem extremi iudicii, tunc palam & publica ſententia a Chriſto damnandos, & carceri alligandos in æternum. Redditio hic ſicut in priori exemplo facilis eſt. Vide II. Pet. II. 4. Ex hoc loco recte colligunt contra Magiſtrum & Henricum multi Theologi Angelos etiam Dæmones creatos fuiſſe in gratia: quod probat Vaſquez I. par. diſp. 217. cap. III. & IV.

V. 7. SICUT SODOMA. Hoc tertium exemplum de Sodomitis incendio temporali traditis, ut poſtea ſuccederet aliud æternum; eſt aptum ad exprimendum, libidinoſos hos apoſtatas igni ſimiliter tradendos. EXFORNICATAE CIVITATES, hoc eſt, extrema & fœdiſſima libidine. POST CARNEM ALTERAM, alienam ab inſtituto naturæ, quippe quæ generationem reſpicit & vas ad illam aptum.

V. 8. SIMILITER. Epiphonema eſt ab effectu in hos ſacrilegos apoſtatas, qui eo ducuntur ut in ſeipſos peccent carnem maculantes (quod exaggerat Paulus I. Cor. VI. 18.) in magiſtratum & politicas leges, quas ſpernunt; & in Deum quem blaſphemant. Quidam hic addunt & legunt, *ſomniantes*. Et vere dici poteſt hic hominibus ſopitam ita eſſe rationem, ut vivant belluino more.

V. 9. CUM MICHAEL. Aliud in hos argumentum eſt ab exemplo Michaelis Archangeli, qui quamvis ſit inter excellentiores Angelos, & iuſtam cauſam tueretur de ſepeliendo Moſis corpore (ut Deus volebat Deuter. XXXIV. 6.) in loco ſecreto: tamen non ullo eſt uſus acerbo convicio in reluctantem Dæmonem. Quam ſunt ergo illi ſcelerati qui in Deum Opt. M. x. audent convicia & blaſphemias proiicere, quod exaggerat verſ. 10.

At quæ eſt hæc adeo diſputata cauſa inter S. Michaelem & Dæmonem? De hac multi multa. Communior & probabilior ex tot opinionibus eſt, egiſſe Dæmonem, ut in-

inferretur corpus Moſis in terram promiſſam, quod ſperaret fore, ut hinc Iſraelitæ excitarentur ad colendum Moſen per idololatriam: aut ne eius reliquiæ inter gentes relictæ operarentur multorum converſionem ad Deum verum. De qua re qui plura deſiderat, legat Serrarium hic.

V. 11. VAE ILLIS. Hic prolatis exemplis, & ſimilitudinibus, ulterius in hos impiiſſimos Apoſtatas invehitur qui ſequuti ſunt viam impiorum, *Caini*, in Dei contemptu, invidia & homicidio: in ERRORE BALAAM, qui ſpe lucri maledicere volebat: IN CONTRADICTIONE CORE, per rebellionem: horum iſti expectent pœnas.

V. 12. HI SUNT IN EPULIS. En male conditum convivium. Solebant veſperi poſt ſumptam Euchariſtiam fieri convivia. Vide I. Cor. XI. 20. Quid in his apud hos hæreticos niſi corporis crapula, mens libidinoſa, convivæ hæretici, ebrii detractione & blaſphemiis. Talia exhibet Lutherus convivia. Quæ inſequuntur verſ. 13. explicant hæreticorum in doctrina inconſtantiam, quam ſint ſine fructu & ſimilia.

V. 14. PROPHETAVIT AUTEM. Dixit iam his miſeris paratam eſſe procellam tenebrarum. Id probat auctoritate Enochi, quem vocat ſeptimum ab Adamo, computatis extremis, ſcilicet Adamo & ipſo Enocho; qui natus poſt creatum Adamum anno mundi 622. Hanc autem Enochi prophetiam accepit Iudas vel ex libro, qui tempore Iudæ extabat: vel certa traditione. Nec mirum eſt tam graves pœnas his eſſe paratas quando tam gravia ſunt eorum peccata, ut dictum eſt, & iterum attingit verſ. 16.

V. 17. VOS AUTEM. Concluſio eſt epiſtolæ, ubi poſt aliquot rationibus exploſam & reprehenſam hæreticorum doctrinam, & impios mores; hortatur fideles ut ſequantur & imitentur Apoſtolos, nec a tradita per illos doctrina recedant. Iacta vobis ſunt fundamenta: quod reliquum eſt, animum erigite, expectantes Dei miſericordiam, & vitam æternam.

V. 22. ET HOS QUIDEM. Hæreticos facti evidentia damnatos arguite: illos vero qui in periculo ſunt, ne labantur, iuvate: nutantes fovete: ſemper vero maculatam tunicam, & mores carnales; pellite a vobis, ut doctrinæ Evangelicæ, & veritatis peſtem certiſſimam. Gloria ſit Deo per Chriſtum.

FINIS TOMI VIGESIMI SEPTIMI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google